Inf. Tab VI-62.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Collegij Lugdunensis Societ. Lugdunen. Soc. Jesu Catal. manuscriptus 1675

107841

ARCHONTOLOGIA COSMICA,

SIVE

IMPERIORVM, REGNORVM, PRINCIPATVVM, RERVMQVE PVBLICARVM

omnium per totum Terrarum Orbem

COMMENTARII LVCVLENTISSIMI,

QVIBVS CVM IPSÆ REGIONES, EARVMQVE Ingenia, ac termini, tùm incolarum mores, opes provinciarum, mercimonia ac negotiatio, robur militare, forma dominij, Religionis cultusque ratio, successiones denique Principum ad nostra usque tempora deducuntur,

Primò operâ & studio

JO. LVDOVICI GOTOFREDI,

EX GALLICO PER NOBILISS. D.T.V.Y. SACRI CVBICVLI APVD REGEM Christianissimum Equitem antehac conscripto exemplari in Sermonem Latinum conversi & hinc inde locupletati;

NVNC AB ALIQVAM MVLTIS MENDIS PVRGATI, NECESSARIIS accessionibus aucti, & inprimis ad præsentis usque status faciem continuati à G.C.H. historiophilo, diviso opere in tres libros,

QUORUM

I. *Imperatorum, Regum, Principum, Summorumq; Magistratuum, qui per Europam sibi Imperij sedem fixerunt, etiamsi extra hanc quoque dominentur, descriptioni tribuitur: in quo etiam res Americanæ.*

II. *Monarchas, Reges & Principes per Asiam & Africam rerum potentes, quiq; in his partibus Globi domicilia constituerunt: ubi multa nova antehac non lecta nec audita occurrunt.*

III. *Omnium Ordinum tàm Militarium sive Equestrium quàm Religiosorum per Orbem Christianum Origines, Leges, Incrementa & decrementa complectitur.*

EDITIO SECUNDA, ADIECTIS MULTIS ARTIFICIOSIS ET ACCVratis, antehac nunquam visis ad vivum delineatis Provinciarum, Vrbiumque Orbis præcipuarum Tabulis Chalcographicis in usum mentis industriæ illustrissima.




FRANCOFURTI,

SVMPTIBVS MATTHÆI MERIANI

Anno M. DC. XLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1881

Digitized by Google

Digitized by Google

LYON

ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ SPECIALIS MODERNÆ

LIBER SECVNDVS,

IMPERIORUM, REGNORUM, PRINCIPATUUM PER VNIVERSAM ASIAM ET AFRICAM DESCRIPTIONEM CONTINENS.

NOs quoque juvat, velut omnia illa regna & provincias, quæ superiore libro descripsimus, ipsi peragraverimus, oculis arbitrati & mensi fuerimus ad finem Europæ perveniſſe: quæ etſi partium Orbis univerſi, ſi terrarum ſpacia metiaris, minima ſit, maximam tamen partem hujus noſtri operis ſibi jure merito vendicavit, idque multis nominibus, quæ huc adducere nihil attinet. Iam tempus, & inſtituti ratio, & ipſius viæ commoditas nos in Aſiam vocat, uſuros beneficio anguſti freti, quo tranſito ex Thracia atque Græcia in Aſiam facili navigatione venitur. Cumque triplex nobis oſtendatur trajectus, vel inter Seſtum & Abydum, quem aliquando Leander trahente Herûs ſidere nando confecit; vel per Boſphorum Thracium, quem nobis Taurus oſtendit; vel denique per Helleſpontum, cujus fauces Phryxus aurato inſidens velleri ſuperavit: nobis perinde erit, quo utamur, dummodo ex his Europæ partibus in Minorem Aſiam tranſeamus.

DE POTENTIA OTTOMANNICA PER ASIAM, ET AFRICAM.

[Præter Geographos Generales & hiſtoricos qui de varijs ab orbe condito ſcripſere, uti Zonaras, Frilingenſis, Sylvius, Viterbienſis, Beda, Ado Viennenſis, Mûnſter, Franck, Hermannus Contractus, Aventinus, Coccius, Nauclerus, &c. de rebus Aſiaticis & Imperatoribus Conſtantinop. Chriſtianis & Turcicis dixere Cedrenus, Curopalates, Sigebertus, Gulielmus, Tyrius, Nicetas Choniates, Iacobus à Vitriaco, Nicephorus Calliſtus, H. Blondus, Tzezes, Appianus, Ælianus, Leonicenus, Cruſius, Vadianus, Stella Laonicis Chalcondyla, P. Gyllius, Poſtellus, Leunclavius &c.

Digitized by Google

Summa Capita.

1. *Asia Minor, qua & Natolia (rectius Anatolia) vel Alta Turcia appellatur: ejus præcipua Provincia, limites, latitudo, longitudo, clinata, paralleli.*
2. *Descriptio particularis Anatoliæ. Pontus & Bithynia olim separata regna. Utriusque fines & præcipuæ urbes ac oppida.*
3. *Asia propriè sic dicta: ejus fines & primi nominis oppida.*
4. *Phrygia utraq; superior & inferior. Rudera Troiæ urbis, quæ adhuc supersunt.*
5. *Caria, Mysia, Ionia, Doris, Lydia, Lycia: omnium harum limites & oppida.*
6. *Galatia sive Gallogræcia; ejus fines & amplitudo.*
7. *Pamphylia.*
8. *Cappadocia.*
9. *Cilicia.*
10. *Absoluta continente Asiæ Minoris, sequuntur quæ circa illam Insulæ, & primo quidem Cyprus.*
11. *Rhodus.*
12. *Insula Propontidos.*
13. *Armenia.*
14. *Turcomannia.*
15. *Georgia,*
16. *Arabia Deserta & Petrea.*
17. *Arabia felix, ejus situs & meliora oppida, inter quæ Mecha, patria Mahometi.*
18. *Idumæa.*
19. *Syria, ejusq; divisio in quinque provincias, quarum prima Palæstina.*
20. *Regnum Hierosolymitanum.*
21. *Genealogia Regum Hierosolymitanorum sub æra Christi.*
22. *Catalogus Patriarcharum, qui Hierosolymis fuerunt.*
23. *Mesopotamia sive Diarbec.*
24. *Qualis omnium illarum provinciarum aër, nempe bonus & temperatus: quibus rebus abundent eæ regiones. Anatolia celebris nomine multorum & celebrium fluviorum: Bithynia sylva, multum materiæ suppeditantes fabricandis navibus. Lapis Synnadicus Alabastro similis. Aqua calida Hierapoleos, quæ petrefiunt. Magnes lapis in Caria. Rubea Ionia, Arena aurea Lydiæ, Crocus Tmoli, Triplicia animalia Chymæra montis in Lycia, cujus summa obtinentur à Leonibus, media caprarum gregibus, ima serpentibus. Vinum, fructus, metalla, argentum, cuprum, ferrum, alumen, Crystallus, Jaspis, Onyx, Alabastrum, armenta equorum, apes duum generum in Cappadocia. Prealta Cedri Amani montis, myrteta Ciliciæ: Dactyli, Manna, Coralia, Amethystus Arabiæ Petreæ. Palmeta, Nardus, Casia, Cinnamomum, Thus & Myrrha Arabiæ felicis. Rosæ, Melopepones, poma citria, olivæ, ficus, mala granata, vineæ ter quotannis botros proferentes in Palæstina. Balsamus Idumææ, Canna mellita & sabulum ad purissimam materiam vitream in Phœnicia.*
25. *Naturæ mores & consuetudines veterum Arabum, Sabæorum, Nabathæorum, Iudæorum, Armeniorum, Cappadocum.*
26. *Leges & Statuta Iudæis præscripta per Moysen, & quid in iis potissimum memorabile. Emigratio Hebræorum ex Ægypto, & transitus eorum in Iudæam, causa & ratio à Gentilibus perperam intellecta. Tres Secta inter Iudæos, Pharisæi, Esseni, Sadducæi.*
27. *Ingenium, mores & modus vivendi Turcarum, Arabum, Iudæorum, aliarumque nationum Asiam inhabitantium: ratio eorum vestiendi, capiendi cibum. Eorundem arma, domicilia, mansiones quorundam sub tentoriis, mapalibus, palmarum foliis vel cavernis.*
28. *Opes Asiæ in quibus rebus potissimum consistant: in negociatione Gossypij, Magnetis lapidis aere Cyprio, materia vestiaria è pilis Camelorum, ferro, alumine, Crystallo, Jaspide, Onyche lapide, Alabastro, aromatibus, gemmis lapillisque, unionibus & Thure. Tributa eorum, qui vel Sepulchrum Dominicum vel Medinam Religionis ergo adeunt.*
29. *Elenchus Arcium, Castellorum, oppidorumque munitiorum in omnibus provincijs Asiæ, quæ Turcico subsunt Imperio.*
30. *Religiones & Secta diversissimæ inter eos qui superius enumeratas Asiæ regiones incolunt, & ipsi quidem Christiani Latini Græcique variè divisi, in Melchitas, Nestorianos, Dioscorianos, Armenianos, Iacobitas, Maronitas aliosque: harum sectarum origines & circa Fidem errores.*
31. *Regna Algerianum, Tunetanum & Tremisenum; Mores Afrorum & Maurorum.*
32. *Descriptio ulterior Mauritaniæ Cæsariensis.*
33. *Ægyptus & Troglodytica regio, ejus regimen, mores, qualitas, religio &c.*
34. *Narratio ulterior de Turcarum moribus & ritibus hodiernis, robore, gubernatione, religione &c.*

VT una velut Hypotyposi, quid Turca in Asia possideat, oculis tuis, Lector, subijciam, sic accipe. Quicquid terrarum est intra Pontum Euxinum, Mare Aegeum, Mediterraneum, Ægyptum, Sinum Arabicum, Sinum Persicum, Tygrim amnem, Mare Caspium cum Isthmo, qui est inter vtrumque Mare, Caspium & Euxinum: id inquam omne tam vastum orbis spacium nostro ævo Turcico subijcitur dominatui. Nos à Minore Asia ordiemur, quo nomine appellamus ingentem illam Chersonesum sive Peninsulam, intra Pontum Euxinum, Mare Aegeum, & Cilicium Pamphyliumque. Hæc peninsula nostra ætate appellatur Natolia (vel rectius secundam quosdam Anatolia ἀπὸ ἀνατολῆς & Alba Turcia.

Com-

Digitized by Google

1 Complectitur autem has provincias sive (vt veteres vocabant) regna: Pontum, Bithyniam, Asiam peculiariter sic dictam, Lyciam, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciam, Armeniam inferiorem. Limites eius sunt: ab oriente Euphrates fluvius (hodie Apherat,) à Meridie Mare Mediterraneum, quod varia sortitur nomina, & nunc Lycium, nunc Pamphylium modo Cilicium appellatur, pro regionibus, quarum pulsat littora: ab Occidente est Mare Aegeum: à Septentrione Pontus Euxinus. Ingens hoc est terrarum spacium, quod intra XXXVI. & XLV. gradum comprehendatur, id est, intra medium IV. Climatis & XI. Paralleli, & medium VI. Climatis & XV. Paralleli, vbi maxima mutatio longitudinis diei est vnius horæ. Pars enim Australior longissimam diem habet XIV. horarum cum dimidia, pars vero Borealis, XV. horarum cum dimidia. Latitudo ejus, secundum Plinium, est circiter CC. mill. Pass. puta à Sinu Issico, qui hodie Golphus Lajazzæ dicitur, vsque Trapezuntem in littore Ponti Euxini. Consentit autem hæc scribens Plinius Herodoto, qui ait, Isthmum Minoris Asiæ quinque dierum iter hominis expediti continere,

2 Fuerunt autem olim Pontus & Bythynia duæ provinciæ separatæ, intercedente Sangare fluvio, qui vtramque alluebat, sed deinde coaluerunt, dicunturque hodie communi nomine Bursia, vel vt Castaldo alijsq; placet, Becsangal. Fines ejus sunt ad occasum Fauces Ponti ad Bosphorum Thracium & pars Propontidis. Ab Aquilone pars Ponti Euxini. A meridie Asia sigillatim sic dicta, juxta Rhindacum amnem, ab Oriente Paphlagonia. Erant in hoc spacio famosæ olim Vrbes Chalcedon, Nicomedia, Apamia, Prusia, Nicæa, & Heraclea Pontica.

Chalcedon, quæ vrbs claritatem acquisivit à quarto Concilio in ea habito, nostro ævo in ruderibus jacet. Ajunt autem nonnulli, eam recta ex adverso Constantinopolis esse, dividique à parte Bosphori spacio septem stadiorum, esseque eam quæ hodie dicatur Galata. Alij putant eam esse, quæ à Turcis Scutari appellatur, & Constantinopoli opposita est.

Nicomedia ab amœnissimo colle dependet, è quo permultæ aquarum scaturigines prosiliunt, quæ causa est, quod multi Turcæ ac Græci mixtim ibi habitent, quanquam ipsa urbs magna ex parte in ruinis jaceat. *Prusia* (hodie Bursia) vrbs est perampla, haud longe Olympo Monte. Fuit hæc aliquando Regia Ottomannorum antequam potirentur Constantinopoli, *Nicea* hodie nomen Nichiæ est, quæ olim caput fuit Bithyniæ, sita juxta Lacum Isnicum.

3 *Asia* sigillatim ita dicta, à Turcis Barbaro nomine Sacrum appellatur. Fines ejus sunt, secundum Ptolemæum, ab Occasu pars Propontidis, Hellesponti & Maris Aegæi: ab Austro Mare Rhodium cum parte Lyciæ & Pamphyliæ: ab ortu Galatia: ab Aquilone Pontus & Bithynia. Complectitur autem Phrygiam, Cariam, Mysiam, vtramq;, Aeoliam, Ioniam, Doridem & Lydiam.

4 *Phrygia* superior, vt olim, ita nostro quoque ævo pagos potius habet quam vrbes & oppida, inter quæ tamen est. Midea, Midæ Regia, juxta Sangarem fluvium. Maxima tamen hujus Phrygiæ Vrbium fuit Apamia, olim Cibotis. *Phrygia* Inferior ex adverso Athon Montem habet. Fuit in hac olim decantatissima illa Troja, haud longe ab Ida Monte, qui hodie mira nominis mutatione dicitur Gargarus. Sunt autem adhuc visenda admiranda rudera Magnæ illius Trojæ, nempe maceriæ quarundam turrium & fundamenta murorum, & extra murorum ambitum in ampla via regia spectantur multa sepulchrorum monumenta, ex vno solidoque singula marmore. Extant & ruinæ satis amplæ duorum Castellorum, & ipsæ marmoreæ, nec non prægrandes Colossi antiquissimi, humi strati, & portæ quædam murorum prope adhuc integræ, si fides habenda est Bellonio, qui ait Xanthũ & Simoenta rivos hodie esse nullius momenti, qui nonnunquam æstate exarescant, & non adeo multas per hyemem aquas vehant. Verum nos de Trojæ reliquijs plura dicemus in descriptione Insularum Propontidos. Sed & Pergama in Troade fuerunt, oppidum non exigui nominis, & patria Galeni Medici.

Inter Ioniam & Lyciam sita est *Caria*, cujus olim 5
fuit Metropolis Halicarnassus, nostro ævo Messia dicta. Aliud oppidum Cariæ, & quidem inter meliora est Tabum. Iuxta Halicarnassum, ad manum dexteram incipit Mons Taurus. Sunt qui Cariæ Miletum quoque vrbem accenseant, alij verò Ioniæ asserunt.

Etiam Mysia per Ptolemæum in superiorem & inferiorem dividitur. Fuit hic olim Lampsacus oppidum, supra Hellespontum situm, recte ex adverso Callipolis: sed nostra tempestate diruta jacet, aitque Sophianus locum vbi stiterit, hodie Lamsicum dici.

Abydus veterum Milesiorum colonia fuit, ubi Hellespontiaci freti latitudo in septem stadiorum angustiam coit. Perstat autem adhuc Abydus, quanquam nomen mutaverit, & Aveb dicatur; sita in loco palustri, & apprime munita, arcem habens, quæ vna cum opposita è regione Sestana arce clavis est Imperij Turcici, ab ea parte. Ex his enim arcibus possunt tormentorum globis peti ac tangi naves, quæ vel intrare volunt Hellespontum, vel exire invitis Præfectis Turcarum. Visebatur & olim in his oris Adramittium, Athenienſium Colonia, quam hodie corrupte Landermittin appellant. In hac regione fluit Granicus amnis, qui accolis Lassarus dicitur, ad quem Alexander vicit Satrapas Darij.

Aeolia secundum littus Maris Ægæi porrigitur: suntque ejus potissimæ vrbes Myrine, Cuma (hodie Castri) & Phorcæa, quæ nunc Folia vetus dicitur, habens duos Portus, cujus peridromus olim fuit II. millia vt Livius retulit.

Ionia Latitudinem si rectalinea metiaris, invenies XL. millium Longitudinem CC. secundum littus maris, vbi est Ephesus vrbs celeberrima quõdam, hodie Figena dicta, si Castaldo credimus. Soplianus tamen putat, eam antiquum nomen suum retinere. Magnam ad veterem gloriam huic vrbi accessionem peperit, primo templum Dianæ Ephesinæ, quod inter septem mundi mirabilia, (vt

Digitized by Google

cum vulgo fabulemur) refertur: deinde celeberrimum istud concilium Ephesinum, Quidam etiam Miletum huc locant. *Doris* excurrit in Mare in Promontorij speciem, vbi celebrius est oppidum Gnidus, ob Veneris & statuam & cultum. Hujus jam vrbis locus pro vrbe supereſt, vocaturq; *Caput Orium*. Quidam huic regioni adscribūt Halicarnassum, de qua supra diximus, quod hodie alijs appelletur nominibus. Regnavit in ea olim Mausolus Cariæ Rex, Cui mortuo Artemisia vxor superbum illud sepulchrum erexit.

Lydiæ vetus nomen est Mæonia: in hujus provinciæ oppido Sardibus habitavit olim dives ille Crœsus. Hæc cum per terræ motum dejecta fuisset, per Tyberium instaurata fuit. *Lyciam* Stephanus Giravus olim Myladem & Ogygiam dictam fuisse, hodie vero Briquam appellari autumat. Castaldus novo nomine eam vocat Aldinellam, Theuetus vero ab Arabibus nominari ait Benesacam. Vergit hæc provincia maxime in Mare, quod ea de causa Lycium dicitur, clauditurq; ab occidente & ab Aquilone Caria: ab Ortu Pamphyliam habet: à Meridie Mare Lycium, ad navigationem circiter vicies mille passuum. Habuit hæc olim circiter LX. oppida, è quibus ad XXX. adhuc supererant temporibus Pauli Apostoli. Præcipua hæc fuerūt: Xanthus, Patara, Pinarus, Olympia, Myra, Lymyra. Patarensis civitas potior erat reliquis. Sed & Telnesa erat oppidum juxta Promontoriū ejusdem nominis. Collocatur à priscis scriptoribus in Lycia Mons Chymæra, qui noctu solebat eructare flāmas ignis. Præcipuo oppido nostri tēporis Fisco nomen est, quod portum marinum habet longe commodissimum.

6 *Galatia* sive Gallogræcia à veteribus Gallis nomen sortita est, qui se miscuerunt cum populis Asiæ, temporibus Pyrrhi Regis Epirotarum. Hodie Chingaram dici Castaldus auctor est. Limites hos habet: ab Occidente Bithyniam Phrygiamq;: ab Oriente Cappadociam: à Meridie Pamphyliam; ab Aquilone Pontum Euxinum, cujus littus ibi extenditur ad CCL. millia passuum. Celeberrima ejus Vrbs est Ancyra (hodie Angurus, cujus celebre est nomen ob multitudinem materiæ vestiariæ, quę à Camelis sive corū pilis nomen sortitur. Accensetur huic provinciæ etiam Paphlagonia, cujus præcipua vrbs Synope, sita supra collem in Peninsula Ponti Euxini, bonum habens portum. Sed & Amisa olim dicta, vrbs maritima, hodie Simiso dicitur.

7 *Pamphyliam* nostro ævo Setiliam dici, Giravus & nonnulli alij tradunt. Ait Thevetus eam ab Arabibus Zinam dici: Bolloniustamen dicit & hanc & Ciliciam junctim Caramanniam dici, in qua septem Sangiaci Turcici commorantur. Attingit autē ab Oriente Ciliciam & Cappadociæ partem: ab Occidente Lyciam cū parte Asiæ peculiariter ita dictæ: à Septentrione Galatiam: Versus Austrum mare habet Pamphylium, inquietum semper atq; procellosum. Oppida ejus præcipua sunt Perga, quæ mediterranea est ad cataractā fluviū, nec non Sida & Aetalia maritimæ vrbes. Aetalia autem, quæ caput est totius provinciæ, hodie Satalia dicitur, estque amplissima atque munitissima omnium vrbium totius illius oræ, vt & proximo Sinui Maris nomen suum communicet.

Cappadocia, quam Strabo Leucosyriam vocat, 8
plerisq; hodie ea provincia est, quæ Amasia dicitur, extenditurq; vsq; ad Pontum Euxinum, limites habens ab occidente Paphlagoniam, partem Pamphyliæ & Galatiam: à Meridie partem Ciliciæ: ad Orientem est Antitaurus Mons ingens, attingens Armeniam inferiorem & partē Euphratis amnis: à Septentrione habet Pontum Euxinū. Fluvij ejus celebriores sunt hi: Halys olim limes Regni Crœsi, qui hodie Ottomagiuch vocatur: Isis, hodie Gasalmach: & Thermodon, hodie Permon dictus. Caput regionis est Trapezus oppidum, vulgo Trebisonda, quam Arabes Machomach nominant, vbi aliquando Græci Imperatores sedem suam habuerunt. Deinde est, Amasia, quam quidā, sed perperā, Paphlagoniæ adscribunt. Antiquum nomen hæc vrbs retinet, communicatq; idem toti viciniæ, sita est in profunda valle, supra Isin fluvium. Fuit hæc quondam Patria Strabonis, nunc verò sedes Præfecti Turcici, qui se vocat Beglierbegum Amasiæ & Cappadociæ. Iconium sunt qui Cilicię tribuant: sed Ptolemæus eam vrbem huic provinciæ adscribit, hodie corrupte vocatur Conia, sita autem est ad radicem editi montis, humectaturq; multis limpidissimis fonticulis, qui inde descendunt. Figura ejus rotūda est, muri antiquo structurę genere, quadratis turrib. intercedentibus. Portas habet octo, cum multis templis & Balneis more Turcarum.

Ciliciam Iosephus Tarsum nominat, Hebræi 9
Chalach dicunt. Putat eam Niger hodie dici Turcomanniam. Sed rectius sentiunt qui Caramanniæ nomen ei tribuunt, cum Turcomannia nihil sit aliud quam Armenia superior. Igitur Caramannia, quæ præter Ciliciam etiam alias provincias cōplectitur, terminatur ab Occidente Pamphylia, à septemtrione Tauro Monte, ab Oriente Monte Amano, vulgo Monte Nigro, à Meridie habet Mare Cilicium. Præcipuum ejus oppidum est Hama, olim Tarsus, sita in amæna valle, quam Cydnus amnis irrigat. Spectatur & hic Adena oppidū, amplum satis, sed sine mœnibus, arcetamen munitum quatuor turrib. instructa. Ait Bellonius in Cilicia quoque reperiri vrbem Heradeam, spaciosam quidem, ad radicem Tauri Montis in pulchra planicie sitam, tridui itinere ab Adena distantem, in septentrionem & occasum versam.

Armeniæ Minori adhuc idem esse nomen ait Niger: Giravus tamen alijq; Anadulen vel Aladulen appellari autumant, Castaldus Pegianam. In libro Noticiarum Pirmia dicitur. Fines habet, ab Oriente Euphraten, quo dividitur à Turcomannia sive Armenia superiore: ab Occidente Cappadociam: à Meridie Ciliciam supra Montem Taurum, cum parte Syriæ supra Amanum Montem: ab Aquilone Pontum Euxinum, vbi dicitur desinere in Angulū, quem Euphrates & Antitaurus Mons faciunt. Sed hoc terrarum spacium non solus Turcarū Monarcha possidet, sed peculiares suos habet Regulos.

Finita descriptione Minoris Asię, qua continens ea est, intra maria, Mediterraneum, Ægæum & Euxinum sita, ad Insulas illius progrediemur, & primo de Cypro dicemus.

CYPRVS

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1891

Digitized by Google

Digitized by Google

CYPRVS INSVLA.

SVMMA CAPITA.

1. *Qui fuerint primi habitatores hujus Insulæ, sub quorum ea fuerit dominio antequam per Selymum occupata & potentiæ Ottomannicæ subjecta fuerit.*
2. *Quis sit ejus situs, ambitus, longitudo, latitudo, sub quo climate & Parallelo.*
3. *Quæ sint ejus præcipua Promontoria.*
4. *Olim divisa in quatuor partes, hodie in duodecim territoria. ejus præcipuæ urbes, oppida, pagi, Montes.*
5. *Ingens agri fertilitas, qui abundat omnis generis fructibus, inprimis malis citriis, limoniis auratisq; vuis nigris, quas Zibetas vocant, dactylis, saccaro è cannis mellitis, croco, coriandro, lentisco, terebintho, colocynthide, rhabarbaro, scammonea, chrysocolla, chalcantho, alumine, auro, ferro, cupro, lapillis preciosis, Smaragdis, Adamantibus, Chrystallo, coraliis albis rubeisque, Amianto lapide, unde fit tela, quæ in ignem conjecta non vritur sed purgatur; gossypio, lana & sale.*
6. *Quibus veteres Cyprij usi fuerint legibus & consuetudinibus: Scortatio olim non modo non prohibita, sed & permissa atque laudata. Venus præcipue in Cypro culta & Dea Insulæ Tutelaris. A quibus Nationibus hodie possideatur Cyprus.*
7. *Modus gubernationis Politica, quis fuerit sub dominatione Venetorum: qualis is hodie sit: Turcis Insulam obtinentibus.*
8. *Religio Cypriorum, antiqua & hodierna.*

SVNT qui Cyprum Insulam primum omnium 1
ab Iapheto Noæ Patriarchæ filio habitatam ferunt: deinde sub dominatione Monarchię Assyriorum fuisse, qua extincta Tyrannis Græcis paruisse: hinc ad Romanos delatam ejus possessionem, ab his Ptolemæis Ægypti regibus permissam, mox iterum ad Romanos devolutam fuisse. Postea Imperatores Constantinopolitanos, eam possedisse per spacium annorum ferme DCCC. Cumque ad manus familiæ Lusinianæ in Gallia pervenisset, eam anno AN. C. MCCCCLXXIII. venetis subjectam, ac postremo anno AN. C. MDLXX. per Selymum potentiæ subjectam Ottomannicæ.

Ait Volaterranus, eam Insulam primo Cryptam appellatam, id est occultam vel subterraneam, quod procul videatur fluctibus marinis tegi. Dicta enim fuit Cerastis à multitudine montium, quos Poëtæ cornibus comparant. Cætera eius nomina sunt Amathusia, Paphia, Salaminia, Macaria, Amacantis, Asperie, Colinia. Sed hæ sunt verius ejus partes.

2 Sita est secundum Ptolemæum in medio Sinu Issico, qui hodie Lajacensis dicitur, estque contiguus mari Ægyptio inter littora Ciliciæ Syriæque. Respicit enim versus meridiem Ægyptiacum Syriacumque Mare, quod idem mare etiam habet ad ortum, vt ad occasum Mare Pamphylium, & ad Septentrionem Cilicium. Pars Insulæ quæ orientem respicit, distat à Syria circiter millibus C. quæ via unius noctis spacio confici potest. At pars Meridionalis distat ab Alexandria navigatione trium vel quatuor dierum. A Ciliciæ sive Caramania abest millibus LX. Longitudo ejus porrigitur ab occidente in orientem, facitque alicubi Isthmos sive angustias terræ, qui incertam reddunt ejus latitudinem. Sita est sub initio quarti climatis, sub decimo parallelo, vt neotericis placet, vbi longissima per æstatem dies est horarum XIV. cum dimidia: complectiturque tres gradus cælestes in longitudine. Peridromus ejus, si Straboni credimus, habet CCCC.XX. stadia supra ter mille, quæ faciunt CCCC.XXVII. millia pass. Plinius paucioribus ambit eam millibus pass. nempe CCC.LXXV. Alij dicunt, eos qui navigando eam circumeunt, deprehendere D. mill. pass. ejusque longitudinem omnino esse CC. mille passus, vbi vero latissima est, L. vel LX. millia pass. habere.

Capita sive Promontoria habet aliquot, exempli gratia versus Occidentem Promontorium Acamantis, quod nunc Caput S. Epiphaniæ dicitur: Promontorium Drepanense, hodie Trapani & Melechiæ: Caput Zephyrium, hodie Punta sive Melota, quod & Chelidoniæ dicitur. In latere meridionali visitur Promontorium Phæurium, quod hodie Caput Album: Dadense, quod hodie Caput Chitium: Curiense, quod Dellegate: Thronense, hodie Caput de Pila. Ad orientem est caput Pedasæum, hodie Caput Græcum, & in extremitate Insulæ Clides, hodie Caput S. Andreæ. Ad Aquilonem est Promontorium Crommyon, hodie Caput Cormachittium, inter quod & Promontorium Epiphaniæ Mare Pamphylium est, hodie, sinus Setaliensis navigantibus olim formidabile, ad spacium CCC. millium. 3

Hanc Insulam olim in quatuor partes divisam 4
fuisse, Ptolemæus asserit; in Orientalem sive Salaminiam: in Occidentalem vel Paphiam: in Meridionalem sive Amathusiam: & in Septentrionalem, quæ & Lapathia. Nostro vero ævo dividitur in XII. Territoria, quibus hæc sunt nomina: Nicosia, Famagusta, Paphus, Audime, Limissa, Masota, Salina, Massoria, Crusocum, Pantalia & Carpassus: Novem olim in hac regna fuisse minime contemnenda & oppida XV. testes sunt Diodorus, Plinius & Mela, quorum oppidorum non pauca frequentibus terræ motibus corruerunt. Paphus primi nominis vrbs in regione Paphiensi erat, & hodie nova Paphos nomen antiquum retinet, si Nigro id scribenti assentimus. Deinde Cithera, vnde aliquando tota Insula, & ipsa

Digitized by Google

Venus denominata fuit: verum hæc nuſpiam comparet, quanquam in loco ejus oppidum conſpiciatur Convelia nomine. Curias olim fuit, vbi nunc viſitur Piſcobia oppidum, inter meliora Inſulæ. At Amathus, maximi olim nominis, hodie penitus in ruderibus jacet. Ceraunia, hodie Cerines, per Cyrum ædificata fertur, cum Inſulam ſuæ ſubjeciſſet poteſtati, debellatis novem ejus regibus, eſtque hoc oppidum in parte Inſulæ ſeptentrionali. Sed Nicoſia, vetus Regum habitatio, ſita eſt in valle *Maſſarenſi*. Ad trigeſimum ſextum ab Nicoſia milliare Famaguſta eſt, quæ primo Salamis deinde Conſtantiana dicta fuit, Vrbs eximia, quanquam non deſunt, qui putant Famaguſtam fuiſſe vnam ex quatuor illis vrbibus, quæ communi nomine Arſinoës appellatæ fuerunt.

Præter hæc oppida numerantur vltra DCCCL. vici ſive Burgi ſine mœnibus, in quo tamen numero etiam quædam deſtructa everſaq; comprehendimus oppida, quorum omnium habitatorum numerus accedere putatur ad LX. millia. Sunt non pauca in his loca, quæ cum mediocribus oppidis comparare poſſis, tam ratione amplitudinis quam incolarum. Præcipua inter ea vulgo à Cyprijs ſic appellantur. Lapitho, Sicuris, S. Iohannis de Carpeſſo, Leſcara, S. Conſtantini, Limnate, Silico, Pellendria, Chilani, Coloſſi, Epiſcopia, Salinæ, Convelia, Crima, & alia quædam. Omnia autem hæc loca, vici & pagi, olim diviſa fuerunt in tres partes: duæ aſſignatæ erant Cameræ Regis: tertia partim hominibus Eccleſiaſticis, partim Nobilitati.

Cum autem multi *Montes* ſint in hac Inſula, Olympus tamen eſt altiſſimus inter omnes, cujus ambitus ab imo octodecim mill. paſſ. complecti putatur. Spectantur in hoc plurima *Monaſteria* Græcorum, Monachorum ordinis S. Baſilij, qui Calohieri dicuntur.

FERTILITAS CYPRI Inſulæ.

5 Fuit antiquis temporibus hæc Inſula tota obſita ſylvis nemoribuſque, & quamvis incolæ plurimum lignorum conſumerent quotidie in fundenda metalla & fabricandas naves, tanta tamen ſubinde pullulabat ejus materiæ copia, dumi & vepreta virgultaque vix eruncari & humus detegi potuerit. Poſtremo lege lata cuique permiſſum eſt, vt tantum quiſque cæderet arborum, quantum ipſe vellet, vtque omnis ager, quem is ad eum modum cæſa ſylva in arvum convertiſſet, ipſi eſſet proprius. Negat autem Strabo Cyprum Inſulam vlli alij ſuo ævo ceſſiſſe fertilitate, vt quæ genuerit vini & olei abundantiam, ſatisque produxerit frumenti ad alimoniam incolarum. Sed & noſtro tempore feraciſſima eſt omnium rerum bonarū, quæ ad vitæ humanæ neceſſarios vſus requiruntur. Præter triticum enim & cætera frumenti genera, fructus item arboreos, excellens hic creſcit vinum, quod in octogeſimum vſque annum ætatem ferre perhibetur: quo quidem tam longo tempore vinum cyprium è rubro in album convertitur, odoris fragrantiſſimi & guſtus longe ſuaviſſimi. Afferuntur itidem ad nos è Cypro nigræ illæ uvæ paſſæ, quas vulgo Zibilas & Zibebas vocant: & vt paucis dicam, quicquid optimorum fructuum alibi naſcitur, cujusmodi ſunt poma citria, limonia, aurantia, non ſolum hic largiter proveniunt, ſed & eos, qui alibi gignuntur; guſtus ſuavitate ſuperant. Caſtaneas, corna & ceraſa non profert, ſed plurimum ſaccari hic colligitur è mellitis cannis, vt & croci, & Coriandri, cum genere quodam dactylorum. Gignit etiam aer præter olera vulgaria Colocaſias ſive Fabas Ægyptias aliaſque herbas optimi ſucci & guſtus. Mel Cyprium album eſt, & exquiſitæ bonitatis: ſaccarum autem ſubnigrum, vocaturque vulgo *Melazum*. Largus inſuper hic proventus earum rerum, quarum in *Medicina* vſus, cujuſmodi eſt Terebinthina, Colocynthis, Scammonea, Rhabarbarum, vt & herba quædam, è cujus cineribus coquitur optimum Smegma. Chryſocollam è viſceribus terræ promunt Cyprij, vt & Chalcanthum, alumenque. Præter hæc ſunt ibi venæ auri, & ferrifodinæ, inprimis autem vberrimæ æris Cyprij. Inveniuntur etiam in hac Inſula gemmæ & lapilli precioſi, puta Smaragdi, Adamantes, Cryſtalli, cum Coralijs albis & rubicundis: Adde his Amiantum lapidem, è quo telæ genus fieri ajunt, quod in ignem conjectum non comburatur ſed purgetur. Largus etiam eſt incolis proventus ex goſſypio & lana, cujus ibi mira copia, conficiuntque è pilis caprarum materiæ veſtiariæ quoddam genus, Cameloto ſimile. Lacus eſt haud longe à littore maris, XII. millia paſſuum in circuitu complectens, in quem exiguus influit ab Olympo Monte rivus, ex cujus aquis plurimum ſalis excoquitur.


Qui Cyprum Inſulam incolunt, vehemente torrentur æſtu, cum ea ſita ſub XXXIII. gradu altitudinis Borealis, vnde ſol ab ijs longe abeſſe non poteſt, cum verſatur in Tropico Cancri: inter ſpirans tamen Aquilo in multis locis mitigat caloris atrocitatem & refrigerat aërem, qui ea de cauſa in montanis valde ſubtilis eſt. In vniverſum tamen Aër Cypri Inſulæ injucundus eſt, parumque ſalubris, ob plurima ſtagna quæ malignos exhalant vapores. Fluvij hic prope nulli ſunt ſed potius torrentes, qui cum æſtate exareſcant, grande colonis aquæ deſiderium relinquunt: eſtque hoc inter maxima incommoda, quibus Cyprij divexantur. Narrant hiſtoriæ, Inſulam hanc ante Conſtantini Magni tempora deſertam fuiſſe per XXXVI. annos, quod omni eo tempore nulli ceciderint imbres. Portum commodum ad recipiendas non niſi vnum habet Inſula, nempe ad Famaguſtam vrbem. Quanquam autem olim plures habuerit, obſtructi tamen ſunt completique impetuoſitate maris.

Mores antiqui Cypriorum.

Fuit antiquitus in maxima exiſtimatione hæc 6
Inſula inprimis ob Venerem, quam etſi Poëtæ è ſpuma maris natam fingunt, communior tamen

opinio

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1887

Digitized by Google

opinio est, eam in hac Insula natam fuisse. Quin & vulgo creditum fuit, illam Amorum Matrem Dominam Reginamque Cypri fuisse, vtque tegeret impudicitiam suam, legem tulisse vt scortationes libere & sine metu exercerentur. Hinc orta est consuetudo, vt puellæ Cypriæ, antequam nuberent, certis diebus ad mare irent, vt primo cuique quise offerret, prostituerent corpus, accepto precio, vtque hoc pacto collecta dote, satisfacerent Veneri pro raptu virginitatis suæ. Hauserunt insuper Cyprij multum crudelitatis à vicinæ Asiæ Barbaris populis, Teucro illis ostendente victimas humanas & effusionem cruoris humani: Quin & Idolum Iovis adorabant, duravitque ea consuetudo vsque ad Adriani Imperatoris tempora, qui crudelia illa sacrificia abolevit.

Capitis tegumenta, quibus prisci reges Cypri vsi fuerunt referebant Mitras, quibus nostrates Episcopi vtuntur, qualibus & veteres Persarum reges vsos fuisse accepimus: tunicæ vero eorum longæ erant, vt eæ quas Turcæ gestant: in cetera vita Græcorum servabant consuetudinem. Quantæ olim hujus Insulæ fuerint divitiæ, quanta populi multitudo, hinc patet, quod in diversas partes Colonias emiserint, in ipsaque Hispania aliquot oppida condiderint, & vicini maris dominium diu obtinerint.

Mores Cypriorum nostri temporis.

Vivunt incolæ hujus Insulæ vitam satis splendidam & civilem, affluentemque delicijs. Peregrinos hospitesque mira comitate excipiunt tractantque dapsiliter, vrbani cumprimis & hospitales. In bello sunt robusti validique, boni milites, vt ad bellum nati videantur, dispositi agilesque, sed melancholicis affectibus plus nimio obnoxij. Quamvis autem varijs gentibus habitetur Insula, potissimi tamen Græci sunt. Imperante Constantino Magno ex varijs Orbis partibus huc homines confluxerunt, ex Ægypto, Iudæa, Syria, Cilicia, Cappadocia, Pamphylia, Thracia, inprimis autem è multis Græciæ locis, cum antea aliquot annis Insula deserta fuisset ob aquarum inopiam. Nobiles tamen Cyprij potissimum è Gallijs originem traxerunt. Cum enim amissis Hierosolymis tota terra sancta Christiani profligati fuissent, multi Nobiles Galli in Cyprum se receperunt cum Rege Guidone Lussiniano, circa annum Domini M. C. LXIII. Postquam autem Veneti ejus Insulæ Domini facti sunt, non tantum cives Veneti qui in Cypro habitabant, pro Nobilibus Cyprijs habiti fuerunt, sed etiam omnes, quicunque in terris ac dominijs Venetorum nati, in Cyprum migraverunt, postquam annis quinque in Nicosia vrbe habitaverunt.

Mores Insulanorum, vt & in multis alijs Insulis, mixti sunt: multi enim hic vivunt more Venetorum, memores originis suæ: Turcæ vivunt vt alij Turcæ per Asiam Europamque, populus fere sequitur rationem vitæ eorum, quorum agnoscit dominium.

Modus Gubernationis.

Quicunque extra vrbes & oppida in Cypro habitare soliti sunt, in quinque genera diversarum conditionum divisi fuerunt: in Paricos, Eleutheros, Perpiarios, Albanenses, & Venetos albos. Paricorum conditio omnium fuit miserrima, vix quicquam à mancipiorum differens ærumnis. Pendebant enim singulis annis certum argenti modum dominis suis, cogebanturque ferre quicquid imponebatur oneris, coacti singulis septimanis duorum dierum gratuita præstare servitia, prætereaque tertiam dare partem omnium fructuum terræ. Habebant autem domini eorum plenum jus in eos, vt possent eos pro lubitu in carceres compingere, proscribere, verberare, quæstionibus subijcere, breviter, omnibus affligere modis, dummodo non interimerent: vitam enim auferre eis solus rex poterat. Vendere autem eos licebat, aut permutare: si quis tamen LX. coronatos domino suo solvere poterat, ipse quidem libertatem adipiscebatur, fundus tamen ejus & ager erat obligatus Domino ad eandem conditionem. Qui ad hunc modum libertatem acquisiverant vocabantur Eleutheri, id est Liberi sive Liberti. Horum liberos, quos post acceptam libertatem gignebant, sequebatur patria libertas: quos antea procreaverant. Paricos esse atque manere oportebat. Solvebant autem Eleutheri quintam vel sextam partem fructuum agri, neque licebat his cum Paricis contrahere matrimonia, liberi enim qui inde nascebantur, pro Paricis habebantur. Perpiarij sunt, qui cum conditione Parici fuissent, libertatem adepti fuerunt tempore Regum Cypriorum, pro suis liberisque suis, ac omni posteritate, ea tamen lege, vt singulis annis solverent XV. Perpiros, quod genus erat Monetæ Constantinopolitanæ: agri tamen eorum erant obnoxij, vt priorum. Albanenses erant milites mercenarij, qui aliquando in Insulam missi fuerunt, vt illic essent Præsidio colonis: horum liberi mares compar cum patribus stipendium percipiebant, manseruntq; ijs hocius, donec Insula à Turcis occupata fuit. Veneti Albi sunt certi quidam habitatores Insulæ, tam ipsi quam liberi eorum conditionis liberæ, ita tamen vt vel Regi vel Reipubl. Venetæ, certam quandam pecuniam quotannis solvere obligati fuerint.

Potiti autem sunt Veneti Cypro Insula anno à N. C. M. CCCC. LXXIII. possederuntque eam vsque ad annum M. D. LXX. quo subjecit eam Selymus II. potentiæ Ottomanicæ. Quo pacto autem ea à Turcis gubernetur, tunc dicemus, cum de modo Regiminis Turcici in vniversum agemus.

RELIGIO QVÆ IN CYPRO.

Fuerunt olim in hac Insula Episcopatus XIV. 8
Græci omnes, qui tamen reducti fuerunt ad IV. per Papam Innocentium III. gratificantem Alici Reginæ. Sic Archiepiscopatus Nicosiensis duplex factus est, vnus Græcus, alter Latinus:

Digitized by Google

quod idem & de Episcopatu Famagustano factum est, & Paphiensi, & Limissensi. Et Episcopi quidem Latini sua habent prædia, pagos, villas, atque decimas : Græci vero exigunt quotannis certam pecuniam à Presbyteris Diaconisque suis quibus imperitant, more aliorum Prælatorum Græcorum in alijs provincijs. Agnoscunt autem Episcopi Græci Latinos superiores suos, ita, vt cum Episcopi Græci per Consiliarios Regios electi fuerunt, confirmati fuerint per Latinos: & si qualis in spiritualibus orta fuisset, daretur à Græcis provocatio ad Latinos.

Non habitabant autem Episcopi in civitatibus, quarum supra mentionem fecimus, sed alia ijs loca assignavit Alexander IV. Pontifex, vt legimus in Summa Alexandrina. Archiepiscopus enim Nicosiæ sedem suam habuit in antiquo oppido Solia, vocavitq; se Episcopum Soliensem, Ducem & Caput populi Græci Nicosiensis. Episcopus Paphensis habitabat Arcos oppidum, & Limissensis Amathuntem. Cum autem hæc non habitaretur, migravit in Lescaram oppidum. Postremo Famagustanus sedem suam habuit Capassi : postea tamen redierunt ad supradictas vrbes, excepto Limissensi, qui non mutavit sedem Lescarensem. Notandum etiam est, Archiepiscopum Latinum Nicosiensem, qui se Archiepiscopum Cypri nominat, nullum agnoscere Patriarcham, sed immediate dependere à Pontifice, vnde & gaudet Titulo Primatis Regni Cyprij, & Legati Pontificij. Sub Pontifice tamen Pio IV. facti sunt Veneti Patroni Archiepiscopatus hujus, qui & quatuor viros Papæ nominare solebant, è quibus ipse eligebat vnum in Archiepiscopum.

Sunt autem præter Græcos & Latinos aliæ quoque sectæ in hac Insula, Armenij, Maronitæ, Indi, Nestoriani, Georgiani & Iacobitæ, quos omnes Saladinus ejecit Hierosolymis, cum vrbem cepisset: habent autem singuli suos privatos Episcopos. Hos omnes Turcæ liberos, quoad conscientiam, vivere sinunt, nihilque ab ijs exigunt præter fidem & obedientiam, cum tributo, quod singulis annis ab ijs exigunt.

---

11 RHODVS INSVLA.

Argumentum.


Rhodo Insulæ varia olim fuere nomina. Clara quondam ob Colossum æreum enormis altitudinis. Situs ejus & amplitudo. Rhodi oppidi celebritas & munitio, triplici cingitur muro, habet XIII. turres, castella V. Rhodum Insulam olim dedit Constantinopolitanus Imperator Equitibus, S. Iohannis, sed nostro ævo eam Turcæ obtinent. Obnoxia est eluvionibus, abundat pascuis, arboribus pomiferis omnis generis, & olivis. Vetus potentia & robur Rhodiorum Romanis Græcisque cognita. Leges eorum observatæ in officijs muneribusque publicis. Rhodij curiosi in scientiis, liberalibus artibus, Magia & incantatione: immolaverunt olim Saturno humanas hostias. Rhodus nostro ævo à Turcis Iudæis & Christianis Græcis habitatur, quaque gente suis vtente legibus.

Habuit Rhodus Insula olim, teste Plinio, varia nomina: dicta enim est Ophiusa, Asteria, Aethrea, Trinachia, Corymbia, Pœessa, Atabyria & Macaria. Clara quondam fuit inter alia ob ingentem Colossum Solis æneum, qui inter Mira Mundi relatus fuit. Dedicatus hic fuit Soli, septuaginta cubitorum altitudinis. Pollicem ejus vix justæ staturæ vir amplecti poterat. Post LVI. annum terræ motu prostratus, jacens quoque miraculo fuit. Digiti enim majores erant, quam pleræque humanæ statuæ. Sultanus nongentos Camelos ære hujus statuæ oneravit. Abest autem Insula ab Asiæ continente XX. millibus pass. complectiturque circiter C. XL. milliaria. Vrbem nunc non nisi vnam habet, Insulæ cognominem, sitam in Orientali parte Insulæ, partem in acclivi colle, partim ad littus maris, cincta est autem triplici muro, habetque turres XIII. præaltas, Arces V. estque alijs propugnaculis exornata & munita admodum, vt vix expugnari posse videatur. Longe major & vrbis hujus & Insulæ fuit priscis seculis gloria, quam postea, vel sub Equitibus vel sub Turca, vt historiarum monimenta produnt. Cum amissa Terra sancta Christiani tota Asia profligati fuissent, Imperator Græcorum ijs hanc Insulam possidendam dedit anno M.CCC.VIII. Anno autem à N.C.M.D.XXII. occupavit eam Solimannus Turcarum Monarcha, cum Equites vrbem ei dedissent, hac conditione, vt ipsi liberi inde abirent, Insulani autem ibi manerent, si vellent. Palatia & Domus Equitum Rhodiorum adhuc nostro ævo integræ sunt, conspiciunturque ibidem arma, picturæ, sculpturæ & inscriptiones veteres, quæ omnia Turcæ conservaverunt.

Qualitas agri Rhodij.

Haud procul à Rhodo vrbe, in latere septentrionali planities est (cætera enim sunt aspera montibus) non quidem lata, sed in longitudinem porrecta; at propius vrbem assurgunt crebri colles, vitibus arboribusque fructiferis obsiti, arte potius & industria humana, quam natura soli, quod cæteroquin has res non gignit. Pascuorum tamen vbique fere per Insulam mira bonitas, & arborum, vt diximus, pomiferarum abundantia, quæ mala citria aurataque magna copia proferunt, vt & olivæ, nonnullæ etiam perpetuo virentes. Inundationibus & illuvieiaquarum hæc Insula mire est obnoxia, quanquam incolæ derivare eas multis modis humumque detergere conati fuerint, vt jam agri sicciores fertiles facti non amplius ita squaleant, neque

Digitized by Google



Digitized by Google

LYON

Digitized by Google

neque inundentur, ut antea & quidem ter factum est, quarum inundationum ultima atrocissima fuit: contigitque, quando Antigonus Rex Eumenen vicit, vbi tota Insula aquis cooperta, & vniversi habitatores demersi fuerunt. Non autem hoc contigit fluctuum marinorum irruptione: sed frequentibus ac tempestuosis imbribus, qui circa veris initium tanto descenderunt impetu, vt dejectis eversisque domibus plurimi mortales ruina oppressi, plures vero etiam suffocati aquis perierint, parumque abfuerit, quin tota vrbs, quæ humiliore sita est loco vi vndarum abrepta interierit.

Mores Rhodiorum prisci.

Quanta fuerit veterum Rhodiorum virtus militaris, & in bello scientia pariter atque potentia, ipsi Romani locuples dicere testimonium possunt, toties Rhodiarum navium auxilio maritimis prælijs facti superiores: noverunt ijdem, quanta virtute & contemptu periculorum Rhodij libertatem suam defenderint, & peregrinum jugum ad se depulerint: notum enim est quanto impetu cum Cassio pugnaverint. Sed & multis annis ante diversimode vsi fuerunt potentia sua, modo pro Lacedæmonijs adversus Athenienses, modo pro his. Contra illos, prout vel horum vel illorum partibus favebant. Cum enim populus esset liber, cæteri Græci horum vtebantur opera, vt Principes Europæi Helvetiorum. Habebant autem legem, qua ditiores jubebantur tenuiorem sublevare egestatem, eosque alere.

Sed & certi quidam homines destinati erant, operibus publicis, quiq; laborantibus de victu prospiciebant, dabantque operam, ne quid rerum necessariarum deesset, inprimis vt omnia præsto essent, quæ ad rem nauticam requirebantur. Habebant Rhodij etiam Secreta quædam in *Armamentario* suo, quæ nefas erat à quoquam mortalium videri. Quod si quis ea curiosis ausus fuisset lustrare oculis, aut pedem introferre, damnabatur ad mortem.

Non parva autem Civitati Rhodiæ laus accessit à scientijs & artibus liberalibus, quæ ibi floruerunt, vt ipsi Romani liberos suos huc miserint, vt erudirentur in bonis literis. Non erat autem tanta suavitas aut gratia in sermone Rhodio quanta in *Attico*, cum vicinorum corrumperetur idiotismis, & multum traheret garrulitatis *Asiaticæ*.

Etsi autem Rhodij civiles fuerunt humanique, ait tamen Eusebius, eos singulis annis Saturno hominem immolare solitos fuisse. Narratur de ijsdem, fuisse eos antiquitus sortilegos & veneficos adeo noxios, vt infusione certæ aquæ excantatæ segetes corrumperent, & animalia neci dederent. In artibus gymnasticis, pugilatu, gladiatura mire exercitati fuerunt, ingenio subtili & adinveniendas res novas apto.

Mores Rhodiorum nostri temporis.

Ipsa Vrbs Rhodus habitatur à Turcis, qui suo more vivunt, & Iudæis qui ex Hispania huc venerunt. Christianis in ea pernoctare non licet, quod ijs Turcæ minime fidant, veriti rebellionem aliquam vel proditionem. Interdiu autem integrum ijs est, intra mœnia commorari & sua tractare negotia, nemine prohibente. Qui autem in pagis villisque habitant, maxima ex parte sunt Christiani Græci, qui colunt vineas hortos & agros. Vivunt hi eodem per omnia fere modo, vt cæteris Græci in vniversum.

INSVLÆ PROPONTIDIS, SIVE vt hodie appellatur, Maris de Marmora.

Propontis proprie dicitur Mare Constantino- 12
politanum, in quod per Angustas fauces se infundit Pontus Euxinus, & per Hellespontum terminatur in Mare Ægæum, dirimitque Europam ab Asia. Cum autem multæ in hoc *Mari* sint Insulæ, aliæ tamen alijs sunt celebriores, inprimis ea quæ hodie Poodon dicitur, octo milliaribus à Constantinopoli distans, adeo pulchra & amœna, vt spectatores ad se rapiat, & ad commorandum in ea invitet. In edito quodam hujus Insulæ monte Monasterium est cum conventu Monachorum Græcorum, qui Calohieri dicuntur: sub quo vbi ad littus maris itur, visuntur ingentes ruinæ veterum Thermarum, cum scalis sive gradibus in circuitu, in forma Amphitheatri, & reliquijs operosissimorum Palatiorum, quæ veterem loci magnificentiam loquuntur.

Insula Principis, vt vocatur, sita est in Sinu Nicomediensi, ad octavum milliare ab Insula superiore: satis ampla est & plena populo Græco, fertilis insuper & bona, vnde plena est pagis villisque, abundans sylvis, vineis, & in littore pascuis.

In ejusdem Sinus faucibus est S. Andreæ Insula, duas parvas Insulas vicinas habens, non quidem habitatas, cultas tamen & in precio habitas apud Continentis accolas. Habitatur autem ista Insula à multis Græcis, paucis Turcis & Iudæis, paucioribus vero Christianis Latinis, qui tamen in ea Sacellum habent, cui serviunt Cordigeri Monachi observantes.

Ipse Ager asper est & montibus attollitur, ferax tamen omnium rerum bonarum, gignens inprimis vinum album præstantissimum, quod Byzantium, Prusiam, inque alias vrbes deportatur.

Recta ex adverso Tenedi Insulæ in imo Sinus recessu ostendunt se rudera vrbis alicujus, quam Coloni dicunt fuisse magnam illam Trojam, ad latus vero Sinus illius assurgit rupes, supra quam conspicitur parvum delubrum, vnde porro in continentē itur. Mox in ipso littore offert se antiquissimus murus latericius, intercedente marmore & cæmento, qui porrigitur ad tria millia passuum in longitudinem, coitq; in extremitatibus velut in duo cornua, vt ita Peninsulam quandam constituat, prominentia illa terræ non nisi juxta hunc murum cum continenti cohærente, ajuntque incolæ, olim fossa quoque fuisse divisam illam partem, qua Isthmus est inter vtrumque Sinum, successu autem temporis aggesta arena fossam fuisse completam, & ex Insula

Digitized by Google

sula rursus factam Peninsulam. In medio hujus muri assurgit ingens turris quadrata cum porta præalta, quam Græci vocant Portam ferream, existimantes illam fuisse vnam è præcipuis Troiæ Portis, dictamque fuisse Portam Scævam. Ad manum dextram erat extructa ipsa vrbis in montibus, qui adhuc albescunt lapidibus ruderibusque ædificiorum, extantibus adhuc quibusdam in locis inter montes parietinis materijs & turribus è marmore, admirabili opere, vnde conjectura fieri potest de veteri vrbis splendore. Vbi circiter Leucam vnam Gallicam progressus fueris inter dictum murum & vrbem, transgressus vicinum lauretum, invenies antiquum Priami Palatium, vt vulgo appellatur. Situm est hoc in summo rotundi collis satis editi, ad cujus pedem versus Aquilonem aperit se amæniſsima vallis, in qua lacus cinctus pascuis, & paulo exterius mõticulis, qui multis vestiuntur arboribus, vnde jucundissimus oculis patet prospectus in orientem. Quod ad ipsum Priami (vt putatur) Palatium attinet, nihil fere de eo supereſt quam cumulus marmoris nigri, lapidibus artificiose sectis, & fere adhuc integris, incredibilis crassitici, cum deplorandis fragmentis columnarum atque statuarum. Creditur autem omnis illa materia marmorea olim ex Insula Marmora vicinisque locis, quæ non nisi VIII. vel X. passuum millibus inde absunt, petita fuisse.

Infra dictas illas ruinas, subter humum offert se ædificium adhuc sanum & integrum, vbi materia tam firmiter sibi cohæret, vt disjungi ferme non possit, nisi in quibusdam locis, vbi exemti sunt lapides alios vsus. Visuntur hic fornices & Lacunaria artificiose facta, quorum alia alijs locum dant viamque præbent, non secus ac plateæ & vici in oppidis, constatque ex ædificij ratione, olim portas fuisse, per quas ad vtrumque Sinum exiri potuerit. Si quis incensa face, (aliudenim lumen ibi non est) descendat in profundiora, inveniet fontem aquæ frigidissimæ, vt bibi præ frigore vix possit. Non adeo multi anni sunt, cum in hanc Cryptam subterraneam crebri descenderunt operarij, vt inde effringerent marmora, ad structuram magnificentissimi sepulchri, quod Achmetes Princeps Turcarum Patri suo Mahometi excitabat. In arduo montis cacumine, in eodem loco restat adhuc ambitus murorum vetustissimæ arcis. At infra Palatium Priami pervetustum Templum cum ruina luctatur: crepido enim ejus & media pars claustri adhuc sunt integra, cætera collapsa. Iuxta vetus hoc templum, in medio loci rotundi & paulum intra terram depressi fons scaturit, cinctus annosis arboribus, quarum densi & intorti rami vmbraculi vicem præstant amœniſsimo huic Nympharum recessui, ne à fragrantibus Phœbi radijs castra earum feriantur aut incendantur pectora.

In oppositio Græciæ littore est munita Arx, Syrocastrum, quam Turcę Zemeniam vocant, extructa more Græcanico, in extremo apice parvi cujusdam promontorij, habens portum satis commodum: creditur que hoc primum fuisse Castellum, quod Turcæ in Europa obtinuerunt, quodque Amurathes communivit, vt ibi securum haberet ex Asia in Europam trajectum, vti postea patuit.

Ad fauces Hellesponti duæ consurgunt Arces, quæ appellantur claves Constantinopoleos: vna est in Asia; altera in Europa, distatque illa ab hac III. passuum millibus: tanta enim est latitudo freti intercedentis. Est autem vtrique firmum militum impositum præsidium, quibus prohibentibus nulla navis Constantinopolim penetrare potest, nisi velit ex his arcibus tormentis lacerari mergique. Olim his castellis hæc fuere nomina; Sestus & Abydus. Abydus est in Asia minore, loco plano & æquabili supra littus maris, cingiturque ab omni parte, præterquam qua mari alluitur, palludibus inaccessis. Forma ejus est quadrata, habetque in vnoquoque latere tres turres, in medio autem arcem prævalidam. Sestus est in Chersonęso Europæ, supra littus marinum, ad radicem alti montis, qui arcem hanc ab ea parte tegit. Pulchrior hæc est multo & melior quam illa Asiatica. Quæcunque navis hac ingreditur Hellespontum, cogitur præsidiarios de more salutare, & demittere antennas cum velis, & vexilla agitare, explosis aliquot tormentis majoribus. Egredientibus incumbit, vt projecta Anchora consistant, expectentque, donec à præsidiarijs visitentur.

Cis Tenedum ad manum dextram est Lemnus Insula, in qua olim Principes Græciæ convenerunt, fœdusque fecerunt ad obsidendam Trojam: sed nos de Lemno inter Insulas Ægæi Maris diximus, vt & de ratione effodiendæ terræ Lemniæ vel Sigillatæ, quo pacto ille a.d. VI. mensis Augusti è loco abdito quotannis erui soleat, adhibitis multis ceremonijs, confluentibus eo omnibus Calohieris, quotquot Athon montem incolunt, & sequente populo vicinarum Insularum.

ASIA MAIOR.

Absoluta descriptione Asiæ Minoris, tam quo- 13
ad continentem quam præcipuas Insulas, consequens est vt Asiam Majorem, quatenus illa potentiæ paret Ottomannicæ, adeamus: & cum hæc intercedente Armenia cum illa cohæreat, & vero de Armenia Inferiore in fine Asiæ Minoris à nobis dictum est: nunc deinceps ab ea parte *superioris Armeniæ* ordiemur, quæ sub nomine *Turcomaniæ* comprehenditur, complectiturque ipsa Georgiam, quæ pars est veteris Iberiæ. Fines hujus sunt à septentrione Colchis, hodie Mengrelia in qua est mons ille altissimus caput inter nubila condens Caucasus Promethei fabulà apud Poëtas celeberrimus, pars montis illius *Ararat*, in quo subsidebat arca Noæ post diluvium teste Mose. Gen. 8. dicitur hic Subeilan ab Arabibus, à Persis Agri, & ab Armenis Messina; in quo, si Persæ vera narrant, adhuc particulæ navis illius Noæ in lapidem indurata inveniuntur, sed montis cacumina horrida & prærupta hodie sunt inaccessa. Turcomaniæ ab Occidente est Euphrates fluvius cum Armenia inferiore; ab Oriente habet eam superioris Armeniæ partem, quæ Georgia dicitur: à Meridie Mesopotamiam, quę hodie Diarbec dicitur. Montes ejus sunt Periander, nunc Chielder dictus: Antitau-

Digitized by Google

titaurus, hodie Mons Niger & alij nonnulli. Præcipuum ejus oppidum est Esechia, quam quidam putant esse superstitem partem magnæ vrbis Artaxatæ. Vicina Armeniæ est regio Gurdistan, vt Persæ & Turcæ vocant, Arabes Keldan dicunt. Castaldus Gorden nominat, accensetque Armeniæ superiori.

15 *Georgia*, alias Gurgistan, complectitur antiquam Iberiam cum parte aliqua superioris Armeniæ, & parte Atropatiæ. Contingit hæc ad occasum Colchidum sive Mengreliam; ad Aquilonem Zemiriam, quæ olim Albania: ad Orientem mediam Atropatiam, hodie Servan; & à Meridie superioris Armeniæ partem. Vixit hæc gens in avita libertate vsque ad nostra tempora, modo Persarum, modo Turcarum secuta partes, habuitque peculiares suos Principes, qui tamen hoc ævo majore ex parte Turcarum agnoscunt Imperium, qui & pleraque in ea regione oppida & loca munitiora obtinent.

16 *Arabia* si generatim sumatur, complectitur ingens terrarum spacium, quod inter duos Sinus in modum Peninsulæ includitur, Sinus hi sunt, Arabicus, qui & mare Rubrum & Erythræum ad occidentem, & Persicus ad Orientem. A meridie habet Oceanum: ad Septentrionem Syriam & Euphratem amnem. Est autem Arabia triplex: Deserta, Petræa & Fœlix. *Deserta*, quam Asperam Aristides, Humilem Servius, Profundam Lucianus appellat, ab Hebræis Kedar dicitur. Fines ejus sunt ab Ortu Montana Babyloniæ, cum parte Sinus Persici: ab Aquilone Mesopotamia juxta Euphratem fluvium: ab occasu Syria & Arabia Petræa: à Meridie Montana Arabiæ Felicis.

Petræa tangit Syriam ab Occidente & Septentrione, habetque confinem ab Oriente Desertam, & à Meridie Felicem. Hanc Plinius, Strabo & Ptolemæus Nabathæam vocant, Tyrius secundam, nonnulli Inferiorem. Petræa dicitur à præcipua regionis Urbe Petra. Barbaris hodie appellatur nominibus, diciturque Barra, vt Zieglerus putat, vel Bengacal. vt Castaldo placet. In hac est Sinai Mons, cujus tam frequens est in Sacris litteris mētio, quod in eo Lex Moysi à Deo tradita est. Est autem Sina Mons prælatus, & adscensu perdifficilis, gradibus industria humana in lapidem vivum & petras durissimas incisis, vt homines & iumenta illas transire possint. Est in isto Monte conventus Monachorum Christianorum: sed Maronitarum, qui Græcorum more vivunt. Sunt autem Monachi circiter quinquaginta qui viatores, qui illuc religionis gratia peregrinantur, hospitio excipiunt. Est in eadem regione alius mons, non minus celebris in Hebræorum monumentis, nomine Horeb, altitudine tamen multum infra Sinam: appellanturque hi duo Montes à Ptolemæo Melanes. Caput hujus Arabiæ est Petra vrbs, quam Sacræ litteræ vocant Petram Deserti, quo non facile adiri potest ob viarum difficultatem: multique sunt, qui eam ipsam putant esse Mecham, in qua Mahometes natus fuit: sed hæc sententia repudianda ridetur, cum Mecha communiter putatur esse vrbs Arabiæ Felicis.

17 Hæc *Arabia Felix* cum Deserta & Petræa conjungitur, excurritque in modum Peninsulæ inter duos Sinus, Arabicum & Persicum, complectiturque circumnavigatio ejus IIIM. DIV millia. Solino alijsque dicitur Ayaman, sive, vt alij scribunt, Giamen. Præstantiores ejus vrbes sunt Medina Talnabi (idem quod Civitas Prophetæ) sita ad latus Arabiæ Petrææ, satis frequens populo. Spectatur in hac Sarcophagus Mahometi Pseudoprophetæ, circa quem vltra III. lampadum millia ardere perhibentur. Porro Mecha civitas, patria Mahometi non longe distat ab oppido Petra, quanquam non ipsa Petra sit, sed situs potius respondeat Mecharæ Ptolemæi; locus est satis amœnus & elegans, etsi intra montes concluditur & circum se deserta habet, ipsa quoque vrbs destituta mœnibus: numerantur autem in ea ad sex habitatorum millia. Proficiscuntur singulis annis Mecham tres Caravanæ, vna ab Damasco, altera ab Cayro, tertia ex India, visendi causa loci natalitij Pseudoprophetæ: quo viso Medinam proficiscuntur, vt & sepulchrum ejus devoti salutent.

Zidem oppidum est maritimum, distans XL. millibus à Mecha. Muros non habet, domibus tamen pulchris conspicua est. Zibeth præcipua est totius hujus Arabiæ vrbs, sita loco plano inter duos montes, supra fluvium ejusdem nominis, itinere med j diei à mari Erythræo. Cum Aden vrbem Turcæ cepissent, hanc quoq; occupaverunt, misso eo Beglerbego cum exercitu. Aden vrbs est regia, sita in littore Rubri Maris, haud procul à faucibus freti, quod Babelmantel dicitur. Estque hæc omnium Arabicarum vrbium pulcherrima, fortis & tuta non solum ratione situs, sed & humanæ industriæ. Aggeres habet & propugnacula firmissima, & portum clausum, populoque valde abundat, vt quæ sex domum millia complecti credatur. Astu & proditione ceperunt Turcæ hanc vrbem cum toto regno anno à N.C M.D.XXXVIII. occiso Rege. Præest huic nostro ævo Beglerbegus Turcicus, instructum semper juxta se habens exercitum.

Digressi Arabia ingrediamur *Idumeam*; quæ in- 18
cipit ab Lacu Serbonis, extenditurque in orientem vsque in Idumæam. Habet hæc Gazam, vrbem vetustissimam, intra quam & Cayrum Cartia est, post Ostraina, Rhinocoruta, Ascalon & Azotus.

Syria provincia est ampliſſima intra Euphra- 19
tem, Ciliciam, Arabiam & Mare Mediterraneum, incipiens in gradu XXXII. desinens sub XXXVI. Dividitur in minores provincias V. Palæstinam, Phœniciam, Cœlesyriam, Syriam & Comagenam. *Palæstina*, intra mare mediterraneum & Arabiam sita iterum duplex est, cis & vltra Iordanem. *Tribus* enim Rubenitarum, cum Gaditis & dimidia Tribu Manassitarum habitaverunt vltra Iordanem: cæteri omnes cis flumen. Hujus cisamnanæ provinciæ Regiones tres sunt. Iudæa, Samaria, Galilæa. Iudæa est intra Mare mortuum & Mediterraneum, cujus Hierosolyma caput est. In hac regione est Hiericho vrbs in Amœnissima valle, quæ in Longitudine habet

millia

millia paſſ. XXX. in latitudine XV. Samaria nomen accepit à primaria vrbe, quæ hodie Naptos dicitur. Galilæa dividitur in ſuperiorem & inferiorem, incipiensque à Lacu Tiberiadis, in latitudine habet mill. paſſ. V. in longitudine XXII. cujus centrum prope conſtituit oppidum Nazaretha. Superior Galilæa incipit ab Lacu Samachonitidis, extenditurque ad vſque Libanum Montem. Vix fuit vlla ſub hoc Sole provincia, quæ in tam anguſto terrarum ſpacio tantum aleret hominum, quam Palæſtina. Cum enim in longitudine non vltra LXV. in latitudine vix XVIII. millia paſſ. habeat, deprehendit tamen David, cum populum recenſeret terdecies centum millia virorum ad bellum idoneorum, præter tribus Levi & Beniamin, quæ connumeratæ cum cæteris non fuerant. Hac tempeſtate omnis illi regioni ſplendor ablatus eſt, vt nihil ex tot ornamentis reſtet, quam ſolum bonum & fertile, pulchrum item amœnumque adſpectu.

Regnum Hieroſolymitanum.

20 Fuit Vrbs & Regnum Hieroſolymitanum, inter omnia regna & principatus totius Orbis, ſemper in maximo precio & honore apud omnes nationes atque populos habitum, ſive ideo, quod Deus hunc locum ſibi peculiariter elegerit, ſive quod ipſe locus per ſe amore & honore dignus ſit, ſive denique quod homines abſtruſa quadam ratione ad eum diligendum propendeant. Hoc neque Hebræi neque Chriſtiani negabunt, fatentibus etiam ipſis Turcis, Deum ipſum hoc regnum ſibi elegiſſe atque reſervaſſe, vt hic gloriosam Majeſtatem ſuam mortalib. patefaceret, vnde & ipſa vrbs à nomine ejus appellata, & regio Terra ſancta cognominata, ob ſingularia privilegia & beneficia, quæ Deus in hanc terram contulit, potius quam in vllam aliam in toto orbe terrarum. Præterquam enim quod primum hominem hic creatum volunt, rectorem & dominum cæterorum animantium omnium, conſtat, filium Dei hic perfeciſſe totum opus redemptionis generis humani: in hac regione impleviſſe Prophetarum oracula, natum fuiſſe hominem, creberrime verſatum, claruiſſe miraculis: paſſum, mortuum, in cœlos aſſumtum fuiſſe: vt non jam dicam, de veteribus Patriarchis & Prophetis, quibus ſe Deus varijs modis manifeſtavit. Hæ ſcilicet ſunt cauſæ, propter quas tam multos ardens capit deſiderium, hæc tam ſancta loca oculis perluſtrandi. Sed & Noachus poſt Diluvium vniverſale profectus ab Armenia & Gordiæis montibus, vbi Arca ſubſtiterat, reverſus in ſuam patriam, creditur in eodem monte ſacrificaſſe, in quo (vt Cabaliſtæ Hebræi aſſerunt, Adamus, Abelus, Enochus, & ipſe Noachus ante Cataclyſmum Deo ſacrificia ſua offerre conſveverant, in quo poſtea Melchiſedecus ſanctam illam Solymorum vrbem extruxit, conſtitutis in tribus iſtis montibus habitationibus: nempe in monte Sion, Oliveti & Calvariæ.

Facta autem diviſione inter nepotes ſuos Noachus, cum Chami poſteros Chananæos ipſe tranſire ex Aſia in Africam juſſiſſet, hi facto per terram ſanctam tranſitu, cum ejus pulchritudine & eximiâ bonitate capti fuiſſent, contemto proavi imperio, ſibi eam terram vendicaverunt, defraudatis ea Semi poſteris, ibique habitaverunt.

At Deus audacia illa & vſurpatione alieni territorij ad iracundiam commotus, vocavit è Chaldæis verum Hæredem Abrahamum, eique terram iſtam hæreditariam addixit, nec ipſi duntaxat, ſed & poſteris ejus longa ſerie naſcituris. Et hæc inter potiſſimas cauſas fuit, propter quas eduxit Deus Abrahamidas è captivitate Ægyptiaca, ijſque reſtituit patrimoniales terras, majoribus eorum promiſſas, ejectis Chananæis injuſtis vſurpatoribus. Videntur autem etiam Sacræ litteræ innuere, Chaldæorum Reges non aliam magis cauſam habuiſſe Hebræis toties inferendi bellum, quam deſiderium poſſidendi regnum iſtud, quod & poſtremo ceperunt atque everterunt, Hebræis, qui gladij aciem effugerant, Babylonem captivis abductis. At Cyrus Perſarum Rex, cum Monarchia Chaldaica potitus fuiſſet, motus miſericordia erga Hebræos, eos liberos domum proficiſci, & inſtaurare templum atque civitatem juſſit. Alexander Macedo, cum de hujus loci excellentia audiviſſet, domitis ac devictis Carij Satrapis, arma in Hieroſolymorũ urbem convertit, ſimilis efferoLeoni omnia vaſtaturo. Sed ad conſpectum tam ſancti loci magis manſuetus effectus eſt quam agnus, cum videret inſuper Iaddum ſummum Sacerdotem, indutum veſte Pontificali & comitatum turba Sacerdotum ac Levitarum, prodeuntem ſibi obviam. Ibi enim delapſus equo, procumbens in terram adoravit verum Deum, cujus intuebatur ſacerdotem. Ad hunc mutatus modum magnus ille Triumphator Aſiæ, ingreſſus Templum Hieroſolymitanum, grates perſolvit Deo, oblatiſque rite ſacrificijs, non tantum nihil damni intulit Iudæis, ſed & multis eos auxit, ornavitque privilegijs. Præterea teſtantur Maccabæorum hiſtoriæ, Antiochum & Ptolemæum, ſucceſſores Alexandri in parte Monarchiæ Græcæ, multa bella cum Iudæis geſſiſſe, pro regni Hieroſolymitani poſſeſſione. Sed & Herodes Magnus adjutus à Romanis id eripuit Maccabæis & Aſſæmoneis, extincto omni prope ſanguine regio, vt tutum ſibi redderet illud Diadema. Sed nec Romani, Iulius Cæſar, Pompejus Magnus, Marcus Antonius & Auguſtus hoc regnum contemſerunt, vt Tacitus auctor eſt: Veſpaſianus vero ejuſque filius Titus, quid non fecerunt, vt cum Romani Imperij magnitudine regni Hieroſolymitani ſplendorem conjungerent: & ipſi quidem ad tantæ vrbis obſidionem profecti, nullis pepercerunt moleſtijs laboribuſque, donec ad cętera victoriæ nomina Iudaicos triumphos adjungerent.

Adrianus Imperator cum intellexiſſet, collectitiam quandam Iudæorum manum moliri inſtaurationem vrbis à Tito deſtructæ, evertit reliquias ejus ab imis fundamentis: ſed poſtea mutata ſententia reædificari eam juſſit, appellavitque de ſuo nomine Æliam. Par cupiditas Coſroen Perſarum regem ſtimulavit, vt invaderet hoc regnum quo tamen non diu gaviſus eſt. Heraclius enim Imperator indignatus tantum ſe amiſiſſe theſaurum

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1961

Digitized by Google

Digitized by Google

rum, commisso cum Persis prælio, deuicit raptorem, retulitque domum ex Perside Crucem Dominicam cum innumeris captivis. Reges Saracenorum cum non ignorarent, quædam in Lege Mahometi partim è Mose partim ex Euangelio desumta, vtrumque autem horum ex rege Hierosolymorum prodisse, vbi & venerabile sepulchrum Domini nostri conspicitur, quem nobis cum fatentur, in hac regione extremum habiturum judicium: nihil ad summam diligentiam reliqui fecerunt, vt hoc regnum sibi subiicerent; vtque illud diutius conservare possent, consecraverunt Templum, quod Salomonis dicebatur, Pseudoprophetæ suo Mahometo, relicto Christianis Templo sepulturæ Dominicæ: vtque id defenderent, non vnum bellum cum Græcis gesserunt Imperatoribus obtinueruntque id armis ab anno incarnationis Dominicæ DC.XXXVI. vsque ad annum AN. C. M XCIX quando pius & Religiosus Princeps Godefridus Bullionæus, Lotharingiæ Dux, cumque eo innumeri Principes & Equites Christiani, ingressi cum immenso exercitu Asiam, Sanctum hoc Regnum Saracenis eripuerunt, ipso Godefrido primo Hierosolymorum rege constituto, cujus successores id obtinuerunt vsque ad annum M. C. LXXXVII. quo Saraceni eo iterum potiti fuerunt: quædam tamen ejus oppida, velut reliquiæ manserunt in potestate Christianorum vsque ad annum Salutis M. CC. XC. quo tempore intermedio multi Principes Europæi jure fœderis & matrimoniorum vsi fuerunt Titulo Regni hujus, vsq; dum id à Turcis occupatum fuit, cujus rei notitiæ sequens regum Elenchus multum lucis afferet.

GENEALOGIA REGVM HIEROSOLYMITANORVM ET CYPRIORVM, INPRIMIS QVI Æ FAMILIA GALlorum Lusiniana ortum traxere.

21 GOdefrido Bullionæo pater fuit Eustachius Comes Bononiensis, mater Ida, Eustachii coniux. Hunc Godefridum adoptavit in filium Godefridus Lotharingiæ Dux, cujus vxor erat illius Matertera: cumque Godefridus Lotharingus sine liberis decessisset, Bullionæus jus Ducatus Lotharingici adeptus est. Prima hujus vxor fuit Sibylla, filia Fulconis Comitis Andegauensis, ex qua nullos fustulit liberos.

Igitur secundis nuptiis junxit sibi Florentiam, filiam Olofernis, Ducis Calabriæ. Cumq; Princeps hic magno teneretur desiderio, proficiscendi cum cæteris Principibus Christianis in Asiam ad recuperandam terram sanctam, vendidit partem Principatus sui, collectoque exercitu non modico Orientis partes petiit, ipse & vxor ejus & duo fratres, Balduinus & Eustachius. Cumque ipse sociis cæteris Christianis Principibus, mille fortitudinis, pietatis & virtutis specimina edidisset per Minorem Asiam, inprimis circa Antiochiam aliasque vrbes maximi momenti: postremo accidit vt an. AN. C. M. XCIX. a. d. XV. Iulii mensis, qui erat dies Veneris, hora prima pomeridiana, Hierosolymorum vrbs caperetur, Pontificiam sedem obtinente Vrbano II. PP. Imperatore Occidentis Henrico IV. Orientis Alexio Comneno, Regnante in Gallia Philippo I. tertio anno, postquam, illi Principes, qui in Asiam profecti fuerant, crucis signum ad hanc expeditionem suscepissent. Octauo die à capta vrbe de communi omnium Principum consensu primus Hierosolymorum Rex creatus fuit iste.

I. GODEFRIDUS BULLIONÆUS, quodipse primus fuisset, qui in oppugnatione vrbis conscendisset murum, depulsis Saracenis. Contradicebat huic Raymundus Comes Tolosanus: sed litigium hoc postea compositum fuit. Salutatus Hierosolymorum Rex Godefridus, cum pius esset & modestus Princeps, negauit conuenire sibi, vt ipse qui seruus esset Christi, tempora cingeret Corona aurea, cum Servator & Dominus noster eo loco spinis coronatus fuisset. Ipsam tamen regni administrationem lubens suscepit, factis statutis legibusque pulcherrimis. Constituit insuper Patriarcham Latinum, creavit Archiepiscopum & Episcopos clericosq;: erexit tribunal causarum ciuilium, & Forum criminale, multaque alia laude digna instituit. Sed cum nondum annum integrum regnasset, relicta terrestri Hierosolyma cælestem petiit, nullis relictis liberis. Corpus ejus, vti ipse petierat, in monte Caluariæ sepultum fuit.

II. Successit ergo fratri Rex BALDUINUS. I. anno AN. C. M. C. Deseruit hic dignitatem Clerici & Beneficia Ecclesiastica quæ habuerat apud Rhemos & Cameracenses, duxitque vxorem Guttam, Guilhelmi Normandiæ Ducis filiam, ejus, qui postea Angliæ Rex factus, & Conquæstor cognominatus est. Hæc ad maritum proficiscens in Syriam, Maresiæ in Asia Minore mortua est, vt nulli ex hoc matrimonio superfuerint liberi. Mortuo Godefrido Balduinus permissa Lotharingiæ administratione Guilielmo fratri suo minori, ipse ad secunda vota transiit, ducta vxore Tafroci Armeniorum Principis filia, quam tamen postea repudiavit, præferens ei Adelasiam, Rogerii Siciliæ Comitis filiam. Correptus autem gravi morbo, cum confiteretur delicta sua Sacerdoti, pollicitus est, recepturum ad se priorem Armeniam, dimissa Sicula.

Mortuus est Baldouinus decimo octauo regni sui anno, Dominica Palmarum, tumulatus in Monte Calvariæ juxta Godefridum fratrem Anno Christi MCXVIII.

III. Successit huic BALDUINUS. II. Comes Burgensis Dominus Insularum in Flandria, Rex factus anno AN. C. M. C. XVIII. Vxor ejus fuit

Digitized by Google

Morphæa filia Gabrielis Ducis Metelenensis in Minore Armenia. Fuerat hic Balduinus ante Comes Edessæ, sed dedit hunc Comitatum patruo suo, G selino Curtenæo, ipse amplexus possessionem Regni Hierosolymitani. Obiit hic diem suum cum regnasset annis XIII. a. d. XXI. Augusti Mensis, sepultus juxta antecessores suos.

Quartus ergo Hierosolymorum rex est factus IV. *Fulco* Comes Andegavensis & Thoronensis. anno AN. C. M. C. XXXI. Prior ejus vxor fuit Guibara, filia vnica & hæres Heliæ comitis Cenomanorum, per quam & adeptus est Hierosolymam, duxitque Melesinam, Balduini II. regis filiam, cujus & eo nomine in regno successor factus est. Cumque jam vndecimum annum regnaret, & operam dans venationi, in campis circa Ptolemaidem leporem acriter persequeretur, præceps lapsus ab equo fregit cervices, & mortuus juxta superiores reges sepultus est in Templo Montis Calvariæ.

V. BALDUINUS. III. Hujus Fulconis ex Melesina filius patri successit anno A N. C. M. C. XLII. in regno. Cinctus est diademate ipso festo Natalitiorum Domini, cum decimum tertium ætatis annum ageret, matre pro filio gubernacula tenente. Cum a. viginti annos regnasset, mortuus est annum agens XXXIII. a. d. XXV. Februarii mensis. Corpus ejus apud patrem conditum est in Monte Calvariæ.

VI. Successit fratri denato AMALRICUS secundus Fulconis & Melesinæ filius, cui pater dederat comitatus Ioppensem & Ascalonensem. Primis is nuptiis sibi junxit Agnetem, Iasselini Secundi Comitis Edesseni filiam, quam coactus est dimittere, postquam ad regnum pervenit, quod nimis propinquo consanguinitatis gradu ei juncta esset. Duxit igitur Iohannis Comneni, Protospatarii, & Emanuelis Imperatoris Græci filiam, nomine *Mariam*, defunctus ipse a. d. XV. Iulii mensis, cum XI. annis regnasset, sepultus juxta antecessores suos.

VII. Et sic *Balduinus* IV. Amalrici ex priore conjuge filius, patri successit in regno, anno A N. C. M. C. LXXIII. anno ætatis XIII, cum Romæ sederet *Alexander* III. & in Gallia regnaret Ludovicus pater Philippi *Augusti*. Fuit hic Balduinus Lepræ morbo divexatus, quæ causa fuit, vt non diu regnaverit. *Mortuus* enim est anno Gratiæ M. C. LXXXIV. a. d. XVI. Martii, humatus in Templo Calvariæ.

VIII. Successit *Balduinus* V. filius Sibyllæ Comitissæ Ioppensis, quæ soror fuit Balduini IV. & hæres regni. Pater ejus fuit Guilelmus de longa Spada, *Marchio Montisferrati*. Hic cum quintum ætatis annum ageret, successor regni designatus fuit per Balduinum Quartum Auunculum suum, quo anno M. C. LXXXIV. defuncto, succeſſit Quintus, verùm octavo mense regni mortuus est, non sine suspicione dati veneni.

IX. GVIDO LUSINIANUS Rex Hierosolymitanus factus est, post mortem Sibyllæ Reginæ vxoris suæ, quæ cum IV. liberis defuncta fuerat, durante obsidione Ptolemaidis. Hæc autem mulier moritura Guidonem Regem dixerat. Cum autem videret, jus regni ad Isabellam sororem conjugis devolutum fuisse, cessit omne jus suum, quod hic prætendebat, Richardo Angliæ Regi, à quo etiam emit Insulam Cyprum pro centies mille Coronatis, quanti eam antea dictus Rex vendiderat Templariis, ereptam Ducibus Græcis veris hæredibus, qui illam beneficii nomine possidebant ab Imperatore Orientis. *Anno* igitur. M. C. XCIII. Guido Rex cum omni aula sua, assumto fratre Almerico, qui erat Cõnestabilis Hierosolymæ, trajecit in Cyprum, quam Insulam mire exornavit, exstructis Templis Latinis, multisque excitatis propugnaculis. Quin & novam Vrbem extruxit Nemosiamque vocavit, instituta ibi Curia Regia. Creavit idem CCC. Equites, quos & Barones dixit, voluitque vt Nicosia Vrbs caput esset totius Regni. Postremo anno tertio regni sui in Cypro, qui erat à coronatione Ierosolymitana duodecimus, mortuus est, invenitque sepulchrum Nicosiæ in Æde Templariorum.

Duxerat *Henricus Comes Palatinus Campaniæ.* Henrici Comitis & Mariæ Francicæ filius, Isabellam, Conradi viduam, quæ regio vtebatur titulo, vnde salutatus fuit X. HENRICUS. I. Hierosolymæ Rex. Coronam tamen regni Ordines ei non contulerunt, quod Guido adhuc in Cypro viveret, qui omne jus regni sui transtulerat in Richardum *Anglorum* regem, vt diximus.

Almericus Lusinianus, Connestablius Ierosolymæ, habuit anno M. C. XCVI. vxorem Civam Iblimensem, Balduini Ramatensis filiam. Venerat hic in Cyprum cum Guidone Rege fratre suo, factusque est primus Cypri Connestablius. Hic deinde successit fratri in regno Cypri, Diademate tamen cinctus non fuit, quod Cyprus nondum ad regni sublimitatem evecta fuisset. Quamvis autem sæpius ab Imperatore Græco sollicitatus fuerit, vt coronam ab se susciperet, assentire tamen ei noluit, vt qui mallet ab Imperatore Occidentis rex salutari atque coronari. Igitur anno AN. C. M. CC. misit Henricus VI. Sueviæ Dux, Friderici Barbarossæ filius, Imperator Occidentis, Hyperbolium Cancellarium suum in Orientem cum duabus coronis: Vnam pro *Almerico* Lusiniano: alteram pro Leone Principe, qui postea vi illius diadematis *Armeniæ* rex factus est. *Ad* hunc modum XI. ALMERICUS paucis diebus post vxoris obitum corona redimitus, vocatus fuit à Principibus Hierosolymam, qui ei matrimonio junxerunt Isabellam Reginam, Henrici Campaniæ Comitis viduã, vnaque simul regnum tradiderunt. Cum autem Isabella regina pariter decessisset, & regnum Hierosolymitanum ad *Mariam* filiam ejus primogenitam devolutum fuisset, *Almericus* Rex in Cyprum reversus, ibi mortuus est, anno regni sui decimotertio, sepultus in S. Sophiæ Templo, quod est Nicosiæ.

XII. Desponsaverat sibi IOHANNES antèa Comes Briennensis in aula Philippi regis Francorum Delphinus appellatus, *Mariam*, primogenitam Isabellæ filiam, per quam & Rex factus est.

XIII. Verum *Fridericus* II. Henrici VI. filius, Friderici Barbarossæ Nepos, Sueviæ Dux, Romanorum

Digitized by Google

norum Imperator, Siliciæ & Neapoleos rex, defuncta priore conjuge sua, junxit sibi secundis nuptiis Iolen, Iohannis Briennensis & Mariæ Reginæ filiam, & per eam factus & coronatus est Rex Hierosolymitanus. Cui mortuo ex Iole Hierosolymitana successit filius XIV. CONRADUS XV. CONRADINUS, illius frater. Interim in Cypro *Hugo Lusinianus*, Almerici & Civæ filius successit patri in regno, ducta in vxorem secunda filia Isabellæ Reginæ. Etsi a.ad hanc Alisonem (ita enim vocabatur) optimo jure pertinebat regnum Solymorum, quia tamen secus videbatur Patriarchæ & Ordinibus regni, qui Mariæ jam diadema imposuerant, antequam Alisona regina Cypri coronaretur: Hugo titulum hujus regni obtinere non potuit: qui postremo ab obsidione Cayri reversus Tripolim in Comitatum suum, ibi mortuus est, cum regnasset annis XIII. Cadaver ejus in Cyprum delatum, & in Templo Hospitalariorum S. Iohannis tumulatum est.

At hujus Hugonis Primi filius, *Henricus Lusinianus* paternum regnum adivit anno AN.C.M. CC.XXIV. cum adolescens admodum esset. Vxorem duxit Placentiam sororem Bermundi Principis Antiocheni. Fuit hic rex juvenis, antequam ad regnandum aptus esset, sub tutela Berryti dynastæ, qui & totum regnum administravit. Hujus regis tempore in Cyprum venit S. Ludovicus Francorum rex, comitatus vxore & fratribus, cui honoris ergo obviam progressus est Henricus rex Cypri, cum vxore & omnibus Principibus ac Baronibus regni, qui & Ludovicum honorificè deduxit, ab vrbe Nemosia vsque ad Nicosiam. Cumque hic rex adfuisset Ludovico in bello sacro ad Damiatam & Cayrum, postremo captus fuit. Liber autem factus in Cyprum reversus est, mortuusque anno XXXIII. regni sui, sepultus in vrbe Nicosia.

Reliquerat Henricus Rex moriens filium vnicum, puerum admodum nomine *Hugonem*: administratio ergo regni Cyprii penes matrem fuit & Iohannem Iblimensem, qui se vocabat Senescha-llum Cypri & Gubernatorem regni. Desponsa fuerat hujus Gubernatoris filia Hugoni II. regi, sed matrimonium consummatum non est, Rege quartodecimo ætatis, regni vero decimo extincto & in Templo Dominicanorum, ad dextrum latus magni Altaris sepulto: post quem Regina mater regnavit.

XVI. HUGO. III. Lusinianus, Princeps Antiochenus, successit in regno Cypri, Hugone II. Consanguineo suo sine hæredibus liberis mortuo, anno AN. C. M. CC. LXVI. & cum Conradinus mortuus fuisset, in regno Hierusalem, quod eum proxima agnatione contingeret. Suscepta igitur apud Nicosiam corona Cypria, traiiciens in Phœniciam, cum Tyrum venisset, recepit etiam Diadema Ierosolymitanum per Patriarcham & Magnum Magistrum Equitum cruce Signatorum. Vxor ejus fuit ex familia Iblimensi. Huic Regi dedicavit Thomas Aquinas librum suum *de bono regimine & gubernatione Principis*. Auctor & Fundator hic fuit egregiæ illius Abbatiæ juxta Castrum Cerinense, Ordinis Præmonstratensis, in qua ipse post mortem humatus est, mortuus anno regni sui XVII.

XVII. *Iohannes II.* Lusinianus filius primigenitus Hugonis tertii, patrisque in regno successor, Coronam Cypriam suscepit anno S. M. CC. LXXXIII. in vrbe Nicosia, Hierosolymitanam vero Ptolemaide, patri non nisi anno vno superstes, sine vxore & liberis mortuus, sepultus in vrbe Nicosia. Excepit fratrem in vtroque regno XVIII. HENRICUS. II. Lusinianus anno AN. C. M. CC. LXXXIV. Et hic cum Nicosiæ rex Cypri coronatus fuisset, profectus Ptolomaidem, etiam Diadema Hierosolymitanum suscepit. Fuit hic vltimus Hierosolymorum Rex coronatus in eo regno: successores enim ejus Famagustæ in Cypro coronã Terræ sanctæ acceperunt, nomine & titulo duntaxat reges. Fecit hic vivendi finem, cum XXXIII. annos regnavisset, homo justitiæ amans, patiens, constans, castus vt qui etiam à matrimonio abstinuerit. Sepultus fuit in Templo Franciscanorum. Hujus regis tempore, quicquid supererat ex regno Hierosolymitano, occupatum fuit à Sarcenis Turcisque, vt nihil Christianis reliquum factum fuerit in toto Oriente, præter regna Cypri & Armeniæ.

Successit huic XIX. HUGO IV. Lusinianus, Guidonis Connestablii Hierosolymorum filius anno M.C C C.X V I I. regni Cypri coronam suscepit Nicosiæ, Hierosolymitanam vero Famagustæ, adhibitis solennibus ceremoniis: & hic primus fuit Rex extra regnum coronatus. Vxorem habuit Alisonem Iblimensem. Pervagatus hic est totam Italiam & Galliam cum filio suo primogenito, vt Principes Christianos exoraret, ad ferendam sibi opem, quo si non totum regnum, saltem ejus partem, quam antecessor perdiderat, recuperare posset: sed nihil obtinuit. Mortuus ergo est anno regni sui XXXVI. sepultus Nicosiæ in Monasterio fratrum Prædicatorum juxta portam Templi. Monumentum ejus humile est planumque simplici marmore, venustum tamen: è regione ejus in muro erectum est aliud marmor Epitaphium ejus continens.

Huius filius XX. *Petrus Lusinianus*, Comes Tripolitanus, qui ob rerum gestarum præstantiam cognomentum Magni adeptus est, successit patri in regno Cypri anno A N, C. M. CCC. LIII. & coronam quidem Cypriam Nicosiæ, Hierosolymitanam vero Famagustæ accepit, ex more & instituto maiorum. Hic dum in Italia regnoque Neapolitano esset, vxorem duxit Eleonoram, neptem Aragonii regis: cumque multos adivisset reges & principes Christianos, rediit in Cyprum oneratus nummis aliisq; donis, nec non liberalibus promissis. Et paulo post adiutus ope Magni Magistri Equitum Rhodiorum, expedivit classem CL. navium, cuius ipse caput atque Dux esse voluit. Hac classe vicit prælio navali Sultanum Ægypti, captaque Alexandria vrbe, expoliavit multa alia Ægypti oppida. Hinc converso in Pamphyliam bello, aggressus Turcas, cepit castrum munitissimum Candelorium aliasq; arces, & sic feliciter finita expeditione illa, rever-

Digitized by Google

sus est in Cyprum. Cum autem Reginam vxorem interea matrimonii fidem sibi non servasse intellexisset, è potestate mentis exivit, factus sævus atque crudelis, vt à fratribus suis interfectus fuerit, tumulatus juxta patrem in templo Dominicanorum, cum XVIII. annos regnavisset.

Hujus filius XXI. PERRINUS *Lusinianus* post cædem patris agnati & proceribus regni Rex proclamatus est anno AN.C.M.CCC.LXX. cum vtramque coronam suscepisset, illam Nicosiæ, hanc Famagustæ. Obiit vndecimo regni sui anno, quiescitque in Templo Dominicano juxta patrem & avum.

XXII. *Iacobus* I. Lusinianus, Petri Magni frater, & Perrini patruus, Seneschallus fuit Cypri. Abduxerant hunc Genuenses futurum obsidem, & post in carcerem compegerant, quod Perrinus Rex cum Venetis se fœdere junxisset & Duce Mediolani adversus ipsos Genuenses. Defuncto a. Perinno, venerunt Genuam Oratores ab Cypro, petentes ab Senatu Seneschallum suum, vt qui proximus hæres esset regni, quod & facile obtinuerunt. Senatus enim & Patres Genuates cum devincire sibi novum regem vellent, ipsi profecti ad carcerem, eum inde eduxerunt, orantes captivitatis malæque tractationis veniam. Postea deduxerunt eum cum vxore & parvo filio, quos dum Iacobus captivus fuerat, Genuates liberaliter habuerant, in Curiam, ibi pax inter eos facta est, vt vrbs Famagusta in perpetuum maneret Senatui populoq; Genuati. His actis rex conscensis triremibus vna cum Legatis Cyprum petiit, adjungente Senatu etiam alias naves, quæ ipsum deducerent & comitarentur, in quibus erant Legati Genuensium, cum mandatis, darent operam, vti pacta à principibus & ordinibus regni rata haberentur. Exceptus apud Nicosiam rex cum vxore honorificentissime, eodem die diademate Cyprio cingi voluit, & altero Hierosolymitano, quod id Famagustæ fieri non posset. Defuncto a. Leone Lusiniano in Gallia, qui rex Armeniæ fuerat, sine liberis, etiam Armeniæ regni coronam Nicosiæ suscepit. Hinc totus conversus ad munitiones oppidorum & castellorum, tres de novo extruxit arces, nempe Securam, Cavam, & Potamiam; Ædificavit etiam arcem Nicosianam, multaque alia memoria digna fecit: mortuus anno regni sui vigesimo, & sepultus in Sacello Magno templi Dominicanorum juxta monumentum Hugonis Secundi, vbi etiam paulò post sepulta fuit regina vxor ejus.

Fuerat Iacobo Lusiniano dum obses apud Genuam in carcere ageret, natus filius *Ianus Lusinianus*, cui pater id nomen ab vrbe Genua, quæ & Ianua à Iano dicitur, imposuerat. Successit hic

XXIII. IANUS patri in regno anno AN.C.M.CCCC.II. Vxor ejus fuit Carolotta, Iacobi Barbonii Comitis Marcani filia. Hic eodem die, contra instituta majorum tres sibi imponi voluit coronas, Cypriam, Hierosolymitanam & Armeniam, idque anno S.M.CD.XVI. vel vt aliis placet, M.CD.XX. At Cayri Sultanus, stimulatus vindictæ cupiditate, quod magna ei damna intulerat Petrus Lusinianus rex Cypri, capta & spoliata Alexandria aliisque oppidis, numerosam classem ad Cyprum misit, adortusque ex improviso Nemosiam cepit, spoliavit & exussit vrbem: hinc ductis versus Nicosiam copiis, regem cum exercitu obvium habuit qui commisso cum Ægyptiis prælio victus, ad montes effugere coactus fuit. Cum a. denuo collegisset aliquam militum manum, ipse denuò victus captusque fuit, cum non exiguo Principum procerumque numero: frater v. regis Henricus Galilææ Princeps cum multis suorum cæsus est. At Saraceni vtentes victoria Nicosiam ceperunt, pene totius Insulæ facti domini, excepta Famagusta cum paucis quibusdam arcibus. Rex captivus ad Triumphum reservatus Cayrum deductus, & paulo post multo auro redemptus fuit per Nobiles quosdam Cyprios. Fuit hic primus Rex Cypri qui se Tributarium fecit. Cum autem ex Ægypto domum reverteretur, memoria tot cladium & infortuniorum contabuit, confectus tristitia, anno vigesimo nono regni sui, cum vxor ejus paulo ante è vita migravisset. Spectatur vtriusq; monumentum in Magno Sacello Templi Dominicani, è polito marmore, è regione monumenti patrii.

XXIV. IOHANNES. III. Lusinianus, Iani ex Carolotta Burbonia filius, successit patri in regno anno AN.C.M.CCCC.XXX. voluitque eodem die tribus coronis onerari potius quã ornari, Cypria, Hierosolymitana & Armenia. Cõjux ejus fuit filia Iacobi Palæologi, Marchionis Monferratensis, quæ cum mutationem aëris ferre non posset, paulo post mortua est. Secundis igitur nuptiis junxit sibi Helenam, filiam Andreæ Palæologi, Despotæ Peloponnensi, qui frater erat Iohannis Imperatoris Constantinopolitani, ejus, qui Concilio Florentino interfuerat. Obiit hæc Aprili mense anno A.N.C.M.CD.LIX. in Camera regia apud Iacobinos Monachos, voluitque sepeliri in Monasterio Græco Manchanensi, quod ipsa paulo ante fundaverat. Tertio mense post mortuus est etiam Rex in Camera regia S. Dominici, illatus monumento Patris anno regni sui vigesimo nono.

Regnavit post hunc *Carolotta Lusiniana* filia, quę anno C.M.CD.LIX. vivo adhuc patre vidua facta fuerat Iohannis filii Regis Portugalliæ, Principis Antiocheni. Secundo nupsit Ludovico comiti Genevensi, filio Ludovici Comitis Sabaudiæ & Annæ Lusinianæ, quæ soror fuerat Iohannis regis. Cum hæc primum diademate cincta fuisset, venit postea sponsus ejus, celebratisque cum ea nuptiis, in Regem Cypri coronatus est.

XXV. LUDOVICUS Sed vtrumque regno exegit Sultanus Ægyptius, constituto rege Iacobo fratre ejus spurio.

XXVI. IACOBUS. II. Spurius Iohannis III. regis fuit Subdiaconus & electus Archiepiscopus Cypri. Mortuo patre ejus, jus regni Cypri legitima successione devolutum fuerat ad Carolottam filiam regis legitimam: Adspirabat ad regnum Iacobus, cum a. videret se odio esse proceribus regni, misit quosdam è suis ad Sultanum Ægypti, petiitque ab eo, vt se in regnum patrium collocaret, neque permitteret sororem suam regnare. Dum hæc fiunt, Mahometus II. Turcarum Imperator, missis

Digitized by Google

missis ad Sultanum litteris, partim precibus partim minis cum eo egit, vt profligato ex Cypro Ludovico Sabaudo, in locum ejus substitueret Iacobum, hominem aptum & regis filium, amicumque Mahometanorum. Sic Sultanus Iacobum Regem Cypri salutavit, misitq; cum exercitu, vt sibi subiiceret Insulam. Vxorem habuit Catharinam filiam Marci Cornarii Senatoris Veneti, quo contracto matrimonio paulo post mortuus est Famagustæ, conditus tumulo satis misero humilique, cum regnasset annos XII. vixisset XXXIII. multi putant eum veneno sublatum periisse.

Hujus filius Posthumus ex Catharina Cornaria, *Iacobus* nomine tertius hæres patris factus est an. AN.C.M.CCCC. LXXII. administrante regnum matre auxilio Tutorum quos pater moriens nato constituerat. Obtinuit hæc mulier regnum Cyprium ope Venetorum per annos XIV. vsque ad annum Salutis M.CD.LXXXIX. Sed & Senatus Venetus de consensu Procerum & Nobilium regni creavit novos Magistratus Præfectosque per Cyprum, qua ratione totum regnum paulatim in Venetorum manus devenit. Cum enim Catharina Regina esset Venetiis in Æde S. Marci, donavit Duci Senatuique Veneto, qui ibi cõvenerant, Simulacrum Cypri Insulæ totum argenteum, simile illi, quod adhuc spectatur marmori impressum in Æde S. Salvatoris apud Venetos supra portam Sacrarii. Vicissim Senatus dedit reginæ, donec ipsa viveret, Arcem Asulanam in agro Tarvisino, permisitque, vt consanguinei ejus inter insignia sua etiam gestarent arma familiæ Lusitaniæ: Georgio vero Reginæ fratri certos redditus in Cypro assignavit. Catharinæ postea mortuæ corpus Venetias delatum, & in Beatorum Apostolorum Templo tumulatum fuit. Quomodo autem Venetis quoque à Turcis erepta sit Insula, aliunde notum,

CATALOGVS PATRIARCHARVM Latinorum, qui Hierosolymis fuerunt.

21 Primus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus legitur *S. Iacobus* Apostolus, qui dicitur Iacobus minor, item Alphæi frater Domini Iustus & Oblias: qui scripsit Epistolam contra fidei insulsæ & sterilis patronos. Cum annos XXX. Ecclesiam rexisset, de Suggestu vel vt alij tradunt, de pinna templi dejectus à fullone quodam fustis duris ictibus occisus est. Tanta ejus, etiam apud Iudæos, fuit existimatio, vt Iosephus inter causas excidii Hierosolymitani hanc quoque referat, quod furiosi Iudæi cum, cum Iustissimus esset, occidissent. Posteà tumultuaria ferè, dum Politia ista vna cum vrbe everteretur, vsque dum ab Imperatore Ælio Adriano alia ex ruderibus dicta Ælia civitas suscitaretur, in qua primus erat Episcopus *Marcus* anno CXIX. post quem præfuere *Effrem Zacheus*, aliis Zacharias. I. *Narcissus, Cyrillus. I. Thermon* sive Hermon, *Peleus, Benjamin, Iohannes. I. Cyriacus, Arius, Cyrillus. II. Macarius Maximus*, Antidicꝰ, Anatolius, Polychroniꝰ, Hesychius, Iuvenalis, Michaël Syngelus, aliis Syncellus, Elias, Andreas, Sophronius, Zacharias, & pauci alii à Saracenis malè vexati Patriarchæ Græci. Tandem cum bellum sacrum esset, & vrbs à Christianis principibus occupata esset, tunc sexto post captam civitatem Sanctam mense, an. AN. C. M.XCIX. defuncto Simeone Patriarcha Græco, per ordinis Ecclesiastici proceres Latinos, accedente auctoritate Godefridi Bullionæi regis, primus Patriarcha Latinus Hierosolymis creatus est *Dagobertus* Episcopus Pisanus, deditque ei quartam civitatis partem Godefridus Rex, vt ea frueretur, quemadmodum antea Patriarcha Græcus fecerat permissione Saracenorum. Anno vno post, festo die Paschatis, donavit idem eidem cæteras vrbis partes. Elapsis v. tribus annis sequentibus, petiit idem Patriarcha à Balduino I. Rege Civitatem & Iurisdictionem eius, sicut ipsi Godefridus donaverat. Sed repulsam passus est Sacerdos, qui nimium petierat.

Abremarus vel Ebrimarus presbyter homo simplex & prope illiteratus, fuit vivente adhuc Dagoberto Patriarcha, per Balduinum regem & Arnoldum Archidiaconum electus ad Patriarchatus dignitatem, & paulo post consecratus. Vocatus Romam, remissus fuit per Pontificem vna cum Gibelino Archiepiscopo Arelatensi Hierosolymam, in causa regni illius. Verum Legatus deposuit hominem ab Patriarchatu, deditq; ei Episcopatum Cæsareæ.

Privato dignitate Abremaro & mortuo Dagoberto, factus est Patriarcha Hierosolymitanus *Gibelinus* Archiepiscopus Arelatensis & Legatus Apostolicus, quanquam senectute gravis & decrepitus, mortuus III. Pontificatus sui anno. Magna hactenus vafritie egerat cum Patriarchis superioribus. *Arnoldus Malaus* alijs dictus Arnulphus, Archiepiscopus Hierosolymorum, donec ipse ad hanc dignitatem conscendit. At Papa improbatis actis hominis, misso Episcopo *Aurelien*si Legato suo Hierosolymam, privavit eum Patriarchatu. Verum Arnoldus profectus Romam verborum lenociniis & mira calliditate vsus effecit, vt restitueretur in dignitatem: mortuus postea VIII. anno Pontificatus sui.

Hunc secutus est *Garemundus* alias Guarimundus dictus, homo Gallus è territorio ortus Ambianensi, quo Patriarcha cæpit ordo Equitum Templariorum, quem is confirmavit & amplificavit. Habuit hic Concilium Nationale in civitate Neapoli Samariæ, factus etiam Gubernator regni cum Eustathio Granario & Conneſtablio Bavisio, quorum consilio & ope Venetorum Tyrum vrbem eripuit Saracenis tunc cum Baldovinus II. captus fuisset, mortuus est cum annis X. Pontifex fuisset.

Anno AN.C.M.C.XXVIII. Patriarcha factus est *Stephanus*, primo Eques, deinde Monachus & Abbas, S. Iohannis in Valle, Diœceseos Carnutensis, vnde etiam natus fuit. Nobile huic genus, & qui propinqua agnatione Balduinum regem contingebat. *Ajunt* eum veneno sublatum anno secundo Pontificatus sui, quod regem perpetuis petitionibus obtundendi finem non faceret.

Guilielmus Flander. patria Machlinienſis, S. Sepulchri Prior, homo simplex multæque ignorantiæ, factus est Patriarcha anno AN.C.M.C.XXX.

Digitized by Google

qui se comem & facilem omnibus præbuit. Obiit anno XV. Pontific. sui.

Centesimum prope annum ætatis agebat *Fulcherius* Archiepiscopus Tyri, cum ad Patriarchatum vocatus est. Cumque Templarii huic negarent decimas, inque multis aliis adversarentur, accusavit eos Romæ, ipse eo profectus. Cumque causa superior fuisset, reversus domum in extrema senectute expiravit. *Almericus* & ipse Gallus fuit, è territorio oriundus Noviodunensi, ex priore S. Sepulchri factus Patriarcha, contradicentib. Episcopis Cæsarien si & Bethleemensi: qua de causa misit Romam Adrianum Friderici, Episcopum Ptolemaidis, qui ei attulit confirmationem & pallium Patriarchale, antequam æmuli ejus eò perveniissent.

Archidiaconus erat Hierosolymis *Heraclius*, qui cum consensu communi omnium Patriarcha electus fuit. Mortuus hic est mærore animi, cum videret regem suum captum, Principes interfectos, vrbem cum regno in manus Saracenorum delapsam; quem secutus est.

Albertus Eremita, Episcopus Ascalonensis, Cum autem vrbs sancta ab infidelibus capta fuisset, solo contentum eum esse oportuit titulo & parte quadam jurisdictionis: ipse sedem sibi fixit in vrbe Ptolemaide. Hic est ille Albertus, qui primus collegit Eremitas à Carmelo Monte, eosque reduxit in Monasteria, constitutis legibus reguliq;, vt & habitu quo vterentur. Sed hos deinceps reformavit Innocentius III. Pontifex, qui Reformatorem nominavit Hugonem Cardinalem Ordinis Dominicanorum, quo auctore hanc vivendi rationem amplexi sunt qua nostro tempore vtuntur.

Post hunc Albertum multi alii fuerunt Patriarchæ, qui omnes Ptolemaidem vrbem habitaverunt, & cum hæc quoq; cum ipsa Hierosolymorum vrbe à Saracenis capta fuisset, Patriarchæ sedes aliquandiu in Arce Nicosiæ vrbis in Cypro fuit. Verum hæc de Regibus & Patriarchis Hierosolymitanis dixisse sufficiat, nunc ad alia pergemus.

Habet *Hierosolyma*, in cujus diversis obsidionibus tot hominum myriades variis modis interierunt, nostro tempore non vltra quinque habitatorum millia: & nisi ipsa loci sanctitas quotidie plurimos Christianorum ad se pelliceret, locus iste sane foret exigui momenti. Ipsa porro terra sancta dividitur velutin longitudinem à Iordane fluvio, qui in radicibus Libani Montis è duobus fontibus nascitur, haud procul à se dissitis, atque inde bicornis erumpit, alteri fonti nomen Ior est, alteri Dan, qui conjunctis efficiunt Iordanem Duos autem lacus transit fluvius iste, quorum prior est Samachonitis, isque minor: alter dicitur Lacus Galilææ sive Tyberiades, multo amplior. Tandem exit in Mare mortuum, quod à scriptoribus Græcis Latinisque Lacus Asphaltites dicitur.

23 Mesopotamia seu *Phœnicia* prope tota maritima est, Iudææ opposita. Præcipuæ ejus vrbes fuerunt Sidon & Tyrus, quibus hodie Barbara nomina, & illa quidem Sait, hæc Sur appellatur. Tyrus olim Insula fuit, tam prope autem juncta continenti, vt Alexander Macedo intercedentis maris spacium terra expleverit, eamque partem continentis effecerit, cum eam vrbem obsideret: Hujus vrbis amplitudinem, divitias & magnificentiam Ezechiel Propheta non satis deprædicare potest. Non multo inferior erat hac Sidon vel potentia vel pulchritudine. Vtrique vrbi claritatem attulit tinctura purpuræ quam Poetæ diversimode, modo Tyriam modo Sydoniam appellant. Vtriusq; paucæ supersunt reliquiæ, vt & Ioppes & Acræ.

Syria speciatim sic dicta extenditur à Tyro vrbe vsque ad Sinum, qui hodie Laiacensis dicitur, quo in spacio continentur hæ vrbes; Berytus, Tripolis, Tortosa, quarum priores duæ frequentibus mercimoniis celebres sunt: in mediterraneis Damascus est & Laodicea. Damascus etiam nostro ævo vrbs est valde pulchra, sita in ampliſſima valle, domibus exculta, quarum ornatus interior exteriori splendori respondet. Plateæ tamen ejus angustæ sunt & tortuosæ: præcipuum autem vrbi decus est ab aquarum copia quæ per vestibula ædium fluitantes hortos mira jucunditate irrigant. In ea quoque est Arx excellens, quam Mamaluccus quidam Florentinus extruxit, cum ad summas perveniisset divitias, & vrbi huic præfectus fuisset, quæ caput est totius illius provinciæ.

Celesyria proprie est ea pars, quæ est inter montes Libanum & Antilibanum, vbi sunt fontes fluvii Orontis, qui hodie Farfarus dicitur, in cujus ripa est Antiochia Syriæ, quam recte sui ipsius sepulchrum dicere possis, tota jacens in situ & ruderibus. Mœniorum tamen quædam partes adhuc extantes, & egregio operæ structæ, veterem loci testantur gloriam. Supersunt & turres quædam, & castellum monti inædificatum; Audent etiam aliqui ostendere domum, in qua S. Petrus Apostolus crebro diverterit, & locum quendam angustum, vbi multos baptizaverit homines. Ad ostium Orientis fluvii spectatur adhuc Seleucia Pieria, quæ hodie Soldin dicitur.

Comagena pars est Syriæ, quæ sequitur cursum Euphratis amnis vsque ad fines Armeniæ. Alepum (Epiphania veterum hæc putatur esse) caput est hujus regionis, numeraturque tertio loco inter primarias vrbes Imperii Turcici: sita est supra Singam amnem habetque canalem aquæ subterraneæ, vnde plurimi fontes publici privatique in lucem erumpunt. Complectitur autem Montes quatuor, cum arce satis spacioſa & subvrbiis ampliſſimis: ædificia tamen splendida hic pauca sunt, præter Mosqueas sive Templa Mahometana, & Apothecam sive Tabernam publicam pro peregrinis Mercatoribus. De ingenti populi, qui in ea est, multitudine hinc fieri potest judicium, quod anno AN. C. M. D. LV. tam in vrbe quam suburbiis morbo epidemio extincta fuerunt spacio vnius tridui vltra viginti sex millia hominum.

Pro-

Digitized by Google

Proprietas terræ supra dictarum regionum omnium, tam Minoris quam Majoris Asiæ.

14 Fruitur Anatolia sive Asia Minor aere bono, suavi & temperato: agri largiter ferebant olim omnis generis frumentum, campi & prata vberrima pro pecudibus pabula, & vt vno verbo dicam, abundabant incolæ ejus omnibus rebus ad vitam sustentandam necessariis. At nostra tempestate non est eadem regionibus illis, quæ olim fertilitas, quanquam dubium non sit, longe humum fore feraciorem bonarum rerum, si melius coleretur.

Interiora & à mari remotiora latissimis abundant campis aruisque, in quibus frumentum seritur & gossypium crescit. Fluminibus enim irrigatur permultis, inter quæ primi nominis sunt Iris, nunc Casalmachus: Halys, hodie Ottomangiuch: Parthenius, hodie Dolapus: Sangaris, nunc Sangri: qui omnes in Pontum Euxinum exonerant. Propontidem influunt Ascanius, Rhindacus, Asopus & Granicus. Hellespontum petunt Simois & Xanthus. Aegeum mare ingrediuntur Caicus, Hermus, Caystrus, & Mæander multis tortuosisq; flexibus mare petens. Hic accensendus etiam est Melas fluvius, qui aquas suas in Euphratem deponit. Mare mediterraneum petunt Calbis, Limyrus, Cataractes aliique.

Bithynia plurimum farris gignit, submittitque ingentem vim farinæ Aulæ Turcicæ, inprimis ager ferax est frumenti circa Prusiam. Præterea abundat hæc regio adeo materia lignea ad fabricandas naves, vt quis dicere possit, triremes hic sponte crescere & in subjectum mare delabi, tam celeriter conficiuntur omnis generis navigia. Iuxta Niceam reperitur Auripigmentum in magna copia.

Asia peculiariter ita dicta, præter cætera bona habet Synnadicos Montes, vnde lapis eruitur Alabastro pulchritudine non multum cedens, qui olim à Romanis expetitus fuit ad faciendas Columnas statuasque.

Ager circa Troiam hodie macilentus est & sterilis, aquarum laborans inopia: at Pergamensis longe melior feraciorque. Inveniuntur etiam ibi Latomiæ, in quibus reperta sunt humana cadavera eorum, qui se aliquando in iis cavernis tempore belli occultaverant: prorsus in petras & saxa conversa. Tribuit Hierapoli Strabo aquas calidas nativas, quas facile in lapidem tophum durescere ait, Aliæ hic sunt aquæ, ad tingendas lanas adeo aptæ, vt qui iis imbuuntur panni, præstent iis, qui herbis radicibusque tincti sunt.

In Caria Magnesiæ ager olim fuit in majore æstimatione, quòd multum frumenti gigneret, nec longe inveniretur ab ea vrbe Magnes Lapis. In Montibus Cariæ reperitur lapis ad ædificandum peraptus, grati splendidique candoris. Fuit hæc provincia olim multis concussa terræmotibus.

Mysiam commendant vineæ, quæ in territorio Lampsaceno frequentes & vino vberes. In Ionia multum è terra extrahitur Minij, quod ibi excoquitur: alicubi etiam vinum crescit optimum.

Celebrantur veteres Lydiæ divitiæ, ob auri ramenta, quæ multi rivi fluvioliique à Tmolo monte descendentes secum vehebant. Multum igitur Lydi habebant auri, vt & argenti, accedente ad has divitias soli culti bonitate, inprimis laudatus fuit Tmolus Mons ob eximiam fertilitatem, præcipue ob vini & croci copiam.

Lycia aspera est & incommoda, ob Taurum montem, qui ibi attolli incipit, campos tamen planicieſque habet satis feraces. De Chymæra monte ajunt, summa ejus olim plena fuisse Leonibus, media capreis ob pascuorum bonitatem, ima serpentibus. Hinc nacti sunt Poëtæ fictionis suæ de Chymæra argumentum, quod bestia fuerit, igne evomens, capite Leonino, corpore capræ, cauda draconina. Tremores terræ hanc sæpius afflixere. In Pamphylia vt & Cilicia ferunt capræ pilos tenerrimos, instar lanæ mollissimæ, vel etiam Sericæ materiæ, & qui ad nivis candorem mundantur. Cappadocia abundat omnis generis frumento, ino, fructibus arboreis, nec non argento, ferro alumine, Iaspide, Onyche & Alabastro, quamvis deformiore. Alunt autem & Cappadoces innumera Equorum armenta: alicubi tamen asperior est regio, nec satis felix in proferendis ad vitam humanam necessariis. Ait Plinius iuxtà Thermodontem amnem duum generum inveniri Apes: quarum aliæ quidem in cavis arborum truncis, aliæ vero in specubus & cavernis subterraneis mellificent. Argeı Montis summa tam æstatis quam hyemis tempore nivibus cooperta sunt.

Campi in plerisque Amasiæ partibus deserti sunt & cultura vacui, pabuli tamen pro gregibus & armentis feraces. Iuxta Iconium colles cooperti sunt vineis, quæ tam præstans vinum gignunt, vt nulli per Asiam cedere debeat. Cilicia duplex est: alia Aspera, quæ in occidentem vergit, alia Campestris, quæ Orientem respicit. Hæc multis rivulis amnibusq; irrigatur, vnde multos fert fructus aliasque res bonas, nutritque equorum armenta plurima. Eadem aquarum copia in causa est, vt maxima pars Ciliciæ mediocriter culta sit, quamvis ager argillosus sit, & æqua loca lignis destituta, quæ necesse est procul à montibus peti, qui prope bidui itinere absunt. Inter eos montes est Amanus, in quo crescunt cedri altissimæ, vt & juniperi, aliæque arbores innumeræ. Sunt tamen in Cilicia multa loca valde amœna, vbi sunt arbores perpetuo virentes: alibi vero solum iners est & sterile, in campos late patentes diffusum, quorum nemo rationem habet: vt cuique integrum sit suos ibi pascere greges, inprimis capellas, vnde incolis larga lactis caseique copia. Sunt autem harum caprarum pili molles ac delicati, vt vix bombycum lanæ cedant. Habet alicubi Cilicia sylvas, in quibus Myrteta, quorum fructus albus est, vt & frequens Pinus atque Terebinthus. Fluvij hujus regionis sunt: Pyramus, hodie Malmistra dictus, qui prorepens è medio pulchræ planitiei, longe vltra Montem Taurum, postquam acquisivit vires, ciet murmur tonitruo simile, vt à longo exaudiri possit. Cydnus vero fluvius ab

Digitized by Google

Antitauro prosiliens, frigidus est rapidusque, aquas vehens limpidissimas, quibus Plinius tribuit vim curandi Podagram. Reperiuntur etiam hic parui lupi, qui gregatim discurrunt, quosque Græci vulgo vocant Σκύλακας, tantæ rapacitatis, vt nihil vereantur dormientibus noctu supervenire iisque eripere quicquid inveniunt, pileos, calceos & res similes. Iuxta Heracleam ait Bellonius amœnam esse planitiem, in qua sint omnis generis arbores fructiferæ vbi & magna vis equorum perpetuo nutriatur.

Armenia superior tota plena est montibus collibusque, quamvis non destituatur vallibus frugiferis. Solum eius vulgo ferax habetur, quodque multa nutriat animalia, quanquam hic frequentius densæ nives de cœlo cadant, nec tam cito liquescant.

Georgia tota montosa est & saltuosa, vnde difficilis ad eam hostibus accessus: habet tamen & campos æquos feracesque, nec non amœnas valles, quas liquidi amnes perluunt, inter quos primi sunt Cyrus & Araxes.

Quamvis in Arabia deserta vastæ sint solitudines, habitatur tamen frequentibus oppidulis villisque, neque destituitur incolarum multitudine, in primis juxta Euphratem, & circa montana Arabiæ felicis: ea enim pars quæ in occidentem porrigitur, tota arenis cooperta est.

Arabiam Petræam Veteres omnino sterilem judicaverunt, illa tamen pars quæ Syriam attingit, melior est altera. quicquid sit, constat fere desertam esse, & carere plerisque rebus, ad vitam commode agendam necessariis: destituitur autem vel maxime lignis & aqua dulci. Palmæ tamen alicubi crescunt ferentes fructus crassos & teneros, quique non nimis abundant humiditate. Sed & Manna hic decidit, & in littoribus nascitur Coralion, specie quidem satis pulchra, sed intus concavum. Invenitur & in quibusdam hujus Arabiæ partibus Amethystus gemma.

Arabia felix melius quam vel Petræa vel Deserta culta est, vt quæ pluribus rivis & fluviis irrigatur, quorum nonnulli etiam in lacus diffunduntur. Ergo fert ordeum & cætera frumenti genera, inprimis orizam, vt & mellis ceræque copiam, nec non arborum omnis generis fructus, Bis & hic in anno seritur, bis metitur, vt & in Indiæ plerisque locis. Proveniunt insuper hic Palmarum Dactyli, Nardus, Casia, Cinnamomum, Myrrha, Thus & aliæ res atque herbæ odoriferæ maxima copia. Nec Metallis omnino destituitur, neque gemmis lapillisque, inprimis qui in littore maris felici piscatione extrahuntur. Alit præterea Arabia hæc equos præstantissimos, & arietes adeo pingues, vt cauda eorum nonnunquam viginti libras pendat. Ager tamen circa Medinam est prope sterilis, qui non multum gignit rerum bonarum: is vero qui circa Mecham est, etiam aquæ potabilis inopia laborat.

Palæstinæ pulchritudinem & amœnitatem augent campis patentibus interspersi montes, & aquarum scaturientium multitudo: vnde frumenti in ea fructuumque abundantia. Nam & Rosæ hic sunt quam alibi suavioris odoris, & passim ac temere crescit Ruta, Fœniculum, Saluia, aliæque herbæ salubres, Olivæ, ficus, & mali Medicæ hic in magna sunt copia, Palmeta crebra, vineæ longe lateq; colles ac campos operientes. Etsi enim vsu vini Turcis interdictum est; multum tamen hic fit vini, & vindemiantur vites quotannis tribus vicibus, Poma quidem similia nostratibus, vel pyra, vel cerasa aut nuces, alioque fructus nostris similes tellus ea non fert: verum hæc ab Damasco & aliunde eo deportantur. Sunt horum loco hic certi quidam fructus, qui in arboribus servantur per totum annum, cujus generis sunt majora illa poma Citria, & quæ vocantur Mala Paradisi. Humi vero repunt Melones, Pepones, Cucumeres, omnes saporis exquisiti. Dedit hæc terra olim Balsamum, liquorem huic soli regioni, vt veteres crediderunt, concessum, quo tamen nostra ætate destituitur. Capreoli hic multi, lepores, perdices, coturnices, & ejusmodi gulæ illecebræ. Invenias tamen etiam loca quædam deserta, quæ mures & sorices nimia sui multitudine sibi vendicant: vt nisi ab avibus quibusdam devorarentur, neque sementis fieri neque messis in iis locis posset.

Vtrumque Iordani latus densis salicibus, juncis canniisque obsitum est. Lacus Samachonitis quandoque per æstatem exarescit, succrescentibus ibi dumis, vepribus & arundinetis, in quibus se Leones aliæque feræ occultare solent.

Campestria circa Lacum Genezareth deserta sunt, ob spinæ quoddam genus, quod ibi pullulat tanta importunitate, vt arari serique agri non possint. Habitantur tamen littora lacus à piscatoribus, abundantia piscium eo allectis, qui & vicina loca indies cultiora reddunt.

Lacus Asphaltites sive Mare Mortuum ad quinque dierum iter ab Aquilone in Austrum excurrit, latitudo ejus ob ortu in occasum patet, Longitudinem hujus maris quidam LXX. millibus pass. Latitudinem XIX. metiuntur. Exhalat hic semper fumum densasque nebulas quæ totum littus vicinumque agrum sterilitate damnant vsque ad D. passus. Nullus in eo piscis, nec avis aquatica vlla: quin & si vivum aliquod animal in eum iniiciatur, non mergitur, sed ad littus propellitur, etiamsi ei pedes ligentur. Galilææ solum ipsa Natura omnium bonarum rerum ferax est, inprimis arborum fructiferarum, estque cultum optime: inferior tamen, quæ vltra Iordanem amnem excurrit, aspera quædam loca & deserta habet.

Samaria partim Montosa est partim campestris: est autem amœna, fertilisque, abundans fontibus & rivis aquæ dulcis. Magna hic est vis hortorum, & oliveta plurima, aliarumque rerum vtilium proventus lætus. Montes circa Samariam, vt Bellonius refert, sunt obsiti arboribus fructiferis, suntque olivæ hic crassiores & altiores quam alibi.

Quod ad Iudæam attinet, constat agrum Hierosolymitanum egregie cultum esse, plurimumque proferre pomorum, amygdalorum, ficuum & olivorum. Montana abundant omnis generis arboribus herbisque, tam sylvestribus quam medicatis:

Digitized by Google

dicatis: sed nec rupes quidem culturæ expertes sunt, in quibus magno labore plantantur vites aliæque arbores fructiferæ, excisis in petras gradibus, quibus ad eas adiri queat. Iuxta Ramam oppidum, ager est egregie bonus, neque tamen satis habitatus, vnde agri negligentius culti visuntur, quanquam Græci qui ibi habitant, serant triticum, hordeum & legumina, paucæ tamen ibi sunt vineæ. Sunt & ibi palmæ arbores, quarum tamen fructus raro maturescunt, quod aër ibi soleat esse frigidiusculus.

Supra modum fertiles sunt eæ Idumææ partes, quæ vel propinquo mari, vel Iudææ vicinæ sunt: atqua Arabiam contingit, sterilior est ob crebros montes. Palmas tamen habet, & antiquis temporibus habuit quoque Balsamum. Ajunt scriptores, regionem hanc difficulter ab exteris occupari posse, ob loca deserta quæ ibi sunt & aquæ inopiam. Sunt quidem ibi fontes, sed occulti, quos soli incolæ noverunt.

Territorium Sidonium in Phœnicis fertilissimum est, & quod cannas mellitas magna copia gignit: feracius vero etiam circa Ptolemaidem, vbi præter egregia pascua plurimæ sunt vineæ, & horti ac viridaria lætissima, è quibus omnis generis fructus per totum annum percipiunt. Fluvio qui vrbem alluit, nomen est Belo, qui sabulum vehit conficiendæ materiæ vitreæ aptissimum. Ager Emissenus aquis vndique est irriguus, vnde omnibus rebus ad vsus vitæ affluit, inprimis arboribus fructiferis varij generis.

Mores antiqui Asiaticorum.

25 Artes & scientias prisci Arabes hili non faciebant. Capillos capitis promittebant omnes, barbam vero alij radiebant mento tenus, alij non qui cæteros ætate anteibat, habebat in juniores imperium. Qui sanguine juncti erant, omnes facultates suas communes habebant, etiam mulieres, vt qui interdiu primus ad aliquam ingressus fuisset, posito ante ostium baculo suo, ejus frueretur concubitu: noctem vero exigebat mulier cum maximo natu. Hac ratione omnes inter se fratres haberi volebant, consuetudinem Veneris etiam cum matribus sororibusque habentes, brutorum instar. Adulterium morte puniebatur: is autem habebatur adulter, qui cum alia consuesceret muliere, præterquam cum sanguine juncta. Quicquid hoc pacto in aliqua familia nascebatur, habebatur legitimum. Curam mortuorum nullam gerebant, vt qui & reges suos vita functos in sterquiliniis defodiebant.

Fidem in promissis contractibusque præ cæteris sancte præstabant, cumque de re aliqua stipulari volebant, tertius quidam inter duos contrahentes consistebat medius, percussaque palma manus suæ, contrahentes in eam imponebant primores digitos. deinde sumebat parvum villum de vtriusq; vestimento, tingebatque eum sanguine manus suę, & conspergebat septem lapides, in hunc finem ibi præsentes, invocabatque testes Dionysium & Vraniam. Huc accedebant certæ obligationes, comparituros eos qui ad hunc modum paciscebantur, coram certo judice quem Mediator iste nominabat, si opus esset, sive peregrinus is foret sive civis, habebaturque hoc honestissimum paciscendi genus, quo vtebantur in conciliandis novis fœderibus aut amicitia.

Cinnamomum colligebant non alij quam Sacerdotes Arabes, qui ante animalia quædam sacrificabant: quinque inter eos auctoritate cæteros præstabat, dividebat Cinnamomum in certas partes, reservato primum fasciculo in honorem Solis. quod si arbitraretur, cinnamomum æqualiter divisum esse, excitato vehemētia radiorum solarium igne, seipsum eo exurebat.

Fuit & certa quædam gens inter Arabes, quæ serpentum carnibus vesci solebat, vnde Ophiophagi dicti fuerunt. Alij Camelorum carnibus & lacte vivebant, quibus etiam vtebantur ad expeditiones belli & ferenda onera. qui vero inter eos Debes dicebantur pastionibus & agriculturæ dediti erant: perhibebantur hi nonnunquam inter glebas & cespites terræ invenire auri puri globos rotundos, ad magnitudinem nucis iuglandis, quibus includant precioſos lapillos, atque inde torques ac monilia conficiant. Vendebant autem etiam aurum vicinis extraneisque, duas auri libras dantes pro vna æris Cyprij, aut etiam alius Metalli.

Apud Sabæos solus Rex judicabat controversias eligebanturque reges arbitrio populi, adscitis fere ad eum honorem iis, qui ex ea orti erant familia, vnde antea quoque reges electi fuerant. Persuasum autem erat regibus istis, quod si progrederentur extra Palatium regium, è vestigio obruendos esse lapidibus à populo, vnde pedem porta Regiæ non efferebant. Lecticæ eorum & cathedræ prægrandes erant, quarum pedes sive fulcra solido constabant argento, respondebatque huic magnificentiæ reliqua supellex regia. Negant autem scriptores, eos vnquam captos fuisse desiderio, invadendi rapiendique alienas terras aut possessiones.

Garæorum, qui & ipsi Arabes fuerunt tantas fuisse aiunt divitias, vt omnis eorum supellex esset ex auro & argento, aditus vero ædium & tecta & parietes ex ebore. Infra quem spendorem multum erant positi Nabathæi, apud quos infamiæ notam incurrebat, qui bona sua diminui patiebatur. Panchaij vtebantur in bello curribus, dividebantque Regnum suum in tres partes, primam assignabant Sacerdotibus: secundam laboratoribus: tertiam bellatoribus, in quibus etiam censebantur Pastores. Sacerdotes decidebant omnia litigia, sive versarentur inter privatos sive concernebant Rempublicam, excepto supplicio capitali.

Laboratores cum collegissent fructus terræ, conferebant eos in commune, quinque inter eos habebantur magis strenui, numero decem seligebantur, vt distribuerent fructus viritim. Pastores obligati erant vti magna diligentia in publicum proferrent ea quæ ad sacrificia solennia spectabant, vtque omnia legitime distribuerentur secundum pondus: ita nihil erat inter eos privati

præ-

Digitized by Google

præterquam domus & horti. Tributa & subsidia erant in manibus sacerdotum, qui cuique dabant pro necessitatis exigentia, ipsi vero duplum percipiebant, consentientibus cæteris. Habitus vestituſque eorum purus erat & nitidus, quod lanæ apud eos multo molliores essent quam nostrates. Tam viri inter eos quam fœminæ gestabant aurum, ferentes collo torques & monilia, armillas brachiis, digitis annulos, auriculis gemmas more Persarum, vtentes calceis versicoloribus. Defensio regionis erat penes tertium genus, nempe bellatores. Sacerdotes vitam vivebant deliciis affluentem, castitatis tamen studio clari. Vestes eorum erant stolæ longæ, candidæ, è lino purissimo, quidam etiam gestabant togas è molliori lana. Capitibus imponebant mitras, aurificum industria factas exornataſque, vacabantque fere serviciis divinis, recitantes ad sonum harmoniacum hymnos in laudes deorum suorum. Ajebant autem omnes se genus ab ipso Iove dicere, qui in eorum regionem aliquando venerit, tunc cum inter homines moraretur. Aurum, argentum cæteraque metalla regione exportare nefas erat, nec licebat Sacerdotibus egredi Templis lociſque sacris, vt si quis in loco profano deprehensus fuisset, impune à quovis interfici posset. Dona atque Anathemata Templorum magna cura custodiebant. Ipse locus, vbi Simulacrum Dei quem colebant, custodiebatur, longus erat cubitos sex, latus quatuor, magnifico & admirabili structus opere. Omnis autem ager circa templum ad ducentesimum stadium, sanctus habebatur, & quicquid in eo proveniebat, servitiis divinis applicabatur.

26 At Iudæi (sive Hebræi, vtamur enim sane his nominibus promiscue (qui olim Iudæam, Samariam & Galilæam possederunt, cum aliis vicinis regionibus, leges suas vivendique ritus ab ipso Deo per Mosen Prophetam acceperunt: quas ego si omnes pro dignitate persequi vellem, nimis longus futurus essem: contentus igitur præcipuas maximeque mirabiles retulisse, in cæteris Lectorem ad sacras litteras remittam & Ioſephi Historici scripta.

Voluit igitur Hebræorum Legislator, vt pueri ab incunabulis instituerentur in Lege Divina, in qua omnia salubria vitæ præcepta continerentur. Vt Blasphemus, qui Deo male dixisset, suspensus sepulturæ honore careret. Vt nihil furto aut fornicatione acquisitum offerretur in Templo. Voluit idem, vt in vnaquaque civitate essent viri septem, prudentes & Iustitiæ amantes, penes quos auctoritas esset judicandi controversias: si quæ tamen quæstio majoris momenti oborta fuisset, aut lis gravior, vt ei judicio interveniret auctoritas Summi Pontificis. In testimoniis dicendis vni soli credi noluit, sed voluit vt minimum duo essent, iique vitæ inculpatæ. Mulierem testimonium dicere prohibuit, vt & hominem conditione servum. Fructus ab arbore colligi vetuit, nisi quarto anno postquam plantata fuerat: ibi necesse erat soluere primitias decimaſque. Iussit & persolutis decimis partem fructuum collectorum impertire proximis agnatis, vt & peregrinis adveniſque: quod supererat domini erat. Viatores & peregrinos prohiberi noluit, ne alienum fundum ingressi inde decerperent aliquid pro præsenti necessitate. Meretricem & quæ corpore quæstum fecerat, à quoquam in vxorem duci vetuit, neque sponsam alienam. Si quis ignarus depudicatam pro virgine duxisset, lapidibus obruebatur mulier aut exurebatur. Si quis desponsatam alij secum haberet, consentiente vtroque in scelus, vtrumque mori oportebat: si vero puella vi compressa fuisset, violator solus subibat supplicium.

Si quis mortuus fuisset, nullis ex vxore relictis liberis, oportebat fratrem defuncti vxorem ducere viduam, ne intermoreretur genus, quod si frater id facere nollet, necesse erat eum justas in medium afferre rationes coram judicibus, qui si eas probassent, licebat homini ad alias transire nuptias. Defunctos vltra trigesimum diem lugeri noluit. Filius qui patri aut matri maledixisset, aut injuriam intulisset, extra civitatem ductus suspendio necabatur. Hostes in bello interfectos terra obrui oportebat. Creditori non licebat vltra diem vnum retinere pignus pauperis debitoris. Si debitor satisfacere pro credito non posset, cogebatur servire creditori tantisper, donec illi satisfactum fuisset. Si quis servum Israëlitam emisset, oportebat eum manumittere publice. Qui alienum jumentum errans offendisset, aut aliquid de grege, tenebatur id ad gregem reducere, aut domi asservare, donec is veniret ad quem pertinebat. Si quis conuictus fuisset, præparasse alii venenum, cogebatur ipse sumere. Qui alij oculum aut dentem excusserat, talionis jure idem patiebatur. Taurus quisquam ejus vesci carnibus. Filius pro patris delicto neque in corpore neque in ære luebat, nec pater pro filio.

Constituit idem Legislator, vt si extraneus aliquis populus Hebræis sua rapuisset bona, primum omnium fecialis res repetitum mitteretur: qui si nil æqui obtinuisset, ibi tunc denunciaretur raptoribus bellum. Si exercitus ducendus esset in hostem, aut obsidenda civitas, nefas erat lædere arborem fructiferam. Qui Magistratui rebelles extitissent: supplicium capitis adibant, vt & hostes qui pertinacius repugnassent: qui vero spontaneam deditionem fecissent, tributarii fiebant. Mulieribus tractare arma, quibus viri in bello vsuri erant, fas non erat. A sanguinis esu, cujuscumque animalis abstinere Hebræos oportebat. Leprosi & Gonorrhoici extra muros civitatis habitabant. Mulieres menstratas à publico abstinere oportebat. qui cadaver humanum attigissent, per VII. dies funesti habebantur. Mulier quæ masculum pepererat, ante quadragesimum à partu diem in Templum non admittebatur, nec ea quæ puellam enixa fuerat, ante octogesimum. Si quis adulterii nomine suspectam habebat vxorem, adducebat eam ad Templum, vbi parabat Sacerdos potum Zelotypiæ è farina hordeacea, quem mulieri juratæ prius se castam esse, potandum exhibebat: quæ si peieraſſet, movebatur femur è coxendice, & invadebat putredo ventrem ejus,

vnde

Digitized by Google

vnde miseris modis extinguebatur. Si casta fuisset, nihil mali patiebatur.

Adulteros, incestuosos, prædicones sine dubio mors manebat. Sacerdos qui non omnibus membris vteretur integris, ad servitium Altaris non admittebatur, ali tamen eum oportebat ex iis quæ Templo offerebantur. Omnis ager, quem Hebræi possidebant, septimo anno quiescebat, immunis ab aratione & messe: in eo anno quicquid sponte proveniebat in agro & vineis, nullius erat proprium sed commune. Quinquagesimus quisque annus Iubilæus erat, quo fundi agrique venditi redibant ad venditorem eiusque hæredes: sed & Creditores moratoriam prorogationem indulgebant debitoribus, aut partem debiti remittebant. Tunc & servi accipiebant libertatem, & erat velut publica lætitia ac quasi quædam Saturnalia, si ita dicere licet.

Fuerunt autem præ cæteris gentibus Israëlitæ dediti religionibus & ceremoniis, habueruntque ab initio duo sacrificiorum genera, majus & minus. Majus vocabatur Holocaustum, quale fere ditiores offerebant, vbi animal immolandum vnius erat anni. Ibi Sacerdos adspergebat aram sanguine victimæ, eamque dissecabat in partes, deinde imponebat igni atque comburebat. Tenuiorum victimæ, quas sacrificabant, erant vltra annum, quorum sanguine cum imbutum fuisset Altare, coniiciebantur in ignem renes cum pinguedine & interaneis: coxa dextra debebatur sacerdoti: quicquid supererat, consumebatur proximo biduo ab iis, qui sacrificium obtulerant. Pauperiores offerebant par columbarum aut turturum: è quibus vna sacrificabatur, altera cedebat victimario. Qui delictum per imprudentiam admiserat, offerebat ovem vel hircum amiculum: qui autem occulti criminis sibi conscius erat, sacrificabat arietem. Omnes autem Sacerdotes in Templo sacris operantes, victitabant carnibus victimarum, quæ sine fine mactabantur. Vtebantur autem in sacrificiis hoc discrimine: qui sacrificabat agnũ adjungebat certam quandam mensuram farinæ: qui arietem, duas: qui taurum, tres: inspergebant etiam quibusdam oblationibus oleum. Erat autem solenne statumque, singulis diebus duos immolare agnos, vnum mane alterum vesperi: die vero Sabbathi geminabatur id sacrificium. Kalendis vniuscujusq; mensis sacrificabant boves duos, agnos septem, & arietem vnum cum hirco vno expiatorio pro criminibus. Præterea adsistebant ad aram duos hircos, quorum vnus dimittebatur è Templo, pro peccatis populi, alter deductus in suburbana immolabatur & comburebatur. Mense Martio, quo ipsi auspicabãtur annum, Luna in pleno lumine existente, & Sole signum arietis ingresso, sacrificabant agnum Paschalem, quod eo anni tempore maiores eorum Ægypto exiviſſent. Observabant & eodem tempore certos dies, quos Azymos vocabant, quod per eos vescerentur pane non fermentato, sacrificantes singulis illis diebus binos tauros, arietem vnum, agniculos septem, & hircum vnum. Habebant & certa sacrificia cum primitias fructuum, & primitias frumenti ex novalibus cum aliquanto olei in templum afferebant, immolantes tunc agnum in Holocaustum. Etsi autem multa alia hujus generis sunt, quia tamen præcipua diximus, cætera ex Mosis scriptis petantur.

Cæterum de ipsis Iudæis inter Scriptores Sacros & Profanos non satis convenit. Cornelius enim Tacitus, vbi migrationis Hebræorum ex Ægypto mentionem facit, ait, invasisse circa ea tempora genus quoddam scabiei Ægyptios, valde molestum: vt Bochoris rex coactus fuerit, Iovis Hammonis Oraculum consulere, quod responderit, purgandum regnum esse, eiiciendosque Iudæos, qui Diis infesti essent: eos igitur debere quærere aliud domicilium. Id quidem factum fuisse, cumque incredibilis multitudo ejusmodi scabiosorum hominum convenisset, quendam inter eos Moysen nomine cæteris persuasisse, vti se sequerentur, & sic eos ingressos viam, quam primam dij ostendissent. Cum autem vehementi excruciati siti, parum abessent quin perirent, conspicatos armentum onagrorum, qui redeuntes à pastione, rupem petierint, densissima coopertam sylva, ibique repertam bibisse aquam. Deinde suscepisse à *Moyse* ritus & ceremonias, aliorum mortalium consuetudinibus plane contrarias. His subjunxit nugator, eos in loco Templi sacratissimo effigiem asini collocasse, quod ejus animalis ductu non solum sitim restinxissent, sed & ejus secuti ductum in ea perveniſſent loca, vbi postmodum sedes fixerunt. Arietem vero mactasse in contumeliam Iovis Hammonis, & bovem in contemptum Ægyptiorum, qui soliti sint Bovem Apim velut Deum colere. A carnibus autem suillis ait eos abstinere, quod à scabie sibi metuant, & lepra, cui animal istud obnoxium est. Sed nos ab his hominis profani nugis & portentosis mendaciis, ad verioranos convertamus.

Erant inter Iudæos Sectæ tres, quas qui sequebantur, multum inter se differebant & genere vitæ & institutis disciplinisque. Pharisæi enim, qui primi erant, gravem & severam vivendi sequebantur rationem, Leges *Mo*sis suo quodam modo & arbitrio interpretantes. In frontibus sinistrisque lacertis gestabant chartulas, quibus inscripta erat Lex à Deo per *Mo*sen tradita, quas chartas appellabant Phylacteria. In tunicis suis habebant latas fimbrias affixis spinis, quarum puncturis subinde admonerentur de observanda lege. Tribuebant autem omnes res Deo & Fato, quod consistere ajebant, in motu corporum cælestium, quanquam interim non negarent, accedere inclinationem & deliberationem hominis ad vel eligendum vel reprobandum justa. Nemo eorum à præceptorum majorumque suorum opinione vel latum vnguem discedebat. *A*jebant extremum fore sub finem mundi & vniversale judicium, nam & animas immortales esse, quæ si piæ fuissent justitiæque ac virtutis studiosæ, transirent in alia corpora vsque ad diem resurrectionis, injustorum vero & flagitiosorum animas æternis damnari carceribus.

Sad-

Digitized by Google

Sadducæi (nam hi secundi erant) Fatum negabant, dicentes, Deum quidem res omnes nosse, in hominis tamen arbitrio esse, vt bene vel male faciat. De mortuis ita censebant, eos post hanc vitam neque vllis affici gaudiis neque torqueri doloribus. Resurrectionem mortuorum fore negabant, dicentes animas interire cum corporibus: sed nec credebant vllos esse Angelos aut Spiritus. Inter Scripta Sacra solos Libros Mosis recipiebant, repudiatis cæteris. Severam agebant vitam, ne ipsi quidem inter se multum conversantes. Essenii in commune vivebant instar Monachorum, abstinentes à matrimonio & omni fœminarum commercio: non quod ab iis adeo ab horrerent, aut vellent extinctum genus humanum, sed quod detestarentur leuitatem fœminei sexus, quarum vix centesimam putabant seruare fidem marito debitam. Nihil apud ipsos erat privati, communia omnia. Vnguentis balneisque vti indecorum putabant: contra honestissimum existimantes, sui ipsius non magnam habere curam, sed operam dare, vt alba sint vestimenta. De vlla re ante Solis ortum loqui profanum putabant, sed tantum precabantur Deum: Sole autem orto, quisque manum applicabat operi alicui per horas quinque: tunc lavabat corpus, & capiebat prandium magno cum silentio. Iurare nefas putabant, nihilque distare inter Iuramentum & perjurium. Neminem recipiebant in sodalitium suum, nisi prius eum exploràssent per annum integrum: quem si recepissent, adhuc per biennium scrutabantur illius ingenium & mores. Si quid in eo vicioſi deprehendissent, eiiciebant eum è societate, vel si secum retinebant, hac pœna afficiebant, vt per omnem vitam non nisi herbis vesceretur. Cum decem Essenì convenissent, nullus inter eos audebat loqui, nisi consentientibus cæteris novem. Præsentibus aliis nemo expuebat, neque salivam in dextrum latus deiiciebat. Sabbathum tam stricte observabant, vt eo die ne ad necessaria quidem naturæ requisita irent. Dejecturi aluum, secum ferebant instrumentum, quo terram effodiebant, vt excrementa occultare possent, id vnice studentes ne quid turpe obtutui Solaris luminis exponeretur. Vivebant autem plerique longo tempore, quod laborioso generi vitæ & simplicitati victus tribuendum videtur, cum potissimum palmarum fructibus vescerentur. Auri Argentique signati vsum respuebant: eos felicissime mori arbitrantes, qui pro justitia morerentur. Dicebant insuper, quanquam animæ à principio creatæ essent, & suo tempore vnaquæque suum nanciscatur corpus: eas tamen, quæ exirent è corporibus bonitatis & innocentiæ studioſis, transire Oceanum, victuras in certo quodam loco, vbi perfruerentur omnibus deliciis: contra eas, quæ facinoroſum corpus inhabitassent, deserto illo hospitio proficisci in loca inhabitata ob ingentem vim frigoris. Quidam inter eos comperti sunt futura prædixisse: quidam etiam vxores duxerunt, quibuscum tamen rarissime consueuerunt, dicentes id eo duntaxat fine facere, vt cæteros homines exemplo moverent ad capessendum matrimonium, ne sinerent intempestiva abstinentia totum interire genus humanum.

CAPPADOCUM ingenium tale erat, vt non possent vivere sine rege: fuerunt autem ab omni tempore malitiæ nomine infames. Putantur etiam in hac provincia Amazones regnum suum habuisse, juxta Thermodontem fluvium. Doris, Ionia, & Acolia multos habuerunt viros doctos, qui optime scripserunt in lingua Græca: Phryges primi putantur invenisse auguria, tibias & instrumentum trium Chordarum. Telmessa Lyciæ vrbs clara fuit ob auguria & interpretationes somniorum. Cilices ob latrocinia male audiverunt. Phœnices creduntur invenisse litteras & artem navigandi, istud quidem constat, frequentissima exercuisse eos cum exteris gentibus commercia. Idumæi veteres barbari habiti fuerunt, mobiles, seditioſi & novarum rerum amatores.

Mores Asiaticorum nostri temporis.

Anatoliæ longe maxima pars habitatur ab hominibus vilibus & abjectæ conditionis. Turcæ nativi, qui hic passim vivunt, sunt simpliciores, magisque id quod dicuntur, id est germani Turcæ, quam illi, qui deserto Christianismo Turcæ facti sunt, neque adeo ac hi feri & crudeles. Nulla hic est nobilitas generis, sed omnes æquales sunt, habenturque pro mancipiis Turcarum. Rustici hic fere ocioſi sunt & ignavi, vt qui non multum studij impendant in laborandum agrum, inprimis qui cum aliqua re sunt, & nisi serui colerent rus, quicquid est terrarum in dumos & tesqua abiret. Cappadocia quidem habitatur à Græcis, Turcis, Iudæis, Arabibus & Armeniis. Cilicia admodum infrequenter habitatur, & qui eam incolunt, neque piscationi neque navigationi operam dant, sed nec agriculturæ, quanquam solum sit non malum, vt quod multis rivis humectatur. Sunt apud Idumæos quidam Ægyptij ex vrbe Cayro, qui vtuntur columbis, quarum opera res, quæ illic geruntur, Cayrum vsque enunciare possunt. Harum enim alis suballigantur litteræ, quæ cum avolant, non conquiescunt, donec ad Columbarium arcis delatæ inueniant socias, intercedit autem VI. dierum iter invium plane & desertum. 27

Palæstinam nostro tempore inhabitant divorsissimæ Nationes: Turcæ, Iudæi, Arabes, Græci, Syri, Armenii, Georgiani, Nubii, Indi Ægyptiique. Galilæam potissimum incolunt Arabes, homines staturæ brevis, gestantes togam vsque ad suras talosve demissam, è pilis caprarum textam, ex albo & nigro variegatam. Huic iniiciunt pallium non brevius, cum manicis longis & capacibus, tecti caput pileo nigro acuminato. In bello vtuntur arcubus & sagittis, gladiis & pugionibus.

Iudæa etiam plena est peregrinis exterisque hominibus, partim qui in ea habitant, partim qui eo Religionis gratia confluunt. oportet autem vnumquemque S. Sepulchrum ingredi cupientem, soluere novem Scutatos. Peregrini qui huc veniunt, recipiuntur, quisque ab iis quorum profitetur Religionem. Latini fere divertunt apud Monachos Franciscanos, qui Monasterium habent extra vrbem in Monte Sion, Græci recipiuntur à Calohieris, qui intra Vrbem habitant juxta Templum

Digitized by Google

plum S. Sepulchri. Cæteri, puta Abyssini, Georgiani, Armenii, Nestoriani; Maronitæ & alij, quisque apud suos: vnaquæque enim Secta habet hic proprium & peculiare suum Sacellum. Solent autem Monachi Franciscani, qui maxima ex parte Itali sunt, creare Equites S. Sepulchri, & Magnus eorũ Magister dat peregrinis litteras, qui pro alijs molestias illas viæ susceperunt, quibus fidem facit peractæ peregrinationis. Circa Romam meros videas Græcos & Arabes, qui intenti sunt culturæ agrorum & inprimis vinearum. Idumæi in moribus & vivendi ratione similimi sunt Arabibus vicinis suis.

Sunt autem Arabes colore fusco, ingenioſi ac subtiles, superstitioſi, boni negociatores, vindicę, novitatis & mutationis rerum cupidi. In commune sunt latrocinijs dediti, quique multum molesti sunt viatoribus. In bello plus efficiunt solertia & vafritie quam robore & fortitudine: pugnant non servatis ordinibus, confisi potissimum numero. Hostem ab omnibus lateribus simul assiliunt, donec turbatis ordinibus rumpant aciem. Aggrediuntur autem hostem dispersi, fugiuntq; rursum incredibili celeritate. Mulierum sunt appetentissimi, ducuntque plures simul vxores, nec sinunt vllam prodire in publicum, nisi velata facie. Multi eorum sub rupibus aut Cryptis subterraneis habitant. Ingrediuntur seminudi, ferentes sinuosa pallia & caligas laxas. Arma eorum sunt, Arcus cum sagittis & longum hastile, quod mitti è manu potest. Qui per Arabiam desertam itet faciunt, ductum Solis & stellarum sequi coguntur, ob latissimos campos arena tectos, accedente alio incommodo, quod etiam numerosi sæpe ab Arabicis Latronibus invadantur, & multorũ dierum cibaria & aquam secum ferre cogantur. Petrenses vt plurimum vivunt è dactylis palmarum, qui cibus eorũ optimus est & vulgatissimus.

In littore Rubri Maris saliunt siccantque magnam copiam piscium, qui sic indurati bene ferunt ætatem. In Arabia felici multi vivunt ex re pecuaria, multi etiam, præsertim maritimi, ex negociatione.

Veri autem propriè que sic dicti Arabes sub papilionibus ac tentorijs vitam degunt: nam qui in oppidis habitant, Mauri appellantur: illorum cibus vsitatus est maza sive placenta sub candentibus carbonibus cocta: oleum ejusque usum in delicijs habent. Divitiæ eorum consistunt in Camelis, paucioribusque equis & armis: hæc sunt bona quę à patribus ad filios hæreditatis jure transeunt. Soleas ferreas equorum vngulis nequaquam inducunt, ephippijs vtentes levissimi ponderis; inque hac paupertate magnifice sentiunt de sua Nobilitate.

Qui Turcomaniam inhabitant, omnem in latrocinando laudem ponunt, trahentes originem à Tartaris sive Scythis: & hi sub tentorijs vivunt, pascentes greges armentaque sua. Qui tamen in ipsa provincia nati & velut indigenæ sunt, agrum colunt & artes exercent mechanicas: fiunt enim hic elegantia, peripetasmata, stragulæ vestes, vndulatæ è pilis camelorum, & alia non contemnenda materia vestiaria.

Georgianos ipse numerus & multitudo confidentes facit, accedente naturali robore & ferocia, qua pollent inprimis ij qui montes incolunt. Diu hæc gens armis tutata est libertatem suam adversus Turcas, vsq; ad nostra tempora; sed postremo cedere & jugum susc ipere coacta est.

Opes & divitiæ Asiaticorum.

Qui Anatoliam incolunt, potissimum rem faci- 28
unt è gossypio, cujus magna in illa parte orbis crescit abundantia: Bithyni vero ex Auripigmento, quod in varias divendunt regiones: Caria ex Magnete Lapide: Galatæ ex ære Cyprio, qui inde luculentos percipiunt redditus. Pamphyliæ incolas divites facit copia materiæ vestiariæ, inprimis Camelotti (vt ita vocemus) vndulati, quo vix pulchrior conficitur alibi. Cappadoces opulentos reddunt metallifodinæ, argenti & ferri, nec non aluminis, Crystalli, Iaspidis, Onychis & Alabastri. Cilices è pilis Camelorum, vt & captarum, qui apud eos mollissimi sunt, telas magni precij conficiunt, quæ ab extraneis mercatoribus coëmuntur. Iudææ incolis multum lucri afferunt peregrini, qui visendorum locorum sacrorum gratia eo proficiscuntur. Phœnices quoque adhuc exercent antiqua mercimonia: Arabię tamen felicis incolæ multo magis dediti sunt negotiationi, vendentes mercatoribus exteris aromata, odores, gemmas, vniones & alias Orientis opes: inprimis autem tantum habent Thuris, vt per vniversum mundum id distribuant. Mecha Emporium est celeberrimum, quo infinitæ merces veniũt ab Æthiopia, India, alijsque remotissimis regionibus. Sed & Peregrinantes Religionis gratia in eam vrbem vt & Medinam quotannis multum inferunt pecuniæ. Aden autem Emporium est frequentius & opulentius supradictis omnibus. Nam huc incredibilem mercium copiam convehunt Indi, Æthiopes & Persæ, quas hinc asportant mercatores Europæi & Asiatici, magno coemtas precio: ita enim genus hoc addictum est lucro, vt nihil ab ijs adipiscaris nisi abundanter præstita solutione.

Robur & vires harum Regionum.

In Bithynia Minoris Asiæ regione Prusia est, ho- 29
die Bursia, antiqua Imperatorum Turcicorum sedes, satis firma & munita. In Caramania est Laranda vrbs cum Arce sive Castro munitissimo, tam situs ipsius natura, quam artificio manus humanæ. Amasia vrbs Paphlagoniæ habet pariter arcem firmissimam, super editum structam collem, in qua numerosum est Turcarum præsidium. Trapezus in Cappadocia vrbs est minime contemnenda, cum loco sita sit commodissimo, adjectis firmata munimentis, postquam sub Turcarum potestatem venit. In Regione Ayaman sive Arabia Felici, sunt tres magnæ vrbes munitissimæ, quarum nomina sunt Manta, Nazuæ, Baila: præter bonum numerum firmissimarum Arcium. Est & Aden vrbs satis firma, vallo & propugnaculis, vt & Arce munita prævalida. Portus ejus clausus est sunt que ibi aliquot Turcarum millia in præsidio, quibus præ-

Digitized by Google

est Bassa. In Syria occurrit primum Arx Damascena firma & defendi apta: postquam Antiochena non contemnenda est. Alepum in Comagena maximi momenti esse putatur per se, quanquam Arx ejus in edito colle posita, vrbem etiam reddat firmiorem. Cætera minoris sunt considerationis, vt Lectori in his talibus moræ esse non velim, cum certum sit mihi, suo loco de viribus militaribus Turcarum *Monarchæ* ex professo agere.

Religiones quæ per Asiam.

50 Cum constitutum mihi sit, de Mahometana Religione vel potius superstitione sigillatim & fuse agere, vbi ad finem potentiæ Ottomannicæ pervenero: omissa ea in præsens, de cæteris sive Religionibus sive Sectis agam, quæ nostro ævo in vtraque Asia, quatenus eæ Turcicum agnoscunt dominium, reperiuntur. Et primo quidem quocumque per Asiam vniversam venias, invenies Iudæos, qui, vt per vniversum terrarum Orbem dispersi sunt, ita etiam per omnes, quarum supra mentionem fecimus, provincias Asiaticas vagantur.

De Christianis ita habet: innumeros in his vivere regnis provincijsque, multum tamen inter se diversos, cum alij obediant Ecclesiæ Romanæ, alij vero minime. Quod ad priores attinet, sciendum est, præter Mercatores Venetos, Ragusinos, Gallos & alios, qui magno numero negociantur in vrbibus, Tripoli, Damasco, Alepo, alijsque locis Asiæ Syriæque, & quibus in rebus spiritualibus serviunt Monachi Franciscani, qui Hierosolymis, & Bethlehemi habitant: præter hos, inquam, exiguus quidam est populus, qui vivit inter Armenios more Latino. Alangiacana est oppidum cum Arce; duorum dierum itinere à Tauris sive Ecbatanis vrbe, vigintique pagos sub sua habens jurisdictione, qui omnes agnoscunt Ecclesiam Romanam, licet loquantur lingua Armeniorum. Dicuntur autem hi homines ad Fidem Romanam conversi per quendam Bartholomæum Bononiensem, Dominicanum, qui factus fuit Episcopus Armeniæ anno AN. C. M. CCC. XXXVII. sub Iohanne XII. PP. Erant, vt diximus, tunc pagi viginti quinque, sed hac ætate sunt tantum XII. qui persistunt in obedientia Ecclesiæ Romanæ, de reliquis XIII. ita habet: partim secuti sunt auctoritatem Patriarchæ superioris Armeniæ, partim excisi sunt, durantibus bellis inter Turcas & Persas, suntque in XII. illis pagis, qui Pontificis auctoritatem sequuntur circiter M C C. familiæ. Curam eorum gerunt in Spiritualibus Monachi Ordinis Dominicani, sub Episcopo ejusdem familiæ, qui eligitur per Capitulum & Magistratus in Pagis illis, & confirmatur à Papa.

Fuerunt autem paulo supra hanc ætatem Ecclesiæ Latinæ in civitatibus Prusia & Trapezunte: sed defectu sacerdotum & ceremoniarum Romanarum interierunt, succedentibus vel Armenijs vel Græcis.

Veniamus nunc ad cæteros, qui & ipsi omnes Christiani dici volunt, quamvis in tres Sectas scissi sint, dicanturque Melchitæ, Nestoriani, Dioscoriani. Melchitæ nomen trahunt à voce Melech, quæ regem aut principem significat, propterea quod tam in Fide quam Concilijs secuti sint exemplum Constantinopolitanorum Imperatorum, & tales quidem sunt omnes qui amplectuntur in Asia Græcorum Religionem, sub Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, ex quibus Antiochenus non commoratur Antiochiæ sed Damasci. Eliguntur autem hi quatuor Patriarchæ per Episcopos cujusque regionis, nec cupiunt à Romano Pontifice confirmari, quanquam id aliquando fecerint, sed impetrant licentiam gerendi muneris à Præfectis Turcicis, confirmationem autem ab ipso Turcarum Monarcha, sub cujus patrocinio suam exercent jurisdictionem. Hi rursum Patriarchæ eligunt Archiepiscopos & Episcopos, ijsque cum auctoritate præsunt. Omnes autem hi Patriarchæ eorumque Episcopi sunt Monachi S. Basilij, cujus ordinis plerique sunt Conventus per totum Orientem, Celeberrimi tamen inter eos sunt, qui dicuntur S. Sabæ Hierosolymis, & S. Catharinæ in Monte Sina, & Calohieri Montis Sancti in Mari Ægæo. Amplectuntur autem hi Melchitæ etiamnum omnia illa dogmata quæ olim per ipsos Græcos damnata fuerunt in Concilio Florentino, estque horum numerus per Orientem longe maximus. His enim plena est omnis Asia Minor, & Syria, adde etiam Ægyptus, vsque ad Corrasanam & fines Regni Persici. His Melchitis etiam accensentur Georgiani, qui sub Metropolitano peculiari agnoscunt auctoritatem. Patriarchæ Constantinopolitani. Habent hi Georgium inter Sanctos Advocatum, vnde & nomen nacti sunt, quanquam permulti ex ijs facti fuerint Mahometistæ.

Secundi sunt Nestoriani, de quorum erroribus vberius dicemus in descriptione Regni Persici. Vtuntur autem Nestoriani illi varijs linguis, Chaldaica, Arabica, Turcica, & Gurdestanorum idiomate, pro varietate regionum in quibus vivunt, officium tamen divinum peragunt lingua Chaldæorum.

Tertij sunt Dioscoriani, divisi rursum in tres Sectas: in Armenios, Iacobitas, & Costas. Armenij titulo Patriarchæ non vnum aliquem, sed plures honorant è Prælatis suis, creatis partim favore Turcæ, partim electis per coadjutores Patriarcharum, consentientibus Episcopis & Populo. Vniversalis tamen Patriarchæ titulum non nisi duobus tribuunt, quorum alter præest Armeniæ superiori, alter inferiori: ille habitat in Monasterio Ecmeazino, haud procul Eruana vrbe Persidis: hic in oppido Sisio Caramaniæ, non longe ab vrbe Tarso. Non multo autem est hæc Armeniorum Secta minor quam Melchitarum: Provinciæ enim & oppida vtriusque Armeniæ, Ciciliæ, Bithyniæ, Syriæ, Mesopotamiæ, plenæ sunt his hominibus, vt & ipsa Persis. Quin & infiniti Armenij reperiuntur in omnibus vrbibus Imperij Ottomannici, vbi exercentur Mercimonia, puta Prusiæ, Angoræ, Trapezunti, Alexandriæ, Alcayri, Constantinopoli, Caphæ &c. Quod autem tanta libertate vtantur per Imperium

Digitized by Google

perium Turcicum, causa non vna est, præterquam enim quod sunt homines alti spiritus, & negociandi peritissimi, quodque majores eorum de lege Mahometana præclare meriti fuerunt, Mahometus ipse Propheta fertur eos commendasse affectibus successorum suorum: vnde tantis perfruuntur privilegijs vt liberè cum Turcis contrahere & negociari possint. Plurimi autem Armenij habitant in oppidis Ciliciæ, Sisio, Ada & Mara circa Tarsum, vt & Alepi in Syria & alibi, vbi constituunt circiter vicies mille familias, habentes Monasteria XVIII, Episcopatus vero XXIV.

Iuxta Sisium oppidum spectantur adhuc rudera veteris arcis & palatij Regum Armeniorum, cum duabus ædibus sacris vicinis, quarum vna dicitur S. Salvatoris, altera S. Sophiæ, & hæc spectat ad Patriarcham. Aliæ in ijs statuæ vel imagines non sunt, præterquam Cruces æreæ & ferreæ, quamvis multæ sint in conditorijs Sanctorum Reliquiæ. Solebat olim Patriarcha singulos *Mædinos* (monetæ genus est) exigere à singulis Armeniorum domibus: verum Turca hoc jus ei ademit, vt jam cogatur vivere è solis oblationibus & Eleemosynis. Vt autem se suosque alere possit, sæpius obit visitatque Provinciam suam, imponitque multas pecuniarias ijs qui deliquerunt. Celebrant autem Armenij Sacrum lingua vulgari Armeniaca, quanquam vulgo aliter loqui sciant, inprimis Constantinopoli, vbi adeo adsueverunt linguæ Turcicæ, vt vix Orationem Dominicam Armeniorum lingua recitare possint. Habent autem multos errores cum Dioscorianis proprie sic dictis communes, peculiares autem eorum ritus hi sunt: Vinum in Eucharistia aqua non miscent: ovis & lacte vescuntur vespera sancti Sabbathi, comeduntque carnes omnibus diebus Veneris à Paschate vsque ad Ascensionem: Festum annunciationis B. Virginis celebrant a.d. VI. Aprilis, Nativitatis Dominicæ a.d. VI. Ianuarij: Purificationis a.d. XIV. Februarij: Transfigurationis XIV. Augusti. Aiunt insuper, Christum Dominum exemptum fuisse passionibus & necessitatibus humanæ Naturæ. Abstinent certo quodam anni tempore non solum ab esu carnium, sed & ab emptione & mactatione, dicentes se hoc ideo facere, quod prisci Idololatræ eo tempore liberos suos sacrificaverint Idolis. In Sacrificijs pro defunctis consecrant agnum, & postquam eum superplicatam Sacerdotis stolam imposuerunt porrigunt ei salem benedictum ad comedendum, & cum eum circa ædem sacram duxerunt, mactant comeduntque. His ceremonijs quidam moti, vocant eos Sabbatinos & Iulianistas, vt qui nimis dediti sint superstitionibus Iudæorum, & imitentur in multis Iulianum Apostatam. Et hæc talia facientes, putant tamen se conformes esse Ecclesiæ Romanæ, quod soli inter omnes Orientis Sectarios in Eucharistia vtantur pane non fermentato, quod autem aquam pani non admiscent, ita excusant, vt dicant, ne priscam quidem Ecclesiam Romanam id fecisse. Signum crucis duobus faciunt digitis, non vno vt Iacobitæ solent, facto initio à latere dextro in sinistrum, cum Iacobitæ contrarium faciant. Postremo recordantur adhuc primæ vnionis cum Ecclesia Romana, tempore Sylvestri Pontificis & Constantini Imperatoris.

Porro de Iacobitis ita tenendum est. Dioscorus & Euthyches, nolentes subscribere decretis Concilij Chalcedonensis, habuerunt assecias suos, qui, vt ait Leontinus, divisерunt se in XII. sectas, inter quas etiam fuit Iacobitarum, adepta nomen à Iacobo quodam Syro, qui vixit tempore Pelagij II. & Mauritij Imperatoris. Comprehenditur sub his bona pars Chaldæorum, qui passim habitant per vrbes & agros Mesopotamiæ, Babyloniæ & Syriæ, maximo numero, vsque ad CLX. mille familias, quarum præcipuæ sunt Alepi, Caramiti, Turij in montanis Mesopotamiæ. Habuerunt hi olim duos Patriarchas, quorum unus habitabat in dicto Monte Turio, alter in Monasterio Gifranensi, juxta oppidum Mordinium, vbi Mons est tam altus, vt Turcæ negent, eos qui in ejus summitate habitant, vnquam vidisse aves super eorum volantes capita. Nostro tamen ævo Iacobitę non nisi vnum habent Patriarcham nempe Gifranensem, qui majoris commoditatis ergo Caramiti habitat. Habet hic Pariarcha sub se Metropolitanum, qui est Hierosolymis, nec non alium qui Musali vivit, & Archiepiscopos hos: Damascenum, Orpheanum, Surienſem, Caramitanum & Cyperium, cum multis Episcopis per supradictas provincias, & Monasterijs Monachorum Ordinis sancti Antonij. Peragunt autem Iacobitæ Sacrum suum lingua Chaldæorum, loquentes ipsi pariter Turcice, Arabice & Armenice. Habent autem præter errores cum Armenijs communes, hos singulares. In faciendo signo Crucis peculiari vtuntur ratione, discedunt que in eo consuetudine omnium Christianorum orientalium, quod lacticinijs & carne vescuntur omnibus diebus Mercurij & veneris, vesperi cum Sol occidit, dicentes cum die simul terminum abstinentiæ expiravisse, & jam diem Iovis atque Sabbati incepisse.

Hac vsi vafritie comedunt carnes omnibus diebus anni, excepto duntaxat Carnisprivio quadragesimali. Conjungunt autem se Iacobitis istis multi Arabes qui vna cum ijs in ijsdem habitant oppidis pagisque, & hi Arabum lingua dicuntur *Xemsinir*, id est, Solares, quod inter alias superstitiones etiam Solem adorare consueverint.

Maronitas plerique pro abortu Iacobitarum habent: vtrique enim antiquis temporibus subiecti erant Patriarchæ Antiocheno, qui Patriarchatus hodie est in manibus Melchitarum, translatus Antiochia Damascum. Sed & vtrique vtuntur lingua Chaldaica, ijsdemque scribunt Characteribus Syriacis. Quod ad vnitatem voluntatis & operationis Iesv Christi, eundem errabant errorem. Vtrique sibi vendicabant Patriarchatum Antiochenum, vt Iacobitarum quidem omisso nomine proprio Ignatij vocari vellent, Maronitæ autem Petri, vtrique se Patriarchas Antiochenos nominantes. Nomen Maronitarum vnde adepti sint, variæ sunt opiniones, qui-

Digitized by Google

dam enim putant à Marone, qui pagus est ad radicem Montis Libani : alij ab Abbathia Maronensi : alij denique à Marone quodam Hæresiarcha.

Est autem Secta hæc minima inter omnes Christianorum sectas, quæ per orientem reperiuntur, cum vltra duodecim millia familiarum non complectatur, quæ tamen maxima ex parte pauperes sunt. Habitant autem passim per pagos montis Libani, & in minoribus oppidis Syriæ. Melius tamen affecta est erga Romanam Ecclesiam cæteris omnibus, cujus rei documenta dederunt Maronitæ intra trecentos annos proximos, cum & Petrus Patriarcha Maronitarum Legatos suos miserit ad Concilium Lateranense anno M. D. XV. Misit ad hos Gregorius Pont. Max. duos Iesuitas, qui cum convocassent Synodum, cui Patriarcha & Episcopi interfuerunt, induxerunt eos ad totalem Fidei Catholicæ professionem: vt libros plenos errorum excusserint, & Monachos hinc inde dispersos in duo Monasteria compegerint, in quibus pueri instituerentur in doctrina Christiana.

Est autem Patriarcha Maronitarum Ordinis S. Antonij, eligiturque per Episcopos & Monachos, deinde confirmatur à Papa, habitatque apud Tripolin Syriæ. Sunt autem quidam Monachorum Antonianorum Conventus, & quidam pauci numero Episcopi, qui nullam certam habent sedem, & hi quidem dicuntur coadjutores Patriarchæ. Invocant autem inter cæteros Sanctos Maronem, pernegantes eum fuisse Hæreticum, sed asserentes virum pium fuisse & Abbatem sanctæ inculpatæque vitæ.

Inveniuntur inter hos Maronitas quidam, qui Albi vocantur; hi quanquam baptizati non sunt, Christianos se tamen profitentur, percipiuntque Sacramenta, sed in secreto: exterius autem vivunt more Mahometistarum.

Gurdes sive Gordij partim Iacobitæ sunt partim Nestoriani, adjungentes ad multos, quibus implicati sunt, errores, extremam rerum Divinarum ignorantiam: quamvis & inter eos sint plurimi Mahometani.

DE POTENTIA OTTOMANNICA PER AFRICAM.

31 REGNA: ALGERIANVM, TVNETANUM, Tremisenum.

ARGVMENTVM.

Absoluta descriptione earum provinciarum regionumq; quas Magnus Turca per Europam Asiamq; possidet, fit transitus in Africam, & expediuntur ea loca, quæ Turcicum agnoscunt dominium, facto initio à Mauritania, & regno Tremiseno in ea, cujus ostenduntur limites, amplitudo, longitudo, latitudo, & provinciæ in ea comprehensæ. Post descriptionem regni & vrbis Algiræ sive Algeriæ, agitur de regno Tunetano, quod dividitur in quinq; provincias: harum amplitudo, situs & præcipua oppida. Carthago vetus in hac parte Africæ fuit, olim æmula Romæ. Hinc pergit auctor ad naturam & fertilitatem harum regionum, deinde ad ingenium & mores incolarum, aitq; Mauritaniam abundare frumento, oleo, dactylis palmarum, fructibus arboreis omnis generis, armentis boum & gregibus ovium caprarumq;, nec non frequentibus Hippocomijs. Mores & consuetudines Maurorum veteres & novi. Mulieres apud eos olim communes: sed nostro ævo vtuntur moribus Turcarum, quibus parent. Afri Maurive ab omni ævo existimati versipelles, perfidi & infideles. Duæ apud eos potissimum Religiones: Christianismus & Mahometismus. De illo hoc loco, de hoc in sequentibus agitur.

[De rebus Africanis scripsere præter Geographos & Cosmographos omnes, vt & historicos generales, sæpiculè allegatos, Drechslerus, Silius Italicus, Livius, Orosius, Tzetzes, Ludovicus Patricius, Iohannes Bohemus, Leo Africanus &c.]

MAVRITANIA duplex est, Tingitana & Cæsariensis. In illa comprehenduntur Regna Fessanum & Marrocanum, quæ ad hanc præsentem materiam nihil pertinent, cum Turcam dominum

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1891

Digitized by Google

mihum non agnoscant. De Cæsarienſi igitur dicendum, quæ hodie ferme Regno Tremiſeno ſive Teleuſino comprehenditur. Habet igitur hoc regnum ab occidente Mauritaniam Tingitanam ſecundum Mulviam fluvium : ab oriente Ampſagam : à Meridie Numidas & Getulos : à Septentrione Mare *Mediterraneum*, qua Sardiniæ Inſulæ obijcitur. Prope accedit Iohannes Leo Africanus ad Ptolemæum in deſcriptione Africæ & inprimis regni Teleuſinij, cum ait, id finiri in latere occidentali Za fluvio & *Mulvia*; ab oriente limitis loco habere magnum fluvium, quem accolæ Magradam appellent, antiquis etiam cognitum ſub nomine Bugradis: à Meridie terminari deſertis Numidiæ : & ab Aquilone Mari Mediterraneo. Fuit huic regno Romanorum tempore nomen Mauritaniæ Cæſarienſi. Longitudo ejus ab ortu in Occaſum eſt CCCLXXX. milliarium. Latitudo arcta, & ad milliaria XXV. redacta, videlicet à Mari Mediterraneo vſque ad deſerta Numidiæ; vnde perpetuis Afrorum incurſionibus vexatur, qui deſerta illa montium incolunt. Et hæc fuit cauſa, quod Reges Tremiſeni omni tempore & modo ambiverunt amicitiam Numidarum, quanquam his nunquam potuerint ſatisfacere.

Complectebatur autem regnum Tremiſenum olim quatuor provincias, ab vrbibus capitalibus denominatas, nempe Tremiſenum, Tunetanum, Bugienſe, Algiranum : hodie multo anguſtioribus coërcetur limitibus. Ipſa Tremiſena Vrbs aliquando tam ampla fuit, vt XVI. vel XVII. millia domuum complexa fuerit, ſed exhauſta continuis bellis multum diminuta anguſtiorque facta eſt. Primo enim à Ioſepho Rege Fezzano per totum ſeptennium obſeſſa fuit. deinde multum eam afflixerunt bella Caroli V. Cæſaris, qui eam ſub ſuum ſuſcepit patrocinium, tertio à Turcis obſeſſa captaque eſt : poſtremo non leve detrimentum cepit bellis graviſſimis inter Seriffum & Turcam, vt multum diſtet à veteri potentia.

Algeria ſive *Algira* (Afris Geſeir appellata hodie, olim Mesgana à conditoris familiâ) vrbs olim ſub rege Tremiſeno fuit : cum autem nimijs opprimeretur oneribus & exactionibus, defecit ab eo ad Regem Bugienſem. Hoc iterum deſerto, Ferdinandum Hiſpaniæ regem admiſit. Denique capta à Barbaroſſa anno MD. XV. Imperio Ottomannico adjecta eſt. Crevit autem hæc vrbs celebritate & divitijs ſupra modum, quod ſit receptaculum Piratarum, qui innumera ſpolia & theſauros in eam invehunt, vt ita facta ſit ſedes Baſſæ ſive proregis Turcici. Situs ejus eſt velut pendens à vicinis montibus, habetque tria millia in peridromo, continens intra ſe circiter LXXX. millia hominum. Hodie Turcarum opera ita præſidijs firmata eſt, vt humana ope vix expugnari poſſe videatur. Præſtat ei parva Inſula objecta portum, quamvis non magnum & Aquilonibus expoſitum. Extenditur autem Regnum Algiranum Tercotum vſque, quod eſt oppidum IV. mille domos habens, & Gargalum, quod complectitur familias ſexies mille.

Regnum Tunetanum continet totam Africam minorem & magnam partem Numidiæ, à Magno fluvio vſque ad fluvium regionis quæ *Miſrata* dicitur. Dividitur hoc regnum à quibuſdam in partes quinque : *Bugienſem, Conſtantinenſem, Tunetanam, Tripolitanam & Ez Zabenſem*. Provincia *Bugienſis* incipit à fluvio Magno, extenditurque ad montes Conſtantinenſes, juxta *Mare* Mediterraneum, & hoc quidem ſpacium complectitur circiter C L. mill. paſſ. latitudo autem vix XL. millia. Oppida habet parva, ſed populo frequentiſſima, quale eſt Necaus in finibus Numidiæ, & Cholo juxta *Mare*. Præcipua autem vrbs eſt *Bugia*, quæ nomen ſuum impertit toti provinciæ, antiqua, ampla & copioſa, extructa haud dubie à Romanis, ſupra montem Mari imminentem. Sunt qui putent eſſe Ptolemæi Tabuacam, alij aliam fuiſſe autumant; Verum Caſtaldus, cui ſaniores plerique accedunt, Igilgilin eſſe putat, perſuaſus ſimilitudine ſitus. Habuit hæc vrbs olim elegantiſſima Templa & Collegia, nec non diverſoria magnifica, Domus Hoſpitales & Monaſteria Afrorum more ſumptuoſa. Verum Petrus Navarrenus eam expugnavit ſpoliavitque anno ANC. MDVIII. à quo tempore omni penitus ornatu & ſplendore caruit.

Conſtantina Provincia ſita eſt intra montem Conſtantinum ſupra fines regionis Bugienſis & territorium Tunetanum, juxta fluvium Guadilbarbar. Caput ejus eſt *Conſtantina* vrbs, quam *Marmelius* ſumit pro Calcua Ptolemæi, collocatque eam in Nova Numidia. Paulus tamen Iovius, Oliverius & Commentator *Melæ* cum alijs, magis credunt eſſe Cirtam, Regiam *Maſiniſſæ*, quam Ptolemæus vocat. Iuliam: vrbs eſt locuples, amæna : muris altiſſimis cincta, etſi antiquis, præter quos etiam altis rupibus inacceſſa efficitur. Numerantur noſtro tempore in ea VIII. familiarum millia; domibus ornata eſt elegantibus, ſpectanturque extra mœnia ejus, multa antiqua ædificia, pulchra tamen, interque ea Arcus Triumphalis ſimilis illis, qui Romæ viſuntur. In eodem tractu C. pene mill. à *Mari Mediterraneo* eſt Bona ſive Hippona, à Romanis condita, cujus Eccleſiæ olim D. Auguſtinus præfuit.

Provincia *Tunetenſis* ſita eſt inter fluvium Guadilbarbar, & Stagnum Hipponitis, vbi eſt longitudo Provinciæ Conſtantinenſis, nec non Capetem fluvium, qui facit lacus quoſdam, qui olim paludes fuerunt Tritonidis.

Claritatem toti Regioni dat *Tunetum* vrbs, totius regni caput; Ptolemæo nominatur Themiſa. Initio parvum oppidulum fuit, ſed poſtea crevit ex ruinis Carthaginis, & ad id conſcendit faſtigium, vt hodie prima ditiſſimaque omnium vrbium illius partis Africæ habeatur. Ampla eſt & ſpacioſa, plateas habens directas, ædificia humilia, vt vallo ſive aggere tegi poſſint. Numerantur in ea familiarum X. millia, circuitus putatur millium V.

Cum Turcæ Gulettam Arcem ceperunt, ſimul etiam vrbem hanc occupaverunt, ejectis profligatiſque Hiſpanis : deinde tributarios ſibi fecerunt *Mauros* loci nativos dominos, eorumque regem, neque tamen eos penitus, ſibi ſubij-

Digitized by Google

cere potuerunt, vt cætera quieti possidere non possint, præter loca maritima: si enim tributa cogere volunt ab ijs qui procul absunt, oportet eos cum exercitu progredi in interiora regionis. Est in ea vrbe Prorex Turcicus, cum quatuor millibus Ianitsarorum, quibus numerantur stipendia, vt præsidio sint regioni; in horum manibus est omnis auctoritas, Cara Osmanno hic tanta cum potestate Gubernatorem agente, vt non Magistratus tantum cæteri, sed & ipse Purpuratus, leges ab eo accipiant.

Divanum sive Senatus habetur in domo Agæ sive Ducis Ianitsarorum, in loco cooperto sub vmbone: ordo considendi refert figuram Scuti. Princeps Piratarum nostri temporis in hac Africæ ora vocatur Morat Raia, annosus Latro, famosissimus sui seculi, vt qui Piraticam per LX. annos exercuerit tanta prosperitate, vt videatur mare & ventos in sua potestate habere, possitque vere gloriari, nullum Christianum Principem classem in mari habere, cui non aliquot triremes interceperit, cum ipsius navis contra à nulla Christianarum triremium vnco comprehendi potuerit. Agebat autem, cum hæc scriberentur, octogesimum annum, homo statura brevi, papulis faciem deformantibus, cruda tamen vtens viridique senecta; habebat autem duas triremes proprias optime armatas instructasque præstantissimis remigibus & militibus, vt meliores in tota Africa reperiri non potuerint, incredibilis insuper celeritatis, sive fugiendus esset hostis sive insequendus. Ad fretum Stogni illud, quod Tonetum ducit, sita fuit Golletta Arx munitissima, capta à Carolo V. Imperatore, tunc etiam Tunetum cepit, quæ tamen aliquot annis post, cum conversa fortuna Turcæ vtrumque recepissent, ab Vchiali Bassa destructa est.

Omnium Africæ Civitatum olim antiquissima fuit & potentissima *Carthago*, condita à Phœnicibus, LXII. annis, vt creditur, ante Romam ædificata. Vrbis totius ambitus fuit XXII. millia eamque totam fere Mare cinxit. Ausa hæc fuit olim cum Roma vrbe de Imperio orbis collatis viribus pugnare, vt cujus Imperium non per Africam tantum, sed & in Europa per Hispaniam, Siciliam, postremo Italiam longe lateque patuerit. Tandem à Scipione capta totos dies VII. arsit. Restituta est à C. Cesare, qui & Coloniam eo traduxit: Structa fuit in Peninsula, super tres colles, inter quas latissimæ valles intercedebant: collis qui altior est reliquis, alluiturque mari, facit promontorium, quod ab vrbe denominatur, aspicitque Caput sive Promontorium in cæciam ventum vergens, quod Bonum appellatur: alter habet munimentum Gollettæ ad occasum, in cujus summitate visuntur adhuc rudera & maceriæ veteris Arcis Byrsæ. Tertio subest larga planicies, in quam despicit, consita omne genus fructiferis arboribus, inprimis olivetis, quæ extenditur vltra sex millia passuum in longitudinem, per quam transversim structus fuit Aquæductus arcuatus, quo ex montibus solebat aqua in vrbem derivari, & hic aquæ ductus prope solus restat ex omnibus antiquæ Majestatis monumentis. Arcem habuit Byrsam, media, vt diximus vrbe sitam, extructam à Didone, cujus spacium creditur fuisse duorum millium pass. Hæc vrbs, postquam à Cæsare iustaurata fuit, postea tamen à Vandalis, Gothis & Saracenis sæpius vastata & ad eam tenuitatem reducta fuit, vt ne vigesima quidem ejus pars hodie habitari queat. Dicuntur adhuc ibi inveniri XXV. tabernæ institoriæ, & circiter quingentæ domus, humiles tamen & malæ ædificatæ.

Biserta & ipsa vrbs est perantiqua, in littore Maris *Mediterranei*, juxta fluvium quendam, qui cum olim exiguus fuisset, paulatim nostro ævo major ampliorque fit. Est apud hanc vrbem Portus Marinus capax vel maximarum navium, quæ hic securæ appellere possunt. Ajunt nonnulli, hanc ipsam esse Vticam, quæ olim proximum locum à Carthagine inter vrbes tenuit, & claræfacta est morte Catonis Vticensis. Accensetur etiam huic regioni ampliſſima vrbs Cairoana, sita in planitie deserta & arenosa, celebris ob studium Iurisprudentiæ, secundum leges & superstitiones Arabum, quæ hic peraccurate observantur.

Tripolitana Regio incipit à fluvio & Sinu Capensi, extenditurque vsque ad Mesratæam regionem, vltra vrbem Tripolim. Ajunt nonnulli hanc provinciam aliquando longe excurrisse in septentrionem, antequam mari ea pars submersa fuit, quem Neptuni furorem metuentes accolæ se in mediterranea versus Meridiem receperint. Sunt in ea complura oppida, quorum omnium caput est Tripolis, quæ ad differentiam Syriacæ dicitur.

Tripolis Barbaria. Acquisivit sibi hæc vrbs nomen nostro tempore, sed infame ob Piratas, qui hic frequentes habent stationes, & latrocinijs omnia Italiæ littora infesta faciunt, cum majorum nostrorum ætate frequens esset Emporium quo non Afri tantum, sed & Veneti, Genuates & Siculi aliique appulerunt, & mercaturam exercuerunt.

Vltima provincia regni Tunetani dicitur Ezzaba, vltra Tripolitanam sita versus Orientem. Sunt in hac aliquot oppida, sed non magni momenti.

Præcipua ejus regio dicitur Mesratæa, juxta Mare Mediterraneum, prope centum millib. pass. à Tripoli, multis exculta pagis atque villis, tam in planitie quam montanis.

Natura soli hujus partis Africæ.

Considerantes in commune Naturam & ingenium terræ in regno Tunetano, dicemus eam satis esse feracem bonarum rerum, alere ingentem numerum pecudum, & abundare arboribus fructiferis, inprimis qua in Occidentem Solem vergit: nam Orientalis hujus regni plaga sterilior est asperiorque ob defectum aquarum. Iuvat autem singulas ejus partes accuratius examinare, & incipere à Provincia Bugiensi. Est hæc in multis locis amœna & jucunda aspectu, satisque ferax bonarum rerum, cum permultum gignat Tritici & omnis generis frumenti: alicubi tamen adeo iners est &

Digitized by Google

est & sterilis, vt nihil infelicius aut miserius occurrere possit. Et ager quidem circa Vrbem Bugiam, quanquam procreando farri non admodum sit idoneus, fructus tamen gignit excellentissimos.

Invenias in hac regione montes asperrimos, incredibilis altitudinis, qui continuis operti sunt sylvis, perennibus fontibus irriguis, in quibus sylvis infiniti errant greges caprarum & hircorum, & armenta boum equorumque. Territorium Constantinense plurimum habet olei & frumenti, abundatque butyro ob ingentem numerum pecudum, quæ ibi aluntur. Circa Hipponam ingens se pandit campus, longus XL. millia passuum, latus XXV. in quo incredibilis vis frumenti quotannis crescit.

Ager Tunetanus ad quartum quintumve milliare circa ipsam Vrbem totus coopertus est olivetis, parum tamen in eo colligitur tritici, hordei aut avenæ, quod agrestes colere rus ex disciplina Georgica non possint, ob metum Numidarum, qui perpetuis excursionibus vexant miseros.

Ezzabensis provincia egregios in speciem patentesque habet campos, in quibus neque triticum neque cætera frumenti genera ex sententia proveniunt, quem defectum compensant densa oliveta & crebra palmeta, accedentibus etiam alijs arboribus fructiferis magno numero.

Mores veterum Afrorum in Mauritania.

Vetus mulierum in his partibus consuetudo fuit, vt vtrumque femur circulo æneo includerent, & capillos quam longissimos alerent, qui mos vterque adhuc durat in multis locis Africæ inter Mauros. Eædem mulieres alicubi tam horridæ & obscænæ erant, vt captos pediculos pulicesque dentibus comminuerent, inque terram expuerent.

Andrimachides inter Pænos referebantur, quibus in more positum erat, vt filias suas nubiles, antequam convenirent in manum mariti, regi suo prostituerent, qui eas flore virginali spoliabat, præveniens eo officio sponsum. Qui ad Tritonidos paludes habitabant, synciput radebant, ab occipitio demittentes capillos: contra faciebant Ausi populi, qui frontem capillatam gerebant, qualis pingitur Occasio. Harum gentium puellæ depugnabant, singulis annis statodie festo in honorem Minervæ, lapidibus baculisque inter se atrociter sævientes. Quæ in eo conflictu interibant, violatæ pudicitiæ pœnas dedisse judicabantur: quæ se strenuas præstitissent & victrices evasissent, à cæteris magno honore afficiebantur: hæ enim illas armabant, vt simulacrum Minervæ conspicitur, imponentes capitibus earum galeam Corinthiacam cum crista, impositasque pilento pensili, triumphantium in speciem circumducebant eas circa littus Lacus Tritonidis. Fœminarum vsus his gentibus fuit promiscuus, & liberi, qui ex confusa illa Venere nascebantur, simulac ad pubertatis annos perveniissent, producebantur in conventum virorum, vbi eligebat sibi quisque, cum quo commorari vellet, & is habebatur pater ejus. Conveniebant autem, viri puerique ad hunc modum tertio quoque mense. Fuerunt Pœni ab omni ævo crediti versipelles atq; perfidi, vt eorum in fallenda fide nequitia proverbijs locum fecerit, quibus dicitur. *Pœno perfidior*, &: *Fides Punica*. Ostendit hujus rei exempla summus eorum Dux Hannibal adversus Romanos: quanquam fatendum sit, Pœnis neque animum in bello neque vires defuisse. Duabus tamen rebus fractus fuit invictus ante id tempus pœnorum exercitus: factionib. & dissensione: & Septasia balneisq; Capuanis.

Non solebat Rex Tremisenus cum quoquam loqui, præterquam cum proceribus aulæ suæ, quos loco & dignitate movebat pro lubitu. Habebat inter præcipua Aulæ suæ Ministeria Legatum Generalem, qui in militia eadem qua rex ipse pollebat auctoritate: post quem erat Primus à Secretis, qui scribebat & respondebat nomine regis. Præfectus ærarij tertio loco erat, qui gerebat curam Fisci regij. Quartus erat Quæstor, qui distribuebat pecunias jussu regis. Quintus erat Præfectus Prætorio, qui imperabat stipatoribus corporis regij. Cubicularij quamvis non deessent, non tamen præsto erant regi, nisi magnificentiæ ostentandæ ergo, quoties exterorum Principum Oratores admittebat: cum enim solus erat, vtebatur servitio mancipiorum, fœminarum & Eunuchorum.

Mores Maurorum nostri temporis.

Eadem prope vivendi ratio, ijdem mores sunt Tremissenis sive Telensinis, Tunetensibus & eorum vicinis, qui Fessanis & Marrocanis, de quibus suo loco agemus: quanquam illi magis accedant ad mores Turcarum, quorum subsunt dominio. Numidis permisti sunt Arabes, de quibus in regno Marrocano agemus. Non amant autem indigenæ Afri Turcas, quibus inviti serviunt, nec dubium est, si se offerat recuperandæ libertatis occasio, quin primi iratas manus sint illaturi injustis dominis & raptoribus alieni regni.

Cæterum ipsi Afri, hæc regna & provincias incolentes, sunt fere bono corporis temperamento, apti ad perferendos quosvis labores, strenuiq;, vt plerique ad summam senectutem perveniant, nisi violenta morte è medio tollantur. Morbis neque multum obnoxij sunt, neq; eos multum metuunt. Bugiensib. fere majores quam cæteris opes, jactantib. nobilitatem generis, vnde & civiliores sunt & humaniores cæteris Afris. Vetus ijs consuetudo, nescio vnde profecta, cruce nigra pingendi maxillas. Contra Tunetani regni incolæ fere pauperes sunt, etiã qui inter eos nobiles haberi volunt, quod nulla exerceant mercimonia: in morib. cũ superioribus conveniunt, nisi quod hi magis studiosi sint litterarum: Carthaginenses vero sunt insolentes ac superbi, quanquam vitam degant sane miseram.

Postremo totum littus Barbaricum plenum est latronibus & piratis, quibus id vnicum opificium est, infestum facere mare, & omnia rapere

Digitized by Google

cretaceus videatur. Circa muros, qui claudunt latus vrbis quod mare respicit, sunt aliquot spacioſa diverſoria, vt in ſingulis prope ſtabulari ſingula Ianitſarorum ſigna poſſint, relicta in medio patente area, vbi milites in aciem collocari inque ordines diſtribui poſſint. Tota Vrbs circiter C. millia in peridromo ſuo complectitur, ſuntque in ea vltra centies mille capita, connumeratis X. millibus militum, qui ibi ſunt in præſidio. In Arce Vrbi imminente ſunt vltra CC. tormenta militaria, metallo fuſa, tam majora quam minora. Extra vrbem, in latere Meridionali, ſupra faſtigium vicini montis, extructa ſunt duo propugnacula, à quibus ipſa infeſtari poteſt : verſus ſeptentrionem autem, centum paſſibus à portu, munimenti genus eſt, quod apud Architecturæ militaris peritos nomen habet à calcari, vnde poſſunt acceſſu arceri triremes hoſtiles.

Quæ cum ita ſint, potiſſimum tamen robur Vrbis Algiranæ conſiſtit in decem millibus militum præſidiariorum, quæ illi præſidio ſunt, ſive bellum ſit ſive pax : Conſtant autem è ſex millibus prætorianorum ſive Ianitſarorum : tribus millibus militum levis armaturæ, & mille Mauris. Conſtituunt autem Ianitſari illi corpus militiæ, & abſolutam quandam ſibi arrogant potentiam, omnia facientes confuſe & tumultuoſe, neque ipſius Turcarum Monarchæ verentes imperium, neque Baſſæ agnoſcentes auctoritatem, cui aliquando manus inferunt, eumque in carcerem conijciunt, ſed ad condictum diem non ſolvat ijs ſtipendium. Sunt autem plerique omnes Chriſtiani renegati, perditiſſimorum hominum colluvies, ſine fide, ſine conſcientia & Religione, quos vere dicere poſſis conflugem & cloacam omnium Provinciarum Europæ, cum plerique ſint proſcripti è patria, aut ſponte ob aliquod maleficium fugitivi : facie omnino ſunt raſa, præter ſuperius labrum, in quo muſtacem alunt, armati ſplendide, vt pro nihilo ducant, quadraginta vel etiam plures corònatos pro eleganti bombarda manuaria exponere; veſtitu vtuntur precioſo, è materia ſerica vel coccinea, ſago ad vſque genua porrecto, aureis argenteiſque lemniſcis fimbriato, cui inijciunt promiſſam tunicam talarem ejusdem materiæ, caput tegentes pileo rubro Turcico; crura operiunt tibialibus coccinei coloris, ſuperinductis ocreis è corio delicato verſicoloribus. Qui inter nos tribuni ſunt, aut ordinum ductores, ſolo capitis tegumento differunt. Qui inter hos milites γxores non habent, his præter vſitatum ſtipendium hoc præſtatur beneficij, vt ſingulis diebus illis quaterni panes pro binis denarijs vendantur, quos panes ipſi rurſum quo XVI. denarijs vendere poſſunt, idque velut ſtatum fixumque eſt, ſive annonæ precium creſcat ſive decreſcat.

Præter hæc decem millia militum, qui non niſi decimam partem populi Vrbani conficiunt, habitat etiam ingens Æthiopum & Iudæorum in ea numerus, hi tamen pauperiores fere ſunt, quam in alijs Orientis partibus, quod Mauros cogantur habere vſuræ & commerciorum ſocios, qui non minus verſuti ſunt & fraudulenti, quam ipſi Iudæi. Veſtitu vtuntur longo, pro conſuetudine regionis, injicientes interiori tunicæ pallam longam nigram, cum cucullo ſuo à tergo pendente. Aliqui geſtant in capite pileum nigrum aut coloris Violacei, altum & acuminatum, in modum pyri inverſi. Qui autem è Catalonia alijſque Hiſpaniæ partibus huc migraverunt Iudæi eorumque poſteri, tegunt caput mitra, vel capitio aut caliendro è panno nigro, cujus extrema lacinia dependet à tergo vſque ad cingulum, vt vetulæ mulieres Lutetiæ Pariſiorum geſtare ſolent.

Æthiopibus ſive Mauris non minus armorum vſu interdictum eſt quam Iudæis : ergo toti dediti ſunt mercaturæ : veſtitus eorum pariter eſt longus, pileos ſive Tulipanos geſtant albos, cætera ſimiliter vt alij veſtiuntur. *Mulieres* in vniverſum incedentes per vrbem cooperiunt involvuntq; totum corpus ingenti tela linea, vel lanea ſubtiliori, tegentes faciem duobus linteolis, quorum vnum tegit frontem deſuper vſque ad ſupercilia; alterum inferiorem faciei partem, vt nihil conſpici poſſit præter oculos. Veſtis eorum plerumque eſt è precioſa materia ſerica, quandoque etiam è filo aureo argenteove. Loco tibialium geſtant femoralia longa, è puta materia linea, quas tendunt vſque ad malleolos pedum : collum vero, brachia & crura ornant torquibus armillisque, alijſque ornamentis aureis, inſertis gemmis & vnionibus. Vngulas manuum rubras efficiunt herba quadam, quæ tam Turcis quam Mauris *Quena* appellatur. Palpebrarum ciliorum, capitiſque capillos tingunt nutriuntque Stibio exuſto ſive Antimonio.

ÆGYP-

Digitized by Google

ÆGYPTVS EIQVE VICINA REGIO TROGLODYTICA.

ARGVMENTVM.

33 *Vix vllum regnum est in vniverſo terrarum orbe, in quo plura ſunt memorabilia & obſervatione digna, quam in Aegypto: quæ antequam aggrediatur Auctor, deſcribit prius ſitum ejus, & varia nomina quibus Aegyptus antiquitus appellata fuit. Aegyptiorum origo. Regionis longitudo; figura ejus, cui rei ſimilis ſit. Sub quo climate & parallelo. Aegyptus olim varie diviſa, inprimis in ſuperiorem & inferiorem. Tempore Amaſis regis habuiſſe fertur XXVI. millia oppidorum. Nomina præcipuorum, inter quæ Syene, vbi profundus puteus eſt, in quo nulla conſpicitur vmbra, Sole ſignum cancri ingrediente. Memphis clara, quod fuerit domicilium Regum, & ob viciniam Pyramidum, quæ inter miracula mundi relatæ fuerunt. Cayri vrbis figura triangularis, in qua Turris eſt index futuræ per Aegyptum fertilitatis aut ſterilitatis. Alexandria in Crucis formam extructa, in qua Ciſternæ pulcherrimæ; rudera antiqui Palatij Cleopatræ Reginæ Aegypti. Damiata & aliæ Vrbes. Nilus fluvius admirabilis, exprimit litteris nominis ſui numerum dierum anni: ſeptem oſtiis Mare Mediterraneum irrumpit: facit invndatione ſua Aegyptum fertilem: origo ejus veteribus ignota, noſtro ſeculo cognita. Superba ædificia hujus Regni, Sepulchra regum, Obeliſci, Sphynges, Pyramides. Fœcunditas Aegypti in omnibus rebus terra naſcentibus, inprimis frumento omnis generis, goſſypio, ſaccaro, Vino quod diu durat, dactylis palmarum, ſycomoris, ficubus, malis granatis, tamaryndis, precioſis lapillis, inprimis Actite lapide miræ virtutis. Balſamifera arbor juxta Cayrum creſcens. Ingenium Aegyptiorum tam ſubtile & acutum, vt antiquitas iis tribuerit inventionem artium & ſcientiarum: fœminæ Aegyptiorum aptæ ad exercendæ mercimonia & obeunda officia virilia. Antiquæ Aegyptiorum conſuetudines & ritus, ratio Luctus eorum: modus ſcribendi à dextra verſus ſiniſtram: litteræ quibus vtebantur duplices, ſacræ & profanæ. Veſtitus Sacerdotum, ſacrificia, epulæ, feſta ſolennia, in convivio ſcelitos circumferri ſolitum, Pompæ funebres & exequiæ tam in funeribus Regum quam privatorum. Miros ſibi finxere Deos, quos in animalibus varijs ſe colere dicebant. Modus vivendi & religio & eorum noſtris temporibus. Leges eorum antiquæ de mercimoniis, de furto, de matrimonio Sacerdotum. Auctoritas & potentia Regum: ordo in gerendis negotiis publicis: ritus in ſacrificio Tauri. Quis ſit ſtatus Religionis noſtro tempore in Aegypto, & qua ratione vivendi vtantur Chriſtiani Cophitæ dicti. Reges Aegyptiorum à deſtructione Imperij Romani, vſq; dum id regnum Turcarum Monarchia ſubegit.*

[Res Ægypti legere eſt præter vniverſales Scriptores atque ipſum S. Canonem, etiam apud Herodotum, Diodorum Siculum, Iohannem Bohemum, Manethonem, Strabonem &c.]

DE Ægypto varij inter veteres varie ſenſerunt. Quidam n. eam ſingularem orbis partem cõſtituerunt, diverſam ab Africa & Aſia, ſed inter vtramq; mediã. Alij, qui Nilum conſtituunt limitem Aſiæ & Africæ Ægyptũ partim in hac partim in illa collocant. Ptolemæus tamen & infiniti alij cũ eo ſtatuunt Sinum Erythræum ſive Mare Rubrũ verum limitem inter Aſiam Africamq;, vnde ſequitur Ægyptũ Africæ partẽ eſſe. Varia huic olim & propemodũ ipſa vetuſtate abolita fuere nomina: dicta n. eſt Aeria, Aetia, Potamia, Ogygia, Hephęſtia, Myare: ſed & Æthiopia, ob Æthiopũ in ea multitudinẽ, vt cũ Stephano Euſtath. annotavit. Ægypti nomen ab Ægypto, vno fratrũ Danai regis: vel à Nilo, quẽ alias Ægyptũ dictũ fuiſſe, ei contigiſſe putant. Vel ẽtà Meſrę̃is à populis chamo originẽ ducẽtib. quos Ægyptios vocatos fuiſſe Ioſephus auctor eſt. Multa ẽt huic regno Epitheta adjecta fuere à diverſis auctorib. vt quã Apollodorus nominat Regionẽ Melampodũ, refertq; Plutarch. in Oſiride, in ſacris Ægyptiorũ Ceremonijs eã Chemiãappellatã: fortaſſe voluit dicere Chamiã, vt Ortel. eleganter admodũ obſervavit, deducto nomine à Chamo Noachi filio In libris Hebręor. ſacris Meſraim appellari ait Ioſephus: Chus vero nomen ejus eſſẽ probabilius videtur Ariæ Montano. Sed hęc facile cõciliantur, cum Chus & Meſraim filij fuerint Chami, qui fuit filius Noachi. Videntur a. Arabes ad Nomen Meſraim alludere, cũ etiam nũ Ægyptũ Meſre vocant. Turcis dicitur Elchebit, vt Pinetus autumat, vel Elquibet, vt Marmolio placet. Termini ejus ſunt ab Occidẽte vltra Nilum deſerta Barcæ, Libyæ & Numidiæ cum Regno Nubiæ. Ab Auſtro agro Bugienſi & Nilo

Digitized by Google

Nilo concluditur, quo loco Nilus ab Occasu in Ortum nonnihil fertur. Plinius tamen, quem & Major pars Geographorum sequitur, eam finit Syene vrbe, quæ nunc Asna dicitur. Tertij dicunt, habere eam ad Meridiem Cataractas, quæ sunt angusta præcipitia, per quæ Nilus magno impetu & murmure non tam defluit quam præcipitatur. Ab ortu sunt deserta Arabiæ, quæ inter Ægyptum & Mare Rubrum sunt, estque totum illud spacium, quod in octo dierum iter porrigitur aridum & aquæ expers. Ab Aquilone clauditur Mari Mediterraneo, quod ab ea parte vocatur Pelagus Ægyptium. Ex his satis clarum est, veteres id solum terræ Ægypti nomine censuisse, quod habitatur & alluitur Nilo, id est, quod cingitur grandibus desertis, facto initio à vicinis Syenæ locis vsque ad mare mediterraneum. Omnis autem ista regio ad vtramque ripam Nili, ab Asna vsque Cayrum assimilari potest fasciæ oblongæ explicatæ, si excipias curvaturas amnis, quæ, vt ait Strabo, sunt infinitæ. Conficitur autem figura hæc per montes quosdam, juxta quos fluvius directæ fluens, sed in angustias restrictus, angustos quoque campos perlabitur, non ultra L. stadia aut XXXVII. mill. pass. latos, quanquam ne hæc quidem ijs sit vbique latitudo, annotantibus recentioribus, terram alicubi adeo concursu montium coangustari, ut non vltra IV. aut quinq; millia passuum lata sit.

Infra Cayrum autem, vel juxta hanc vrbem dividit se Nilus in duo præcipua brachia, ita vt figuram triangularem det Ægypto, cujus duo extrema latera sunt duo rami Nili, qui vtrimque mare petunt, à manu quidem dextra ad Ostium vsque Peluſiacum juxta Damiatam vrbem: à sinistra vero vsque ad Canopicum, vbi hodie spectatur Rosetum oppidum. Basis hujus Trigoni est littus Maris Mediterranei, intra duo quæ diximus Ostia. Peluſiacum & Canopicum, quod spacium complectitur circiter CCC. studia, vel CLXII. mill. Italica. vt Straboni videtur: vel vt alijs placet, CLXX. millia. Habet igitur pars septentrionalis Ægypti, quæ & Ægyptus inferior dicitur, Insulæ formam, inclusa mari & duobus brachijs Nili, vnde eam sub nomine Delta exprimũt Historici & Geographi Græci, quod figuram litteræ Græcæ Δ. exprimat. Peridromum hujus Insulæ Strabo facit stadiorum ter mille, quæ faciunt CCCLXXV. milliaria Italica. Recentiores tamen ajunt, Delta istud continere in circuitu circiter CCC. millia cum ab Roseto vsque ad Damiatam numerentur CXL. mill. vtrumque autem brachium Nili sit longum LXX. mill. Hoc terræ spacium appellat Ptolemæus Delta Majus, dividens id iterum in Delta minus & tertium, dicens minus contineri inter fluvios Bubastim & Busirin: Tertium vero comprehendi inter Bubasten & Atribum.

Omnes igitur vno ore ajunt, longitudinem Ægypti porrigi ab Syene sive Asna vsque ad Mare Ægyptiacum, estque hæc linea secundum Plinium D.LXXXV. millium pass. quanquam neoterici dicant ad D. millia extendi. Quo pacto eam Leo Africanus metiatur, nihil opus est huc referre, cum ob alias causas, tum quod quicquid est trans Nilum orientem versus Asiæ tribuat, & longitudinem Aegypti longe supra Syenen ordiatur.

Sita est autem vera Ægyptus prope juxta Tropicum Cancri, vergitque ab eo in Circulum Arcticum, intra VIII. & X. parallelum, præcipue sub secundo climate. Vnde consequens est: longissimam ejus diem per æstatem esse horarum XIII. cũ dimidia; in partibus vero septentrionalibus XIV. & paulo plus: includiturque intra Meridianum Alexandriæ & Tenessæ, quorum prior transit per LX. gradum cum dimidio: posterior per LXIII. & partem quartam.

Varie autem dividi Ægyptum apud Auctores invenimus: qui enim Nilo fluvio discriminant Asiam ab Africa, tres ejus partes statuunt, Ægyptum Asiaticam sive Thebaidem, quæ hodie Sayda dicitur: Ægyptum Africanam, quæ est pars in ripa Nili occidentali: & Ægyptum inferiorem, sive septentrionalem, inter duo brachia Nili, in forma Deltæ literæ. Alij dividunt in Superiorem & Inferiorem, sub superioris nomine intelligentes longum & angustum illud spacium, à Cataractis supra Syenem & finibus Æthiopiæ ad vsque Cayrum vrbem. Inferior continetur intra brachia Nili à Cayro vsque ad mediterraneum, habens formam Deltæ litteræ. Sunt rursus alij, qui partiuntur Ægyptũ in summam, mediam, infimam. Summam appellant, quam incipiunt à finibus Æthiopiæ, extenduntque eam duntaxat vsque ad Arsinoen, oppidum in ripa Nili, quod Leo Africanus vocat Anthium: & hæc pars est ipsissima Thebais sive Sayda. Mediam dicunt eam quæ est intra Antibam oppidum, & apicem sive initium Deltæ majoris, quæ pars alias vocatur Heptapolis & Heptanomia. Infimam cum cæteris statuunt Deltiformem, quam & à Romanis Angustanicam appellatam invenio. Iustinianus Imperator in Novellis suis constitutionibus dividit in Primam & Secundam. Postremo Leo Africanus affert aliam divisionem Ægypti, quæ facta fuit tunc, cum Mahometani regnum istud occupaverunt. Partitur igitur eam in tres regiones: in Sahidam, id est, terrestrem, quæ incipit à finibus regni Bugiæ, vsque Cayrum, estque hæc superior Ægyptus: in Erriſiam, quæ est pars Occidentalis Nili à Cayro vsque ad Rosetum: & in Bachriam sive *Ma*remneam, quæ complectitur brachium Nili Orientale.

Notandum autem etiam est, Alexandrum olim divisisse Ægyptum in multas præfecturas, & Romanos longo tempore post idem feciſſe. Herodotus numerat Nomos sive præfecturas XVIII. Strabo XIX. Ptolemæus XLVI. Plinius prope L. Melius Ortelius, qui ex diversis scriptoribus collegit ejusmodi Nomos sive Præfecturas LXVI.

Iam quid de vrbibus in hoc regno dicemus? sunt qui in eo fuisse dicant regnante Amasi XXVI. millia, aitque Diodorus, suo tempore circiter III. millia superfuisse. At Ortelius, etsi summam adhibuit diligentiam, vltra CCC. pervestigare tamen non potuit, vt vero simile videatur, veteres in illo tam immani numero Comopoleis, vicos atque Pagos complexos fuisse, Neque tamen quisquam negat, bellis Syriacis, Æthiopicis & Romanis multa

oppida

Digitized by Google

oppida penitus in nihilum redacta fuisse. Sed relinquamus quæstionem hanc in medio, id constat, inter Vrbes Ægypti has primi nominis fuisse, Syenem, Thebas sive Diospolin, Tentyram, Heliopolim, Memphim, Babylonem, Alexandriam, Pelusim cum aliis multis.

Est autem Syene, quæ hodie Asna dicitur, recta sita sub Tropico Cancri. Testatur Plinius, Mathematicos hic puteum habuisse profundissimum, quem rectis lineis sol totum illustraverit, cum fuerit in principio Cancri. Memphis olim Arsinoe, Regia vrbs, sita vltra Nilum, in ripa ejus occidentali, non longe à famosis illis Pyramidibus quarum tam frequens est apud Auctores mentio. Successit huic Cayrus, sedes Sultanorum, quanquam non pauci sint qui existimant, Cayrum esse eodem loco vbi olim Babylon steterit. Bellonius tamen, qui omnes illas regiones perlustravit, videtur asseverare, vrbem, quam veteres Babylonem dixere, paulo supra Cayrum fuisse, conspicique adhuc eo loco splendidorum ædificiorum ruinas. Et est etiamnum hodie pagus vbi multi Christiani Græci & Armenii habitant. Est autem Cayrus vrbs triangulari forma extructa, cincta firmissimis mœnibus, non tamen ab omni parte, cum multis locis Nilus ei pro muro sit. Visuntur extra ambitum murorum plurima ædificia, vt & munimentum quoddam supra editam rupem, arci simile, ad quod per gradus petræ incisos adscensus datur: in ea arce salubris est commoratio & amœna, vt si quis de fenestris prospiciat, conversa in omnes partes facie, magnam partem Ægypti intueri possit, quam longe oculorum obtutus pertingere potest. Maior pars ædium in ea vrbe duplici pavimento instratæ sunt, ob ingentem calorem, at portæ sive januæ domorum tam humiles & angustæ sunt, vt totum corpus inclinare oporteat eum, qui ingredi velit. Magnatum tamen domus januas altas pulchrasque habent, quales sunt in præcipuis vrbibus Europæ.

Est in vrbe Cayro turris solida ad eum structa modum, vt futuræ felicitatis per Ægyptum omnibus annis manifesta sunt hinc deprehendi indicia possint, nempe ex Nili incremento: diversæ enim notæ sunt, quibus eluvies eius & altitudo colligitur. Si enim altius ascendat fluvius & superiora foramina, quæ indicium præbent, contingat, certi sunt incolæ, vberem frugibus fore annum. Aiunt alii indicia illa fertilitatis captari in delubro Turcico cui nomen sit Eschiala, ibi in columna lapidea mensurari adscensum Nili, haud longe à Cayro Vrbe. Sed nihil est absurdi, idem in tribus fieri locis, atque adeo crediderim, in multo pluribus observari altitudinem tam benefici incrementi, cum nemo cupiat futuri anni nosse bona. Sed nos de hac re plura dicemus, vbi de fœcunditate Aegypti ejusque causis agemus.

In eadem Vrbe locus est ingentibus repletus divitiis. *Basestan* loco nomen, vbi venduntur omnis generis vasa aurea & argentea, & omnis aurificum labor, nec non telæ argentatæ auratæque, cum aliis Orientis preciosis mercibus. Huc maximus non Mercatorum solum sed & Procerum concursus est, quod quicquid rarum & pretiosum in tota vrbe sit, ibi junctim spectetur. Ipsius vrbis ambitum alii atque alii diversimode metiuntur. Quidam enim XIV. vel XV. milliaria deprehendunt, alii ad VIII. reducunt, sed hæc efficit milliarium diversitas. Istud constat, ad XXIV. millia plateārum in tam vasta vrbe esse, quæ omnes noctu occludantur: quæ cum tot aut etiam plures sint omnes tamen inter se coniunctæ cohærent.

Templorum continet XXII. millia, putaturque quinquies maior Lutetia, vt refertur Tomo II. vrbium orbis Terræ illustrium. Sunt etiam tam intra quam extra vrbem horti elegantissimi, in quibus præter plantas vsitatas vulgaresque arbores crescunt arundines Casiam ferentes, vt & Tamarices, Palmæ Sycomori, Maliauratæ, citriæque limoniæque, accedentibus arundinetis saccari feracibus; sæpimenta circa illos hortos plena sunt Chamæleontibus, vt apud nos lacertis. *Materea* locus est juxta Cayrum hortis amœnissimus: in eo conspicitur Obeliscus lapideus erectus, maior crassiorque, quam illi qui Alexandriæ visuntur, sed & altior illo qui apud Constantipolim assurgit in Hippodromo.

De famosissimis illis Pyramidibus Aegypti ait Bellonius, eas in vno eodemque loco ad sydera elevari, tantæ altitudinis, vt ad quadraginta millia passuum absentibus apparere incipiant. Has nominant Aegyptii, vt idem ait Pharaones, multoque plus admirationis afferunt prope spectantibus, quam vlla vnquam Historicorum descripsit industria. Antiqua enim Romanorum opera & stupendæ fabricæ cum his conferri non posse videantur. Stant autem moles illæ lapideæ in loco deserto ad quartum à Cayro milliare, ad tertium lapidis jactum trans Nilum fluvium.

Quæ inter eas altissima est, etiam pulchritudine cæteris antecellit. Basis ejus tanta est, vt singula ex quatuor ejus lateribus CCC. pedes contineant, vnde conficitur ambitus in vniversum M. C C. pedum, altitudo ejus ad DC. pedes adscendit. Saxa è quibus structa est, prope omnia inter se æqualia sunt, tres pedes longa, lata duos, alta totidem. Et quanquam apex ejus in exactum desinere videatur acumen, ob immensam altitudinem est tamen in summo planities quadrata XXI. pedes lata. Ait Baro Bellovacensis, se ingressum in eam, descendisse primum ad L. passus, deinde rursus ascendisse ad XL. hinc in Crypto porticum incidisse, latam pedes IV. altam V. longam passus XXX. ad cujus finem fuerit parva Camera quadrata, octo passus lata & longa, collapsa tamen & plena sordibus. Eundem per eandem reversum porticum, vidisse ad manum dextram orificium Cisternæ amplæ ac profundæ. Inde cum conscendisset passus LXVIII. intravisse in aliud conclave satis altum, incrustatum intus marmore, latum pedes XXI. longum XXIV. & dimidium. eo in loco fuisse lapidem Concavum, marmor Thebaicum, longum XII. pedes, latum V. altum V. & dimidium: eumque lapidem materiæ tam puræ solidæq; fuisse, vt si quis alium ei impingeret lapidem, tinniret tam clarum, vt æs campanum.

Addit his Bellonius habere Pyramidem illam gradus, quæ ab summo descendentes, subinde ma-

Digitized by Google

jores evaderent, vnumquodque autem latus continere CCC.XXIV. pedes A basi vero vsque ad summum fastigium numerari CCL. gradus, quorum quivis altus sit soleas quinque: soleam autem metitur novem pollicibus. Altitudinem ejus tantam esse ait idem, vt robustus & expeditus sagittarius torquens ab nervo telum, facere tamen non possit, quin sagitta missa, gradibus ab altera parte Pyramidis illabatur, pro eo, quod debeat basin transilire. Summitatem ejus ait esse planam, tantæ amplitudinis, vt quinquaginta homines facile ibi versari possint. De cæteris Pyramidibus jam nihil dicam, cum superfluum foret, & in vna cæteras videre queamus: istud præterire tacitus non possum, quod paulo supra Pyramidem illam se spectãdum offerat ingens ille Sphyngis Colossus, juxta alveum Nili, cujus descriptionem huc non attexam, cum apud Herodotum; Plinium aliosque ea sufficienter inveniri possit.

Dignatione sequitur Cayrum *Alexandria*, olim inter præstantissimas totius Mundi Vrbes, vt quæ soli Romæ cesserit civium & incolarum multitudine. Sita hæc est in solo fabuloso, in extremitate Maris Mediterranei, in crucis extructa formam, lata magis quam longa, dividiturque in veterem & novam. Illa ter mille pass. longa existens, includit præter alia rara, quæ ibi visuntur, duos montes arenosos. Antiqui muri stant adhuc prope integri, interiora vero collapsa vix habitari possunt. Pleraque ædificia subtus sunt concava, lacus habentia compluvios, quorum fornices marmoreis sustinentur columnis, cui rei causam præbuit aquæ indigentia, cum alia potabilis in vrbe non sit, nisi quæ à Nilo eo deducitur, qui certis canalibus hinc inde derivatus cryptas istas subterraneas suis implet aquis, idque semel in anno, nempe ad diem XV. Augusti mensis. Plateas habet Alexandria spacioſas & pulcherrimas, in quibus spectandæ se offerunt multæ antiquitates & ruinæ deplorandæ.

Ostenditur inter alia locus Palatii cujusdam, quam domum fuisse fabulantur Regis Costi, qui pater fuerit S. Catharinæ; juxta eminent sex columnæ marmoreæ, adhuc tribus Orgyiis supra terram existentes. Monstratur & in longa quadam platea locus, vbi S. Marcus Evangelista capite truncatus perhibetur, estque ibidem adhuc Templum, in quo Cophitæ Christiani servant lapidem, supra quem caput ipsi amputatum fuerit, vt & Cathedram, de qua ad populum concionatus fuerit. Sed & in Templo S. Catharinæ ostenditur pars columnæ quadratæ, supra quam decapitatam ajunt fuisse beatam illam virginem.

Apud muros juxta portam spectantur adhuc duo Obelisci, multum inter se similes, toti insculpti antiquis litteris hieroglyphicis, quorum alter prope totus terra tegitur, alter vero X. orgyiis supra solum extat, vndecim pedes continens in quadratura. Paulo superius locus apparet, vbi fuit antiquum Cleopatræ Reginæ Palatium, in quo fuit porticus tam longa, vt perrexerit vsque ad mare, velut adhuc ruinæ ejus ostendunt. Extra Vrbem extat Columna Cæsaris, quàm è solido marmore erexit, Trophæum de devicto Pompejo. Est autem alta admodum, vt Basis ejus & Epistylium conficiant LXXX. pedes Geometricos, ambitus vero habet pedes XXVIII.

Iam à Veteri Alexandria ad novam transeundum est, quæ paulo plus habet amœnitatis structa in pulchra planitie, ad sinistram habens Portum vetcrem, qui protegitur à castello vrbis veteris: cum autem sit incommodior, vsus ejus non adeo est frequens. Ad manum vero dextram est portus novus, expositus quidem Aquilonibus, defensus tamen ab vtraque parte duabus arcibus, quas Pharulos vocant: vna est in parva peninsula, non habens aliam aquam potabilem, quam quæ è cisternis Vrbanis eo defertur. Altera huic recta opposita est; oportetque, vt omnes naves ingressuræ Portum, inter hæc duo castella transeant, quæ vtraque tormentis æneis probe sunt instructa. Debetur autem his duobus portubus, quod civitas hæc vtcunq; habitatur: si enim hos sustuleris, paucis annis desolabitur populo, ob insalubrem loci illius aërem.

Pharus insula fuit, recta Alexandriæ opposita: nostro vero ævo non amplius est Insula, vt tempore Cæsaris & Ptolemæi, annectitur enim continenti, habetq; Castellum sane incommodum, quod in id singulis diebus necesse sit portare aquam dulcem dorsis Camelorum, haustam è Cisternis Alexandrinis.

Itinere medii diei ab Alexandria abest *Rosetum*, oppidum elegans, in ripa Nili extructum, octo millibus aut circiter à mari. Domos habet pulchras sane & bene ædificatas, picturis elegantibus auratisque emblematibus exornatas, quæ res est admodum rara in illis provinciis.

Damiata Vrbis magna est celebritas: est autem vicina mari mediterraneo: Veterum Pelusium hæc est, alio nomine Heliopolis, vel vt aliis placet, Æliopolis dicta ab Ælio Principe, qui eam triplici muro cinxit. Suidas hanc appellat clavem Ægypti: quanquam Ortelius putet, Pelusium fuisse eam, quæ hodie Teneſa dicitur, Sunt autem præter has Vrbes & aliæ in Ægypto celebres, quas hic commemorare non est nostri instituti: vna tamen est præ cæteris eminens *Fuca*, sive *Fuoa*, vt appellatur, quæ post Cayrum maxima est omnium Aegyptiacarum, ex adverso Insulæ Edibebæ, quam Nilus efficit. Oppidorum & pagorum incredibilis est multitudo in Aegypto, inprimis ad vtramque ripam Nili, qui loca illa facit amœnissima, ingentesque habitatoribus præstat commoditates. Pagorum vero & villarum, qui longius à Nilo absunt ea ratio est, vt in locis editioribus structi sint, ad vitandas Nili inundationes domicilia in iis facta sunt ex argilla spissa, pingui & tenacissima, tecta eorum fastigiata, quanquam etiam multa plana sint.

Iam deinceps de *Troglodytis* etiam dicendum est. Obtinet hæc gens latum spacium, quod interest inter ripam Nili Orientalem & littus Erythræi Maris, ad manum dextram Aegypti. Ptolemæus eos appellat Arabas Ichthyophagos, Castaldus dicit regionem illam hodie Sirfiam vocari: videtur tamen rectissime à neotericis appellari Arabia Troglodytica. Oppida ejus præcipua sunt *Corondola*, ad

Digitized by Google

ad Mare Rubrum, cum portu marino satis bono. Deinde *Alcossir* sive *Chossir*, quam nonnulli sumunt pro Berenice Ptolemæi; hic se aperiunt montes, præstantque viam ad mare, per quam Abyssinis fruges ab Ægypto supportari possunt. Huc pertinet etiam *Suaquena*, quam Ortelius putat Ptolemaidem Melæ esse. Plinio videtur esse Epitheras, & Ptolemæo Theron: habet & hoc oppidum portum commodum.

Postremo est ad ipsum velut caput Sinus Erythræi oppidum *Suez*, quod Petrus Gilliesus & Bellonius capiunt pro Arsinoe Ptolomæi, Zieglerus pro Potidæa Strabonis: tertii putant Heron vrbem esse, quæ Ptolemæi Regis & Romanorum ævo maxime floruerit ob mercimoniorum frequentiam, quæ huc veniebant ex India & Arabia, atque inde Cayrum delata, porro distribuebantur per Alexandriam & totam Ægyptum. Sed nostro tempore neque mercimoniis frequens est, neque populo ob nimiam omnium rerum difficultatem, quanquam Turcæ nihil non fecerint, vt eam populosam redderent.

Qualitas & natura soli Ægyptiaci.

De hac dicturi, initium faciemus à versibus Lucani his:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Iovis: in Solo tanta est fiducia Nilo.

Nilum igitur si sustuleris, Aegyptum ipsam everteris. Regio enim hæc fluvio Nilo totius orbis nobilissimo secatur, irrigatur, impinguatur ac fœcunda redditur. Multa huic amni à veteribus imponuntur nomina, quorum aliqui conantur rationes reddere. Diodorus vocat Aeton, id est Aquilam, ob celeritatem cursus ejus versus cataractas. Fuit etiam ipsi fluvio nomen Aegypto, à rege, qui idem nomen suum toti regno communicavit. Festus, Eustathius & Plutarchus etiam Melum sive Melam dictum fuisse asserunt. Cedrenus & Epiphanius nominant Chrysorhoam, quasi dicas Aurifluum; Dionysius ei nomen dat Syenæ. Antiquissima ejus nomina fuisse dicuntur Osiris, Triton, Astapus & Astaboras. Sacræ Litteræ eum appellant Seor vel Sihor, quod significat turbidum, ea de causa, quia limum lutumque secum Aegypto infert, quanquam in iisdem S. litteris Gehon & Phison appellari quibusdam videatur. Aegyptii vocaverunt Noym, Abyssini Tacuin, Afri Nilum, Tacasii Abanhin.

De hujus fluvii origine diversæ semper fuerunt opiniones, pleræque tamen omnes incertæ. Nostro tamen tempore satis constat, quod non proveniat è Montibus Lunæ, vt Ptolemæus opinatus est, sed ex prægrandi Lacu, cui nomen est Zaira, in superiore Aethiopia inter duo regna, Congo Monomatapa, sub gradu vndecimo aut circiter elevationis Poli Antarctici. Sed nec minus certum est istud, fluvium hunc longissimis spaciis per diversas currentem regiones, non solum miros facere flexos & Mæandros, sed etiam plurimas Insulas, inter quas amplissima est quæ dicitur Meroe. Vbi autem primum Ægyptum ingreditur, labitur inter montes angusto terrarum spacio, verum vbi emersit, facit nobilissimum illud Delta, dividitque aquas suas in multas valles diversosque alveos: quantum enim discedunt à se ipsis montes, tantum etiam extenditur fluvius: vbi coeunt, coit quoque fluvius: rursum nactus liberum spatium ingreditur per campos & ambitioso cursu velut luxuriat.

Quamdiu autem secundum Ægypti longitudinem ingreditur Nilus, multum similis est Pado fluvio Italiæ, vt Bellonius ait, inprimis facto initio ab Vrbe Ferraria, vsque dum aquas suas exonerat: navigari enim vterque facile potest explicatis velis, etiam beneficio venti adverso fluvio.

De ostiis Nili non minor est inter priscos auctores, quam de ejus origine controversia. quidam enim numerant VII. quod facit Mela, Strabo, Diodorus & Herodotus. Alii novem cum Ptolemæo. Plinius habet vndecim. Nostri tamen homines tria tantum noverunt vel quatuor, vt Guilielmus Tyrius & Petrus Bellonius, qui narrant ea quæ ipsi viderunt, vt & alii plures. Infra Cayrum enim in quatuor brachia sive ramos finditur, quorum duo sunt navigabilia, nempe ostium Peluſiacum juxta Damiatam, & Canopicum vbi Rosetum. Inundationis vero ejus tempore, pluribus alueis evadit navigabilis. Reliquo tempore anni majora navigia non fert, ob paludes, limum & sabulum.

Cæterum ipse fluvius per se mire fœcundus est: nutrit enim incredibilem vim piscium, præterque hoc alia quædam animalia Amphibia & monstra ipso aspectu fœda, nempe Hippopotamos & Phocas, Crocodilos item aliaque infesta animantia hominibus. Ajunt hunc fluvium nullos generare ventos, aquasque ejus esse omnium fluviorum longe dulcissimas, quod Sole probe excoctæ, ipsosque tam longo per ardentissimas regiones cursu purificatæ, valde subtiles evadant, cum non mentiantur qui dicunt, nullum totius orbis flumen tam longum cursu suo emetiri terrarum spacium. Observaverunt autem etiam veteres, nomen fluvii hujus litteris suis exprimere numerum dierum Anni Solaris, in hunc modum, N.50. E.5. I.10. A.30. O.70. Σ.200. summa hæc colligitur CCC.LXV.

Incipit autem Nilus inundare Ægyptum ad diem VII. vel XVII. Iunii mensis, crescitque per dies XL. totidemque decrescit, non post dies C. vt opinatus est Herodotus. Fit autem hoc, cum Æthiopia superior, quæ longe est supra Ægyptum, perpetuis longisque madescit imbribus, inprimis in montanis, vbi autem densæ istæ pluviæ cessaverant, etiam inundatio desinit, revertiturque fluvius in veteres suos alueos. Est autem res sane admiratione digna, videre hunc fluvium excrescere in tantum, cū alii decrescunt, vicissim, subsidere cum alij intumescunt. Durante autem toto hujus incrementi tempore, omnia oppida & pagi Ægypti sunt parvæ quædam Insulæ, cum locis editioribus sint imposita, ne eis illuvies nocere queat: sic alij ad alios accedere non possunt, nisi beneficio navigiorum. Male autem cum vagis animalibus ferisque agitur quæ aquis pereunt, nisi in loca editiora confugiant:

Digitized by Google

manſueta autem & domeſtica in ſtabulis ſervantur, & ab hominibus nutriuntur, qui jam ante iis de pabulo proſpexerunt.

Fuerunt nonnulli, teſte Strabone, qui exiſtimaverunt, Ægyptum olim totam fuiſſe ſubmerſam atque coopertam mari vſque ad paludes Peluſiacas Montis Caſſii & Sorbonidis : Nilum autem perpetuis ſuis inundationibus tantum invexiſſe limi & luti, vt humus inde aggeſta altior evaſerit & talis, qualis noſtro ævo cernitur. Hujus ſuæ opinionis firmamentum hoc habent, quod ſubter arenam limumque fodientibus innumeræ occurrant oſtreorum cochlearumque teſtæ.

Eſt autem ipſa Ægypti regio plana humiliſque, carens montibus, vnde proſpectus longus non datur: aere perflatur calido & peregrinis inprimis noxio, vnde conſueverunt incolæ, referente Leone Africano, in omnibus oppidis extruere præaltas turres, quibus & in ſummo & in imo porta gemina eſt, converſa in domos habitantium; per ſuperiorem ingreditur venditus, & perflatur per inferiorem, quod mirifice facit ad mitigandum ardorem Solis & recipiendam auram frigidiuſculam. Non tamen adeo obnoxium eſt hoc regnum calidiſſimis Anſtri flatibus, vt cæteræ Africæ regiones, ſed fruitur frigidiore Aquilonis flatu, qui hic etiam humidus eſt, cum alibi ex ſiccare ex ingenio ſuo ſoleat. Terræmotus hic nulli, ſed neque pluviæ, quibus nihil opus habent, contenti humore & pinguedine Nili. Quod ſi quæ hic cadant pluviæ, quod tamen rariſſime accidit, noxiæ ſunt mortalibus, cauſantes catharrhos, febres, tumores inguinum & alias ægritudines. Poſtremo, etſi fœcundiſſima eſt Ægyptus omniumque rerum fertilis, magna tamen inopia premitur, ſi Nilus parcius inundet agros, tantum momenti ad hominum felicitatem ſitum eſt in vnius fluvii exorbitatione. Sunt autem per totum regnum hinc inde plurimæ foſſæ manu factæ, quibus ſtagnantis Nili aquæ intercipiuntur, ne ii, qui longius à fluvio habitant, aquarum premantur inopia, fluvio veterem ſuam ſedem repetente. Iuſtinus ſolum Ægypti ita fœcundum eſſe aſſerit vt alimentorum nulla terra feracior ſit in vſus hominum. Veteres etiam plurimi publicum Orbis Horreum vocaverunt, aſſerente Plinio, Romani Imperii amplitudinem abſque Ægypti opibus frugibuſque, diu perdurare non potuiſſe, cum in ſolo Nilo Pop. Romani abundantia vel fames eſſet. Idem etiam teſtatur, ſic abunde herbis ad cibum accommodis Ægyptiagrum affluere, vt vel frugibus carere poſſit. Scilicet hinc ſunt iſtæ Regum Aegyptiorum divitiæ, quas admiramur, & quarum videmus ſpecimina, in ſuperbiſſimis illis & ad inſaniam ſumtuoſis ſtructuris, ſepulchris inquam regum, Labyrintho, Obeliſcis, Pyramidibus, Sphynge, quæ omnia incredibili ſumtu extructa fuiſſe neceſſe eſt.

Eſt igitur ſumma in Aegypto vbique Tritici, Siliginis, Hordei, Avenæ, Leguminum, vini etiam optimi fertilitas, nec deſunt paſcua lætiſſima : Oleo tamen non perinde abundat. Thebais tamen ſive Aegyptus ſuperior ſuperat cæteras provincias omnes vbertate & copia leguminum, lini, multitudine pecoris, Gallinarum & Anſerum. Præterea pars ea Aegypti quæ Orientem reſpicit, affluit fructibus arborum, ordeo & oriza : pars vero occidentalis goſſypio & ſaccaro. Meſſis incipit Menſe Aprili, peragiturque tanta celeritate, vt circa vigeſimum diem Maii menſis, omnes fruges jam demeſſæ & conditæ ſint. Campos circa Nilum ait Bellonius maxima ex parte plenos eſſe oriza & arundinetis ſaccari, ſed qui longius à fluvio abſunt horti, magno labore coluntur & vtiles redduntur, cum certorum inſtrumentorum & rotarum beneficio, quæ à bobus trahuntur, haurienda ſemper ſit aqua, & irrigandis ſulcis effundenda.

De vino ſuperius duo verba diximus, hoc magna copia per Ægyptum creſcit, diverſis in locis : nã circa lacum Maræotidis optimum colligitur vinum, quod longo tempore in corruptum manet. Olei habet parum, & patitur lignorum defectum ad vſum culinæ & ædificia, cum præter palmeta, quarum arborum & fabricas excitandas vſus nullus eſt, vix vllæ arbores reperiantur. Ad ſummam autem altitudinem excreſcunt palmæ per omnem Aegyptum, viſæque ſunt, referente Bellonio, ex vno trunco viginti ſtirpes pullulaſſe, grandesillæ quidem & ſeparatæ. Creſcunt & præter palmas in hortis alii fructus arborei, poma punica aurantia, limonia, nec non Caſia, & tamarix, quam tamen ſeri cum cura oportet. Sycomoris perpetuus viror, tantæ viracitatis, vt cæteræ arbores præ hac pallere videantur. Colitur & magna cum cura Arbuſtum nomine Alcana, cujus integra nemuſcula viſuntur: hujus folia, poſtquam aruerunt, trahunt flavum colorem, vtunturque iis mulieres Turcicæ & Aegyptiæ ad tingendas manus, pedes & partem capillorum. Florum odoratorum hic magna copia: quin & Plinius varios ſuffitus & odoramenta precioſa tribuit Aegypto, quanquam fateatur, flores communiter non adeo bene olere, quod aer fere nebuloſus ſit, vaporibus è Nilo aſſurgentibus.

Præter beſtias ſævas ac nocuas, quibus hæc abundat, animalia domeſtica mira copia alit, Bubalos, Boves, Camelos, Equos, Aſinos, Arietes & Capras : quæ quidem omnia in magnam excreſcunt molem teſte Bellonio, ob aeris temperiem, pabuli abundantiam, ac ſtirpium à Nilo irrigatarum bonum alimentum: inter reliqua vero Arietes pingues admodum & craſſi ſunt, amplamque & denſam atq; ad terram vſq; propendentem caudam trahunt, palearia inſuper à collo dependentia vt boves habent, nigra veſtiti lana. Cumque hæc regio tepida ſit admodum & paluſtris, in eam aves aquaticæ tanta copia commeant, vt agri & prata iis albeſcant : inprimis Ciconiarum hic multitudo vtilis eſt : tantum enim hic ranarum gignitur, vt niſi à ciconiis devorarentur, nihil illis eſſet frequentius. Chamæleones etiam hic frequentes reperiuntur, inter ſæpimenta hortorum & ramos certorum arbuſtorum repentes qui non vivunt omnino vento, vt vulgo fabulantur, quanquam longiſſimo tempore ſine cibo

Digitized by Google

cibo vivere possint. Per vniversam vero Ægyptum pulli gallinacei à matre excludi non solent, sed fornaces artificiose extructas habent, in quibus tria aut quatuor ovorum millia reponunt, quorum calorem ita temperare norunt, vt omnia ova simul excludantur.

Metallis Ægyptus nunquam omnino caruit, in iis præsertim locis, quæ propiora sunt Æthiopiæ, vbi & gemmæ quædam reperiuntur. Aetites lapis magna copia juxta Alexandriam reperitur, qui navibus impositus avehitur, traditque Bellonius in observationibus suis, credere Aegyptios, eam lapidi illi inesse virtutem, vt faciat agnoscere atque deprehendere fures.

Mulieres Aegyptiæ ad miraculum fœcundæ sunt, vt non sit rarum iis, tres aut quatuor simul fœtus effundere, observatumque est, partus octimestres hic vitales esse nec mori statim, vt alibi fit. Iuxta Cayrum vrbem locus est, qui Metarea dicitur, ibi crescit Arbor Balsamifera. Circa Alexandriam visuntur greges certarum nobisque incognitarum caprarum, quas ipsi Gazellas vocant. Crescunt & hic magno numero mala Punica, limonia, aurantia, citria, ficus, cerasa, & præter hos multi alii fructus arborei nobis penitus ignoti, & qui in Europa non proveniunt. Gignit & ager Alexandrinus multum orizæ, hordei, speltæ & leguminum. Non tamen negaverim, terram illam omnino sterilem futuram, nisi maximo & indefesso incolarum studio coleretur: inprimis in iis locis, quæ longius à Nilo absunt, quod machinarum tractoriarum beneficio & ministerio boum aqua in arentes agros magno labore deducenda sit. *Edibeba* Insula abundat arundinetis saccari, sycomoris, palmis, oriza, & omnis generis leguminibus.

Arabia Troglodytica est regio sterilis, sabulosa, deserta & inculta, quæ infrequenter admodum habitatur, quod perraro ibi aqua haberi possit. quin & ipsum oppidum Sues adeo siccum est, vt ex puteo, qui duobus millibus ab vrbe abest, aquam extrahant, eamque dorso camelorum plenis vtribus cadisque impositam in oppidum deportent, quamvis paululum amara sive salsa sit.

Mores antiquorum Ægyptiorum.

Fuerunt Aegyptii semper habiti homines ingenioſi & spiritu acri ac subtili præditi, vnde Macrobius Aegyptum Matrem Artium nominat, quod incolæ ejus fuerint inventores Geometriæ, Arithmeticæ, Medicinæ & multarum aliarum artium. Aegyptii enim primi applicuerunt animum ad observationem astrorum: primi putantur operam dedisse Magiæ & Incantationibus. Apud eosdem primum inventa sunt nomina XII. Deorum, fuerunt erecta Altaria, Idola, Delubra, statuæ animalium, quæ tamen omnia eos ab Aethiopibus accepisse putat Diodorus Siculus. Veterum Aegyptiorum fœminæ exercebant mercimonia, aperiebant diversoria & tabernas, & obibant pleraque alia officia virilia. Viri contra torpentes ocio, intra domos se continebant, & si quod onus aliquo ferendum esset, viri id imponebant capiti, fœminæ humeris. Viri reddentes vrinam desidebant incurvato corpore: mulieres stantes mingebant: vtrinque tamen domi quidem sua tractabant negotia, foris & in publico cænabant. Mulier sacerdos alicujus Dei vel Deæ esse non poterat: ipsi quoq; Aegyptii non consecrabant se vni alicui Numini, sed omnibus simul. Inter sacrificos erat vnus quidam summus Pontifex, è cæteris Sacerdotibus electus, cui mortuo succedebat filius in dignitate Pontificiali. Liberi legitimi nequaquam recusabant alere parentes suos, quod ita volebant leges Aegypti. Exponere natos mulieribus non licebat, sed cogebantur eos tollere atq; educare. Multis populis in more positum erat, vt cum lugerent defunctos suos, caput fœdarent, promitterentque capillos & barbam: contra Aegyptii cum in luctu erant, tondebant caput & mentum, pinsebantque panes sive massas manibus, pedibusque: sunt & quidam rei imperiti, qui illis tribuunt inventionem circumcisionis. Sed hæc Græcorum sunt nugamenta, quibus nihil constat de historia Iudæorum.

Scribentes à manu dextra versus sinistram progrediebantur, vt adhuc faciunt Hebræi, Arabes, Turcæ & Persæ. Mulieres contentæ erant vna tunica, viri autem, qui molliores erant, gestabant duas. Litterarum genera apud illos erant duo: vnum Sacrum, quo non omnibus promiscue vti fas erat, quod acceperant ab Aethiopibus: alterum profanum & commune. Solebant Sacerdotes tertio quoque die pilos abradere per totum corpus, ne quid illis impuritatis inhæreret, cum ad templa vel sacrificia irent. Vestes eorum erant lineæ, candidæ ac recenter lotæ: erantq; adeo munditiei studiosi, vt præciputium penis se ideo amputare dicerent, ne quid sub eo impuritatis occuleretur. Calceos gerebant factos ex ligno arboris quæ Papyrus appellabatur.

Fabas Aegyptii veteres prorsus non serebant, sed ne iis quidem vesci fas erat, si forte aliunde importarentur: Sacerdotes vero eas, ne intueri quidem audebant, quod dicerent esse genus leguminis inquinatum. Corpus singulis diebus ter frigida abluebant, nocte vero bis. Victimarii eorum abstinebant à capitibus animalium, quæ immolaverant, sed primo conviciorum ac maledictorum plaustra in ea despuebant, additis horrendis execrationibus, postea vendebant hospitibus ac peregrinis, qui si nulli adessent, abiiciebant ea in Nilum. Mactabant autem in sacrificiis boves, tauros & vitulos, vaccas vero & juvencas immolare fas non erat, quod sacræ essent Isidi, quam singulari honore colebant. Vescebantur pane siligineo, & bibebant Zythum, quod vinum apud illos non crescebat. Sed & pisces devorabant partim crudos & in sole exiccatos, partim sale & muria conditos. Avibus inter reliqua ciborum genera vescebantur crudis, cum sale, qui autem opulentiores erant, vescebantur avibus aquaticis & coturnicibus, quas in summis deliciis habebant.

Cum convenissent in publico aliquo epulo, antequam convivandi finem facerent, intrabat quidam ferens sceleton hominis mortui affabre factum,

ctum, altitudinis duorum cubitorum: id offerebatur omnibus ordine convivis, additis his verbis: Ede, bibe, & hoc respice, cum enim ex sententia vixeris, talis post mortem futurus es.

Si juniores grandioribus natu obviam facti fuissent, decedebant iis de via, sed & cum consedissent, assurgebant iis locumque assidendi dabant. In plateis si seniores habuissent obvios, salutabant eos, non quidem verbis, sed extenta manu, & inclinato ad eorum genua capite. Lineis vestimentis vulgo vtebantur, iniicientes interulis pallia ex eadem tela: vestibus enim laneis vti fas omnino non erat, inprimis cum ingredienda essent loca sacra. quin ne sepeliebant quidem corpora in laneo amictu. Sobrietati in mensa admodum studebant, carnes alias quam vitulinas & anserinas mensis vix inferentes: vini certa cuique mensura erat destinata, quam biberet, ne quis saburraret cibis ventrem aut inebriaretur.

Reges vtebantur summa mansuetudine erga populum, qua ratione mire sibi conciliabant multitudinis affectus, adeo, vt non solum Sacerdotes, sed & plebs in vniversum majore sollicitudine intenti essent conservationi Regum, quam suæ ipsorum aut liberorum vxorumque saluti. Quod si Regem defungi vita contigisset, ingens tristitia exoriebatur apud vniversos, qui ne modum quidem lugendi & lamentandi faciebant; scissis enim vestibus occludebant templa, non prodibant foras, vitabant forum, abstinebant à Festis publicis, inquinabant luto capita per menses II. dies XII. cincti linteo subter brachia: hoc habitu conveniebant tam viri quam mulieres per CC. dies, singulis diebus bis, & renovabant luctum planctumque, cantantes mœnias in laudem mortui, deprædicantes ejus virtutem atque sanctitatem. Hoc toto luctus tempore abstinebant à coctis cibariis, neque bibebant vinum aut Zythum, aut vllum potus genus ad hilaritatem factum: sed nec lavabant aut vngebant corpus, neque dormiebant in lectis suis, vitantes etiam concubitum mulierum: sed omnibus diebus lugebant & deplorabant mortem Regis. Interea factis omnibus, cum exequiarum dies adesset, ferebatur cadaver mortui ante portam, & destituebatur ante ostium sepulchri. Ibi Orator quidam habebat laudationem funebrem, qua persequebatur vitam & acta Regis: quo tacente, licebat cuiquam vicissim ejus facta & vitam accusare. Adstabant Sacerdotes, & audiebant perorantem de vita mortui, qui expositus erat oculis vniversæ multitudinis. Si quid laude digni recitaretur, approbabant id complosis manibus: si quid minus placuisset, reiiciebant incondito murmure & cum indignatione. Vnde sæpe factum est, vt Reges, quorum gesta populum offenderant, extremo Sepulturæ honore carerent, nec regibus digna tumularentur magnificentia. Et profecto, si verum fateri volumus, continuit metus iste reges in officio, vt studerent innocentiæ & justitiæ, nisi mallent corpora sua post mortem suam ea affici contumelia.

Quod ad Numina eorum attinet, nulla gens sub Sole isto fuit, non dico superstitiosa magis, sed magis ridicula quam Aegyptij, qui non contenti statuis defunctorum hominum, etiam bruta & viles bestias coluerunt, tam vivas quam mortuas, vti Canes, Feles, Lupos, Crocodilos, Ichneumones, Miluos, Ibes aves. Tantum autem abfuit, vt verererentur illius stultitiæ publicam professionem facere, vt contra laudi sibi ducérent tam stolidam turpemque Idololatriam. Ferebant enim horum animalium figuras & simulachra circum oppida & per pagos, ostentantes ea velut Deos Tutelares omni honore dignos. Si quis horum Deorum Aegyptiacorum mortuus fuisset, involvebāt eum stolidi illi homines puro linteo, deplorantes ejus mortem multis clamoribus & vlulatibus, & pectus percutientes: post vngebant eum oleo cedrino, condiebantque aromatibus preciosis, defodiebantque corpus in certo quodam loco, quod ita conditum, diu servabatur à putredine.

Si quis harum animantium aliquam interfecisset, is nullo pacto vitam conservare poterat: populus enim concursu facto illum crudelissimis modis trucidabat, non expectato donec in judicio condemnaretur: qui metus in causa fuit, vt multi, cum horum animalium aliquod casu defecisset, è vestigio quam longissime discederent, vel acerbis lacrymis tantæ rei jacturam deplorarent, ne viderentur dei sui interitu lætari. Incumbebat autem primoribus Aegyptiorum cura alendi animalia illa, qui ea magna nutriebant sollicitudine, nec sine magnis impensis, cibo è delicatissimo flore farinæ, placentisque è lacte & simila paratis, apponentes iis inter alios cibos carnes anserum elixas & assatas. Quæ ex istis animalibus delectabantur carnibus crudis, iis coëmebant aviculas reti vel transenna captas: & vt vno verbo dicam, maximi constabat illorum deastrorum alimonia. Defuncto aliquo horum animalium, majores ciebant planctus atque ejulatus, quam si liberi eorum charissimi expiravissent, sepeliebantque id multis sumptibus & magnificentia: vt constet, regnante Ptolemæo Sapiente Aegypti Rege, in Vrbe Memphi bovem nimia senecta mortuum, ab eo, qui ipsum nutriverat maximis sumtibus elatum tumulatumque fuisse, eundemque ab rege mutuo sumsisse L. argenti talenta, quæ omnia impendit in tam ridiculas exequias.

In honoribus quos defunctis habebant, non norant Aegyptij modum aut finem, adeo prodigi erant opum suarum. Defuncto enim aliquo, propinqui ejus conveniebant, fædatisque capitibus circumibant in civitate, lamentantes sine intermissione donec corpus terra obrutum fuisset. Interea temporis neque abluebant corpus, neque bibebant vinum, neq; vllum cibum delicatiorem cōmedebant, neque preciosis vtebantur vestibus. Sepulturæ genera erant tria; primum valde sumtuosum, alterum mediocre, tertium vile. In primum insumebatur Talentum argenti: in secundum XX. minæ: in tertium prope nihil impendebatur. Erant autem rei funeriariæ velut quidam præfecti, quasi ad id officium nati & nutriti; hi ferebant secum libellos impensorum funeralium, conventisq; propinquis mortui, sciscitabantur, quanti defunctum sepeliri vellent: ergo postquam inter eos de precio conventum est, tradebatur libitinariis istis cada-

Digitized by Google

cadaver, vt ea, quæ ad exequias necessaria essent, expedirent. Primus omnium scriba aderat, qui cum corpus nudum humi exposuisset, notabat in eo, vbi fieri deberet incisio in latere sinistro: deinde aderat Sector, qui acutissimo lapide Æthiopico findebat latus mortui, & celeriter aufugiebat. Insequebantur eum assistentes, maledictis lapidibusq; eum impetentes, ac si flagitium aliquod admisisset; persuadebant enim sibi, fieri non posse, quin ille, qui tantum vulnus infligere mortuo ausus fuisset, id singulari in eum odio fecisset. Illi vero, qui condiebant Balsamo aromatibusque corpus, præcipuæ inter eos erant existimationis: hi enim frequentes solebant esse in templis, & versari cum Sacerdotibus. Dum Vespillones & pollinctores ad hunc modum occuparentur circa cadaver, alius secabat intestina, saluo tamen corde & renibus, statimque aderat alius, qui lavabat interiora vino ab Phœnicia petito, permisto bonis odoribus, deinde vngebat totum corpus cedria, mox diversis compositionibus aromaticis, per integrum mensem: neque tamen contenti erant illis tam crebris vnctionibus, sed & parabant infusionem ex myrrha, Cinnamomo aliisque aromatibus, omnia in eum finem, vt non solum cadaver longissimo tempore à putre factione præservarent, sed & vt gratum illi conciliarent odorem.

Ad istum modum pollinctum & paratum corpus reddebant propinquis, cum jam ante membra omnesque corporis partes tam apte adunassent, et iam vsq; ad palpebras & supercilia, vt dormienti esset quam mortuo similior.

His factis habebatur oratio, qua recensebatur omnis ejus vita à prima infantia, quam pius fuerit in Deos, quam doctus, innocens, justus integer, continens. Facto dicendi fine, invocabat orator Deos Infernales, vt mortuo assignarent locum inter beatas animas. Respondebat his precibus populus, magnisque laudibus de mortui nomen ad astra vehebat. Postremo sepeliebat vnusquisq; mortuum suum in proprium suum monumentum: qui autem non habebant peculiaria monumenta, collocabant cadavera suorum in domo inter duos firmissimos muros, sarcophagum statuentes erectum & cæmento obturantes aditum: vt posteri ditiores facti, dissoluto ære alieno quod mortuus debuerat, ipsum exemptum sepelirent honestius.

Cum coacti inopia mutuum acciperent argentum, solebant creditoribus pignori dare corpora propinquorum suorum, quæ si quis non redemisset, non solum perpetuo infamis habebatur, sed & ipse demortuus sepulturæ honore carebat.

Vt autem finem de his dicendi faciam, volebant Ægyptij omnes haberi Nobiles, & olim quidem fuerunt ignavi, delicati, molles, mutabiles, ventosi magniloqui, mendaces. Accedebant alia naturæ eorum vitia, quod etiam superbi & seditiosi essent, & ad novandas res potius apti quam ad expedienda recte negocia. Injurias aliis facile inferebant, cum tamen ipsi validi forteque non essent, externæ dominationis impatientissimi, & qui ob leves causas magnos ciebant tumultus.

Mores Ægyptiorum nostri temporis.

Qui restant nostro ævo ex veris genuinisque Ægyptiis pauci sunt, & fere redacti ad exiguum Christianorum numerum, cæteri Mahometistæ sunt, permixti Afris & Arabibus. Nobilitas enim Ægyptia, quæ se contulerat in oppida maritima, tunc cum Romani Imperij sedes in Græciam translata fuit, recepit se in Thebaidem sive superiorem Aegyptum, cum Mahometani regnum invasissent. Vix tamen est vlla natio, quæ plus retineat ex vltima antiquitate, quam hæc, cum adhuc videantur in vrbibus eodem vestitus genere vti, qui à priscis auctoribus describitur. Qui in vrbibus oppidisque habitant, sunt aliquo modo colore albo: qui vero in pagis & agro commorantur, fusci sunt quam maxime. Sunt autem plerique non mali, in conversatione liberi, nec ingrati: quâquam inferior Aegyptus multis modis superet in civilitate superiorem. Media enim regni hujus non valde adeuntur à peregrinis, nisi ab Æthiopibus, & his quidem ipsis numero paucis. At ea pars quæ secundum littus maris porrigitur, aditur à multis exteris, Afris, Europæis & Assyriis. Hilaritati magis dediti sunt, quam vlla alia gens, in saltationibus, Choreisque immodici, vt nonnunquam etiam cum vitæ periculo saliant.

Tunicis vestiuntur strictis, ab anteriori parte consutis, & ad talos vsque demissis, cum manicis pariter angustis. Æstate vero amiciuntur tela Xylina versicolori, hyeme pannis crassioribus. Mercatores tamen & ditiores inter cives vestes sibi conficiunt è panno Europæo precioſiore. Capite vniversi teguntur pileo Turcico, quem Tulipanem vocant, distinguunturq; diversarum Sectarum homines per Ægyptum solo capitis tegmẽto, quod & in aliis locis fit per Imperium Turcicum. Femoralibus vtuntur, qualibus antiquissimi Aegyptii vsi fuerunt. Mulieres nunquam prodeunt in publicum nisi velata facie, quod tamen non in hoc duntaxat, sed omnibus regnis fit, quibus Turcæ imperitant.

Ait Leo Africanus, Aegyptios in prandio & cæna sæpe vti caseo recenti & musteo, sed valde salso, vt & acido lacte, & certo quodam modo coagulato. Etsi autem has res inter primas delicias reputant, peregrinitamen ne gustare quidem tale quippiam possunt, quod quidem hominibus istis non fit verisimile: nam omnibus cibis lac istud magno exterorum fastidio admiscent.

Domicilia eorum vulgo sunt tam humilia, vt canibus recipiendis non hominibus structa videantur, cujus rei causa est, quod fere in iis cubent & dormiant, cibum vero capiant sub viridibus arboribus, in primis palmis, vt earum tecti vmbra liberiore fruantur aëre. Amant enim Aegyptij & Arabes præ omnibus aliis gentibus, noctem continuam in nuda cubare humo, sub dio, nec nisi stra-

Digitized by Google

gulo vili tecti, aut veste, qua per diem vsi sunt. In nandi arte præstantissimi sunt, quam quidem coacti addiscunt, cum singulis annis terra ab inundante Hilo obtegatur: ibi oportet vt alteri alteros adire cupientes, de loco in locum natent, cum non semper nec omnes possint vti scaphis lintribusque. Alexandrini, adeoque fere omnes Vrbium Ægyptiacarum cives Arabica & Africana loquuntur lingua: at Turcæ qui illis passim permixti sunt, diverso ab illis vtuntur idiomate.

Postremo de Troglodyticæ incolis hoc dicere habemus: esse eos rudissimos, pauperrimos, barbarissimos, breviter, infelices: quod quidem verissimum est de indigenis Troglodytis Arabibus. qui enim inter hos habitant Turcæ & Arabes cæteri, paulo vivunt lautius.

Vetus Gubernationis ratio.

Fuit vniversa Ægyptus olim divisa in plures partes, Nomos, sive Præfecturas, dabatque quivis Præfectus operam, vt in sua provincia omnia recte atque ordine fierent. Cæterum tributa & proventus regni trifariam dividebantur. Prima pars cedebat Sacerdotibus, qui suprà modum honorabantur à Populo, non solum quod Sacrosancti & cultui Deorum consecrati essent, sed & quod cæteros doctrina anteirent. Percipiebant autem hanc primam proventuum partem Sacerdotes, vt eam impenderent in sacrificia & sacratum Aedium ornamenta: deinde vti pauperum inter eos sublevarent egestatem. Neque enim Aegyptij oblivisebantur quicquam eorum, quæ ad Sacra pertinebant, neque putabant fas esse, vt ij destituerentur alimonia, qui plus aliis scirent ad vsum Reipublicæ, cum Sacerdotes semper vocarentur in Senatum, vt sua conjungerent cum cæteris consilia, prædicentes nonnunquam futuros eventus, vel ex principiis Astrologicis, vel ex inspectione extorum in immolatis victimis. Sed & Historiarum habebant cognitionem, norantque veterum regum præclara texere facta, quibus posteros ad virtutis æmulationem accendebant.

In Sacris plurimum differebant Aegyptij à consuetudine Græcorum, qui volebant, vt vnus tantum vir, aut vna mulier præesset rebus sacratis. At illis placebat, multos simul eundem participare honorem, pluribusque se simul addicere diis, ita vt etiam is honor hæreditario jure ad liberos eorum propagaretur. Erant autem sacrosancti isti pariter immunes ab omni exactione pecuniaria, vectigalibus & Subsidiis, erantque à Rege primi in toto regno.

Secunda pars proventuum regni cedebat Regi, qui eos impendebat in necessarios vsus Reipublicæ, puta in bellum, alimoniam Aulicorum, quique inde virtutis præmia persolvebat viris fortibus & de patria bene meritis. Et hinc fiebat, ne populus tributis aut exactionibus præter ordinem gravaretur, cum vel à rege militibus solverentur stipendia, vel ex Tertia parte proventuum darentur præmia, qui in hunc vsum constituti fuerunt, vt quivis promptiore animo proficisceretur ad bellum, illectus præmiis virtutis, & vitam suam exponeret periculis.

Sed & eorum Respublica trifariam divisa fuit, ad totius Corporis sustentationem: nempe in Laboratores, Pastores, Artifices. Primis elocati fuerunt agri à Regibus, precio non magno, vbi se exercerent in colendo rure à prima pueritia, potissimamque partem ætatis ita tererent: vnde fiebat, vt præstantissimi evaderent Agricolæ, partim natura & instituto majorum, partim vsu & exercitatione.

Pastores toti erant in curandis gregibus suis, qui & ipsi ex disciplina Majorum omnem vitam in hoc genere transigebant. De opificibus ita sentiendum est: dubium non esse, quin pleræque artes Mechanicæ in Aegypto ad suam perfectionem pervenerint, cum ij, qui ad has semel animum applicuissent, nulli alij se implicarent officio, cum lex juberet quemque id exercere opificium, quod à majoribus suis velut hæreditate accepisset, neque tales admitterentur ad tractanda negocia Reipublicæ, vt ita verisimile sit, eos omni studio in suo quemque genere ad perfectionem annixos fuisse, cum non haberent spem, in alio vitæ genere emergendi.

In judiciis nihil fiebat temere aut superficiarie, sed omnia magna cum prudentia, cum non ignorarent, recte facta magnum ad exemplum in Republica obtinere momentum. Quin & ita sentiebant, non esse validius remedium ad exterminanda flagitia, quam si scelerati punirentur, oppressi vero & afflicti velut porrecta manu sublevarentur: contra vero nihil nocentius, quam flagitiosos impunitos dimittere: nullus igitur hic erat vel gratiæ vel donis locus. Hac de causa eligebantur in vrbibus, Memphi, Heliopoli, Thebis, aliisque primi nominis, viri graves & famæ integræ, vt exercerent judicia, à quorum sententiis non magis dabatur provocatio, quam ab Areopagitis apud Athenienses. Hi autem judices, qui triginta omnino erant, eligebant Præsidem & Caput Consilij eum, quem sciebant excellere virtute, sapientia, integritate, substituto in locum ejus alio, vt numerus judicum perfectus esset. Alebantur autem hi ex publico, non sine magnis sumtibus; inprimis largiter suppeditabatur Præsidi Senatus, qui gestabat collo Torquem Aureum cum appenso signo Veritatis: præferebantur etiam ei libri Legis, numero octo, ne posset aberrare à recto in judicando. Erat autem moris, vt qui alium de crimine accusare vellet, scripto conciperet actionem, adhibita omni diligentia, ut casus sive factum accurate narraretur, & quo modo se læsum existimaret. Reo dabatur tempus ad respondendum satis amplum, vt posset, accusationis capita diluere, ita tamen, vt pariter id scripto faceret. Iudices, audita vtraque parte disceptata causa in consilio, rem ita decidebant: Præses vertebat imaginem veritatis in eum qui melior niti videbatur causa, atque ita definitivam ferebat sententiam. Et hæc fuit antiqua litigandi & exercendi Iudicia apud Aegyptios ratio & modus.

Cum autem eorum Leges & statuta in genere attigerimus, non erit alienum à nostro proposito, pressius aliquanto antiquas hujus gentis constitu-

Digitized by Google

stitutiones considerare: vnde patebit, rectius consuluisse suis rebus quam pleroſque alios populos, & leges eorum fuiſſe ſaluberrimas.

Primum igitur qui ſciens peieraſſet ſine dubio interficiebatur, vt qui duplex admiſiſſet crimen; quod non reveritus fuiſſet Deos, & quod aboleviſſet fidem, vnicum in rebus humanis ſocietatis vinculum.

Qui viatorem ſpoliari atque opprimi vidiſſet, neque eiopem tuliſſet, aut mortem ejus non impediviſſet, cum tamen id facere potuiſſet, & ipſe morte afficiebatur. Si eum conſervare non potuiſſet, tenebatur factum deferre ad Magiſtratus, & indicare latrones, ſi eos cognoviſſet. Si ne hoc quidem feciſſet, raptus in judicium, flagris cædebatur, recepto certo ictuum numero, & per triduum detinebatur in carcere. Qui alium falſo accuſaviſſet, convictus calumniæ, eandem ſufferre cogebatur pœnam, quam alter ſuſtuliſſet, ſi ſceleris convictus fuiſſet.

Alia quædam Lex jubebat Ægyptios deferre nomen ſuum ad Prætorem, ibique profiteri, an in Laboratorum, an Paſtorum, an Opificum numero eſſent: ſi quis mendax deprehenſus fuiſſet, aut turpi lucro tranſigere vitam, ſeveritate legis ad mortem condemnabatur.

Si quis hominem ſciens prudens, & cum certo propoſito interfeciſſet, nõ habens juſtam cauſam, ſive interfectus Ingenuus fuiſſet ſive Servus: & ipſe ſine exceptione morti addicebatur, cum leges non diſtinguerent inter conditionem homicidæ: ſi enim ij, qui ſervos interemiſſent, tam rigide puniebantur, exiſtimabant ingenuorum vitam eo magis in ſaluo fore.

Parentibus, qui Liberos ſuos interfeciſſent, Legiſlatores Ægyptii certum ſupplicium non conſtituerant, ſed cogebantur totum triduum & trinoctium juxta cadaver exigere: à quo ne diſcederent, erant conſtituti certi homines, qui eos obſervarent. Quod autem illi facto tam mite conſtituiſſent pœnæ genus, cauſam afferebant, quod non videretur fas eſſe, eripere illi vitam, qui alteri dederat, arbitrabanturque ſatis ſupplicij fore, ſi dolore illo interno & pœnitudine acerbiſſima lueret pater iracundiæ præcipitantiam, putantes inſuper, quavis morte id eſſe acerbius, vitam in perpetua tam horrendi ſceleris memoria tranſigere.

Si quis autem facta Naturæ ipſi iniuria Patrem interfeciſſet, huic ex legibus crudele ſubeundum erat ſupplicium; confoſſus enim & laceratus cultellis, ſtylis & acutis arundinibus, deinde vivus comburebatur: quod putarent, deteſtabilius crimen in mundo inveniri non poſſe, quam privare vita eum, per quem ipſe vitam & nutrimentum acceperis.

Prægnans mulier ad mortem condemnata, non occidebatur, niſi prius perperiſſet; nefas enim exiſtimabant, duas pro vna committere cædes, & interimere innoxium puerum.

Militares Ægyptiorum Leges tales erant. Qui deſeruiſſet ordinem in acie, aut non paruiſſet Tribuno ſuo, ignominia afficiebatur, orbatus omni futuri honoris ſpe. Sed & interdicebatur ei penitus vſu armorum. Hujus legis ſeveritas ignaviam adimebat militibus, vt præferrent glorioſam mortem turpi & in æternum ignominioſæ vitæ. Qui ſecreta conſilia hoſti prodidiſſet, & cum eo pactus fuiſſet, huic exſcindebatur lingua: qui vero adulteraſſet Monetam, aut corrupiſſet pondera & menſuras, quique aliena imitatus ſigilla corrupiſſet litteras, aut ſuppoſuiſſet teſtamenta: huic publice amputabatur vtraque manus, vt membra, quæ peccaſſent plecterentur, neve quid tale imposterum falſarius facere poſſet.

Compar erat legum ſeveritas adverſus eos, qui in mulieres deliquiſſent. qui enim vi ſubegiſſet liberæ conditionis mulierem, huic virilia præcidebantur, peni inquam cum geminis teſticulis, vt amiſſione trium inſtrumentorum triplex lueret peccatum: injuriam, raptum & corruptionem alienæ fœminæ, quodque auſus fuiſſet, ſuppoſitis ſpuriis eos cum legitime natis confundere. Qui in adulterio deprenſus, vim mulieri nullam feciſſet, is damnabatur ad mille ictus virga infligendos, mulieri vero nares amputabantur, vt eo vulnere fœdaretur facies, quæ adultero tantopere placuiſſet.

Earum legum, quæ in mercimoniis & negociatione obſervabantur, auctor putatur fuiſſe Bocchoris: quæ jubebant, vt ſi quis negaret ſe accepiſſe pecuniam, eo quod ſyngrapha nulla præſto eſſet, creditori tamen crederetur, ita, ſi juraſſet ſe argentum credidiſſe: tanti enim faciebant Ægyptii juramenti religionem, vt non putarent quenquam illud facile violaturum. Cum enim iis, qui in rebus levis momenti & temere jurant, fides ferme adhiberi non ſoleat: ita ipſi ſedulo dabant operam, ne viros graves & compertæ fidei facile ad juramentum adigerent, ne famam exiſtimationemque integritatis amitterent. Sed nec dubitari volebant de fide ejus, qui alij argentum ſine Chirographo præſtitiſſet, cum juraret in propria ſua cauſa. Vetitum inſuper erat, ne vſura ſcripto comprehenſa, æquaret duplum mutui: jubebaturque creditor, bona tantum debitoris, non ipſum corpus invadere, vel eum mancipem facere aut in nervum dare. Bona enim debitorum creditoribus, corpora autem Reipublicæ obligari: vnde ne milites quidem ob debitum in carcerem rapi volebant, ne fas arbitrantes, eos, qui pro ſalute patriæ vitam impenderent, alieni lucri gratia diſtineri vinculis.

Lex Ægyptiorum De Furto talis erat. Qui furto vitam ſuſtentare conſtituiſſent, debebant profiteri nomen ſuum apud Summum Pontificem & huic afferre res raptas, ſimulac furtum commiſſum fuiſſet. Alterum viciſſim, qui re ſua ſpoliatus fuerat, oportebat apud eundem Sacerdotem indicare diem & horam, qua rem ſuam amiſerat. Ad hunc modum furto facile detecto, is qui amiſerat ſua, recipiebat, illico, præter quartam partem, quæ furi manebat, eratque hæc velut caſtigatio alteri, quod rem ſuam non ſtudioſius cuſtodiviſſet: malebatque Legiſlator, partem rei ablatæ perire quam totum.

Sacerdotes ſinguli ſingulis vxoribus contenti erant: cæteri tot ducebant, quod volebant vel nutrire

trire poterant. Nemo inter eos spurius existimabatur, etsi serva genitus fuisset, quod solum patrem auctorem generationis arbitrarentur, mulierem autem duntaxat receptaculum fœtus, quæ & eum postea nutriret. Erat autem facilis nec sumtuosa educandi liberos atque nutriendi ratio, cum iis vel radices junci, vel alias res viles carbonibus candentibus tostas in cibum darent, vel etiam herbas temere collectas & aqua elixas, aliquando etiam crudas. Pueri incedebant pedibus nudis, quin & majorem anni partem omnino nudi, quod aër ibi perpetuo tepescat. Ita fiebat, vt omnes sumtus, quos mater in alimoniam pueri impendebat, vsque ad pubertatis annos, vix accederent ad XX. drachmas.

Sacerdotes instituebant pueros in litteris tam sacris quam profanis, docentes eos inprimis Geometriam & Arithmeticam. Ad pugilatum & Citharam adsuefieri eos nolebant, quod prius nimis periculosum putarent, posterius leve.

Qui iter faciebant aut militabant, si forte in morbum incidissent, gratis curabantur, quod Medici vbique præsto essent: quibus numerabantur è publico salaria, vnde & Lex eos jubebat curam ægrorum gerere, & in eo præsciptam ab antiquis medendi rationem observare. Si Medicus fecisset quod in libris sacris perscriptum erat, & tamen moreretur æger, nemo ipsum de cæde accusabat. si vero vsus fuisset aliis remediis, etiamsi morbidus convaluisset, id Medico impune non erat: tanti faciebant antiquorum placita præ periculosis Neotericorum inventis.

Porro Ægypti reges non adeo abutebantur potentia sua ad omnem licentiam, vt aliarum Nationum Principes, quibus pro lege est voluntas; cum eos tam in alenda familia Aulica quam in colligendo tributo sequi oporteret leges & consuetudines regni, vt Diodorus Sic. refert. Ministeria Regum & Comitiva Aulæ non legebantur è servis, sive extranei illi sive domi nati fuissent: sed ex Illustrium Nobiliumque virorum filiis atque Sacerdotum, qui iam vigesimum annum superaverant: quod non dubitarent, ingenuos hosce virtutis magis studiosos & dicto audientes fore, ipsumque regem, verecundia tam nobilium ministrorum, nihil designaturum, quo fama ipsius detrimentum caperet, cum in eorum facie & oculis omnia facturus esset. Erant autem Legibus constituti certi dies & horæ, quibus rex tractaret negocia Reipublicæ: mane enim recipiebat litteras, epistolas, libellos supplices, & commentarios rerum gerendarum. Hoc facto comitatus agmine hominum prudentum, lavabat corpus, indutusque preciosis vestibus ibat salutaturus Deos & oblaturus sacrificia. Huc vbi venisset, adducta jam ad aras victima, Sacerdos alta voce, audiente toto populo, precabatur Regi longam & felicem vitam, si comis esset erga multitudinem, & justus in actionibus. Finitis precibus digrediebatur in laudem Regis, ejusque prædicabat longo ordine virtutes. Si quid in eo desideraretur, benigne id excusabat, translata culpa in ministros regios. His peractis, hortabatur Sacerdos regem, vt integritate & vitæ innocentia se Diis charum præstaret, vtque sequeretur præcepta sapientum, quæ ipsum haud dubie ad virtutis & honoris tramitem perductura essent.

Ad extremum, postquam rex immolasset taurum Dis patriis, prælegebat ei Sacerdos dicta & facta Illustrium hominum, commonefaciens eum vt populo se suavem præstaret & exemplar Iustitiæ in omnibus suis actionibus, procul valere jussa avaritia & congerendi in fiscum auri desiderio. Et hæc quidem publice: sed & privata regis vita certis cohercebatur legibus, quibus obtemperaret in capiendo cibo, de ambulando, exercendo corpus, lavando obsequēdo rebus Veneriis aliisque: ne limites exiret mediocritatis.

RELIGIO ÆGYPTIORVM.

Inveniuntur in Ægypto Mahometani, Christiani & Iudæi, quanquam hi minore numero. Et de Iudæorum quidem ac Mahometistarum superstitionibus alibi dicendi locus erit. At Christiani per Ægyptum vel peregrini sunt vel inquilini. Peregrinos voco, qui eo veniunt negociandi gratia inprimis in Vrbibus Alexandria & Cayro. Cum enim regnum hoc inter duo Maria situm sit, Rubrum & Mediterraneum: conjungit aliquo modo Occidentem cum Oriente per amplissima mercimonia, estque velut via aut transitus, per quem opes Indiæ atque Orientis communicantur Afris, Europæis atque Asiaticis. Huc ergo venire videas non solum Venetos, Florentinos, Ragusienses magno numero, sed & Gallos, Anglos & Germanos Inferiores. His omnibus, si exigant, præstant operam suam in Spiritualibus Franciscani Monachi, qui commorantur Hierosolymis, qui incedentes per Ægypti loca administrant Sacramenta & cōcionantur è verbo Dei Christianis Latinis, per regnum istud negociantibus: facitque Anglorum Belgarumque, qui frequentes sunt in his oris, à Catholica fide dissensio, vt necessaria sit eorum opera. etiamsi istorum multis neque tanti momenti neq; necessitatis esse credatur Christiani nativi in Ægypto, qui restant de tot Barbarorum inundationibus & crudelitate Saracenorum, Mammelucquorum & Turcarum, ad paucos è maximo numero redacti sunt, cum vix quinquaginta millia capitum putentur esse, sparsa quidem per varia loca, inprimis per oppida, Cayrum, Messiam, Montem salutis, Buquetum aliaque oppida in ripa vtraque Nili. Plurimi etiam sunt Miniæ, in cujus agro multa eorum visuntur monasteria, S. Antonij, Pauli & Macarij, quæ tria in omni Ægypto sunt celeberrima. Primum, S. Antonij est in Troglodytica, in eo mōte, vbi Antonium Eremitam sæpe à Diabolis percussum asserunt. Secundum non longe inde distat in medio deserti. Tertium visitur in desertis Bulacensibus, in parte occidentali trans Nilum. Est autem hoc Monasterium, quod Nitri in monumentis antiquorum dicitur, ea opinor de causa, quod aquę Nili in ea regione extra alueum suum egressæ, vi

Solis

Solis condenſentur in ſalem & nitrum. Ad ſextum milliare ab vrbe Memphi, ſupra ripas Nili magnificum ſpectatur Monaſterium ſub nomine S. Georgii. Fuerunt aliquando in eo CC. Monachi magna viatorum illac tranſeuntium commoditate, qui hic excipiebantur hoſpitio & gratis reficiebantur. Cum autem ante annos CL. atrocis peſtilentiæ ſævitia omnes Monachi è medio ſublati fuiſſent, manſit locus ab eo tempore deſertus.

Vt autem dicamus, qualeſnam ſint ij Chriſtiani, ſciendum eſt, eos Cophitas dici, & Chriſtianos de Cingulo. Hi quamvis Baptiſati ſint vt nos, circumciduntur tamen etiam, vt Iudæi, vt ideo quidam dicant, Fidem eorum non porrigi infra Cingulum. Quod autem prope peius eſt, ſequuntur iam ferme à mille annis Hæreſin Eutychianam, per quam ſeparantur ab vnione cum Romana Eccleſia. Huic Schiſmati occaſionem dedit Concilium Epheſinum, quod Dioſchorus pro Euthychianis coëgerat, qui jam damnati erant cum auctore ſuo in Concilio Chalcedonenſi, per DC.XXX. patres Eccleſiaſticos, quos Leo Imperator convocaverat. Ergo Cophitæ cum metuerent, ne cogerentur fateri in Chriſto duas Hypoſtaſeis, ſi duas Naturas admitterent, dum volunt vitare errorem Neſtorij, facti ſunt Eutychiani. Sacrum ſuum peragunt lingua Chaldæorum, ſæpius admiſcentes vocem *Alleluia*. Cum eo deventum eſt, vt Sacerdos Pacem precetur adſtantibus, qui inter illos junior eſt, tangit manum omnium eorum, qui Sacro interſunt: poſt facta conſecratione dat ſingulis buccellam panis ſimplicis, quotquot participare cupiunt. Obediunt autem Patriarchæ Alexandrino, glorianturque, eandem ſe ſequi Fidem & Religionem cum Magno Abyſſinorum rege.

Forma Reipublicæ & Gubernationis in Ægypto, poſt inclinationem Rom. Imperij.

Numerant Ægyptij circiter CCC. annos ab eo tempore, cum ex liberis, nobilibus ingenuiſque facti ſunt ſervi reducti ſub Romanorum dominium, poſt quod tempus variis fortunæ viciſſitudinibus jactatum fuit hoc Regnum. Antequam autem videamus, quo pacto imperio avito & antiqua libertate exciderint, operæ precium eſt conſiderare, quas mutationes, quas tempeſtates regio illa perpeſſa fuerit, & ad quem finem redacta ſit fortuna Ægyptiorum. Igitur Ægyptus, poſt collapſam auctoritatem & diviſionem Romani Imperii, cum primum habuiſſet Reges Pharaones, deinde paruiſſet Perſis, tertio Ptolemæis, poſtremo Romanis, qui eam in Provinciæ formam redegerunt: tandem nacta eſt dominos Imperatores Conſtantinopolitanos. Sed non multis annis poſt pertæſi Aegyptij faſtum, avaritiam & ſuperbiam Græcorum, cum in iis etiam parum eſſet præſidij: deſertis Græcis, vocaverunt in auxilium Saracenos, quorum ope & armis omnes Græcos è regno ſuo profligaverunt, electo ſibi Rege Calipha, Duce Militiæ Saraceno, qui ſe è poſteris Mahometi Pſeudoprophetæ genus ducere gloriabatur, qui ſecum invexit Leges Mahometanas, è doctrina Arianorum & ſuperſtitionibus Iudaicis compilatas, & iam à pleriſque Orientis gentibus receptas. Poſt hunc Calepham omnes qui eum ſecuti ſunt Aegypti Reges, aſſumſerunt ſibi nomen *Calipharum*, renovata Pharaonum & Ptolemæorum conſuetudine.

Vltimus hujus nominis Rex incidit in ea tempora, quibus Chriſtiani Europæi duce Godefrido Bullionæo totam Aſiam Syriamque victricibus pervagati armis conſtituerunt Regnum Hieroſolymitanum. Huic regi cum admodum moleſtus eſſet Almericus Rex Hieroſolymorum, qui Balduino ſucceſſerat, & Aegyptius Chriſtianorum armis ſolus par eſſe non poſſet: vocavit in auxilium Sultanum Syriæ: qui nihil cunctatus, cum ipſe exercitum duxiſſet in Palæſtinam, fractis Almerici viribus, Aegyptum quoque invaſit, eo ſucceſſu, vt victo atque capto Calipha, totum regnum obtinuerit, cum Caliphas nihil minus quam hominis amici tantam perfidiam & crudelitatem metueret.

Ab eo tempore, cum Caliphæ poteſtatem regiam perdidiſſent, rerum Divinarum ſumma penes illos fuit, vt facti Antiſtites, haberent poteſtatem firmandi Reges, vt videmus Imperatoribus Romanis longiſſima conſuetudine accidere per Summos Pontifices.

Sarraconi, (id enim nomen fuerat Sultano Syriæ) ſucceſſit *Saladinus* filius, qui, cum & ipſe fidem fefelliſſet, acie vicit fugavitque Chriſtianorum exercitus per Syriam & Palæſtinam, exhauſtiſque penitus eorum viribus, abolevit totum regnum Hieroſolymitanum.

Poſt Saladinum, qui moriens regnum reliquit fratri, multi regum filij & nepotes obtinuerunt Aegyptum, vſque ad *Melechſalam*, qui cum eſſet vltimus ex eorum regum linea, perpetuis vexavit Chriſtianos bellis cumque in tot bellis & præliis pleroſque veteranos & omne robur exercitus perdidiſſet, parum credens fidei & virtuti Aegyptiorum, conſcripſit exercitum validiſſimum ex mancipiis ſerviſque quos coëmerat. Invaſerant circa id tempus Tartari, Natio Scythica, facta irruptione per montes Caſpios, Armeniam Aſiamque: cumque ſub haſta venderent innumeros homines, quos per Comaniam & Cappadociam vivos ceperant; Melechſala nactus occaſionem, coëmit magnum eorum numerum præſenti pecunia, eoſque ſecum in Aegyptum deductos, armis inſtruxit, quorum opera non tantum defendit limites regni ſui, ſed & obſedit S. Ludovicum Galliæ Regem in caſtris ſuis ante Damiatam, quæ olim Heliopolis fuit ſive Peluſium: cumque egreſſum caſtris memorabili prælio viciſſet, Regem quoque vivum cepit, qui deinde perſoluto Lytro ſe redemit, relictis interim obſidibus Gallorum Nobiliſſimis. Poſtremo cum ſervi iſti milites ipſi conſpiraſſent in Melechſalam dominum ſuum, trucidaverunt eum: & hic fuit finis tam illuſtris de Chriſtianis victoriæ. Occiſo Rege, vir Comanorum omnium fortiſſimus, nomine *Turque-*

Digitized by Google

quemanus, principatum invasit: cumque se in eo collocatum fastigio videret, oblitus pristinæ sortis homo amens, cæpit contemnere socios, magnaq; in eos vti insolentia, qua offensus nobilis quidam Comanus, Cathus nomine, ingressus Palatium novitij regis, trucidavit hominem indulgentia fortunæ ebrium.

Cathus cum Rex & Sultanus salutatus fuisset ab exercitu, concidit ingentem Tartarorum numerum, quos Hialon in Syria reliquerat, ipse paulo post proditione circumventus & concisus, accipiente regnum in parricidij præmium Bandocaderio successore.

Qui *Bandocaderius* homo militaris & audax, invadens cum exercitu Comanorum servorum Richardum Angliæ Regem, & ipsum & quicquid reliquum fuit Christianorum in Syria, exterminavit.

Bandocaderio veneno è medio sublato *Elpis* regnum tenuit, & post hunc *Melechus* & *Vstrephus*, quorum ille Christianos Tripoli vrbe ejecit, alter aggressus armis Ptolemaidem, quæ sola in Oriente miseris adhuc restabat Christianis, coëgit eos facta deditione vrbe excedere.

Etsi autem Ægyptus ab eo tempore multos habuit ex hoc Comanorum genere reges, viros vtique fortes & strenuos, eorum tamen nomina ad nostram memoriam non pervenerunt, quod eorum res gestæ, quas magnas atque memorabiles fuisse res ipsa loquitur, litterarum monumentis consignatæ non fuerint. Inter omnes tamen, avorum nostrorum memoria celeberrimus tum ob potentiam tum ob virtutem bellicam fuit *Caritbeius*, qui cum bellum illud servile per manus à maioribus suis accepisset, auxit id majore diligentia, & liberalitate, quam quivis antecessorum ejus: ita tamen, vt in perpetua specula eum esse oporteret, ne Mammeluccorum servi novi quid moverentur, qui paulo ante conjuraverant, & molestissimum bellum concitaverant, contra ipsum Regem & Nobilitatem ejus.

Hic est ille *Caritbeius* Sultanus, qui cum Ægypti Rex esset, audita Principum Christianorum singulari virtute & magnificentia, non vnum benevolentiæ in illos genus ostendit, cumque plurimi eos faceret, misit Camelo-pardalim, incredibilis altitudinis & miræ speciei bestiam, dono Florentinorum Principi Laurentio Medici. Hic ipse, cum Turcas in Cilicia prostravisset, Persas vero, qui Syriam ab Mesopotamia invaserant, debellasset, domitisque Arabibus victricia signa Mecham vsque promovisset; Magni cognomentum inde adeptus, exiit è vita anno regni sui XXXIII. eodem tempore, quo pugnatum est ad Tarum inter Gallos Venetosque.

Mortuo Caritbeio summa rei cum auctoritate penes duos erat; Achardinum & Campsoniam. qui cum diu inter se super Principatu digladiati fuissent, magnaque crudelitate bellum gessissent, perturbata vniversa Syria & Ægypto: *Mahometus*, Caritbeij filius, arrepta occasione invasit Principatum. At hic Mahometus, qui sedem paternam contra leges & constitutiones invaserat, cum perpotaret inter servitiorum & concubinarum gregem, concisus fuit per quendam Circassum: qui, quod tam illustre facinus ausus fuisset, & videretur restituisse jus eligendi Principis Mammeluccis, salutatus fuit Sultanus Ægypti, faventibus homini vniversis militibus. Hoc tamen non obstante, *Giapalatus*, qui fuerat Præfectus Damasci & Syriæ, progressus cum exercitu Cayrum vsq; dejecit hominem de Solio regio, eumque longo mancipavit carceri.

Vicissim *Giapalatus*, cum regnaret crudeliter, avare & Tyrannice, adeo offendit adversam factionem, vt comprehensum hominem, manciparent firmissimo carceri apud Alexandriam, commissa Tomubejo custodia ejus. Hic vero *Tomubeius*, quasi nihil ei ad Principatum deesset, quam vt omnibus modis superaret in crudelitate & tyrannide, adde & avaritia & omni sceleris genere Giapalatum, cui secreto fauces eliserat, ita pro principe carnificem egit, vnde cum in populi & militum odia incurrisset, convenientes Mammalucci decretum fecerunt, vt captus suspendio puniretur. Sensit id Tomubeius; igitur cum conatus fuisset per cryptam quandam subterraneam evadere, ab amicis Giapalati fugitivum persequentibus deprehensus & mactatus est.

Hoc trucidato Proceres Aulæ Ægyptiæ, vt obviam irent cruentis seditionibus Mammaluccorum, qui hactenus scissi in partes, per integrum quadriennium mutuis ad regni sui interitum inter se digladiati fuerant lanienis, obtulerunt Principatum *Campsoni Gaurio*, homini bellicoso, justitiæ amatori minimeque ambitioso. Hic attonitus tam recenti tot Sultanorum calamitate, quos nimia superbia in præcipitium lapsos constabat: postquam à Proceribus regni & ducibus militum in Palatium humeris delatus fuisset, constanter recusavit Principatum, noluitque Sultanus appellari, indignum se subinde clamitans. Cum autem nihil efficeret, fullantibus aqua oculis obsecrare amicos, rogare proceres, vt se privatum vivere sinerent, contentum illo vitæ genere, neve sibi manifestum vitæ conciliarent periculum, non habenti aurum quod inter milites distribueret, vt priores Sultani fecerant: sed & rempublicam in illa confusione alio egere capite, in quo plus esset auctoritatis & sapientiæ. Contra monebant eum Principes regni, ne stolida obstinatione aut intempestiva modestia, contemneret pulcherrimam ridentis fortunæ occasionem: quin imo, quo magis afflicta esset respublica, eo magis ipsum debere laboranti succurrere. Acciperet igitur, quod felix faustumque esset magnum illud & Augustum Sultani nomen, quod vniversorum consensus ei offerret.

His exhortationibus confirmatus Campson, passus est se regem & Sultanum appellari, vtique cum omnes conceptis verbis juravissent, non defuturum illi quicquam, quod ad conservandam Principis majestatem esset necessarium, cum in manu ipsius essent futuri singulorum thesauri & facultates: sed nec milites exacturos quidem solenne Donativum, antequam Præfecti rationum & Quæstores id sub auctoritate publica è tributis & collationibus Provinciarum collegissent. Sic cum Campson susceptæ administratione Ægypti, Millionem

Auri

Auri, vt loquuntur, inter milites distribuisset, & singulari in tanto fastigio moderatione magnam de se existimationem concitavisset, restituit primum omnium perturbatę provincię pacem, sedatis turbis & tempestatibus, sublatis veneno novitatis & tumultuum auctoribus, vt hac hominis prudentia & dexteritate per annos XVI. neque in Ægypto neque Syria tumultus, aut bellum civile exortum fuerit. Et sic campson posset inter bonos & felices Principes referri, si magis amavisset in pace & opulentia vivere, & domestica perfrui quiete, quam acceptis temere armis fortunam periclitari.

Accidit aliquando, vt Iachis & Cadilescher, Legati Turcici, profecti ab Agogna, intra paucos dies venirent ad Sultanum Campsonem, qui tunc habebat castra ad Orontem fluvium, cui nunc nomen est Farfaro. Hi igitur, cum amice & humaniter ab eo excepti fuissent, ea quæ in mandatis habebant, oratione compta nitidaque exposuissent convocato in Prætoria Castra Senatu respondit Campson: Antiquam hunc esse Sultanorum Ægyptiorum laudem, vt ipsi, qui facile primi essent in religione Mahometana, magna cura & industria cæteros quoque Principes Mahometistas in pace & concordia conservarent: in quam rem ipse hactenus vnice incubuerit, & eadem de causa cum exercitu in Syriam venerit, vt pacem cum Persarum rege persuaderet Selymo: qui si obstinatius pergeret in gerendo bello & oppugnando Ismaële Sophe, socio suo & confœderato, se non posse ei deesse: sed nec fas esse, Selymum, hominem ambitiosum & alieni regni cupidum, vt desiderijs suis satisfaciat, ita cælum terræ, divina humanis miscere.

Legati, etsi scirent, Selymum nequaquam depositurum arma, simulabant tamen, maxime sibi pacem cordi esse, neque se dubitare, quin persuasuri essent ei, vt cum Ismaële paciscereturr: sibi enim molles viri aditus & secreta consilia nota esse. Hac spe plenus Campson, dimisit Legatos, regijs affectos muneribus: qui statim profecti sunt ad Selymum, qui tunc erat Cæsareæ. Altera ex parte Campson, cum castra movisset ab Oronte, venit in Comagenam ad Alepiam vrbem, quam ex ruderibus Hierapoleos extruxit Alypius, Præfectus Iuliani Imperatoris: quamque deinde Hialon Scytharum Rex oppugnatione captam spoliaverat & exusserat, quod ei nimis pertinaciter restitisset: quod accidit circa id tempus, cum Christiani super possessione Iudææ & Syriæ digladiarentur cum Sultanis Ægyptijs.

Selymus cum intellexisset ex Legatis suis, qui ab Syria redierant, & omnia diligenter speculati fuerant, causam adventus Campsonis, & ejus arrogantiam, statuit omisso Persa ipsi bellum inferre, fingens autem se in Persas moturum, præmissis ante exercitum impedimentis ad Sinacum vrbem, quæ olim Sebaste dicta fuit, deinde distributis ijs per Mesopotamiam, ipse cum copijs in Comagenen proficisci statuit, & hostem ex improviso adoriri: prius tamen hoc consilium suum aperuit Ianitsaris sive Prætorianis militibus, qui omnes sublatis manibus clamabant, duceret quo vellet. Igitur Selymus raptato exercitu per vias difficiles & vulgo incognitas, sed breviores, subinde pollicebatur militibus, se liberaliter recompensaturum omnes illos labores & molestias viæ. Hinc missis speculatoribus, jubebat explorare, vbi esset Campson cum exercitu: ipse interim magna industria cavebat, ne Campson de suo adventu cognosceret. Postremo, cum jam nunciaretur, adesse Selymum cum exercitu, Campson, qui nihil magis optabat, quam acie confligere, statuit ei, si vellet, pugnæ copiam facere. Castra ejus erant loco commodo & securo supra Singam fluvium. Habebat secum Mammaluccorum vix bene XII. millia, servorum autem optime armatorum & magna ex parte equis insidentium numerũ multo majorem. Quid multis? habebat Campson exercitum instructissimum & pene invictum, si prudentia in pugnando vti voluisset.

Mammaluc qui longis barbis horridi, minacibus oculis, quadratis & musculosis corporibus, cum nativo robore conjunxerant dexteritatem & agilitatem. Igitur cum strueretur acies, admirabilem ostendebant scientiam, nec minorem in ipsa pugna. Fractis enim primo concursu hastilibus, non vnum pugnæ genus ciebant, nunc vtentes arcu & sagittis, scutis in tergum rejectis, nunc clava ferrea, alias Acinace Persico hostem ferientes, vt locus & conditio pugnæ exigebat. Equi eorum erant validi & generosi, multumque similes Cantabricis aut Lusitanicis statura & celeritate, & quod opinionem fidemque nostrorum hominum superat, ita dociles, vt intelligerent signa, nutus & voces equitantium, ad quam rem eos partim natura partim consuetudo adduxerat. Tela enim & sagittas humo dentibus tollebant, & equitibus suis porrigebant, norantque hostes, quos dentibus vngulisque appetebant, horrendum in modum calcitrantes in orbem, nec stupefacti conspectu suo cruore.

Visebantur in his equis habenæ & frena argentea, ephippia inaurata, & loricis squamatis armata eorum colla & pectora: qui hujusmodi equo vehitur, contentus est Thorace ferreo, vel panoplia ex laminis chalybeis contexta. Primi nominis equites, & qui cum relauta sunt, galeis caput tegunt, cęteri se satis adversus ictus munitos censent pileo & fascijs lineis crebro plexu inter se complicatis: simplices vtuntur capitijs villosis rubris, quos vix aliquot ictibus vel accutissimi gladij dissecare possis. Campson igitur, qui tales habebat milites, omnem suum exercitum in quinque acies partitus est.

At altrinsecus Selymus ad hunc modum suos in acie collocaverat. Equitatui Asiatico dextrum latus, Europæo sinistrum assignaverat; peditatum, qui fere è Ianitsaris & Prætorianis constabat, medium locum obtinere jusserat, cũ tormentis æneis, qui inter equites ac pedites præ cæteris eminebant, in fronte pugnaturi erant. Commisso prælio videbatur fortuna diu in ambiguo esse: sed quod Campsonis exercitum fregit, hoc est. Caierbeius, qui hactenus finxerat se pro Campsone militare, transfugit cum omnibus suis ad Selymum, prodito turpiter Campsone, & hac fraude Selymo victoriam in manus tradidit. Cæsus est in prælio

Digitized by Google

Campſon cum Damaſquino & Tetrarcha Tripolitano, & omnis ejus exercitus vel perijt in pugna vel fugit. Caſtra Ægyptiorum Selymus militibus ſuis diripienda dedit, ipſe Alepum vrbem petijt, quæ ſtatim ei patefecit portas. Commiſſum eſt cruentum hoc prælium a. d. XX. Auguſti Menſis. Damaſcus & aliæ Syriæ Vrbes, videntes ad ſe accedere victorem exercitum, deditionem fecerunt, implorata Selymi gratia: idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sydon, Ptolemais. Qui è prælio effugerant Mammalucqui, hos collectos Gazelles raptim Cayrum in Ægyptum duxit: ibi elegerunt ſibi Sultanum *Tomubeium* ſecundum, multum in eo ſpei collocantes. Salutatus Tomubeius Rex Ægypti, ſtatim quantum potuit, coëgit armatorum, ſeque cum Gazellis reliquijs conjunxit. Ibi denuo pugnatum, Sinane Baſſa, Selymi Legato Turcas ducente, eo eventu, vt Tomubejus & Gazelles victi fugatique fuerint. Tomubeio etiam ex vulnere gravi, vt vix Cayrum effugere poſſet. Paulo poſt, cum Selymus cum Sinane Baſſa ſe conjunxiſſet, ingreſſus eſt Ægyptum immanis Turcarum exercitus.

Prodierat Tomubejus ex vrbe, & poſuerat caſtra juxta hortos Materenſes, habens ſecum omnia tormenta tum inſtrumentis bellicis, & cinxerat caſtra foſſa atque vallo. Quicquid ſupererat Mammaluccorum, erat cum rege ſuo, & Arabum equitatus non contemnendus. Cum accederet exercitus Selymi, vehementer læſus fuit tormentorum ictibus, quæ ſine fine è caſtris Campſonis in Turcas fulminabant: neque dubium eſt, quin Turcæ eo die fuſi fugatique fuiſſent, niſi alia proditio de novo interveniſſet. Quidam enim ex caſtris Tomubeij, cum ad Selymum perfugiſſent, detexerunt inſidias quas Tomubejus Turcis ſtruxerat. His vitatis tertio acriter dimicari cæptum eſt, & diu fortuna dubitare viſa eſt, vtrius ſequeretur partes, cum machinæ æneæ vtrimque plurimos diſcerperent, multumque damni darent. Tanta autem fuit pugnantium rabies, vt prælium ab Ægyptijs, quater inſtauratum fuerit. Mammalucquorum incredibilis fuit fortitudo, nec ſegniter pugnaverunt equites Arabes, qui cum per Equitatum Europæum perrupiſſent, ad mediam uſq; Ianitſarorum aciem pervaſerunt, ibique interfecerunt Sinanen Baſſam, Selymi Legatum. Ad hunc modum acerrime pugnatum eſt, totis horis quatuor. Tomubeio mira fortitudinis edente facinora. Poſtremo tamen exercitus ejus numero minor, in fugam datus eſt, cumque receptui cani juſſiſſent, receperunt ſe omnes ad eum, non metu inſequentium, ſed vt ſe dicto Imperatoris audiëtes eſſe oſtenderent. Poſtea Mammalucqui Cayrum vrbem fuga petierunt. Pugnatum eſt a. d. XXIV. Ianuarij, qui dies erat Iovis, anno AN. C. MD. XVII. In perſecutione fugientiũ captus eſt Diadarus, multis affectus vulneribus, cumque eo Bidonus, cui globus tormento campeſtri miſſus alterum genu fregerat. Hos duos altero die Selymus necari juſſit.

Interea Tomubejus, qui nondum penitus de ſuis rebus deſperaverat, collectis denuo Mammaluccorum reliquijs, poſitis intra Novam Memphim & Nilum amnem caſtris conſedit: vocatiſque ad libertatem octo millibus ſervorum Æthiopum arma dedit, aperto antiquo vrbis Armamentario: ſed & armari juſſit ſervos & libertos Mammaluccorum, & Mauros quoſdam beneficiarios ſuos, nec non ludeos & Arabes, difficiliorem quam antea auſurus rem, cum conſtituiſſet de nocte Turcarum Caſtra incendere. Quo intellecto Selymus (nam & hoc proditores ei enunciaverant) imperavit ſuis, vt omnes copiæ per totã noctem in procinctu ſtarent, vtque infiniti ignes in omnibus partibus caſtrorum ſuorum accenderentur, quæ diligentia Tomubeii conatus eluſit, qui cum aliquoties emiſiſſet equites, ſemper ij repulſi ſunt, multis ex ijs interfectis, qui nimis audacter in hoſtem invecti fuerant, neque dubium eſt, quin Tomubejus omnino ea nocte devictus fuiſſet, niſi conſpecto ad lucem ignium in caſtris Turcarum periculo, cohortes ſuas celeriter revocaſſet.

Hoc quoque igitur lapſus conſilio Tomubejus, recepit ſe Cayrum cum omni ſuo exercitu, vbi armari juſſit omnes familias; & Ægyptij comportabant in ſumma ædium ſuarum tabulata lapides, ligna aliaque miſſilia, rogati à militibus, vt quiſque ſuo loco hoſtem prohiberet.

At Selymus Campſonem cum ſuis in vrbem ſe recepiſſe vbi audivit, admovit & ipſe caſtra vrbi propius, hortatus ſuos, vt quod deeſſet ad ſummã victoriam, alacres conficerent. At milites Turcæ cum quæ habebant ſpolia ipſi exuſſiſſent, nihil aliud expectabant quam ſignum invadendi vrbem. Primus qui intravit, fuit Selymus ipſe, cum ductis ſecum per portam Baſſuelam equitibus, eos in varias vrbis partes dimitteret; ibi graviſſime dimicatum fuit inter equites Turcas & oppidanos, in ipſis vrbis plateis, & Ianitſaris per latiores vrbis vicos ingredientibus. Cæterum ibi demum Mars acerrime ævijt, vbi cum ipſis Mammalucquis Turcis pugnandum fuit, apud aggeres & munimenta, quæ Tomubejus in ipſa vrbe excitari juſſerat, & quæ Turcæ demoliri cupiebant. Ab horum munimentorum defenſione nemo abeſſe volebat, ſed omnes pugnabant vſque ad mulieres, vt Turcæ promiſcue & ingenti numero cæſi vulneratique provolverentur in foſſas ſubter vallo: contra ipſi globis ſclopetorum traijciebant omnes, quotquot de feneſtris proſpicere auſi fuiſſent, vt plateæ vrbis natarent ſanguine. Duravit autem cruentiſſimus hic conflictus duobus diebus & totidem noctibus, vt vix quiſquam ſcire poſſet, vtri melius an deterius haberent. Sed Mammalucqui, qui numero cum Turcis collati, pauci admodum erant, exhauſtitam pertinaci labore, pars etiam vulneribus confecti, ad extremum deſerere munimenta ſua coacti, receperunt ſe in ædes civium, occultantes ſe, vbi quiſque quam optime poſſet.

Tertio vero die prodeuntes denuo, cum ſe in extrema, quod dicitur, tegula conſtitutos viderent, tantis viribus furiorum inſtar pugnaverunt, vt Turcas per longum ſpacium repulerint, ijſque aliquot tormenta minora eripuerint, quo viſo dicitur Selymus deſperaſſe de victoria, & mandaſſe, vt ſubjecto igne domibus, Vrbs incenderetur. Multum jam de priore ardore remiſerant Turcæ, pugnabantque remiſſius, audientes clamores cohortan-

Digitized by Google

hortantium se mutuo Ægyptiorum, nec quicquam expectabant, nisi vt receptui caneretur: cum à pluribus partibus simul nunciatum est, dejectos Ægyptios de suis locis vnde pugnabant, & in sola fuga fiduciam habere, quod Mustapha cum suis altiora loca occupasset. Mustapha enim deductus à quibusdam Ægyptijs, proditoribus patriæ suæ, pervenerat in amplam planiciem, vbi habebant Mammalucqui equos suos frenatos stratosque, vt si pugnandi nulla spes superesset, festine conscensis equis in locum aliquem tutum effugerent, At Mustapha, cum profligasset custodes, turbam equisonum & mulionum, adeptus omnes istos equos abduxit, quæ res vehementer fregit animos Mammaluccorum, ijsque omnem porro pugnandi ademit voluntatem. Deserta igitur vrbe fugam arripuerunt versus Nilum, quem trajecerunt beneficio quorundam navigiorum, quæ Tomubejus in promptu esse jusserat. Alij intra vrbem manentes, occuluerunt se in ædibus: tertij in apertum evaserunt campum. At duo millia Ægyptiorum cum in spacioßissimum totius vrbis Templum confugissent, diu se in eo defenderunt; ad extremum tamen pro arbitrio victoris deditionem facere coacti: horum partem Selymus mactari jussit, servatis cæteris.

At Turcarum Monarcha, cum jam Victoriam in manu haberet, jussit extingui ignes, qui jam multis locis vrbem corripuerant, & ad tubæ sonum præconis verbis proclamari; qui ex Mammalucquis intra duodecimum diem se victori dedissent, eos salvos fore, post id tempus nequaquam. Prodierunt ergo è latebris suis Mammalucqui, Turcisque facti sunt supplices, qui per summam perfidiam, cum dedititios catenis vinxissent ferreis, deductos in ergastula mactaverunt.

Interea Tomubejus alium colligebat exercitum in Regione Sejectica, quæ versus Cyrenaicam est vltra Nilum, conveneratque ad eum nova Cohors Mammaluccorum, quos ab Alexandria evocaverat, vt & alij multi è varijs regionis partibus, vt ita justum conficeret exercitum. Eo audito, Albuchomar quidam Ægyptius auctor fuit Selymo, vt cum Tomubejo pacem faceret, quem adhuc tantas habere vires ajebat, vt non solum Selymo eripere victoriam posset, sed & ipsum cum omni exercitu in periculum vitæ adducere. Selim ergo missis ad Tomubejum Legatis mandavit, vt eum arma ponere juberent. Mammalucqui, visis Turcarum Legatis, imperare animo suo non potuerunt, sed irruentes in eos mactaverunt eos, cum verbum nondum prolocuti fuissent. Hoc factum ita irritavit Selimum, vt conceptis verbis juraverit, inultum se id non dimissurum. Nilum igitur ponte sterni jussit, vt traduceret exercitum. Quod videns Tomubejus, accurrit celeriter cum quatuor equitum armatorum millibus, & decem Maurorum atque Arabum, profectus ante diluculum è suis castris, vt Turcas ex improviso opprimeret.

Mustapha, qui Selimi erat Legatus apud exercitum, intellecto adventu Tomubeij, exclamavit alta voce: Ecce Tomubejus adest. Ad hoc verbum tam ij qui jam transierant fluvium, quam qui adhuc in ponte morabantur, properaverunt, vt advenientem exciperent. Cumque jam vtrimque magnis viribus pugnaretur, misit Selymus aliquot sclopetariorum Græcorum millia, qui plurimum damni intulerunt Tomubejanis: ibi *M*ammalucqui pugnare vlterius non potuerunt, equis eorum lassis & sudore diffluentibus: soli igitur supererant Mauri & Arabes, qui acriter resistebant Turcis, cum autem Ianitsarorum peditatus ijs superveniisset & robur Prætorianorum, ibi cito debellatum fuit, fugientibus omnibus qui cum Tomubejo fuerant.

Sequente die, cum Mustapha fugientes persequeretur, inventus captusque fuit infelix Tomubeius, immersus profundæ paludi, quo se servaturus vitam receperat, & tertio die Cayrum deductus. Selymus qui ipsum trucidare constituerat, noluit hominem videre, sed jussit eum subijci quæstionibus, vt in Eculeo fateretur, vbi nam essent Thesauri Campsonis. Sequente die excruciatum vili Camelo imponi jussit, & ligatis à tergo manibus per plateas vrbis circumduci, vt Ægyptijs ludibrio esset, qui paulo ante Rex & Sultanus eorum fuerat, ad extremum suspensus vnco ferro in laqueari porta finivit vitam, visus & irrisus ab omnibus, qui illac transibant. Sic perijt Tomubejus, vltimus Ægypti Sultanus, ad diem XIII. Aprilis mensis, anno A N. C. M. D. XVII, die Lunæ post Festum Paschatis. Et ad hunc modum extinctus est Principatus Ægyptiorum, regno in manus Turcarum delapso, quorum Monarcha ibi absolute dominatur, extenditque dominium suum in hac parte Africæ vsque ad Æthiopiam sive Imperium Prete-Iani, cui tamen & ipsi aliquam partem regni eripuit, nempe provinciam Barnagensem.

* *
*

Digitized by Google

NARRATIO VLTERIOR
DE REBVS TVRCICIS
IN GENERE.

[Scripsere de hisce inter alios supra laudatos etiam Iohan Baptista Montalbanus, Anonymus quidam apud Honorium, Horatius Magaluzzus, Busbequius, Lazarus Soranzus, Elmacinus, Cedrinus, Andreas Cambdinus, Gabriel Sionita, Iohan Hesronita, Iacùb Bensidi Aali Iusof Ben-Abdillatif Mohamed Ben-Casem, Christophorus Richerius, Iohan Cotovicus &c.]

De Moribus & Ritibus Turcarum nostri temporis.

SVNT Turcæ partim originarij & naturales, & hi genus originemque à Scythis sive Tartaris ducunt: partim insititij, à Christianis Apostatis descendentes. In communi tamen, facie sunt lata, membris justa proportione adunatis, fere crassi & robusti. Capillos crescere non sinunt præter mustacem in superiore labro. Ingenio vulgo sunt tardo & inepto, lenti parumq; excitati in suis negocijs. Labores fugiunt quam maxime, & tamen sunt avari supra modum, pecunias plus amantes quam vlla gens sub Sole. Hinc fit, vt justitia apud ipsos venalis sit, & velut in auctione exposita, quodque Turcæ nulli mortali quicquam præstant officij, nisi interventu argenti. Ipsi inter se humiles sunt, strictamque superioribus præstant obedientiam, magno quæ audiverunt, celantes silentio, & quieti præsentibus Magistris. Verum erga peregrinos adeo superbi & insolentes, jactantes res incredibiles magna arrogantia, vt in hoc vanitatis genere omnes homines superent. In loquendo proijciunt ampullas & sesquipedalia verba, interim in fraudes & deceptelas intenti, nihil ferè præstantes eorum quę promiserunt, etsi manifestum inde sperent lucrū. Plerique sunt ocio & ignaviæ dediti, convivijs & ebrietati indulgentes, vt nonnunquam in tertium vsque diem comessationes producant. Et quanquā lex ijs vini vsu interdicat, bibunt tamen id vsque ad pudendam ebrietatem. Ad scortationem totis animis propendent, suntque inter illos frequentissimi masculorum concubitores, vt apparet in navibus eorum, vbi semper vnum aut alterum præsto habent, destinatum execrando huic flagitio. In credendo alijs faciles sunt, superstitiosi supra modum, multum tribuentes somnijs & præsagijs, divinationibus & ominibus arbitrantes vniuscujusque fatum & horam mortis in ejus scriptam fronte quam transilire nulla ratione possit: & hæc est causa, cur se tam temerario ausu in pericula præcipitent.

Licet autem Turcis Lege patria tot habere vxores, quot alere commode quisq; potest, suntq; creberrima inter eos divortia, marito vxorem levi de causa repudiante. Mulieres eorum raro prodeunt domo in publicum, nec nisi velata facie, magnum in vestibus ostentantes fastum, auro & gemmis exornatæ, tingentes capillos colore rubro, nec non dentes, manus & pedes, inprimis autem vngues. Singulis septimanis bis in Balnea lavatum eunt, quod & ipsi viri faciunt, sed quique se paratim.

Alea vel chartulis pictis non ludunt. Liberales sunt in juvandis egenis & dandis Eleemosynis, non solum erga suos, sed & erga Christianos, aliosque quosvis, sine discrimine religionis. Quin & eodem modo erga bruta animantia affecti sunt, cum aliquando captas aviculas coëmant, easque liberas deinde avolare sinant, donata beneficij loco libertate.

Vestibus vtuntur longis vsque ad talos pedum, ab anteriori parte apertis, excepta tunica interiore sive indusio, quod gestant extra femoralia, vt nō nunquam apparet in incessu eorum. Est autem amictus eorum vel ex lana purissima vel ex bombycino, persersus aliquando vnionibus gemmisq;. Tegumentum capitis eorum album est, prętercquā eorum, qui se dicunt è posteris & consanguineis Mahometi: hi enim vtuntur Tulipane viridi.

Salutaturi aliquem caput nequaquam aperiunt, estq; apud illos sinistrum latus honoratius dextro. Qui opulentiores sunt aut conditionis supra vulgus, fere equis vehuntur. In capiendo cibo immūdi sunt, ignorantes ea quæ nos habemus in delicijs. Ter autem in die cibum, capiunt, mane oriente Sole, circa meridiem & vesperi. In comedendo neque mappis vtuntur neque strophiolis, sed considunt humi compositis in quincuncis modum cruribus, circa mensam rotundam, parum admodum à terra elevatam. Vescuntur autem omnium animalium, quæ in cibum venire solent, carnibus excepta porcina, quam ijs Lex negat. Oriza frequentissimum apud eos cibi genus est: neque capiuntur Asiatici Turcæ esu piscium, Europęi vero eos præferunt carnibus. Qui inter eos strictius observant *M*ahometi Legem, omnino à vino abstinent, bibentes aquam: ditiores autem frigidæ admiscent mel aut saccarum. Hyemis tempore consueverunt in aqua

Digitized by Google

in aqua extinguere carbonem ardentem, ne nimio noceat frigore. Succus papaveris in crebro apud ipsos vsu est, nec est fere quisquam, qui eo non vtatur, putant enim eo augeri audaciam & contemtum periculorum. Vrinam reddentes desident veluti mulieres.

Domus eorum maxima parte è lignis sunt & terrâ, angustæ & male ædificatæ: putant enim immanis delicti instar habere, ædificare domum diutius duraturam quam hominis vitam. In extruendis tamen Templis sive Mesquitis & domibus Hospitalibus sunt magnifici, vt & in Balneis publicis, quæ fere juxta fontes pulcherrimos structa sunt, non solum ad commoda hominum, sed & brutorum, vtque semper sit aqua in promptu lavaturis corpus, antequam in templum ingrediantur. Hinc fit, vt tam curiosi sint in Aquæductibus, & sternendis lapide viis publicis, in quibus duabus rebus præcipue consistit magnificentia Turcica.

Student autem Turcæ dies noctesque vicinarum gentium ad se pertrahere commoda & ijs superiores evadere: quod si via aperta obtinere non possunt, moliuntur calliditate & perfidia conficere: neque turpe putant fugere, si conatus eorũ non succedat. Militaris vero rei scientia ijs adimenda nõ est, vt qui magna cura conservent disciplinam in bello. Parent enim religiose admodum ducibus suis, tolerantes laborum, inediæ aliorumque incõmodorũ, cibis contenti sunt paucis nec magni precij. Arma eorum sunt lancea, missilia, clava ferrea, securis: gladius latus brevis & incurvus, quem vulgo Acinacem, vocant, eumque auro & gemmis ornant. Magno autem omnia in bello agunt silentio magnaque modestia, non solum cum positis castris alicubi commorantur, sed & cum totis cohortibus incedunt, fitque nonnunquam, vt quamvis maximo numero ita faciant, adeo tamen quiete vicina loca prætereant, vt non animadvertantur.

Signis, signiferisque aut vexillis non vtuntur, sed in vnius hastæ longæ summitate floccos sive lacinias versicolores affigunt, cujus intuitu quisque miles ducem centurionemve suum sequitur: tibiarum tamen tympanorumq; sonitu militibus animum addere solent.

Cum Turcarum Monarcha foris bellum gerit, qui in vrbibus oppidisque manserunt, preces fundunt pro militibus, idque non in templis duntaxat, sed & in convivijs conventibusque: sed & pro ijs orant, qui in bello occubuerunt, putantes felices eos esse, quod non inter gemitus & lamenta suorum, sed vt viros fortes decet, pro salute patriæ oppetierint. Majorum suorum victorias crebris repetunt sermonibus, cantantes etiã eas, vt exemplo moti milites nunquam non fortiter faciant.

Signis atq; sigillis in obsignandis litteris non vtuntur, ne in Diplomatibus quidem regijs, neque ea vlla discernunt figura. Campani æris vsum ignorant ipsi, neque permittunt Christianis, vt ipsi habeant in suis Templis. Ingressuri Ædem Sacram exuunt calceos, quos peracta re divina repetunt. Vbicunque consident, sive domi sive in Templis, substernunt stragulum villosum vel Stoream junceam, alicubi etiam asseribus cooperiunt humũ, ad vitandas sordes & inquinamenta. Generi vitæ Contemplativo aut litterarum studijs vix paucissimi dediti sunt, quanquã habeant pulchras patentesque scholas, in quib. prælegunturLeges patriæ, & instituuntur pueri, vt rei divinæ præesse, & reipublicæ bonam præstare operam possint.

Ad congregationes aut Conventus virorũ mulieres Turcicæ nunquam accedunt, estque ijs severissime interdictum, ne in forum emendi vendendiq; causa commeent: sed & in præcipuis Templis sua sunt mulieribus assignata loca, procul à virilibus, vt vir eas neque videre neque ad illas ingredi possit. Rarum est autem videre virum cum muliere colloquentem in publico, vt etiamsi per integrum annum ibi commoreris, vix tamen semel tale aliquid visurus sis. Qui conjugati sunt, cavent, ne alludant ad vxores suas vllo pacto præsentibus alijs, sed magna cura gravitatem suam conservant mariti, qui & eo nomine çoluntur ab vxoribus. Viri Principes aut in summis dignitatibus constituti, qui vxoribus semper præsto esse non possunt, relinquũt eas abituri sub custodia Eunuchorum, qui earum tam sollicitam curam gerunt, vt impossibile sit vel vaferrimo alieni thori captatori, ad eas ingredi aut earum labefactare honorem.

Opes & divitiæ Turcarum.

Complectitur Imperiũ Turcicum regna & provincias omnibus rebus bonis abundantes. Quæ enim sub Sole regio est, quæ plus gignat omnis generis frumenti quam Ægyptus. Africa, Syria, Asia? quæ est fertilior vini aliarumq; rerum quam Hungaria, Græcia, Thracia. Quid dicam de vrbib. Cõstantinopoli, Cayro, Alepo alijsq;, in quib. omnib. inæstimabiles custodiuntur Thesauri? Constantinopolis n. talis locus est, vt non tantum ab omnib. partibus innumeri eo confluant mercatores, sed & quicquid per vniversum Imperium Turcicum colligitur auri argentique, eo comportetur. Alepum Syriæ vrbs est prima, atque maxima, & velut centrũ regionis, ad quod omnes Thesauri & mercimonia Asiæ sine modo & numero confluunt. Cayrus vero & penus & promptuarium locupletissimũ, non Ægypti duntaxat, sed & Africę Indięque, à qua posteriore innumeræ merces per Sinum Arabicum advectæ, & in littore maris Rubri Camelorum dorsis impositæ, in eam vrbem deportantur.

De proventib. Turcici Monarchæ nonnulli ita sentiunt, eũ quotannis nonnisi octo Millliones percipere, quanquam videri possit, multo plus ad ipsũ redire è tot terris & provincijs: causam esse, quod omnis Turcarum cura in armis posita sit, quorũ ingenium potiùs aptũ est ad perdendũ & destruendũ, quam conservandũ ditandũq; provincias: accedẽte, quod Turcæ ad conservationẽ perpetuæ militię ita exhauriant populos, vt vix tantũ supersit miseris, quo se ipsos alere queant. Hinc fit, vt calamitosi homines de acquirendis opib. penitus desperent, sed & de precio operæ laborũq; suorum aut negotiationis, si vel sint vigilantissimi. Quorsum n. attinet, serere cũ cura quod alius metat? aut metere ac colligere quod alius consumpturus est? Vnde passim per Ottomannicum Imperium videas immanes sylvas, camporumque latissima spacia inculta.

Digitized by Google

In noſtris regionibus annonæ difficultas fere provenit ex nimia multitudine populi: at in regnis Turcicis ex inopia hominum, agricolis atque aratoribus, qvi in pagis vivunt pereuntibus magna ex parte, dum per longiſſima ſpacia arma & alimoniam exercitui ſubvehere coguntur. E decem enim horum hominum millibus, qui è domiciliis ſuis extracti, caſtra ad eum modum ſequi coguntur, vix qvartus qvisqve domum revertitur, qvod vel nimios labores vel mutationem aeris perferre non potuerint. Fit autem hoc eo magis, quod Turcæ etiam in navali militia quotannis per hyemem armamenta & remiges detrahant navibus, unde ſequenti æſtate ii qvi ad remum & miniſteria nautica applicantur, neqve labores neqve Maris intemperiem ferre poſſunt.

Altera egeſtatis publicæ cauſa hæc eſt, quod commercia & negotiationes prope omnes ſint in manibus Iudæorum aut Chriſtianorum Europæorum, puta Raguſenſium, Venetorum, Francorũ Anglorumqve: habentque Turcæ in tam latiſſimis per Europam ſpaciis, non niſi hæc Emporia: Conſtantinopolim, Capham, Theſſalonicam: in Aſia Alepum, Damaſcum, Tripolim & Adenam: In Africa Alexandriam, Cayrum, & Algeriam. Vt autem breviter omnia complectar, omnis inopia harum regionum oritur ex omiſſa agricultura, quæ omnium proventuum fundamentum eſt & radix. Hæc enim ſuppeditat materiam artibus, artes vero efficiunt negociationem atqve mercimonia.

Sed eſto, conſtituant ſane proventus ordinarii, ſecundum illos, non niſi tantum qvantum diximus (ſunt enim qvi ad qvindecim Milliones extendunt) maximi tamen faciendi ſunt fructus, qvos extra Ordinem Magnus Turca percipit, cujus generis ſunt Confiſcationes & Dona ſive Munera. Purpurati enim Præfecti qve provinciarum, qui ſubjectorum ſanguinem & medullam exſugunt, colligunt theſauros inæſtimabiles, qui tamẽ omnes poſtremo ad Principem velut ad principium ſuum relabuntur. Creditur enim Abrahamus Baſſa Cayro exportaſſe circiter VI. Millionum precium, Mahometum autem Vizierum ajunt etiam ulterius. Vchiali Baſſa, ultra reliqvas divitias qvas poſſedit, habuit V. ſervorum millia. Sultana Selimi II. Soror tam opulenta fuit, ut qvotidie duo millia & qvingentos Ducatos ex redditibus perciperet, & inceperit Aqvæductum à Cayro Mecham usqve, eorum bono, qvi religionis gratia eo peregrinarentur: qvod qvidem opus fuit non unius Principis, nec finiti laboris.

Adde qvod Magnus Turcarum Princeps facile poteſt invenire cauſas, propter qvas adimat ſuis omnia bona, ipſamqve adeo vitam, ſi ita viſum fuerit. Iam dici vix poteſt, qvantum accipiat donorũ atqve munerum: cum nullius exteri principis Orator vel Legatus eum ſine muneribus convenire audeat, & nemo prorſus ſibi ſpem facere poſſit adipiſcendæ alicujus dignitatis aut officii ſine argento. Nemo provincia decedit niſi grande donativum ſecum offerat Principi pro accepto beneficio: nec enim fas eſt, exiguum aliqvid offerre tanto Monarchæ. Sed & qvod Vayvodæ Tranſſylvaniæ, Moldaviæ, Valachiæ qviete fruuntur Principatibus ſuis, acceptum ferendum eſt multitudini & magnitudini munerum, qvæ ipſi offerunt. Et Valachia qvidem atqve Moldavia ſubinde mutant dominos, qvod is provincias eas adipiſcatur, qvi plus donare poteſt: quod autem ut colligi poſſit peſſundantur regiones & conſumuntur populi. Sed, utcunqve ſe hæc habeant omnia, compertum tamen eſt, bellis Perſicis exhauſtum fuiſſe ærarium Turcicum conſumtasqve tantas divitias: unde tam Conſtantinopoli qvam per totum Imperium Turcicum valor auri ab aliqvo tempore in tantum auctus fuit, ut Ducatus Aureus duplo plus valuerit, qvam ſolitus antea fuerit, & additamentum Monetæ in tantum excreverit, ut inde Ianitſari cauſam arripuerint, ſubjiciendi ignem urbi, & terrorem incutiendi non ſolum populo ſed & magnatibus Turcarum. Arguitur & pauperies Fiſci ex eo, qvod apud Alepum ſexcenta coronatorum millia à mercatoribus mutua petita fuerint. Et hæ quidem ſunt divitiæ Turcicæ: nam de Timariis paulo poſt dicemus, ubi agemus.

DE POTENTIA, ROBORE ET VIRIBVS Turcæ Militaribus.

Conſiſtunt hæ in Pecunia, Equitatu, Peditatu, Claſſibus & Re tormentaria. Et de pecunia quidem in ſuperioribus diximus. Etſi autem oſtenderimus, proventus ejus tantos non eſſe, quantos amplitudo regnorum & provinciarum polliceri videntur: ſciendum tamen eſt, habere Turcarum Monarcham aliquid in ſuo imperio, quod multo pluris faciendum ſit, quam omnes ejus fructus atque redditus. Id autem nihil eſt aliud, quam ingens numerus Timariorum. Turcarum enim Principes abſoluti fiunt domini omnium terrarũ, quas ſibi ſubjiciunt armis, relicta veteribus incolis non niſi exigua portione: reliqvum omne dividunt in Timarias, quæ ſunt veluti Commendaturæ, qvas virtutis ergo tribuunt militibus, qvi in eo bello fortiter fecerunt, hac lege, ut certum numerum equorum alant, qvos ſemper ad bellum & ſervicium Magni Principis præſto habeant. Eſtque hoc inventum unum ex præclariſſimis conſtitutionibus, cui haud dubie debetur conſervatio Regni Turcici: niſi enim in regionum incolumitate ſalus & commoda militum incluſa eſſent, jamdudum omnia peſſum iviſſent, Turcis ipſis fatentibus, nullam amplius ibi creſcere herbam, qvo loco Magni Principis eqvus ſemel pedem poſuiſſet. Aluntur autem illi Timarii, qvi ſunt velut noſtri Feudatarii & Beneficiarii, circiter CL. millia eqvorũ, qvi omnes parati ſunt, ut ad primum imperium in expeditionem belli ducantur: nec opus eſt, ut ipſe princeps ullum denarium impendat ad contrahendum tantum eqvitatum. Neqve tamen negaverim, ad alendum & conſervandum tam immanem hominum eqvorumqve numerum vim maximam auri reqviri, qvam nonnulli XIV. Millionibus æſtimaverunt. Facit hæc res ut non ſatis

Digitized by Google

satis mirari possim incogitantiam qvorundam, qvi cum proventus imperii Ottomannici cum opibus Christianorum Principum conferunt, mentionē nullam faciunt horum Timariorum, in quibus tamen consistunt potissimæ divitiæ regni Turcici. In bello, qvod ante viginti annos Turcarum Monarcha cum Rege Persarum gessit tantum adeptus est terrarum, ut fecerit quatuor millia Timariorū. Non erravit qui dixit hanc Timariorū institutionem, & Azamoglanorum, id est puerorum, è quibus Ianitsari fiunt, electionem, esse duo fulcra Regni Ottomannici, quarum posterior videtur facta adimitationem Romanorum. Prætorianos enim milites, qui haud ferme ab Imperatoris latere abscedebant, eligebant è subjectis imperio, & ostēdit Tacitus, delectum istum juvenum causam præbuisse Batavis contra Romanos insurgendi. Sed & in eodem Imperio Romano hujusmodi Timarias fuisse constat, quarum usus fructū cederet militibus donec viverent, in præmium virtutis & fidei. Permisit Alexander Severus militum eorum hæredibus, ut beneficiis istis fruerentur, ita tamen ut & ipsi militatum irent. Constantinus Magnus perpetuo fruendas dedit centurionibus Tribunisque suis, quorum habebat perspectam virtutem, eas ipsas terras, quarum antea tantū fructus ad dies vitæ perceperant. Eadem prope ratio est Feudorum sive Beneficiorum, quæ à Christianis regibus & Principibus dependent, ut quæ antea ad certum tempus permissa fuerāt, deinde facta sint perpetua.

Geminum autem redit ad Magnum Turcarum Principem ex hoc Timariorum equitatu emolumentum. Primum, quod populi expugnatarum Provinciarum per eos intra officii limites contineantur & velut capistro coherceantur, ut ad primum eorum motum statim equites præsto sint, eosque qui res novas quærunt, compescant, & hac de causa per universum Imperium dispersi sunt. Alterum est, quod in momento, ut ita dicam, oculi, tantum Turcarum Monarcha potest habere equitatum, quantum ipse optare aut desiderare potest, ad qua suis vel repentinas necessitates. Ita sunt Timarii velut Turcici Imperii præsidiarii milites, impedimentum seditionū, & præcipuus belli nervus. Præter hos alit Turcarum Monarcha bonum numerum eqvitum, quibus stipendia solvit, eosque semper circum se habet, divisos in tria genera: Spachos, Ulufagos & Caripicos. Sunt autem hi velut seminarium præcipuorum Ministrorum Aulæ & Præfectorum per Imperium hoc: ex his enim usitato more leguntur Bassæ, Beglerbeji & Sangiaci. Ultimum locum obtinent inter equites, qui Alances dicuntur, quique ex Tartaria, Valachia & Moldavia veniunt, ut acceptis stipendiis militent Turcarum Monarchæ.

Secundum locum inter ea, in quibus consistit Robur Turcarū militare, sibi vendicat peditatus, qui potissimum constat ex Ianitsaris, in quibus plerisque duæ res considerantur: Natio sive Patria, & dispositio corporis ad usum armorum. Et de patria quidē ita habet: non leguntur usitato more in numerum Ianitsarorum homines Asiatici, sed Europæi: quod tot bellorum usu compererint, illos esse fere molles atque dissolutos, & dum bellum est, animos magis in fuga quam pugna habere: contra Europæi semper habiti sunt cordati & ad militiam apti, ut in Oriente milites Asiatici simpliciter dicantur Turcæ: Europæi autem Rumi, id est Romani. Quod ad dispositionem corporis attinet, eliguntur pueri, in quibus manifesta futuræ fortitudinis apparent indicia, qui sunt membris teretibus agilibusque, quique audaces videntur & magnanimi, quæ tres virtutes in bono milite requiruntur. Conquiruntur autem hujusmodi pueri elapso tertio quoq; anno semel, nisi necessitas cogat id sæpius facere. Hos pueros simul ac Constantinopolim adducti sunt, invisit Aga sive Præfectus Ianitsarorum, qui operam dat, ut aboleat nomen pueri, inducatque oblivionem parentum atque patriæ. His factis distribuuntur pars in Asiam Minorem, pars in alias provincias, ut discant linguam leges, vicia & rationem vivendi Turcarum: uno verbo, ut fiant Mahometistæ: quidam etiam asservantur in Regia Constantinopoli vel Perā, & qui liberaliori sunt facie & moribus venustioribus, in secretiori parte Aulæ aluntur. Donec autem Azamoglani nominantur, certum caput non habent, neque determinata exercitia: sed alii quidem ad culturam hortorum, alii ad ædificia, alii ad labores domesticos similesque adhibentur. Dicuntur autem Azamoglani donec fiant Ianitsari, & tunc vocantur ad Aulam, suique singulis dantur Rectores & Præfecti. Hic demum applicantur ad diversa exercitia manuaria, laboriosa illa quidem, cibisq; nutriuntur tenuibus, male vestiuntur, dormiunt multi simul in locis capacibus, cujusmodi fere sunt dormitoria Monachorum, præsente lumine & custode, ne quis pedem inde movere possit. Mox discunt artem sagittandi, tractandi sclopetos, in quibus exercitiis, cum aliquam comparaverunt scientiam, fiunt Ianitsari vel Spachi, quorum illi nonnisi quinque vel septem Asperos nummos in diem accipiunt, hi vero decem. Ad hunc modum Ianitsari facti, vel in expeditionem belli ducuntur, vel ad Præsidium aliquod mittuntur, vel manent ad Portam Regiæ Ottomannicæ, assignanturque his ultimis quædā velut Castra Prætoria, quæ sunt loca ampla instar Monasteriorū, numero tria: ibi vivunt sub Tribunis ductoribusque suis. Iuniores ad manum sunt majoribus natu, eosque in honore habent, magno omnia facientes silentio. Capiunt autem singuli manipuli simul cibum, simulque in eodem cubiculo longiori dormiunt, & si quis extra hoc alicubi pernoctare ausit non impetrata licentia, is sequente vespera aliquot ictus baculo recipiet: estque tanta hoc in loco disciplinæ observantia, ut si quis percussus fuerit, etiam osculetur manum ejus à quo plagas accepit. Multis Ianitsari gaudent privilegiis, unde coluntur atqve metuuntur ab omnib9, qvanqvam plerosqve offendant sua insolentia. Incedentes enim per plateas, diripiunt Christianorum pergulas & tabernas, nec qvisqvam contra mutire audet: ementes aliqvid, ipsi pro lubitu constituunt precium, nec possunt conveniri aut judicari coram alio qvam suo Aga: & ne sic qvidem ad mortem duci qvisqvam

Digitized by Google

sine metu publicæ seditionis: vnde raro admodum in judicio publico fertur in eos sententia capitis, sed sæpius noctu nemine alio conscio plectuntur capite.

Munera atq; donativa à diversis diversa accipiũt, alij enim adjunguntur exterorum Principum Legatis, vt illis præsto sint & serviant: alij jubentur iter facientibus illustribus hominibus præsidio esse, eosque ab injurijs defendere. Est in eorum manu electio Imperatoris Turcici, quod Imperatorem dicere se nemo possit, nisi de horum consensu & voluntate, & quicunque novus Imperator id omnium primo studet, vt eos muneribus placet, eorumque augeat stipendium. Cum bellum aliquod oboritur, proficiscitur ad id pars Ianitsarorum, ducente Aga, aut Legato ejus. Sunt autem antiquitus Ianitsari duodecies mille.

Videtur autem multum hic Ianitsarorum ordo à veteri degenerasse. Primo enim fiunt nativi Turcæ, & quidem Asiatici, Ianitsari, cum olim tantum Christianorum liberi ex Europa reciperentur, deinde ducunt vxores, contra priscum morem, qui eos cælibes esse jubet. Tertio in vrbe diffluente delicijs & ocio, eos molles & laborum impatientes faciat. Quicquid sit, putatur omne robur Turcici exercitus consistere in Ianitsaris, cum quibus collati cæteri pedites, qui Asappi vocantur, Tyrones & exiguæ efficaciæ milites habentur, qui plus possunt hasta & palo, quam gladio & sclopeto: quorumque præcipuus in bello vsus est, vt ipsa multitudine hostem fatigent, non virtute profligent. Solent ijdem implere fossas corporibus mortuorum vel aliorum vel suis, atque ita Ianitsaris in oppugnatione scalas efficere, vt per eas hostilia conscendant mœnia.

Tertia pars potentiæ militaris & roboris Turcici consistit in classe & rebus marinis. Multum ibi potest hic Princeps: neque enim quisquam vsquam est ex omni regum principumque numero, qui facilius & majore commoditate possit instruere & armare classem, quam Ottomannus. Nam primo Sylvæ Albaniæ & Caramaniæ, inprimis vero Nicomedienses & Trapezuntinæ non solum sunt vastissimæ, sed arboribus altis crassisque plenæ, aptissimisque ideo ad fabricanda navigia omnis generis, vt quidam non insulse dixerint, videri naves jam factas de arboribus labi in Sinum Nicomediensem & Pontum Euxinum. Neque fabrorum & navicularioru hic est inopia, cum spes lucri etiam in Armamentaria & Navalia Turcica pelliciat opifices Christianos: quod vel hinc patet, quod post amissas adverso prælio navali ad Naupactum classes, paulo post tamen aliam in Mare emiserit, quæ sufficiens esse potuerit, secundo prælio cum Christianis depugnare. Nec mirum, cum multas habuerit triremes apud Insulas, Lesbum, Cyprum, Rhodum, nec non apud Alexandriam: quodque soleant Turcæ Piratis dare receptum in vrbibus Africæ Tuneto, Hippona, Bugia & Argeria, à quibus & nautarum & remigum copiam adipisci potuit. Ostendit item, quantum classe possit Turca, cum obsedit Maltam & Gollettam, nec non apud Cursolares & Naupactum.

Quarto, nec rei Tormentariæ defectum vllum patitur hic Monarcha, cum abundet vehementer machinis æneis igni vomis. Nam ex sola Hungaria quinque millia tormentorum abduxit, & quingenta in Cypro nactus est, nec multo pauciora in arce Gollettana. Habent autem Turcæ enormis & absurdæ magnitudinis tormenta ænea, vt solo impetu venti & boatus, ne dicam ictu globi, tremere faciant muros. Sed & globorum & pulveris nitrati incredibilem vim semper habuerunt, vt ostenderunt in obsidione Maltæ, quod oppidum plusquam sexaginta millibus globorum ferreorum concusserunt, Famagustam vero XVIII. millibus, Gollettam autem pluribus, vbi spacio XXX IX. dierum dejecerunt atque complanaverunt omnia munimenta, quæ Hispani spacio XL. annorum moliti fuerant. Vbi non est locus tormentis ignivomis, ibi ligone & pala rem agunt: si ne Cuniculi quidem succedunt, complere solent fossas, vel terra, si possunt, vel corporibus interfectorum.

Tribus autem potissimum rebus terret Turca cæteras gentes atque populos: primo infinita hominum multitudine; deinde exacta disciplina militari: tertio numero machinarum ænearum. Et apud alios quidem ipsa multitudo causa est confusionis, vnde factum est, vt sæpe magni exercitus victi fuerint à minoribus: Verum in exercitu Turcarum tam elegans & exquisitus servatur ordo, vt vel hoc solo vincant minorem aciem, quæ tamen facilius in ordinem cogi potuerat. Ita videmus, Turcas superare alias gentes, non multitudine dũtaxat, sed & artificio atque ordine: adde etiam disciplina militari, qua ne ipsis quidem Romanis cedere putantur. Consistit autem hæc in multis rebus, puta in distributione alimoniæ. Vivunt autem exiguo pane cocto sub cineribus, & oriza cum paulo pulveris è carnibus in sole siccatis: Vino ipsis in vniversum interdictum est, non secus ac Carthaginensibus. Cum in castris sunt, semper duodeni suum habent decurionem, cui obediunt sine contradictione. Fœminarum nemo vllam in castris eorum vidit, sed mirum vbique præstatur silentium, intentis militibus in nutus oculorum & motus manuũ: sunt autem tãpertinaces in conservando silentio, vt nonnunquam dissimulaverint, se audire confringentes captivos vincula, ne eos interpellando tumultum nocturnum excitarent. Contentiones & jurgia inter commilitones, vt & furtum acriter puniunt. Facientes iter sub signis, non proculcant segetes aut vineas, sunt que boni strenuique milites certi de præmio, ignavi vero de castigatione. In vrbibus pernoctare ijs non licet.

Consueverunt autem Imperatores Turcici semper in aliquo loco bellum alere, vt suos contineant in exercitio. Cum autem exercitium & disciplina in bello nihil possit, si armis alijsque rebus necessarijs destituatur: ideo Turcæ semper secum in bellum ducunt ingentem apparatum armorum, tormentorum & instrumentorum necessariorum, vt videantur huic vni rei intenti esse: & id quidem satis ostendunt horribiles ruinæ & vastitates, quas in multis regnis provincijsque

Digitized by Google

quefecerunt. Habet Turcarum Monarcha ab Oriente vicinum Regem Persarum, si ducas lineam imaginariam ab vrbe Tauris vsque ad Balzeram. Et superioribus quidem bellis feliciter intulit bellum Regi Persæ, quem superabat peditatu & rei tormentariæ abundantia, quo vtroque rex ille carebat. Et quamvis Persæ aliquando Turcas vicerint in aperto campo, semper tamen multum terrarum amiserunt. Solimannus enim eripuit in Mesopotamiam, Amurathes Mediam, ita vt non solum ipsi Persæ in iis bellis gravia acceperint detrimenta, sed & amici eorum. Selimus enim Primus Mammalucquis eripuit Syriam & Ægyptum, & Amurathes III. magna strage concidit Georgianos, amicos & consœderatos Magni Sophi. Et sic quidem olim fuit. At cum hæc scriberemus, quod fuit anno AN. C.M.DC.XXVII. Persæ capta Babylone alijsque Mesopotamiæ locis, Turcas aliquot prælijs victos, vltra Euphratem submoverant, eosque auxilio Proregis Syriæ, qui à Domino suo defecerat, in eas redegerant angustias, vt cum Christianis Principibus Turcarum Princeps pacisci, vltroque pacem vel inducias rogare coactus fuerit, vt vim omnem in Persas convertere posset.

Cum Lusitanis, qui ejus vicini sunt intercedente Mari Erythræo, infeliciter hactenus bellum gessit Turca, quod controversiæ, quæ inter eos sunt, alio modo quam bello navali decidi finiriquenon possint. Tanto autem plus valent in hoc genere Lusitani quam Turcæ, quantum Oceanus Indicus præstat Sinui Arabico. Habent enim illi perplurima Indiæ loca non oppida solum, arces & portus marinos, sed etiam regna & dominia, è quibus eis suppetit materia lignea, commeatus & omnis apparatus nauticus, ne principibus quidem destituti Barbaris, quorum nituntur auxilijs, contra Turcæ nullum majoris momenti locum obtinent in Sinu Persico præter Balzeram. In objecto littore Arabico, haud scio an plura quam tria quatuorve loca possideat Turca, à quibus Lusitani sibi metuere debeant, in quibus tamen ipsis, vt & alijs locis, non nisi maxima difficultate instruere classem potest, quod regiones illæ prope omnibus rebus ad expediendas naves necessarijs destituantur.

Quoties ergo Turcarum Monarcha classem in Mare Rubrum emittere vult, (quanquam id multo difficilius sit in Sinu Persico) oportet, vt materiam fabricandis navibus ex Bithynia & Caramania ad ostium aliquod Nili devehat, deindeadverso flumine Cayrum vsque, vbi camelorum dorsis imposita deportatur ad oppidum Sues, in quo est Armamentarium Navale. Sed profecto, quoties rem hac via adversus Lusitanos tentavit, nihil reportavit nisi dedecus & detrimentum, vt ei accidit apud Dium anno AN. C.M.D.XXXVIII. & apud Armusium Anno Salutis M.D.LII. postremo ante Mombazam, anno Christi M. D. LXXX. vbi Lusitani Turcis interceperunt IV. triremes, cum oneraria magna vna. Est & eodem Mari Erythræo intercedente, vicinus Turcæ Ianus Belul sive Preteiam, Abyssinorum Æthiopumque Monarcha, neque dubium est, quin huic Principi multum prævaleat Turca, sive respicias duces & præfectos belli, sive arma & tormenta militaria, quibus omnibus Abyssinus Rex multo inferior est, qui ne loca quidem munita & expugnatu difficilia in regno suo habet: & quanquam ingentem vim hominum in militiam educere possit, omnes tamen vel levissime vel omnino non armati sunt. Et hæc est causa, cur Barnagassæ Princeps, qui Prorex in ijs partibus erat Abyssini tegis, & Præfectus Rubri Maris, totum illud littus amiserit, coactus etiam tributum solvere Imperatori Turcico, si pace frui velit.

Quod ad Seriffum attinet, nemo negabit, Turcam plus eo possidere in Africa terrarum, cum obtineat quicquid est inter Sinum Arabicum & oppidum Velez de la Gomera: interim fatebuntur omnes, Seriffi provincias esse magis fertiles, ditiores, magis vnitas ideoque fortiores. Sed inter hos non est bellum, cum vicinus Hispanus vtrique formidabilis, vtrumque intra pacis orbitas contineat.

Restat igitur vt de Principibus Europæis, qui Turcæ confines sunt, dicamus, inter quos primus occurrit Poloniæ rex. Satis autem patuit ex superioribus rebus gestis, quantum alter contra alterum bello possit. Et primo quidem possit Turca videri magni facere, & aliquo modo formidare Polonos, cum aliquoties gravissimas causas habuerit inferendi illis bellum, nec tamen fecerit: vt regnante in Polonia Henrico, cum Iohannes Wayvvoda Moldaviæ cum Turcis bellum gereret, cui plurimi Poloni interfuerunt, & contra Turcas pugnaverunt: nec non Sigismundo Tertio regnante, cum Cossaqui in ditiones Turcarum excursiones fecissent, & Iohannes Zamoschius regnum intestino tumultu turbaret: Verum Turcæ, obliti vsitatæ superbiæ, dissimulaverunt se ea nosse, neque vllo pacto injurias vlti sunt. Vicissim Poloni post mortem Ladislai non solum nihil moverunt adversus Turcas, sed nec Moldavos Valachosque socios & confœderatos suos defenderunt, quibus Turcæ eripiebant, quicquid habebant terrarum ad Pontum Euxinum. Hæc tamen ignavia, si ita appellanda est, potius Regi eorum quam Nobilitati accepta ferenda est. Certe Stephanus Batorius, quamvis esset magni animi Princeps & vir fortis, periculosam fore adversus Turcas expeditionem recte censuit, quanquam inter suos non semel diceret, se, si XXX. millia peditum haberet, quos cum equitatu regni sui conjungere posset, non solum susceperturum bellum adversus Turcas, sed & eos haud dubie profligaturum.

Ab Aquilonis partibus proximi huic Monarchæ sunt Germani, interque eos Principes Austriaci magis quam vlli alij. Et hæc est causa, quod ingentes sumtus faciant in defensionem & conservationem arciũ & propugnaculorum suorum limitaneorum, alentes perpetuo vltra XX. millia militum partim equitum partim peditum, cum quibus sæpe conjungunt auxilia à Principibus Imperij missa. Semper tamen magis studuerunt sua defendere atq; conservare, quam amissa recuperare, aut extendere dominium suum, quod quidem Ferdinandus

Digitized by Google

nandus I. tentavit ad Budam, Strigonium & alibi, majore tamen animo quam successu. Fuit autem infelix ista aliæq; expeditiones, non quod milites parum animosi fuerint, aut non fecerint officium, sed quod omnia tardius facta fuerint, nec satis prospectum exercitui, qui satis validus fuit & omni militum & tormentorum genere instructus. Germani enim & Bohemi naturę quodam genio tardiores sunt, & ad statarium pugnæ genus apti, cum contra Turcæ mira agilitate & celeritate in bello omnia agant.

Et Venetorum terræ ac dominia fines Imperij Turcici attingunt, tam mari quam terra longissimo spatio, per aliquod milliarium centurias. Sed hi quoque contenti sunt, si sua adversus tam gravem vicinum defendant: vnde toti sunt in muniendis firmandisque locis limitaneis, & in convehenda annona, cum pax est, in vsum præsidiariorum; interea animum non abijciunt in periculis, sed magna vigilantia intenti sunt, ne quid detrimenti capiat ab eo hoste Respublica.

Si regem Hispaniæ, qui multis locis vicinus est Turcæ, consideramus, deprehendimus, non multum interesse inter vtriusque potentiam & vires. Et de pecunia quidem in vtriusq; opum descriptione vidimus, Hispanum ea in parte nequaquam cedere Turcis, etiamsi Timariorum, in ea computatione habeatur ratio, cum his opponi possint debeantq; Beneficiarij, qui in tot regnis & Provincijs obligati sunt Hispano Regi, proprijs suis militare sumtibus. Accedit, quod ingens ille Timariorum equitatus non tam valore suo formidabilis est, quam multitudine, cum emolleścant & effeminentur vbertate & affluentia bonorum, quæ ex pagis villisque sibi assignatis percipiunt: vt magis in colligendas divitias & reddendos agros fructuosos intenti sint, quam in vsum armorum, vnde etiam pacem bello semper præferunt. Sed & profecti ab domo, cum aliter non possunt, ęgri invitiq; militant, semper animos habentes in villis delicijsque suis, & reditum desiderantes. Quod si enim miles adeptus prædam aliquam, minus deinde est appetens belli & pugnæ: quid existimabimus illi animi esse, qui militare cogitur, cum domi habeat fundos, possessiones, vxorem, liberos divitiasq; suas.

Præterea satis constat Timariotas illos potius institutos esse, vt in fide contineant subactas armis gentes, quam vt in longinquam proficiscantur militiam. Hæc n. coactæ Turcis obediunt, oderuntq; eos, non tantum causa Religionis sed & ob importunam dominationem. Arabes quidem & Mauri male illis volunt, ob Sectarũ diversitatem: & Christiani, ex quibus plusquã dimidia pars illius Imperij constat, detestantur eos ob eandem causam, vt major pars illius equitatus domi habeat quod agat, neque egredi provincijs possint, nisi cum metu apertæ seditionis.

Postremo in tam longe dissitas remotasq; provincias & regna dispersi sunt Timariotę illi, vt in vnam aliquam expeditionem adeo multi evocari non possint, neque longo tempore commode versari in bello, vt non in graves necessitates incidant. Vnde colligimus, parum firmas fore res Turcarũ, si non alio quam Timariorum niterentur fundamento. Docuit insuper nos superiorum temporum experientia, pares prope vtriusque esse vires si opponas fugam classis Turcicæ ad Meliten Insulam, jacturæ, quam Hispani fecerunt ante Alzerbam Insulam & amissionem Pignonij de Velez amissioni Arci Golletanæ. Sed & vterque habet, quocum semper bellum gerat, & à quo impediatur, ne alter alteri bellum totis viribus inferre possit. Persæ enim Turcas destinent & fatigant. & Germani inferiores Hispanum. Hæc autem duo bella ingentib. sumptibus vtriusque regis geruntur, majoribus tamen Hispani, quod Belgica, in qua bellum jam diu gestum est, longe distet à cæteris regnis & principatibus hujus regis. Nam quamvis Persarum regnum longe absit à Constantinopoli, vnde vires bellicæ fere prodeunt: vicinum tamen est Mesopotamiæ alijsque Turcicis provincijs, vnde arma, pecuniæ & annona castris facile supportari queant. Quę porro in hanc rem dici possunt, brevitatis studio silentio præterimus.

MODVS GVBERNATIONIS
Politicæ.

Est hæc absolutissima. Turcarum enim Princeps vere Monarcha est & Dominus omnium eorũ quæ in regnis provincijsq; ejus sunt, adeo vt se Servos ejus dicant, qui ejus parent Imperio, & nemo se possit rei suæ dicere Dominum. Non jam loquor duntaxat de domibus, agris, possessionibusque, sed & de corporibus; exceptis quibusdam familijs, quę Constantinopoli degunt, quibus libertatem peculiari privilegio impertivit Mahometus II. Imp. Neque enim quisquam in tanto opum aut dignitatis constitutus est fastigio, vt dicere possit se securum esse, non dico rerum fortunarumq; suarũ, sed ipsius vitæ, nisi per gratiam Principis. Duabus autem rebus tutatur & conservat absolutum istud suum dominium: prior est, quod omnino aufert subjectis suis arma: altera quod omnia credit eorũ fidei, qui abjuraverunt Religionem Christianam, quiq; pueri admodum inter tributa ad Aulam Ottomannicam missi fuerunt. His duobus medijs duplicem adipiscitur fructum: primo, quod exhaurit provincias flore atque nervo suo, id est juventute, cum pueri bonæ indolis & futurum populi robur, in alias terras velut æternum exilium deportantur: deinde, quod ijsdem, vbi ad arma adsuefacti sunt, vtitur corporis sui stipatoribus, optimisq; militib.

Fuit prima sedes Regum Turcicorum Prusiæ in Bithynia, translata deinde Adrianopolim, & postremo Constantinopolim, vbi adhuc est. Prætorianos hic Monarcha è Ianitsaris lectos habet quater mille, quorum summus Dux est is qui dicitur Aga. Præter hos alit M.D. equites, quibus stipendia à Principe solvuntur, suntque divisi in Spachoglanos, Vlofagos, Silistarios & Caripicos: quibus non connumerantur illi equites qui sub Beglerbegis sunt. His omnibus solvuntur stipendia ex ærario Magni Principis. Alij decies mille Ianitsari sparsi sunt per totum Imperium, & ipsi stipendiarij, quorum Tribuni & Centuriones superiorem alium non agnoscunt præter ipsum Monarcham. De Timariotis in accedentibus prolixe dixi-

Digitized by Google

diximus. Omnes hi parent Sangiaccis, hi vero Beglerbegis.

Dicitur autem Regia sive Aula Ottomannica vulgato nomine *Capy*, id est Porta, vnde fluxit modus loquendi, vt dicamus *ad Portam Ottomannicam*. Quot autem ibi sint officia aut ministeria, longum & tædiosum foret dicere. Officia quę ipsũ Principem concernunt, obeuntur fere ab Eunuchis, qui rursus sub se alios inferiores habent, & ipsos castratos. Plura tamen longe sunt extra Regiam, sic exigente administratione Imperij. Primum locum inter omnes habet qui dicitur *Mufti*: estque summus Interpres Alcorani. Hunc sequũtur *Cadileſcheri*, qui sunt supremi causarum judices, ad quos ab inferiorib. judicijs datur provocatio. Fuerunt olim tantum duo Cadileſcheri in hoc Imperio, quorum prior dicebatur Rumeliæ sive Romaniæ, id est, Europæ: alter Anatoliæ. Selimus autem I. adjunxit tertium, qui judicaret per Ægyptum, Syriam, Arabiam & Armeniam. Post Cadileſcheros sequuntur, *Viſieri Baſſæ*, qui sunt Consiliari Turcici Imperatoris, nec tamen certo numero. Fuerunt aliquando tantum tres & quatuor: nostra autem ætate sunt novem, inter quos qui Præsidis loco est, dicitur Magnus vel Primus Visierus, qui vnus plurimum potest polletque per totum Imperium, & cujus præcipue requirit consilium Princeps in maximis negocijs.

Viſieros excipiunt *Beglerbegi*, qui sunt velut supremi duces copiarum, vox sonat *Principes Principum*, sive *Duces Ducum*. Sunt eorum in Asia: primus dicitur Beglerbegus Romaniæ, qui sub se habet omnem Græciam Thraciamque. Secundus est Beglerbegus Anatoliæ sive Asiæ. Tertius dicitur Deniz Beglerbegus, id est, Thalassiarchus sive Præfectus rei Marinæ. Et hi quidem eundem tenẽt in consessu ordinem quem Visieri Bassæ in Divano sive Auditorio causarum publico.

Præterea sunt Provinciæ, Magno Turcarum Principi subjectæ, in plures Sangiacatus divisæ qui fuerunt olim D.CC.XX. Verum post bellum Persicum multũ auctus est hic numerus. Sunt hi velut Gubernatores provinciarum, habentque superiores, quibus parent, Bassas: sex in Europa, Bassam Græciæ, Præfectum Maris, Budensem, Themesuariensem, Bonensem & Caphensem. In Africa sunt IV. Algiranus, Tunetanus, Tripolitanus & Messiranus, qui sub se habet Cayrum Vrbem cum tota Ægypto. In Asia sunt XXIX. Bassa Anatoliæ, Caramaniæ, Sivacensis, Tocatensis, Dulgaridanus, Alepensis, Schamiensis, Tripolitanus Syriæ, Marasinus, Mesopotamiæ, Babylonis, Balzarensis, Caramensis, Gemensis, Adenẽsis in Arabia felice, Chebezensis, Seherzulensis in Assyria, Vvanensis in finibus Persidos, Arzerumensis in Armenia superiore, Tesiicensis in finibus Gurgistanorum, Phasiensis in Mengrelia seu Colchide, Sochunensis in confinio Gurgistano, Barinensis, Revanensis, Somaquiensis, vt latius de his omnibus videri potest, apud Leondavium & alios supra allegatos.

Arsenalia sive Armamẽtaria Navalia habet Turcarum Monarcha IV. instructissima. Primum est Perę, à regione Constantinopolis, habens C. XXXIII. Tugu'ria pro totidem Triremibus. Secundum est Callipoli, vbi sunt XX. Tuguria; estque vtriusque cura commissa Archithalasso, cum nonnullis ejus Sangiaccis. Tertium est in vrbe Sues, ad initium Sinus Arabici, vbi sunt XXV. domicilia. Quartum & vltimum est Balzerę, in Sinu Persico, continens triremes XV. suntque hæc duo posteriora sub cura & custodia Beglerbegorum, Belzerensis & Cayrensis.

Est autem Turcis in more positum, vt simul ac provinciam aliquam sibi subjecerunt, statim omnem Nobilitatem exterminent aut aboleant, inprimis autem qui sunt ex sanguine regio: familias vero divites & potentes transportent, alio, in loca jam eorum dominationi adsueta. Optimum tamẽ hoc est, quod vnum quemq; suo modo sinunt Deũ colere, neque quenquam cogunt mutare religionem, & abnegare priorem Fidem & de Deo sententiam: neque tamen permittunt ijs, quibus dominantur, aliena castra sequi, aut principi alicui extero militare.

RELIGIO TVRCICA SIVE Delirium Mahometi.

Fuit Mahometus Pseudopropheta, ex posteris Ismaelis, Abdalæ Idololatræ & Henninæ Iudaicæ mulieris filius, natus anno AN.C.D.LXII. parentibus pauperibus, vilis & abjectę conditionis. Cum jam adolevisset, raptus est ab Arabibus Scenitis, solitis excursiones facere in vicinas regiones, & & latrocinio vivere, qui eum vendiderunt Mercatori Persæ. Hic cum adolescentem videret impigrũ in negotijs, liberaliter eum habuit, & ipse *Ma*hometus tam bene potuit vti foro, vt defuncto Hero duxerit vxorem ejus viduam. Factus ad hunc modum dives, statim altiora cæpit agitare animo, vsus beneficio temporum, quæ admodum ad novandas res pulchras suppeditabant occasiones. Non solverat Heraclius Imperator stipendia Arabibus, quorum fuerat in bello vsus opera, quod eos vehementer accenderat, Laceraverant Nestoriana & Arriana Hæresis miseris modis vnitatem Ecclesiæ. Iudæi in Oriente vehementer auctierant: Saracenorum crescebat potentia: in Imperio Romano dominabantur servi. His occasionibus adductus Mahometus confusionem in confusione facere statuit in hunc modum. Conformavit igitur novum dogma, in cujus participationem omnes isti venire possent, cum ex singulorum placitis aliquid decerpsisset, & in novam illam suam Legem mirabili mixtione congessisset. Vsus est autem in constipando illo Centone suo opera duorum Iudæorum Apostatarum, & duorum *Mo*nachorum hęreticorum, quorum prior Iohannes Secta fuit Nestorianus, alter Sergius Arrianus. Omnium igitur præcipuus scopus fuit evertere Deitatem Iesu Christi, quam hactenus infeliciter satis oppugnaverat Iudæorum & Arrianorum colluvies. Primum omnium persuasit ille Legislator vxori suæ, & per hanc amicis vicinisque suis, intercedere sibi privata cum Gabriele Archangelo colloquia, ita quidem, vt quoties morbo caduco, cui obnoxius erat, prostratus haberetur, tribueret casum suum splendori Angelico, quem

erecto

erecto corpore ferre non posset. Deinde permisit suis omnia quæ sensibus & desiderijs inordinatis arridebant, servis, qui legem suam accepissent, pollicitus libertatem. Cum autem Heri eorum, quos ad fugam perfidiamque concitaverat, hominem persequerentur, fugit in oppidum Medinã Talnabi, & commoratus est aliquantisper in eo. Ab hac hominis fuga & exilio ordiuntur Mahometani suã Aeram sive numerum annorum. Nihil autem omnium adeo promovit Sectam Mahometi, quam crebræ victoriæ Mahometi, quas de Persis reportavit, quibus Dominium Arabiæ adeptus, etiam Romanos dejecit possessione Syrię, ita vt successores ejus Saraceni extenderint Imperium suum ab Euphratis fluminis ripa vsque ad littus Maris Atlantici, occupatis etiam Hispanijs, Sicilia, alijsque regnis & provincijs, quando perpetuo victoriarum cursu subegerunt afflixeruntque, spacio CCC. annorum totum prope Orientem & Occidentem.

Vt autem redeamus ad Legem Mahometi, amplectitur in ea Circumcisionem, distinguitque inter cibos mundos & immundos, vt se accommodet Iudæis: negat Deitatem Iesu Christi, vt alliciat Arrianos, qui per id tempus potentes erant: congerit plaustra fabularum, vt placeat Idololatris: laxat frena voluptatibus turpibusque desiderijs, vt ad se pertrahat magnam partem hominum, qui oderunt divinæ Legis severitatem.

Confitentur Turæ, vnum esse Deum: Christum honore afficiunt, non vt filium Dei, sed vt Prophetam natum Maria virgine: in cruce vero mortuum eum fuisse non credunt. Imagines statuasve neque venerantur neque ferunt vllo modo. Diem Veneris feriantur, vt nos Dominicum. Iejunium agitant, non XL. sed XXX. dierum, quod vocant *Romodan*, quibus diebus omnibus interdiu nihil comedunt: sub initium vero noctis omnibus cibis promiscue vescuntur, præterquam porcina, abstinent autem per eos dies ac noctes etiam à Venere & Vino. Post jejunium istud celebrant Pascha suum, per tres dies feriantes, quibus hilaria agitant & cutim beant. Quanquam hoc festum variabile sit, nec eodem anni tempore recurrat, cum aliquando vere, aliquando æstate, nonnunquam autumno aut hyeme celebretur. Causa est, quod annum non ex Solis sed Lunæ cursu metiantur. Hinc magno studio observant novam Lunam, illamque salutant, ejusque figura non aliter vtuntur, quam Christiani signo crucis.

Circumciduntur Iudæorum more, non tamen octavo die, sed post octavum annum, aliquando etiam tardius. Nolas in templis suis sive Campanas non habent, sed earum loco Sacerdotes conscensis altis turribus, elataque voce clamantes ad cultum & preces vocant populum, idque ter per diem, bis vero per noctem.

Nolunt autem Mahometistæ Turcæ appellari, quod vox illa apud Hebræos significet exulem aut proscriptum. Sed Musulmanni vocari volunt, i.e. recte sentientes de fide, quasi Orthodoxos dicas.

Sunt inter eos IV. Sectæ, velut quatuor Religiosorum vel Monachorum Ordines, multum inter se differentes ratione & modo vivendi, vestitu & ceremonijs. Nomina autem ordinum eorũ hæc sunt; Torlaqui, Dervisij, Calenderij, & Huguimali, omnes scelerati & vicijs obsiti homines, in id nati, vt simplicem fraudibus suis circumveniant populũ. Versantur autem sine rubore aut timore inter Christianos, bibunt comeduntque cum ijs, & negotiantur liberrime, quin & aliquando earum filias in matrimonium sibi accipiunt, estque inprimis notandum, Iudæum neminem Mahometistam fieri posse, nisi prius baptizatus Christianum se factum profiteatur.

Abstinent autem Turcæ à blasphemijs non solum modo in Deum & Mahometũ, sed & in Christum, Mariam Virginem, alioſque Sanctos homines: severe animadvertentes in blasphemos & maledicos, cujuscunq; illi sint Sectæ aut conditionis.


Qui fideliter servant Leges Mahometi, illis sine dubio pollicentur vitam æternam, id est, Paradisum delicijs affluentem, & perpetuam commorationem in horto quodam sub cœlo sereno & aere temperato; quem crebri irrigent rivuli, in quo omnibus sint gavisuri voluptatibus quæ excogitari queant: ibi fore mensas exquisitis cibis cupedijsq; semper oneratas, pulcherrimasque mulieres, quæ convivis ex aureis argenteisque ministraturæ sint vasis. Ajunt insuper, Angelos eorum fore carptores & pincernas; breviter promittunt hortos Adonidis, Hesperidum & campos Elysios. Contra ijs, qui peccent adversum dictas Leges, minantur infernales cruciatus æternamq; mortem. Has autem tam atroces minas, vt aliquo modo mitigent, spem faciunt delinquentibus, modo firmiter amplectantur ea, quæ in Alcorano perscripta sunt, neque de eorum dubitent certitudine, cum jam è vita excessuri sunt, inventuros delictorum gratiam, & pro tormentis perpetuis gaudia sempiterna.

IMPERII OTTOMANNICI PER EVROPAM, Asiam, & Africam finis.

IMPE-

Digitized by Google

Digitized by Google



LYON
BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE
1677

Digitized by Google

IMPERIVM MAGNI SOPHI SIVE REGIS PERSARVM.

Interpres Lectori S. D.

Antequam historiam Persicam aggrediamur, Amice Lector, monendum te vel potius rogandum putavimus, vt nobis vnius rei facias gratiam. Ex Europa Asiaq; exteriore, & parte Africa, in penitissimam transire cogimur Asiam, magno sane discrimine: si non alio, certe quod regionum, populorum, oppidorum, fluminum, montium & hominum nomina attinet. Nam hactenus ea quidem perlustravimus loca, quæ vel Romanis vel Græcis nominibus antiquis nota fuere, aut si quæ Barbara priscis succesſere, non adeo multa fuere, neq; tam contumacia, vt Romanam limam atq; flexionem non aliquo modo admitterent. Hic vero etsi quædam, eaq; non pauca sunt, quæ veterum Geographorum appellationes admittunt, (de quibus nobis sermo hoc loco non est) in plerisq; tamen longissimè à nostræ linguæ genio abire, & Arabicis, Chaldaicis, Persicis, Scythicis, alijsq; Orientalibus vocabulis locum dare necesse habemus. Non diffitemur, quædam vel etiam pleraq; ex iis potuisse aliquo modo super incude Latina ad aliquam Grammaticæ Normam fingi & recudi: sed nobis id nescio quo modo absurdum ineptumq; visum fuit, cum nostra sententia satius sit, audire Arabas Persas & Scythas sua eaq; genuina lingua loquentes, quam corruptum & depravatum, fortasse etiam ipsa terminatione alienum aliquid tinnientes. Multa sunt, quæ per se non mala mixtione aut detorsione, turpia evadunt. Qui tam delicati sunt auribus, vt appellationes Persicas ferre non queant, poterunt ad vitandam nauseam ab ipsius historiæ lectione abstinere.

[De rebus Persicis scripsere præter Geographos generales & infra in Catalogis nominatos veteres & neotericos, etiam Boterus, Scaliger, Vlugbekius, Texeira, Hemmius, Ienkinsonius, Contarenus, Bizarrus, Almacinus, Cartwrichtus, Iosaphat Barbarus, Itineraria varia Neuberii, Salbanckij, Olearij, Coverti, Steele &c.]

SVMMA CAPITA HISTORIÆ PERSICÆ.

1. *Origo Sophorum Persiæ Regum. Confirmatio & progressus Mahometismi.*
2. *Situs, limites, confinia Regni Persici.*
3. *Quibus regnis provinciisque Persarum Rex nostra ætate dominetur: initio facto à Media.*
4. *Assyria.*
5. *Susiana.*
6. *Mesopotamia.*
7. *Panchaia.*
8. *Parthia.*
9. *Hyrcania.*
10. *Margiana.*
11. *Bactriana.*
12. *Paropamissus.*
13. *Aria.*
14. *Drangiana.*
15. *Gedrosia.*
16. *Carmania.*
17. *Narratio recentior super quibusdam illustrioribus Provincijs, quæ sunt sub dominatione Persica.*
18. *Provincia Persidos, quæ nostra ætate appellatur Parca.*
19. *Hierach.*
20. *Kachon.*
21. *Aderbaion.*
22. *Gaylon.*
23. *Koraſan.*
24. *Kermon.*
25. *Maurenabar.*
26. *Vsbeck.*
27. *Isfahanis Regiæ sedis fusior descriptio.*
28. *Provincia vastissimi hujus regni ex parte supra modum fœcunda, ex parte vero steriles.*
29. *Vbi sit abundantia Bituminis, Naphtha, Amomi, Gossypij, dactylorum, tritici, ficuum aliarumque arborum.*
30. *Mores & ritus vivendi antiquorum Persarum. Commoratio priscorum regum in*

Digitized by Google

locis montanis. Tributa quæ exigere soliti sint.

31 *Nuptiæ & Matrimonia Persarum: plures singulis vxores permissæ: exercitia juventutis, eorum arma, vestitus.*

32 *Exequiæ eorum apud mortuos, Sacrificia, Idola.*

33 *Antiqua Parthorum Potentia & pugnandi ratio.*

34 *Medorum gens effœminata: fundebant sanguinem suum in fœderibus.*

35 *Vestitus veterum Assyriorum, consueverunt annulum & scipionem manibus præferre.*

36 *Lex & consuetudo apud Assyrios, quæ jubebat venum exponere elegantes puellas, vt colligeretur dos pro deformibus.*

37 *Alia consuetudo exponendi ægrotos in loco publico, vt si qui forte è transeuntibus eodem morbo laboravissent, suo consilio possent juvare languentem.*

38 *Assyrij solebant corpora defunctorum melle illinere & condire. Eorum sepultura, justa & exequiæ similes Ægyptiacis.*

39 *Assyria mulieres admittebant ad congressum peregrinos, dicentes se id facere in honorem Veneris.*

40 *Magi Assyriorum Chaldæi appellati, in eodem apud hos habiti honore, quo Gymnosophistæ apud Indos, & Sacerdotes apud Ægyptios.*

41. *Mos Carmanienſium, vt conscensis asinis in bellum proficiscantur: non licitum erat juvenibus eorum vxores ducere, nisi in convivio publico ostentassent capita hostium ab se in bello interfectorum.*

42. *Sexagenarij apud Margianos è vita sublati, eorumq; corpora devorata à propinquis & consanguineis.*

43 *Persæ nostro ævo civiles & vrbani: studiosi scientiarum, mercaturæ, artium mechanicarum. Eorum erga mulieres comitas, magnificentia & splendor in vestitu: vtuntur hodie lingua Arabica.*

44 *Divitiæ eorum consistunt in panno aureo, serico, veste stragula, Margaritis & Vnionibus atque gemmis.*

45 *Proventus annui & divitiæ Regis Persarum.*

46 *Vires ejus militares. Militia Persica qualis: quanto valeat pedibatu: quantum equitatu in bellum emittere possit.*

47 *Potentiores Regis Persici hostes, quos vicinos & confines habeat.*

48 *Forma gubernationis Persicæ multum dissimilis Turcicæ.*

49 *Cum in superstitione Mahometana sint IV. Secta, quam nam sequantur Persæ nostri ævi.*

50 *Iudei & Christiani Melchitæ, Nestoriani, Armenij in Perside.*

51 *Epitome Chronicorum Regum Persicorum ex Mirkondo Historiographo.*

52 *Historia particularis Schach Sefi moderni Persarum Regis cum quibusdam alijs memorabilibus rebus.*

ACCENSETVR Imperium Sophorum, quod sub Regni Persici nomine multas regiones & Provincias complectitur, non sine ratione potentissimis totius Orientis Monarchijs. Nam quāvis aliquandiu debilitatum oppressumque fuerit per Saracenos, deinde etiam per Scythas sive Tartaros, qui illud vehementer afflixerunt, primum quidem sub Chingi, deinde sub Tamerlano: nostra tamen ætate omnem propemodum gloriam & splendorem pristinum recuperavit virtute Ismaelis Sophi: de cujus origine hoc loco aliquid prolixius dicere, operæ precium existimamus, quod id cum primis ad Regni Persici cognitionem facere videatur.

Iam primum sciendum est Mahometum Pseudoprophetam, auctorem infelicis illius dogmatis, quod in tot regnis Orbis terrarum radices egit, cū magnam auctoritatem apud Arabas acquisivisset, defuncta priore vxore, aliam duxisse, Assiam, cujusdam Bubaci hominis opulentissimi & inter suos clarissimi filiam: deinde ope soceri sui Bubaci & auxilio Omari & Ottomari affinium suorum, collegisse prope justum Arabum exercitum, per quos sibi multas vicinas regiones sub novæ Religionis specie subjecit. 1

Eloçaverat jam Mahometus Fatimam filiam suam ex priore matrimonio cuidam Haly agnato suo, eumque sexagesimo tertio ætatis anno moriens hæredem reliquit, non solum copiarum & dominij, sed & novæ Religionis suo loco summum Antistitem creavit, attributo nomine Caliphæ. Indignatus autem Bubacus, quod Mahometus, qui soceri opibus creverat, sibi Halyn generum prætulisset, hominem adolescentem, magnę experientiæ seni, deturbavit Halyn illa dignitate, atque profligavit, adjutus ab Omaro & Ottomaro, qui malebant Pontificem habere Bubacum consanguineum, quam Halyn, quod celerior successionis spes in Antistitio eos manere videretur in Sene Bubaco quam Haly, quod & contigit. Habuit enim Bubacus primo Omarum deinde Ottomarum successores. Nam Omarus à mancipio cæsus Ottomaro dignitatem reliquerat, qui ea diu lætatus non est, trucidatus paulo post in seditione. Sic dignitas Caliphæ velut postliminij jure ad Halyn reversa est, qua tamen quiete perfrui non potuit.

Quidam enim Mavia, discipulus Ottomari bellum intulit ei, quod diceret Halyn causam fuisse mortis Ottomaro: cujus quidem belli eventus is fuit, vt Halys occideretur à Maviain prælio apud Cupham oppidum in ripa Euphratis amnis, quod & nostro ævo mutato nomine dicitur Massadali, ac si dicas Domus Halys, quod hic bello cæsus ibi sepultus fuerit.

Quo mortuo Cuphenses Calipham salutaverunt Ocenum Fatimæ filium, quem primo Pontificatu dejecit, deinde veneno sustulit Mavia, factus ipse Pontifex cum absoluta potentia, habuitque successorem Iafium filium suum. Iam porro inter filios, quos Ocenus moriens reliquerat, fuit Mahometus Mahadinus, quem ne nunc quidem mortuum credūt Mahometistæ, sed ipsius prestolantur reditum, quem conversurum totum mundum arbitrantur, facto initio à Massadali oppido: quāde causa

Digitized by Google

cauſa perpetuo alitur ibi equus, inſtructus paratuſque ad equitandum, quem ſcilicet oblaturi ſunt cives Mahadino reduci : & ita quidem illi nugantur.

Hæ inimicitiæ, quæ Haly interceſſerunt primo cum Bubaco, Omaro & Ottomaro, deinde cum Mavia, gravium diſſenſionum inter poſteros cauſæ extiterunt. Perſæ enim ajunt, Halyn verum Pontificem ſive Calipham extitiſſe, quod Mahometus eum teſtamento hæredem ſcripſerit: contra Arabes Omarum cæterosque duos ei præferunt. Et ſic quidem perpetuo inter hos litigatum fuit vſque ad annum AN. C. M. CCC. LXIX. cum Mahometiſtæ (ſive vt Hiſpani, Itali, alijque eos vocant Mauri) deſtituti Calipha (poſtremus enim Muſtarenus Mumbila à Tartaris in acie cæſus fuerat anno AN. C. M. CC. LV. neſcirent quo ſe verterent. Ibi ſurrexit vir quidam Perſa, nomine Sophy (quē nos Sophum dicimus) oriundus ex oppida Ardevela, dixitque ſe ex progenie Halis oriundum, ratione Nepotis ejus, qui fuerit vnus è duodecim filijs Oceni: in cujus rei ſignum mutavit operimentum capitis, adjunctis XII. apicibus, acquiſivitque paulatim ſibi ac Sectæ ſuæ non parvam auctoritatem. Excepit hunc Guinna filius, qui ſucceſſorem habuit Aydarum, generum Aſſembeci, qui magnas per Syriam & Perſidem habebat poſſeſſiones, principatu tamen ſibi nondum confirmato. Iacobus enim Becus Aſſembeci filius, infenſus quod tantum auctoritatis in Aydarum contuliſſet, interfecit patrem: poſtea captos duos Aydari filios, Iſmaelem & Solimannum tradidit Armanzaro Præfecto ſuo militum, jubens eum pueros Saſquæ, loco munitiſſimo inter montes includere, perpetuo mancipatos carceri. At Amanzarus deteſtatus heri ſui ſævitiam, delatos in domum ſuam pueros educavit cum ſuis liberis. Videns autem ſibi vitæ finem adeſſe, veritus, ne adoleſcentes grave aſſequeretur periculum, vocatos ad ſe monuit, vt proficiſcerentur, quæſituri matrem, donavitque vtrique centum aureos nummos & equum inſtructum. Sic Iſmael, qui major erat natu, cum domum veniſſet, nihil habuit antiquius vltione paternæ cædis: quæ cum ex ſententia ei cecidiſſet, palam profeſſus eſt ſe Protectorem factorum Halys, à quo ipſe genus duceret. Et ne quem res iſta lateret, ſumſit tegumentum capitis altius reliquis, miſſisque Oratoribus ad Principes Orientis, qui Mahometj doctrinam ſequebantur, cohortatus eſt eos, vt ſuam ſequerentur factionem. Hac ratione, vſus magna in rebus ſuis proſperitate, formidabilem ſe fecit toti Orienti, cumq; moviſſet bellum Oceno Perſarum Regi, interfecit eum cum duodecim fratrib. ejus, vt non niſi vnus ſuperſtes fuerit, nomine Morabeus, qui cum ſolus effugiſſet, imploravit auxilium Selimi I. Turcarum Regis.

Devicit idem Iſmael apud Lacum Vanenſem ingenti prælio Sabacanum, Tartarorum Zacatæorum Regem, cumque inſtans fugienti vellet perſequi Victoriam, obſtitit ei Aſtrologus quidam, cui multum Iſmael ſolebat tribuere fidei, dicens, multa ſe ſigna videre, quæ ei lætam protenderent profectionem, ad reditum vero nullum ſe videre.

Reliquit moriens Iſmael iſte ſucceſſoribus ſuis ampliſſimum regnum, è plurimis conſtans provincijs, quæ eum Dominum Principemque ſuum agnoverant; quanquam non omnes eum immediate Regem agnoverint, in quibus ſunt Regna hæc: Macram, Patani, Guadel, & Ormus, quod noſtro ævo tributarium eſt Luſitanis. Sed & Georgiani, etiamſi non ſubeſſent ejus imperio, illius tamen militaverunt auſpicijs & ſtipendijs. Noſtro tamen ævo Sophorum Imperium anguſtioribus includitur limitibus ad hunc modum.

Situm eſt inter Turcicum Imperium, Tartaros, Zacathæos, Cambaiæ regnum, Mare Hyrcanum ſeu Caſpium, & Sinum Perſicum. Habet igitur ab Ortu Indos & Regnum Cambajæ, à quo montibus & deſertis ſeparatur. A Septentrione ſunt Tartari, juxta Abianum ſive Oxum fluvium, partem reliquam claudit Mare Caſpium: ab occaſu ſunt Turcæ juxta Tygridem & Lacum Giocho, ad Auſtrum Sinu Perſico alluitur & Mari Indico. Quod ſane terrarum ſpacium ampliſſimum eſt, complectens plus minus gradus XXXVIII. ab Ortu ad Occaſum. Meridianus enim ejus Orientalior eſt ad gradum CXX. & Occidentalior tranſit LXXXII. Præterea à Meridie in Septentrionem complectitur prope gradus XIX. à gradu XXIV. ad XLIII.

Regiones autem Imperio Perſico ſubjectæ hæ ſunt: Media, Aſſyria, Suſiana, Meſopotamia, Perſis, Parthia, Hyrcania, Margiana, Bactriana, Paropamiſſus, Aria, Drangiana, Gedroſia & Carmania. Etſi autem Turcæ quaſdam ex his occupaverint, Rex tamen Perſa noſtro ævo eas pleraſque omnes recuperavit, ſuoque denuo adjecit imperio.

Media hodie *Servan* dicitur inter Perſidem & Mare Hyrcanum ſita. Ad Ortum Hyrcaniam habet & Parthiam: ad Occaſum Armeniam minorem & Aſſyriam. Fuit Media olim potentiſſimum Aſiæ regnum, dividiturque in Majorem ſive Auſtralem & Atropatiam, quæ Septentrionalis eſt. Media Major ſive Superior complectitur id terrarum ſpacium quod circa Taurin Vrbem eſt, quam plerique cum Ortelio Ecbatana veterum ſtatuunt: quamvis Paulus Iovius Tetuam, Niger vero Tigranaomam putet, vterque falſo, vt doctiſſime Maginus oſtendit. Poſita eſt Vrbs hæc ad Orontis radices, diſtatque à Mari Caſpio octo dierum itinere. Ambitus ejus pene XVI. millia paſſuum complectitur, ſed non ab omnibus partibus cingitur mœnibus. Antequam eam Amurathes Turca cepit, quod factum eſt anno AN. C. M. D. LXXXV. habuit CC. habitatorum millia: ſed ab illo tempore multum imminuta eſt. Fuit hæc aliquandiu Regia Sophorum ſedes, antequam Tamaſus eam tranſtulit in Vrbem Casbin, quæ meridionalior eſt, & ſedes ſive habitatio Regum Perſarum noſtro ævo. Eodem tractu terræ eſt oppidum Turcoman inter Taurim & Casbim, præter quas in Media ſuperiore numerantur hæ Vrbes: Saru, Sultania, Naſſuvam, quam quidam putant Veterum Artaxata eſſe. Eſt & Ardevilla, in qua regnaverunt Guinneus, Sederdinus, alijque Sectæ Sophianorum auctores.

res. His adnumerantur etiam Marantum in extremitate Med. æ, & Sancazina, haud procul distans ab Tauri, locus celebris ob prælium commissum inter Amurathem Turcarum & Sophum Persarum Regem. Etsi autem hujus Regionis partem non modicam Turcę satis longo tempore possederunt: Persæ tamen proximis annis vi & armis receperunt.

Atropatia septentrionalior pars est Mediæ, juxta Mare Caspium, separaturque ab Armenia per Canatum fluvium. Præcipua hujus regionis vrbs est Sumachia, sita intra opp da Derbent & Eres. Cætera hujus oppida sunt Sechi in finibus Gurgestaniæ, Iavat, in confinio Mediæ Superioris, & Eres, cujus olim celebre nomen fuit ob magnam vim serici.

4 *Assyriam* Niger vocat Adrisam, Girava Azemiam, Mercator Sarham, postremo Castaldus Arzerum, quanquam & sint, qui eam Cusestan dici velint. Habet hęc ad ortum Mediam, ad occasum Mesopotamiam, Armeniam ab Septentrione, Susianam ab Austro, intercedentibus montibus quibusdam.

Vetus hujus provinciæ gloria magna fuit, ob sedem in ea Monarchiæ, & propter Vrbem Niniven sive Ninon, quæ multo major fuit Babylone: fuit autem Ninive sita supra Tygrim fluvium. Provincias hæc olim habuit Arapachitem, Adiabenam & Sittacenam: quidam eas nostro ævo ita appellari ajunt: Botan, Sarcam & Rabiam.

5 *Susiana* à Susis primaria vrbe dicta, Nigro Chus est, Mercatori Cusistan. Fines ejus sunt, ab Aquilone Assyria, ab Occidente Babylon ad Tygrim amnem, ab Oriente pars Persidos objicitur, & à Meridie Sinus Persicus. Celeberrima illa Susorum, quæ hodie Chus, vel, vt alijs placet, Sustra dicitur, olim XV. millia passuum ambitu suo complexa creditur, maxima ex parte in longitudinem extructa.

6 *Mesopotamia* in Sacris Litteris Aram sive Charan dicitur, vulgo nostro ævo Diarbeck, vt Mercator ostendit: quanquam duntaxat pars Azemiæ, cujus reliquum Assyria constituit, duobus celeberrimis fluvijs, Euphrate & Tygri includatur. Fines ejus sunt, ad Septentrionem Armenia Major apud Taurum montem: ad Occidentem Syria, juxta Euphratem fluvium: ab Oriente separatur ab Assyria Tygri amne: ad Meridiem habet Arabiam desertam. Vrbes ejus præcipuę sunt Orfa, quæ VII. millia pass. ambitu suo complecti putatur, vbi M. Crassum Romanum interisse perhibent. Deinde Caramita, quæ Turcarum lingua Nigram Civitatem sonat, & nostro ævo Amida dicitur: Metropolis Mesopotamiæ, quam Selymus Turcarum Monarcha Sophis eripuit. Merdin sedes est Patriarchæ Chaldæorum, & Mosus Patriarchæ Nestorianorum, cujus auctoritas ad Indos vsque & Çataium extenditur.

7 *Persis* peculiariter sic dicta olim Pataia, deinde Cephea, postremo Persis dicta fuit, à Perseo, qui è Græcia in Asiam transiit. Nostro ævo appellatur Farsi vel Farsistan, vt Mercatori videtur, quanquam nonnulli Azemiam eam putent, & quæ Cedren nominatur in regione Cherasan. Limites ejus sunt ab Aquilone *Media*, ab Occidente Susiana, ab Oriente Carmania, ab Austro Sinus Persicus, qui huic provinciæ nomen suum debet. Vrbs ejus primaria hodie Siras dicitur, fuitque olim ipsa Persepolis, vel vt alijs placet, Cyropolis, sedes quondam *Magorum* Orientalium. Est ea adhuc inter pulcherrimas ampliſſimasque Orientis vrbes, cum ambitus ejus putetur XX. millia pass. constituere, & complecti LX. millia domuum. Sita est autem supra Bindimirum fluvium.

Parthia novum nomen esse Charassen, Niger 8
put, atqui eam ita dici ait à præcipua vrbe Charas, sed falsò; est enim Chuaressem provincia spectans ad Tartaros, vocatur autem rectè à *Mercatore* Arach; Persæ enim ipsi vocant ERAK. Terminatur ab Oriente Provincia *Aria*: à *Meridie* Carmania deserta, ab Occidente *Media*, & à Septentrione Hyrcania. Præcipuæ ejus Vrbes sunt Cassan, opibus affluens, Sembran, Teracam. *Amadan*, Imammadulasar, Malam, *Massiar*, Sasuar, Coran & aliæ quædam. Caput tamen earum omnium dicitur Hispaham, quam quidam Hecatompylon antiquorum esse autumant, quę & tam ampla est & elegans, vt Persę eam med am partem *Mundi* appellent. De qua paulo post plura.

Hyrcaniam Niger à Barbaris dici ait Girgiam 9
vel Corcam, quamvis sint, qui totam Hyrcaniam *Mesandram* appellent, & Erythræus eam vocet Hyrach. Marius *Angiolessus* eam Stravam dici inquit, & *Mercator* Dargument. Vrbs ejus præcipua est Hyrcana, fortis & munita ratione situs: Scythæ vocant Charizat. Reliquæ sunt Besta, *Mesandrana* & aliæ.

Margianam vocat Pinetus Tremiganam: Niger 10
putat eam esse partem Tartariæ Zacathæ: Castaldo & alijs dicitur Iselbas. Limes ejus ab Oriente est Bactriana, ab Occidente Hyrcania, à Septentrione Oxus fluvius, & à *Meridie* pars provinciæ *Ariæ*. *Metropolis* ejus est Iodion, quæ priscis Antiochia fuit. Quidam huc collocant Oxianam Paludem, dicuntque eam vocari Lacum Barbacamben vel *Maru*.

Bactriana parum abest, quin vetus nomen suum 11
retineat, vt ait Ramusius, qui eam adhuc Batter appellari affirmat; Castaldus tamen aliique Charassanam dici aiunt, Nigro contra asserente, esse partem Tartariæ Zacathæ. Cingitur ab Oriente & Septentrione Sogdiana apud fluvium Oxum, ab Occidente *Margianæ Montanis*, à *Meridie* Provincia Aria intercedente parte Paropamissi *Montis*. Habuit Bactriana olim elegantia oppida, quorum quædam Alexander ædificavit, destructis alijs. Primi tamen nominis fuere Bactra, hodie Bochara secundum Nigrum, vbi nati perhibentur Zoroaster Magus vel Avicenna Medicus. Secundum alios est Istigias, quæ tamen vrbs non per omnia subest dominationi Sophorum.

Paropamisso nomen dedit forma situs, quæ 12
prope Peninsularis est, cum fere vndique cingatur fluviis. Si Nigro credimus, Dacha hodie dicitur: *Minadocus* eam vocat Candahar; alij vero Sablestan. Ab Septentrione eam attingit pars Bactrianæ, juxta Paropamissum *Montem*;

ab O-

Digitized by Google

ab Oriente Sole habet Indos, à Meridie Arachosiam, ab Occidente Ariam. Præcipua ejus urbs est Candabar, Emporium in illis locis celeberrimum.

13 *Ariam* Niger ait retinere nomen suum: alii eam Eri vocant, Castaldus Corsan, Mercator Sernerã. Includitur hæc inter Bactrianam & Margianam à Septentrione, Parthiam habens ab occidente cum Carmaniæ desertis, à Meridie Drangianam, & ab Oriente paropamissum. Fluvios insignes habet hæc provincia tres: Arium, Toneletum, Arapenen, præter minores: Caput regionis est Eri urbs, habens in circuitu XIII. mill. pass.

14 *Drangianam* hodie Sigestan dici ait Mercator, cui subscribunt plerique: Niger Arachosiam cum Drangiana coniunctam Sigestan dici vult. Quidã asserunt, nominari etiam Regnum Cabul, esseque in finibus regni Persici, & habere proprium suum regem Mahometanum. Fines ejus sunt ab Aquilone & Occidente Aria, infra Bagoam Montem: à Meridie pars Gedrosiæ: & ab Oriente Arachosia. Mediam hanc provinciam dividit Drangus fluvius, quem novę tabulę Geographicæ vocant Ilmentum, estque hęc regio ita clausa montibus, vt amnis hic vix exitum inveniat.

15 Putat Niger, *Gedrosiam* hodie Charman dici, Castaldus Circan. Girava & Moletus appellant Guzaraten, cum tamen certum sit Guzaraten esse partem regni Cambayæ. Quicquid sit, contingit Gedrosia à Septentrione Drangianam Arachosiamque: ab Occidente Carmaniam: ab oriente partem Indorum sive regnum Cambayæ: postremo à Meridie Oceanum Indicum.

16 *Carmania* (hodie Cherman) duplex est secundum Ptolemæum: vna deserta, altera habitata & proprie Carmania dicta. Illa à nonnullis appellatur Culcinda, in qua nulla sunt oppida, sed duntaxat pagi, ijque rari admodum. Fines ei hos statuemus. A Septentrione Parthiam; ab Occasu partem Persidos; à Meridie alteram Carmaniam, & Ariam ab Ortu Solis. Caramania habitata sive vera sita est intra deserta Gedrosiæ, partem Persidis & Oceanum Indicum; dicitur autem hæc Carmania Superior sive Major, ad differentiam Desertæ. Alluit Mare Indicum hanc Provinciam ad CC. milliaria, ita tamen littus est importuosum, vt nullibi appellere naves possint, impedientibus brevibus & scopolis. Caput regionis est oppidum Chirman. Nonnulli recentiores etiamnum dividunt Carmaniam in duas partes: quarum vnam Dulcindam vocant, magis Orientalem, in finibus Cambayæ, ajuntque in hac contineri regna, Macran, Eracan, Guadel & Patan, quorum Reges jam olim tributarij fuerant Regibus Persicis: habitatur autem omnis hæc regio admodum infrequenter. Alteram partem Carmaniæ ajunt esse Occidentaliorem, habereque portus commodissimos & oppida non pauca.

Habes, Lector, velut in brevi quadam Synopsi ea, quæ partim apud auctores priscos invenimus, partim ex narrationibus eorum, qui ipsi has terras & provincias peragraverunt, hausimus. Videtur tamen nobis Texierus, de quo in sequentibus plura dicemus, hæc omnia melius distinguere, & res cunctas proprijs verisque suis nominibus appellare, qua quidem diligentia hoc assequitur, vt Lector multo melius cognoscere atque observare possit loca, in quibus præcipuæ res gestæ contigerunt, quæ in sequentibus à nobis referentur. Sicut enim exquisitus & sagax fuit in observandis rebus notatu dignis quacunque transit: ita quoque studuit singularem sibi scientiam comparare, non solum quid quoque in loco factum fuisset, sed & provinciarum omnium in tam vasto regno situs & proprietates, quodquidem necesse erat facere ei, qui jam apud se constituerat, Historiam Persicam brevi quodam complecti compendio. Sic igitur orditur.

Persia, ait, sive *Persis*, quam incolæ *Parc*, & *Agem* 17 vocant, vnde ipsi in habitatores vulgo Pary & Agemy appellantur, cum vna sit ex maximis Monarchijs Orbis Terræ, interque celeberrimas ac populosissimas merito censenda, non potest describi aut determinari certo, ob ingentem varietatem regnorum & provinciarum in ea Monarchia comprehensarum, quę aliquando longe lateque patuerunt, aliquando angustis spacijs compactæ fuerũt: igitur hoc loco tantum de ijs loquar, quæ diutius sub Regni Persici Gubernatione perstiterunt, & minoribus mutationibus obnoxiæ fuerunt, vt & de præcipuis hujus Imperij populis, vnde non exigua lux historiæ Persicæ accedet, relictis finibus & collimitijs cujusque regionis Geographorum nationi..

PARC. Si spacium terrarum consideres, non 18 erit hæc provincia ex amplissimis hujus regni. Caput ejus est *Seyraz*, vrbs magna & nobilis. Ager abundat frumento omnigeno, carnibus & fructibus. Incolæ magnam vim conficiunt Aquæ Rosatæ, vt & corij precioſi, quod nos Cordubense vocamus, nec non telæ sericæ: quas merces per omne Persarum imperium distrahunt divenduntque, strenuam exercentes negociationem. Post hanc est oppidum *Lar*, sive *Lara*, vt Lusitani pronunciant, vnde *Larini* denominati sunt, genus monetæ ex argento purissimo, cujus magnus vsus est per totum Orientem. Fiunt insuper hic longe optimi arcus ad sagittandum, quibus meliores non invenies in toto regno Persico. Concussit hanc vrbem mense Septembri anno AN. C. MDXCIII. tam horribilis terræmotus, vt vltra MCC. domus fuerint eversæ magna pars mæniorum corruerit, pleręque cisternæ corruptæ fuerunt, (nam aliam aquã quam pluvialem nõ habent in ijs locis,) obrutis extinctisque circiter tribus hominum millibus. Sunt in eodem regno hęc oppida: Tarom, Iaharom, Kazron, Lastam, cujus incolæ fere omnes calui sunt, & vbi crescit Asa fætida, Nery, cujus ager extremus abundat ferrifodinis & purgatissimo colore cæruleo, sive lapide Lasurio; cuduntur insuper hic arma præstantissima, fiuntque res aliæ curiosæ. Patsah & Daraguerda celebres sunt ob varios fructus arboreos, virides & siccatos, quibus abundant, vt & aqua Rosata. Præter hæc quæ recitavimus, alia permulta loca sunt, sed minoris æstimationis.

HIENAK. Est hoc nomen alterius Provin- 19 ciæ Persidos, maximi momenti, cujus Metropo-

Digitized by Google

lis dicitur *Lusphaon*, vrbs populo frequentissima, & quæ aliquando fuit Sedes Regum Persicorum. Multiplex hic est negociatio, quod vrbs affluat omnibus rebus necessarijs. Proximo post Metropolin loco est *Yarda*, celebre oppidum, non tam ob magnitudinem suam, quam ob incredibilem amœnitatem & delicias. Fiunt hic præstantissima peristromata sive Tapetia Persica, quibus meliora nullibi invenies. Est & hic magna vis sericæ materiæ nec non Aquæ Rosatæ.

20 KACHON. Abundat hic locus supra modũ materia serica, omnis generis, est n. multum inter se diversa. Ager hujus vrbis est fertilissimus inprimis fructuum arboreorum, inter quos præcipua laus est Cydonijs malis Kachonensibus, quod nostra multum superent. Cætera hujus provinciæ oppida majoris momenti hęc sunt: Kom, Sacah, Kazuin, civitas celebris, & sedes Regia, Amedon, Nuhaoand, Iargazin, Damaoand, Taharon, Rey Charear, vbi multum colligitur Mannæ, sed non satis puræ: nec non alia multa minora.

21 ADERBAION vel *Azerbaion*. Hæc provincia est vna ex amplissimis, cujus præcipua vrbs est famosa illa *Tabriz* (sive Tauris) ob Aulam Regum Persicorum, quæ hic fuit, ante quam in pótestatem Turcarum redigeretur. Invenitur hic mira omnium rerum necessariarum copia, & multa rara, quę alibi non reperies. Exercent hoc loco cum incolis exteræ gentes sua mercimonia, Rutheni, Poloni, Moscovitæ, Circassi & Gurgestani, vt jam nihil dicam de provincijs Persicis. Inveniuntur alicubi venæ argenti, plurimumque aluminis, & Isatis hic sive Rubia tinctoria copiose crescit; quam incolæ vocant Calanges. Cætera loca provinciæ hujus sunt, Seyrnan, Naxtohã, Hordobat, Ardauel, Halkan cum multis alijs.

22 GVEYLON sive *Guylan*. Et hæc provincia inter Persicas longe lateque extenditur, continens intra se quædam ampla & opulenta territoria, Attingit Mare Caspium, imponitque ei ista in parte nomen suum, quia Persæ id *Duriah Gueyluni* id est Mare Gueylonium vocant. Dividitur in quinque Præfecturas, secundum quinque prę cipua oppida, quorum nomina sunt hęc: Rach, Laion, Gaechkar, Langar & Canucudam. Porro ipsam provinciam Gueylon Persæ vulgo appellant *Eudsafed*, i. e. Indiam Albam, ob amœnitatem & fertilitatem agrorũ. Attingit hęc provincia aliqua sui parte Moscoviam, quam Persæ vocant Mosevu.

Hæ quæ sequuntur Vrbes circa Mare Hyrcanum sive Caspium extructæ sunt in littore.

Mazanderon, Strabata, Bostam, Sabzabath, Nichabur, vnde venerunt Turcæ & alij omnes, qui olim fuerunt domini regnorum & provinciarum istarum: verum nostro tempore sub dominiũ Persicũ redactæ sunt. Illę vero vrbes, quas modo cõmemoravimus, sunt amplæ & populo frequentissimę.

23 KARASON. Hanc provinciam Imperio Sophorum subjectam, vocant Lusitani communiter *Corassu*, suntque in ea multi populi & vrbes maximi momenti, inter quas præ cæteris caput effert *Meched*, Civitas ampla & populosa, in qua Persarum prisci Reges, & post eos Ismael & Sophus sepulti sunt. Hanc sequitur oppidum *Thun*, quod abundat præstantissima materia Bombycina. Deinde *Tabas*, frequens populo: *Kaherá*, cujus ager Croci ferax: *Herey*, vbi plurimum colligitur Mannæ laudatissimæ, & cujus muri alluuntur frigidissimo fluvio Habra: deinde *Marvvo*, *Herat*, aliæque magno numero. Petitur etiam ex hac provincia divenditurque ingens vis Aulæorum Persicorũ, & res quædam medicatæ, interque eas Asa fætida, cum his sit omniũ rerum ad vitam necessariarum copia. Paruit hæc provincia semper Regibus Persarũ: nunc tamen ex parte subjecta est Vsbequijs, qui videntes Reges illos occupatos in bellis contra Turcas, vsi occasione invaserũt hanc, & multa loca in ea sibi subjecerunt.

KERMON. Hæc regio est inter Persidem & 24
Karason, cujus principalis civitas idem nomen habet cum provincia. Abundat populo, sed qui raro ad senectutem pervenit. Dat hæc vrbs multum Aquæ Rosatæ, Aulæorum sive Stromatum Persicorum, Tutiæ, Semen Santonici, Sumach.

Sunt & multæ aliæ in Persida Provincia, vt:

Sagistam, Turbastam, Cablestam, Nim, Sphaar, Rut, Curdestam, Lorestam, Sitam, & plures aliæ, quæ non sunt tam celebres, vt eas hic describere debeamus, ne Lectori Nauseam creemus.

Abundat autem omne prope Imperium Sophorum frumento, carnibus, fructibus viridibus & siccis, tam ex eo genere, quod nobis per Europam notum est, quam exoticis nobisq; incognitis, venduntur que omnia tolerabili precio. Homines sunt pulchri, colore albo, bona dispositione corporum, vestitus eorum multum similis est Turcico. In religione sua sequuntur sectam Halys, quę in quibusdam differt à Lege Mahometi. Potissima eorum militia est, vt ex equo pugnent, cum lancea & scuto: cætera eorum arma sunt arcus, sagittæ, gladius latus & incurvus, quem Acinacem vocant, clava ferrea, lorica ex annulis conserta. In bello sunt satis fortes & animosi, & qui omnes labores & pericula perferre possunt. In vniversum sunt Persæ dediti lectioni librorum, quibus multum tribuunt, applicantes aliquando animum ad Poësin, in qua non pauci inter eos excelluerunt, vt eorum adhuc extantia opera testantur. Cupidinei sunt rebusque Venereis addicti, multum etiam tribuentes artibus scientijsque speculativis, quas Professores eorum magna tractant subtilitate & curiositate. Eorum Ius Commune non alijs perscriptum est voluminibus, quam ipsa Secta quam profitentur; Iudicia enim committunt viris magnæ auctoritatis & probatæ vitæ. Et ut uno verbo multa complectar, potest Persarum regnum cum ampliss ima totius mundi Monarchia certare, non solum magnitudine sua, sed vel inprimis bona politicæ gubernationis ratione.

Veniunt autem statis temporib. anni ab omnibus Persici Regni provinciis tota Mercatorum agmina, quæ Caravanas ipsique cæterique Orientales vocant, Armusium, ibique cum Lusitanis aliisque Christianis, nec non Mauris Gentilibusque, qui eo loco habitant, negociantur, advectis in eam urbem mercibus suis, auro, argento, serico rudi &

ela-

Digitized by Google

LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

elaborato, pannis aureis, peristromatis Persicis, Rubia tinctoria, alumine, Thutia, Rhabarbaro, aqua rosata, equis pulcherrimis, aliisque mercibus innumeris, quas mercatoribus facto cambio vel permutatione tradunt, ipsi vicissim ab iis accipientes vestes & togas preciosas, caryophyllos, cinnamomum, Cardamomum, gingiber, nuces myristicas, saccarum, santalum, lignum Indicum, stannea & porcellana vasa, moschum, ambram, lignum aloes, & quis omnia percensere posset? Persarum potissima navigatio est in Mari Caspio, qui enim ab Armusio in Indiam navigant, faciunt id conscis & permittentibus Lusitanis.

Etsi autem Persæ plerique Mahometani sunt, multi tamen inter eos inveniuntur veterum Gentilium retinentes errores, & ignem resque alias adorantes, qui etsi multi videntur, cum prioribus tamen collati pauci sunt. Iudæi fruuntur sua libertate per omnes Regni Persici provincias, suntq; in iis ultra X. millia familiarum. Nec pauci inter Persas habitant Christiani, Armenii tamen & Nestoriani.

25 MAVRENAHAR. Sic ipsi appellant terras, quæ sunt ultra *Getum* fluvium, quo separantur illæ à Provincia Karason: Ibi est *Coarrazin*, & *Guazuetin*, deinde *Turqueſtum Vsbek*, *Tatur*, *Keate*, *Kotan*, & aliæ prope sine numero, quarum incolæ non minus sunt opulenti quam bellicosi.

26 VSBEK enim provincia est amplissima, quæ ab omni tempore Persis regibus subjecta fuit: nostra verò ætate ab eo regno non solum separata est, sed & Persis bellum facit, quibus & nonnulla loca ademit. Late autem cum primis patet hæc regio, multos intra se continens populos & egregias civitates. Metropolis est *Balka*; deinde *Samarkand*, patria Teymurlangi, qui in historiis Tamberlanes vocatur: hinc Damarkand, Bokar, patria Boaly sive Avicennæ, Kachgar, Achkar, unde venit præstantissimum Rhabarbarum aliæque res bonæ.

Incolæ sunt bellicosi, fere ex equo pugnantes, armis his utentes: arcu & sagittis, lancea, gladio, clypeo, tecti corpus lorica ex hamis annulisve, celeres in fuga. Protulit hic populus nostra & patrum memoria longe dominii sui pomœtia, subjecto sibi regno De Kandar, cujus Rex ante annos quasi XX. alieno usurus auxilio, seipsum fecit beneficiarum Magni Tartarorum Principis, quē Mogul vocant, qui, quāvis longe sit potentissimus, restituere tamē clientem in regnum suū non potuit. Est autem Vsbequorum regnum non hęreditariū, sed solent proceres mortuo uno alium eligere.

Cæterum ipse populus constat plerumque viris robustis, qui valido quadratoque sunt corpore, sed tamen eo laborant vicio, ut loquentes verba per nares pronuncient, quemadmodū Chinenses solent, quib9 illi multum similes sunt in gestibus, actionibus & pronunciatione.

27 Quoniam autem *Isfahan* est hodie sedes Regia, ac proinde quasi metropolis totius Persiæ ideò operæ pretium erit, si aliquid amplius de ea dicamus. Ab aliis vocatur *Spaham*, uti à Iosaphato Barbaro, sed à Contareno *Aspacham* & *Spaam*: plerumque *Ispahan*; verum autem nomen juxta Persarum pronuntiationē per nares (ex ipsorum more) aspiratione facta *Isfahan*. Ante Tamerlanis tempora vocabatur ab incolis *Sipahan* (prout à Græcis victoribus Hecatompolis sive Hecatompyle) propterea quod valde populosa esset à multitudine, atq; à castris, quod huc confluerent Persæ & Parthi, cum copias suas colligerent & educerent contra hostes suos. *Sipa* enim Vsbekia & vetere Persica lingua significat idem quod eorum *Lesker*, id est, exercitum, cuj9 ductorem adhuc interdum vocant *Sipesalar*. Arabs historicus Ahmed Bin-Arebscha, qui Tamerlanis res gestas describit, vocat *Isbahan*. Sita est sub poli gradu XXXII minuto XXVI. ratione elevationis; longitudinis autem gr. LXXXVI. min. XL. declinante magnetica acu gradus XVII. ab Arcto versus Occidentem. Qua in re Abulfeda, Ptolemæus, Vlughbeeckius, Garsias de Sylva Fugueroa & alii parum differunt; veritatem dicti situs ita nuperrimè adhuc explōravit ipse oculatus testis Olivarius. Vrbs sita est in planicie læta, quæ oculorum radiis permittit evagari usque ad objectum montium circumcirca ad quatuor ferè milliaria distantium, qui vocantur ab una parte versus meridiem *Demavvend*, ab altera versus Masanderan opposita *Ieilak-perjan*. Æstimatur circuitus urbis cum suburbiis suis amplissimis octo milliariū, ut etiam expeditus viator non possit uno die iter absolvere. Mœnia non sunt cretacea, ut quidem Petrus Bizarrus & alii ab eo seducti antehac scripsere, sed terrena, valli instar. Ajunt olim cives fuisse recensitos supra 500000; sed jam valde est diminutus, licet adhuc copiosissimus eorum sit numerus. Intra vallum undique turribus lateritiis & fossa pene collapsa & sicca munitū continentur circiter viginti millia ædium eleganter & magnifice substructarū; quæ desuper planæ sunt, cū amœnissimis hortis, qui perpulchra stagna ceu vivaria piscium habent adjuncta. Tamerlanes bis hanc urbem occupavit, qui valde eam afflixit in primis secunda vice, cū rebellasset; cui malo postea accessit pœna, quam percepit sub Chotza vindicante defectionem rebellium contra se civiū, ubi singulis militibus tanquam carnificibus mandatum erat singula virorum capita Regi afferre. Qua laniena civitas incolis exhausta & tristis apparuit, usq; dum paulatim vires recuperaret sub Ismaële. I. Schach Abas autem eā ornavit Regis sede, eâ Casbino sive Casvvino huc translata; illustravitque sumptuosissimis ædificiis, traductis etiam in civitatem aliunde multis novis familiis. Alluit eam fluvius *Senderut*, qui in rivulos multos diductus penè ad urbem absorbetur cisternis civicis (Havvs & Burke ipsi vocant) in primis autem pars ejus derivatur in magnum theriotrophæū Regium, quod sua lingua nominant *Hasartzirib*, qvasi dicas, mille mensuras seu modios frumenti, quibus ibi serendis locus sufficeret; & rursus alio loco pars per tribulos subterraneos in præcipuum hortum Regium *Tzarbag* dictum; à quo non procul abest toti fluvio superstructus pons longus, ex lapide elegantissime fabrefactus. In hortis magis quærunt ornatum ab arboribus ordine dispositis varii generis, frugiferis & umbrosis, præsertim illis, quas Tzinar vocant, Europæis non usque adeo notis, atq; à vitibus in altum surgentibus; cum Europæi deliciis habeant in floribus aliisqve hortensibus. Ar-

Digitized by Google

tificia aquæductuum in fontibus ſalientibus per diverſos gradus juxta vel ſupra ſe jucundiſſimo aſpectu atqve recreatione contra æſtum ſolarem ſaluberrima poſitis hortos commendant. Magnifica plurima in urbe viſuntur palatia, in quibus deſiderare poſſet Europæus feneſtras vitreas: has non habent, ſed clathratas & egregiè ex ligno cancellatas, quas hyeme obducunt papyro ab oleo imbibito pellucidâ. Vrbis plateę olim latiſſimæ nunc plurimâ parte nimis anguſtæ ſunt; Incommodũ accidit viatori maximè circa Maidan & Baſar (ſic vocant forũ mercatoriũ & publicũ macellum) ob frequentiã hominum inde alicui in plateis occurrentiũ, vel ex illis eò tendentium. Cæterũ ipſum Maidan ſeu forum eſt ſpatioſiſſimũ, quale vix alibi reperies, nempe paſſuũ ſeptingentorum, in longitudinem, & ducentorum quinquagintain latitudinẽ; ad Auſtrũ imminet Regis palatiũ ſunt tabernæ inſtructiſſimæ aurifabrorum, gemmariorum & conſimilium ordine eleganti diſpoſitæ poſt ſeriem arborũ (Schimſchad vocant) ſemper viridium, buxorũ ſpeciem referentiũ, & venuſtè putatarum; atq; ciſternarum oblongarũ ex lapide per quas aquam circa totũ forũ quoties volunt, ducere poſſunt: ab altero fori latere elegante ſpectaculo diſpoſitę ſunt claſſes tribuũ, quæ ibi ſub porticu arcuato & teſtudineo formæ ſedent ſingulæ tractantes ſua opificia manuaria publicè in ſuis ergaſterijs. Vix n. ſolẽt aliquid domi ſuę cõficere; ſed hoc in loco quiſq; ſuo. Huic camerę impoſita ſũt ſuperius duo deambulacra è regione domꝰ Regię, vbi Muſicã ſuã quotidie ad occiduum ſolem antiquo & à Tamerlani autoris primi tẽporib. obtinente cõſuetudine exercent tubicines, liticines & buccinatores ex ſingularis formę æneis lituis *Kerenei* ipſorũ linguâ dictis. Adſunt ijdẽ ẽt quoticſcunq; Rex ab arce aliò procedit reditve. Ad vnũ fori latus viſitur ẽt *Meſtzit*, i.e. templũ ſumptuoſiſſimũ, marmoreis parietib. ad quam aliquot gradib. aſcenditur ex vno marmore exciſis: Ad alterũ moneta ſita eſt, ad quã conſimiliter tranſitur per porticus, ſub quib. officinæ mercatorũ cõplures, vbi proſtant panni ſerici, lanei atq; goſſypini, veſtes, calcei, ocreę &c. In alijs quoq; platcis hinc inde in vrbe tales officinãs camerasq; eſt offẽdere. Multæ per civitatẽ reperiuntur *Caravanſera*, quas vocant, i.e. publica diverſoria, in quib. mercatores tam peregrini q̃ indigenæ hoſpitium habent certo in ſingulos menſes pretio: qualia hoſpitia vbivis, ẽt in pagis atq; agris ſolitario ſitu occurrunt, inſigniter facientiũ ſolatio & opportunitate. Palatiũ Regis vocant Dovvlet chane exquiſitè intus & extus pictis deauratisq; ornatũ parietib. ad cujus introitũ jacent triginta circiter magnæ machinæ bellicę, quas carthoas vocãt, ab Hormutio advectę, ſed abſque rotis & indiſpoſitę, In hoc inprimis ſolariũ eſt maximũ ex albo marmore politiſſimo quaſi coruſcans, in quo Rex celebrat ſuum Naurus, i.e. N. anni conviviũ cũ chanis. Prope hanc arcis partem eſt alia, quæ appellatur *Divvan Chane*, Domus Iudicij, vbi audiuntur Legati aliorũ Regũ vnde omnis aulę magnificentia cõſpici optimè poteſt & munera Regia deponi: tertia dicitur *Haram Chane*, i.e. Gynecæũ, in quo detinentur Regis *Chaſſeha*, i.e. pellices, in diverſis concluſæ cameris, magno numero, cum quib. Rex tripudia exercet quando lubet admotis Muſicis caſtratis. Sequitur *Deka*, i.e. habitaculũ Regis, in quo ipſe quotidie converſatur cũ ſuis Reginis & legitimis conjugib. Præter hæc alia ſplendida tanto principe digna conſpiciuntur conclavia. Aliquot intra ſuũ ambitũ hortos continet: inter quos memorabilis ille à dextero introitus latere, qui vocatur *Allacapi*, i.e. Dei porta, aſylũ præſtans homicidis alijsq; facinoroſis, ære itẽ alieno onuſtis modò ſuis ibi ſe ſuſtentare poſſint ſumtib. Solent ẽt Chani & Sultani, qui ſibi metuũt ab ira Regis eò confugere, ibiq; in tentorijs habitare, vſq; dum recipiantur in gratiã. In vrbẽ confluũt mercatores vndiquaq;, Indi, Tartari, Turci, Iudæi, Armenij, Georgiani, Angli, Hollandi, Galli, Itali, Hiſpani, Luſitani & Indorũ inprimis magna ibi eſt frequẽtia, an. 1636. numerabantur iſtius ſolũ nationis 12. millia negotiatorũ. Regiũ Gazophilaciũ eſt ẽt viſu conſpicuum ædificium, q̃ adhęret ipſi arci duplici muro & foſſa clauſę cũ turrib. quadraginta, vbi habitat Regis Vezirius, cui cuſtodia arcis & Theſauri Regij, qui ibid. aſſervatur, eſt demandata: In illo ipſo quoq; eſt armamentariũ. Vocant Perſæ *Taberik Kalé*. Plurima hinc inde in vrbe templa & ſacella Perſica. Præterea Collegia monachorũ Carmelitarum, Auguſtinianorum, cũ ſuis templis, introducta ſingulari indulto Regis Abæ tomporib. Rudolphi II. Cęſaris, prout & Armeniorũ aliorũq;. Non procul à cœnobio Carmelitarum conſpicitur turris ex ædificata meris cornubus cervorum, quos Ahu vocant, quorum duo millia in vna ſolùm venatione Schach Tamas dicitur cecidiſſe. Vrbs ipſa duodecim habet portas, quarum nomina recenſere eſſet tędioſum. Atq; extra binas ſubvrbiũ; ſic vt ſint in vniverſum ſex Rabath; primũ vocatur *Tzulfa* (Hemius vocat Golfa non rectè) omniũ maximũ habitatũ à ſexies mille familijs Armeniorũ, qui omnes ferè ſunt opulentiſſimi mercatores. Tranſtulit eos huc Schach Abas ex Armenia amplificatum ſedem ſuam. Ædes horũ certant ſplendore cum oppidanis. Secundum eſt *Kebrabath*, cujus cives vocantur *Kebber*, ẽt opulenti mercatores, Barbam alunt prolixã, tunicis alioq; habitu diverſi planè à Perſis. Mulieres eorum non ſunt velatę, & tamen pudicę. Homines valde humani & benefici, licet ſint pagani abſq; tẽplis & ſacerdotib. ullis. De mortuorũ ſuorũ ſtatu in altera vita ridicula habẽt examina. Ex ędib. defuncti curãt expelli gallũ gallinaceum in agreſtia, quẽ emimus obſervant. Si à vulpe abripiatur, credunt ſuſceptã eſſe hominis animã ad requiẽ; ſi ſecus contingat, cõtrariũ concludunt. Verũ cum hæc proba non ſemper ſuccedat, certiorẽ obſervare ſolent pleriq;. Funus deducunt ornato Sarcophago pretioſis veſtib. ex catenis aureis, alijsque cimeliis, ad ſepulcretum, ibi corpus denati aperto feretro erigunt verſus murũ, ibiq; ſuffultũ adminiculis ligneis, ne cõcidat, relinquunt, vſq; dum aves cœli venientes eruant oculos Obſervãt diligenter, ſi dexterũ i. lęſerint, ſignum ſe habere putant receptæ animæ in cælum; ſi ſiniſtrũ, q̃ damnato habent. In illo caſu placidè & cũ devotione hilares in foveã, reponunt corpus; ſed q̃ hoc aliã deſtinatã habent foveã, quò damnatũ quaſi iracũdi abſq; ordine præcipitant. Tertiũ ſubvrbiũ vocãt *Abaſſabath* vel Tabriſabath, ſic dictũ q̃ Abas Rex Tauriſio (*Tabris* Perſicè) familias huc tranſtuliſſet ẽt circiter ſexies mille. Inter hos multi nobiles aulã

frequen-

Digitized by Google



ens
.se-
, ne
tur,
quã-
ntũ
d &
ũt,
inæ
igi-
qui

.bus
oris
s, vt
ſint,
no-
ltat.
ar-
eſti-
tain
ætus
poſ-
enit,
men
oem
Aer-

ræ: 29
fri-
. In-
Me-
& la-
. At
erſi-
præ-

. eſt,
quam
men
reis,
tibus

. plu-
liorũ
tro-
iam.
aibus
præ-
ygri-
pars
sher-
los a-

ta ſit,
Mar-
adior
oſtro
quæ
Mar.
a paſ-
mus,
tæ al-
quaſ-
dam

LYON

Digitized by Google



Digitized by Google

frequentãtes, reliquimercatores. Hic quoq; multę ędes insignes & horti amœni visuntur. IV. appellatur *Chamsabath*, qpferme Armenijcũ paucis Persicis Mahumetanis inhabitãt. V. nomen est *Hassenabath* qp inhabitant familiæ Georgianorũ circ. ducentæ quinquaginta. Sunt quidem professione Christiani sed non absq; superstitionib. VI. vocant *Cheig Sabanna* inhabitatũ ferè ab Armenijs, quorũ familiæ pene sunt ducẽtæ. Balnea frequentia in vrbe, (*Hamã* vocant) trecenta numero; Caravãseras vltra sex centas; decies mille mercatorum officinas, infinitũ advenarum numerũ esse dicit Ioh. de Persiâ. Sũma, splendore, opulentia & magnificentia Regia nõ cedit vlli totius orbis civitati; vsq; adeo reflоruit ab lustris nõ multis. Æstus solis vehemens est mensib. Iun. & Iulio; contra cujus molestias cryptas suas habent laqueatas in infima ædiũ parte & refrigeratoria sua aeripervia vndiquaq; & vt plurimũ aquis adductitijs per canales irrigua; Cellas itẽ glaciales, in quib. cõservãt stirias & glacie cõcretã nivẽ, qñ norũt in bruma (q̃ hic nõ est sęva nec frigus diuturnũ) ita cõgerere vt cõcrescat, atq; ęstivo tẽpori reservetur Vili pretio emi solet venalis ab alijs, quib. cellæ desũt. Posset hîc addi ẽt descriptio aliarũ civitatũ Persicarũ descriptio, ut Sabę, Comi, Caschanis, Casvvini, Schirassii, Sultanię, Ardebiliæ (Ardebilin Adirbeizan, pvincia quę olim Satrapene dicebatur) Sãmachię (Schamachie alias) Derbẽti, Taurisij; multorũq; aliorum; sed quoniã nobis non licet esse prolixis ablegamus lectorem ad Leonclavium, Teixeram, Hemmium, Schickardum aliosque supra annotatos viros, ut consulas pro lubitu & otio tuo.

Qualitas & natura soli provinciarum Regni Persici.

28 Cũm latissime pateat imperium hoc Sophorum, necesse est, multum provincias illas inter se differre. Alicubi enim maxima deprehenditur fertilitas agrorum, verbi gratia, qua in Sinum Persicum vergit, ob ingentem fluviorum numerum quibus cãpi irrigantur, vt & circa Mare Caspium, vbi ad aquarum vbertatem etiam accedit temperamentum aëris frigidiusculum. Quicquid superest, siccitatibus est obnoxium, destituiturque prope omnino aquis, accedentibus asperis horridisque montibus, vnde multa in ijs locis deserta, & sicubi forte fluvius vnus & alter est, navigabilis tamen nullus est: habet autem regio illa metalli fodinas, & reperiuntur aliquot locis precioſi lapilli.

Media maxima ex parte montosa est, & respectu cęterarum frigidior, inprimis in latere Aquilonari, vnde in ea parte non multũ gignit frumenti, neq; tamen caret arborib. fructiferis & bestijs varijs. Parcen. hic provenit siligo, neq; nutriuntur ibi domestica animalia. At qua in Austrũ obvertitur, abũdat omnis generis frumento, vino, gregibus & armentis. Fruitur Media superior circa Taurim Vrbem aëre valde bono, quanquam ventosior sit, & flatus hic sint frigidiusculi. Ager ferax est omnium rerum bonarum, inprimis circa Taurim sive Ecbatana. Atropatiam supra modũm fertilem facit Araxes fluvius, vt & Cyrus, quo utroque perluitur, fuitque patrum memoria hic maxima vis Serici.

Assyria prope in vniversum plana est, irrigua fluvijs, & ob id admodum fœcunda. *Susiana*, qua contingit Sinum Persicum, etiam paludosa est. Ingens hic per æstatem calor, cujus causa sunt montes septentrioni oppositi, qui impediunt Aquilones, ne perflare regionem possint. Agri quicquid colitur, plurimum profert frumenti, inprimis hordei, quãquam solum alicubi argillosum & bitumine lentũ sit, vt herbæ illic plantæque ægre adolescant: sed & aquæ illorum locorum bituminis naturam induũt, & lædunt intestina, quæ multis causa est repentinæ mortis: apud Susa vrbem multum Napthæ colligitur, suntque pleraque loca plena serpentibus, qui non parum molesti sunt incolis.

Invenies in *Mesopotamia* loca quædam, quibus nihil fertilius fingi potest, & vbi ingens vis pecoris errat: alibi tamen adeo exuritur ardoribus Solis, vt pauca sint animalia, quę ęstus illos perferre possint, Pauci hic fontes reperiuntur, quos tamen colonorum invidia à peregrinis viatoribusque occultat. Hyemis tempore itinera hic sunt difficilima, ob argillaceum solum, cui tam alte inprimuntur vestigia, vt pedes vix extrahi possint. Sunt & multa in Mesopotamia deserta, & campi latissimi perpetua arena tecti, vt nihil omnino hic gignere terra possit: Amomum tamen optimi odoris hic provenit, vt & magna copia Naphthæ, quam aliqui bitumen liquidum appellant. Ager circa Caramitam vrbem nigram habet glebam, insigniter fertilem, Merdinensis autem abundat Gossypio.

Persis proprie sic dicta non est vnius naturæ: 29
Septentrionalis enim ejus pars est montosa & frigidior, nec admodũ apta gignendis fructibus. Inveniũtur hic Smaragdi, sed viroris subobscuri. Media hujus regionis plana sunt, irrigua fluvijs & lacubus, vnde & ferunt omnis generis fructus. At quæ in Austrum porriguntur, & ad Sinum Persicum, Calida sunt ventosa atque paludosa, vbi præter palmarum dactylos vix quicquam crescit.

Parthia vero nemoribus sylvisque plena est, cincta vndique prærltis montibus: quanquam autem maximis caloribus subjecta sit, satis tamen benigna est in proferendis fructibus arboreis, quamvis olivis destituatur, fluvijs ac torrentibus crebris hæc provincia humectatur.

Planior multo fertiliorq; est *Hyrcania*, cum plurimum præstet frumenti, vini, ficuum, vt & aliorũ fructuum: sed & arbores quædam hic sudant roscida mella, aliæ vero alunt Bombycum copiam. Pars ejus Aquilonaris tota nemorosa est, in quibus ingens arborum vis, quercus, pinus, abietes, præbentes lustra ac spelæa immanibus bestijs, Tygribus, Pantheris, Leonibus & Leopardis. Verum pars ad Mare Caspium vergens semper florentibus herbis graminibusque viret, ob frequentes rivulos aquæ dulcis, qui è vicinis montibus prosiliunt.

Margiana cum fere vbique fabulo cooperta sit, prope tota deserta est, excepta ea parte, quæ Marga & Aria fluvijs irrigatur, vbi tanto fœcundior est. Id quod sterile incultumque jacet, nostro tempore desertum *Bigul* appellatur: ea vero quæ cultu feracia facta sunt dicuntur *Campi Margiani*, quorum ambitus habet C X C. millia passuum, quod omne spacium, si Nigro credimus, Antiochus soter muro cinxit, cum in ea tantæ altitudinis & crassitiei reperiantur vires, vt quasdam

Digitized by Google

dam vix vir vnus singulas extensis brachijs circumdare possit. Ajunt autem & singulas vvas fere ad vnius, quandoque ad duorum cubitorum longitudinem pervenire : tantum differt hujus loci genius à vicinis, in quibus ne vites quidem vllo pacto crescunt, quodque magis mireris totus ille locus cingitur altis montibus, habetque arenosum solum.

Nec minor diversitas terræ in *Bactriana* animadvertitur, cum sit partim culta partim deserta. Quod cultum est, Oxo fluvio alluitur, fertque frumentum aliasque res bonas: nam frequentes hic sunt rivi, vnde læta pascua, & omnis generis arbores fructiferæ, præter oleas. In deserta parte omnia squallent arenis, in quibus errant viatores in mari, stellarum nocte sequentes indicium, cum orbitæ aut vestigia viarum facile conturbentur, sublato à ventis sabulo, flante cumprimis Favonio, qui aliquando velut nubes arenæ in altum elevat, quibus tota viatorum agmina obruit & consepelit. Dat tamen hæc terra alicubi metalla, & gemmas quasdam è genere Smaragdorum, Hyacinthorum & Chrysolithorum. Vbi culta est terra irrigatur multis fluvijs minoribus, qui tamen omnes aquas suas in Oxum deponunt.

Aria provincia torretur ardentissimo Sole, cingiturque desertis sylvis & montibus. Neque tamen negamus, habere eam multa loca campestria, in quibus egregij fructus proveniunt, inprimis ad radices montium, qui subjectas colles ab vredine Solis vmbra suadefendunt. Quantæ autem bonitatis vinum sit, quod hic crescit, inde colligi potest, quod ne in octogesimum quidem annum vapescat. Colligitur etiam hic Myrrhæ quædam species, nec non saphiri duplices, nigri flavique coloris.

Gedrosia cum arenosa tota sit, maxima sui parte deserta squallet, eo quod aquis destituatur, nimisque exposita sit Solis æstibus, vnde & fere sterilitate damnata est, quanquam per æstatem aliquando pluvias habeat : Nardum tamen & Myrrham gignit.

Carmania deserta est steriliſque, ob nimios quibus vritur Solis calores, cum & in superiore loca mari vicina destituantur cum alijs rebus, tum arboribus, exceptis palmis, ericis alijsque paucis. At media regionis satis bonos fructus gignunt, in primis vinum laudatissimum.

Mores veterum Persarum.

30 Solebant veteres Persarum Reges arces & palatia sua in editis extruere montibus, ibique asservare cum thesauros suos, tum tributa, quæ à varijs gentibus exigebantur, vt omnibus planum fieret, esse eos non prodigos sed parsimoniæ studiosos. Exigebant autem tributa, vectigalia, subsidiaque illa diversimode. Mercatores enim, qui mari negociabantur, cogebantur pecuniam dare de mercibus suis: at qui mediterranea loca incolebant, dabant ea quæ vnaquæque tellus largiebatur, puta lanam, aromata, res medicatas, aliquando etiam majores minoresque pecudes. Etsi autem magna fuerit Regum Persarum auctoritas, privare tamen vita hominem rex nullus poterat, ob simplex aliquod peccatum vel delictum : neque etiam licebat vlli homini Persæ sævitiam exercere in suos domesticos. Plures singuli vxores habebant, procreandæ sobolis ergo, quibus tamen magnum adjungebant numerum concubinarum. Erant siquidem ijs à rege proposita præmia, qui vno anno quamplurimos liberos genuissent : qui cum nati fuissent, non producebantur in conspectum patris, nisi post quintum ætatis annum: tamdiu enim inter mulieres satis delicate nutriebantur. Causam hanc afferebant, vt si quem interea è pueris illis vita decedere contingeret, pater non multum doleret de filio nunquam viso. Nuptias celebrabant verno tempore ; circa Æquinoctium. Prima vespera contentus erat sponsus in cæna simplici pomo, aut medulla alicujus animalis, qua sumpta per totam noctem dormiebat cum sponsa.

Exercitia juventutis Persicæ à quinto ætatis an- 31
no vsque ad vigesimum quartum hæc erant. Equitare ex disciplina, equum in gyrum agere, missilia spargere, jaculari, & supra omnia. *Verum Dicere.* Habebant ergo adolescentes in exercitijs illis Magistros viros graves, prudentes virtutis & sobrietatis studiosos, qui moderabantur juniores, recitantes ijs historias, in quibus majorum fortia facta continebantur, quandoque & cantilenas in eum finem compositas. Conveniebant autem pueri ad hæc audienda, vocati sonitu tintinnabuli in locum quendam constitutum, vbi reddebant pueri ea quæ audita memoriæ impresserant. Post hæc ad celeritatem in cursu adsuefiebant; electo quodam illustri loco nato, qui cæterorum dux esset, continebatque locus in quo exercebantur cursu, non minus quam triginta stadia, quæ singula habebant C.XXV. passus.

Indurabant etiam corpus ad perpetiendum frigus & calorem : discebant natare per rapidos torrentes impetuososque fluvios, semper addicti alicui labori, vestes conservantes mundas & arma nitida. Delicatiores eorum cibi erant pineæ nuces Terebinthi, quæ est arbor ferens resinam terebinthinam, glandes, poma ac pyra agrestia : cibus vero vsitatus post multos labores & sudores, panis prædurus, gustu insuavis, nasturtium & allium cum sale, carnes bubulæ tostæ prunis, potus vero aqua fluvialis. Cum venatum ibant, sequebantur prædam equitantes, cum tragulis & verutis amentatis, jaculantes in ipso cursu sagittas, quam vis etiam densos lapides ad funda mitterent. Exercebantur etiam in hortis agrisque, plantatione & insitione arborum, runcandis sentium radicibus, repastinando & novellando agros. Alibi cudebant aptabantq; arma, quidã plicabant retia ad capiendas feras atq; pisces. Puerulis parcebatur ob teneritudinem, vt ad venationem non educerentur.

Erat Pyropus lapis apud eos in summo precio, vt capitale ducerent & piaculare, contingi eum cadavere : sed nec ignem adhibebant aut præferebant in exequijs funerum, ne viderentur parum de eo magnifice sentire. Ab anno vigesimo vsque ad quinquagesimum castra sequebantur & militabant, ignari litigiorum & negociatio-

Digitized by Google

ciationis. Scuta eorum parva erant, reticuli forma, gestabantqve præter pharetras & arcus gladium cum sica, utentes tegumento capitis acuminato, munientes pectus thorace è squamis consertosatis valido. Viri principes inter eos femoralibus utebantur, ferentes sagum manicatum bulice, demissum usqve ad genua, variis perpictum coloribus: Æstate erant purpureis inducti vestib9, hyeme aliter, ut cuiq; videbatur. Vulgus induebatur tunica duplici, ad meda pertingẽte femora, tegebantqve caput pileo è plicaturis fasciarum constipato, non abludente ob eorum operimentis capitis, quibus etiamnum hodie utuntur. Lecti eorum & vasa erant exornata auro, & cætera supellex munda atqve preciosa.

De rebus jejuni consultabant, neqve tamen decreta faciebant nisi postquam bene bibissent, existimantes consilia qvidem à jejunis recte suscipi, deliberata autem melius in effectum mitti, cum ventriculus & cerebrum aliqvo modo liqvore Bacchico incaluissent. Qvi inter se fortunæ bonis, ætate & conditione pares erant, cum alii aliis obvii facti fuissent, salutabant se invicem amplexu & osculo: inferioris autem conditionis homines deferebant honorem sublimioribus toto corpore inclinato. Corpora defunctorum defodiebant peruncta cera, exceptis Magis, quorum cadavera destituta sepultura à canibus devorari sinebant. Turpissima autem apud eos, etsi perantiqua fuit consvetudo, ut filii præter naturæ jus miscerentur matribus. Coram Rege exspuere, grande arbitrabantur nefas. Græcos detestabantur, eo qvod dicerent Deos ab hominibus ortos fuisse. Ære alieno obrui turpe judicabant, multo vero turpius dicere mendacium. Patribus in angustia rei familiaris constitutis, permissum erat succurrere inopiæ prostitutis filiabus.

32 Cœlum ipsum credebant esse Iovem: Solem inprimis adorabant, quem sua lingva Mithram appellabant, summum credentes Deorum, Præter hos colebant Lunam, Venerem, Ignem, Terram, Aquam, Ventos, quibus omnibus tamen nullas erigebant statuas, sed neque Templa neqve Altaria extruebant, sed offerebant sacrificia sua in locis editis, supra montes & colles, qvod ea loca viciniora crederent cœlo. Victimam immolaturi verbenis coronabant, oneratam prius maledictis & exsecrationibus, qvam cum Sacerdos in frustra dissecuisset, qvilibet partem aliqvam secum domum deferebat, nihil omnino relinqventes Numini, qvod negabant vesci hostiarum carnibus, contentum anima interfecti animalis. Erant tamen inter eos, qui victimarum cremabant interanea, hausto à Græcis eo more. In ignem sacrificiorum, qui alebatur lignis aridis decorticatis, injiciebant pingvedinem sacrificatæ victimæ, & superinfundebant oleum: in ignem ore nunqvam sufflabant, sed utebantur folle, quod si qvis contemsisset, vel aliqvid impurum, aut cadaverosum in flammam injecisset, mortem effugere nunqvam poterat.

Flumine vivo nemo se inter Persas abluebat, neque in id mingebat, aut cadaver aliqvod abjiciebat, cum sanctos crederent esse fluvios, eosque divino honore afficerent. Oblaturi sacrificium ad Lacum aliquem, vel fluvium vel fontem, primo faciebant humi fossam, in qva præcidebant guttur victimæ qvam immolabant, summo caventes studio, ne cruor usque ad aquas dimanaret, quod si fieret, polluta erat omnis eorum ceremonia. Porro caro victimæ occisæ imponebatur à sacerdote super Myrti & Laurus ramos, comburebaturque lignis minutis, non sine certis imprecationibus, miscentes mediis maledictis atque infundentes victimæ lac, mel & oleum. Dirigebantur autem illæ exsecrationes non ad ignem neque ad aquam, sed ad terram, quas longo tempore demurmurabat sacerdos, tenens manu fascem virgarum myrtearum. Qui regiis mandatis inobediens fuisset, is amputato capite brachiisque, privatus sepultura, in campum aut viam publicam abjiciebatur.

Parthorum semper maxima fuit in bello glo- 33
ria, antequam nimia opum affluentia in superbiam elati fuerunt. Vestimentis utebantur rudibus simplicibusque, diversis ab usu vicinarum nationum. Postquam autem potentes facti sunt, omnis eorum amictus auro gemmisque resplenduit, accedente exquisito candore togæ, quo in luxu imitati sunt Medos. In militiam cum proficiscebantur, non legebant milites ex hominibus liberis ingenuisque, sed ex servorum numero: unde nulli è populo licebat servum manumittere, ut ita crescente mancipiorum multitudine, simul crescerent vires bellicæ. Eosdem servos à teneris annis non minore cura nutriebant, quam suos ipsorum liberos, instituentes eos in sagittandi arte, eqvitandique peritia, ut iis postmodum in bello uterentur: unde mirandum non est, si semper Parthorum reges ingentem circum se habuere equitatũ: cum constet, inter quinquaginta millia equitum, quos contra M. Antonium in aciem duxerunt Persæ, non nisi octo millia fuisse conditione liberos, cæteris omnibus servis. Cominus Parthi nunquã præliabantur, damnantes statarium pugnæ genus, multo minus autem adduci poterant, ad oppugnanda urbium munimenta. Omnis eorum militia consistebat in equitatus celeritate, cum aliquando fugam simularent, mox conversi magna vi irruerent hostib9, ut eorum solverent ordines. Tubis lituisque non utebantur ut nostri equites, sed parvis Tympanis, propemodũ ut nostri pedites.

Fuit apud hanc gentem aliquando magnus auri argentique contemtus, ut eo non uterentur nisi ad ornatum armorum suorum. In vita privata unice studebant satisfacere desideriis suis, unde multas singuli habuerunt uxores: in quibus tamen tantum indulgebant Zelotypiæ, ut adulterii suspicionem sola mors abolere potuerit. Hoc autem incommodum ut vitaretur, non permittebant mariti uxoribus suis, ut vel in conspectum aliorum virorum prodirent, nedum ad convivia publica. Scripserunt quidam, Parthos, qui prolem ex uxoribus suscipere non possent, duxisse uxores suas ad eos, quos singulari complectebantur favore, ut ex iis fierent gravidæ. Frequentissimus iis victus erat è fera venatione capta. Omnis iis prope vita

in

Digitized by Google

in eqvo, ita ut eqvites colloqverentur & negotiarentur. Vna Nobilitatis & servitutis olim apud Parthos differentia erat, ut Nobiles & Ingenui insidentes eqvis, servi vero pedibus ingrederentur.

Mortuis nihil deferebant honoris, relinqventes eorum cadavera ruri, ut à canibus & volucribus absumerentur: devoratis autem ad hunc modum intestinis carnibusqve, collecta ossa cum cura sepeliebant. In cultu Deorum suorum satis erant devoti, superbi tamen supra modum, seditiosi, astuti, fallaces, præfracti, crudelitatem & violentiam viris maxime convenire arbitrantes, comitatem autem & humanitatem mulieribus: hinc fiebat ut nunqvam qviescere possent, vel vicinis inferentes bellum, vel mutuis inter seipsos sævientes lanienis.

In pertractandis negociis suis religiosum observabant silentium: regibus magistratibusque suis summam præstabant obedientiam, non qvod id naturę qvadam bonitate facerent, sed metu supplicii. In cibo potuque sobrietati studuisse putantur, in servanda autem fide, qvav sarundine leviores, nisi cum vel metus pœnæ vel emolumenti spes contrarium svaderet.

34 *Medos* omnis antiqvitas molles & effæminatos credidit: bonos tamen eqvites & sagittandi peritos, qviqve magno honore supos colerent Principes. Tiaram ferebant capite rotundam & acuminatam, tunicas habentes sine manicis. Primum qvidem solis Regibus permissum fuit, plures simul habere uxores, qvi tamen mos deinde imitandi licentia ad plures fluxit, ea duntaxat observata differentia, ut certus regi numerus definitus non esset, cæteris non nisi septem permissæ erant. Sed nec fœminæ qvidem facile contentæ erant singulis maritis, sed alebant clam plures admissarios. In faciendis fœderibus imitabantur Parthi Græcorum morem, vulnerantes brachia & scapularum juncturas, multumqve mittentes inde sangvinis, qvæ res signum erat, usq; ad sangvinem servatum in amicitiam. Cumqve latus hujus provinciæ septentrionale sterile fere sit, solebant, qvia incolũt amygdala sive nuces Græcas torrere, & ex iis farinam conficere, ut inde fieret panis utilis nutritioni. Potus eorum mixtus erat è variarum radicum succis. Carnes domesticorum animalium improbabant, solis ferinis vescentes, qvas venatione capiebant.

35 *Assyrios* veteres duabus tunicis usos fuisse accepimus, interiore longiore & ad talos demissa, superiore multo breviore, utraqve tamen linea: utriqve injiciebant pallium è tela candida, calceamenta gerentes similia Thebanis. Capillos capitis solebant promittere, illisqve imponere pileos fastigiatos, ad mitrarum pectorum speciem. In publicum Assyrii vix unqvam prodiebant, nisi moscho aut alio aliqvo odore perfusi. Annulum signatorium qvisqve ferebat & scipionem manibus, cujus fastigium vel floris cujusdam, vel alius rei imagine exornatum erat: sine hoc ornatu in publico nemo conspiciebant.

36 Inter alias leges hujus gentis hæc qvoqve erat, ut filiæ nubiles perducerentur in forum publicum, & venderentur ad vocem præconis, si qvis qvam vellet sibi sumere uxorem: exponebantur autem primo elegantiores, ut fieret per eas licitatio, quod inde colligebatur argentum, apponebatur deformibus, qvæ sine hoc emptores non facile inventuræ erant. Sicqvod prioribus formæ dabat pulchritudo, id posterioribꝰ conciliabat precium, auctione formosarum partum. Tradit autem Herodotus, antiqvos Henetos, qvi partem Illyrici littoris incoluerunt, eadem usos fuisse consvetudine.

Alia Lex jubebat ægros consilium petere ab iis, 37
qvi eadem ante ala boraſſent ægritudine, ut iisdem curaretur morbus remediis. Sed verisimile est, hunc morem priscis observatum fuisse temporibus, cum nullus etiamnum Medicorum usus esset. Alii annotant, solitos eos in locum publicum deportare ægros, ut omnes, qvi eodem morbi genere antea colluctati fuissent, eo accedere, atqve decumbenti narrare possent, qvibus ipsi potissimum convaluissent remediis.

Corpora mortuorum illinebant melle: exeqviæ 38
eorum parum differebant à ritibus sepulchralibus Ægyptiorum. Vir Assyrius qvi cum uxore sua concubuerat, contingere eam ulterius salvis legibus non poterat, neqve mulier maritum, nisi uterqve recenti aqva se abluisset.

Erat qvibusdam ex nobilioribus fœminis Assy- 39
riacis in more positum, ut miscerent corpus cum advenis hospitibusqve, dicentes se id facere in honorem Veneris Genitricis. Exposituræ autem se ad hunc modum ibant ad Templum illius Deæ freqventes admodum, coronatæ & preciosis ornatæ vestibus, ut magis placerent admissariis incubisqve suis. Ibi qvisqve hospitum seligebat eam, qvam magis probabat, cumqve certum argenti modum ei in sinum injecisset, seqvebatur mulier emptorem suum, in locum qvendam haud procul à Templo distitum, ubi porro operam dabant rei Venereæ merces autem stupri in servitium Templi impendebatur.

Erant inter Assyrios Ichthyophagi, qvi tantum vescebantur piscibus in Sole siccatis, qvos in mortariis contusos in farinæ speciem redigebant atq; inde certas qvasdam massas depsebant, qvibus loco panis utebantur.

Magi Assyriorum Chaldæi nominabantur, eratqve 40
iis compar auctoritas cum Sacerdotibus & Divinis in Ægypto: nam & rerum divinarum curam gerebant, & Templorum atqve Sacrificiorum, totum vitæ spacium consumentes in studiis & contemplationibus Philosophicis, exercentes se in Astrorum scientia, ut ex iis futuros mortalium casus prædicerent, ut qvisqve qvod expedit, seqvi, & à malo cavere posset. Non solebant autem Chaldæi isti addiscendarum scientiarum gratia extra patriam proficisci, qvod Græci faciebant: sed qvisqve discedebat à parentibus agnatisq; suis, tradebanturqve disciplinæ illæ velut per manus in manum. Ajebant autem artem scientiamqve suam non fundatam esse incertis dubiisqve opinionibus, ut Græcorum placita: sed retinebant constanter ea quæ semel apprehenderant, neqve sinebant suos de principiis & causis rerum disputare.

Erat

Erat autem vna ex Maximis Chaldæorum firmiſſimis, mundum creatum minime fuiſſe, ſed ab æterno extitiſſe, neque vnquam habiturum finem: totum hoc vniverſum regi Providentia Divina: corpora cæleſtia non moveri à ſe ipſis, neq; etiam per accidens, ſed eſſe virtutes quaſdam Divinas, quæ illa moveant, eorumque cauſentur influentiam. Inter omnes ſtellas plurimum tribuebant Saturno efficaciæ, Solem tamen omnibus alijs præferebant, eique longe majores vires adſcribebant. In Divinationibus ſuis tamen plus tribuebant poſitioni Martis, Veneris, Mercurij & Iovis, quod hi velut Aſtrorum omnium Caduceatores & Internuncij, melius oſtenderent Caſus futuros & ſuperiorum intelligentiarum noſſet vires. Vtebantur ijdem Chaldæi & alio divinandi genere, per flatus ventorum, effuſiores imbres, ardores immodicos Æſtatis, apparitiones Cometarum, defectus Solis & Lunæ, terræ motus & ejuſmodi res. Ajebant & ſtellas quaſdam ſubjectas ſuperioribus, dicentes alias quidem eſſe quæ pererrent luſtrentque noſtrum Hemiſphærium, alias vero quæ adverſum.

Deos principales ſibi fingebant XII. quibus totidem tribuebant Zodiaci loca, ſingulis ſingulos adſcribentes menſes. Numerabant extra Zodiacum duodecim ſtellas magnas, quarum XII. ſpiciebant ſeptentrionem, totidem Meridiem: Et eas quidem quæ apparent, ajebant ſervire viventibus, quæ vero nõ apparent, mortuis. Supputabant autem tempora ſua tam inepte atque ridicule, vt XLIII. millia annorum numerarent à prima ſui memoria vſque ad adventum Alexandri Macedonis Babylonem, quanquam ſunt, qui hunc calculi errorem excuſant, dicentes Annos Lunares intelligi.

41 Cum priſci *Carmanni* bellum irent, vtebantur Aſinis, quod equorum eos facere cogebat penuria: ſed & Marti ſacrificabant Aſinum. Nemo inter eos vxorem ducere poterat, niſi caput hoſtile corpori deſitum Regi ſuo obtuliſſet, qui illud in Palatio ſuo collocabat, exempta prius lingua, quam minutatim conciſam cum panis medulla ſumebat ipſe, deinde porrigebat ei qui attulerat, ejuſque familiaribus, eratque is in maximo precio, qui quam plurima hujuſmodi capita attulerat.

42 De *Margianis* ſui temporis refert Strabo, ſi quiſquam vir inter eos ſeptuageſimum attigiſſet annum, eum certæ morti deſtinatum fuiſſe, poſt convocatos propinquos neceſſariosque ejus, totum corpus devorando abſumſiſſe. Vetulas ſuffocabant, earumque corpora humi defodiebant.

Mores Perſarum noſtri temporis.

43 De Perſis noſtri temporis hoc vere dici poteſt, eſſe eos omnium mortalium ſuaviſſimos & humaniſſimos, quos in toto Orbe reperire poſſis, adde etiam magis liberales quam vllos alios, quos Sol hic adſpicit. Moribus enim nequaquam vtuntur barbaricis, vt Indi & Scythæ, eorum vicini ſed civilibus ingenuiſque, ſtudioſi inſuper juris & juſtitiæ ſunt, & in magno precio habent litteras ac litteratos. Multi quin etiam inter eos ſunt, quos ad ſummum in Medicina & Aſtrologia punctum perveniſſe, dicere rectè poſſis, qui vero circa Poëtices ſtudium ambitioſi ſunt, eorum inventiones & opera nemo ſatis admirari poteſt: cujus rei ſpecimen eſt Poëma quoddam Perſicum, quod cum in manus cujuſdam Cardinalis Romæ perveniſſet, eique explicatum fuiſſet, homo in eo genere doctiſſimus mirari genium ejus ſatis non potuit. Sed & in mercimoniis tractandis, exercendiſque artibus mechanicis miram oſtendunt dexteritatem, vt teſtantur panni aurei, qui apud eos fiunt longe exquiſitiſſimi. Fratres, Sorores, cæterique conſanguinei & neceſſarij magna inter ſe vivunt concordia & amicitia, qua quidem in re longiſſime abeunt à Turcarum conſuetudine, qui neminem magni faciunt, niſi qui factis meritus id eſt. Sunt etiam inter eos multi viri illuſtres, nobilibus antiquiſque prognati familiis, pollentesque opibus: & vt vno verbo dicam, multis modis Perſæ præferendi ſunt Turcis, ſive conſideres nobilitatem generis, ſive civilitatem morum, ſive denique ingenuitatem libertatemque animi. Adde his quod erga peregrinos mira ſunt comitate, excipientes hoſpites prolixe, vt eſt captus cujuſque regionis: cæterum Zelotypiæ vicio ante omnes mortales laborant: vnde fœminis nequaquam licet, vt ſe oſtendant exteris, quanquam in cæteris rebus Perſæ nihil ſoleant negare vxoribus ſuis, quas tantum non adorant, cum contra Turcæ eas prope ancillarum numero habeant. Et ſunt ſane Perſicæ mulieres longe formoſiſſimæ, accedente ſplendore veſtitus, quo mirum in modum formæ pulchritudo commendatur, vt facile cum quarumvis gentium fœminis de elegantia certare poſſint.

Gerunt autem Perſæ facile morem omnibus ſuis deſideriis, immergentes ſe deliciis, inprimis autem ludo venerio, quem poſthabitis omnibus rebus ſectantur. In veſtibus ſunt ſumtuoſi, vbique ſpargentes de ſe fragrantiam, comti ornatique variis gemmis. Quod maxime in ijs damnandum videtur hoc eſt, quod à maſculorum inſano abuſu non abſtinent, etiamſi multas fœminas domi ſimul alant, qua quidem in improbitate nihil cedunt Turcis, ejuſdem ſuperſtitionis Mahometanæ ſociis.

Lingua eorum ſuavis eſt & maſcula, vigetque in Aulis plerorumque Principum Orientis. Habuerunt olim peculiares Characteres in ſcribendo, qui vix ſuperſunt in antiquis monumentis: à quo autem tempore amplexi ſunt Mahumetiſmum, cum lingua litteras quoque Arabicas receperunt. Nominantur etiam Azames ſive Azemii, propter Aſſyriam, quæ, vt nonnulli putant, Azamia dicitur. Perſæ vocantur à Perſide, præcipua regione; & Cheſelbas, ob capitium rubri coloris quod geſtant: poſtremo Sophiani à Sopho, quod eſt cognomen Regum Perſicorum.

Diligentes ſunt in prædagogiâ ſcholaſticâ, vt

Digitized by Google

vix invenias Persam qui nesciat legere & scribere. Scholas habent in Mestzidis sive Templis suis, vbi Molla (sacerdotem sic vocant) juventutem instituit. Non virgis cædunt sed baculis fustigant petulantes. Philosophiam Aristotelis docent, Arabicâ lingua inter studiosos ita vulgari prout apud nos Latina & Græca : de his autem nihil apud eos reperitur. Fuere hucvsque multa millia, qui se sustentarunt libris scribendis, cùm destituti fuerint Typographia. Nuper hæc est introducta. Devòti admodum sunt in religionis suæ ceremonijs, propter Hossein sancti sui mortem in festo *Aschur* dicto etiam se flagellant, & Scalpellis Chirurgicis sanguinem copiosè sibi ipsis eliciunt pungentes hinc inde in corpore. Mortuorum corpora honestè sepeliunt, divites etiam pomposè. Faciem mortui vertunt ad Occidentem, postquam lotum est corpus ejusque omnia foramina gossypio bene occlusa ne impuritas aliqua effluat. Credunt enim duos angelos *Nekir* & *Munkir* dictos venire in sepulchrum ad defunctum ; eique proponere tres quæstiones. 1. *Quis Deus tuus* fuit cùm viveres? 2. *Quis tuus propheta*? 3. *Quis tuus Imam*? Tunc redire Spiritum mortui, & occupare superiorem solùm corporis partem, vt possit respondere. Si respondeat, ad primam, *Vnicus Deus qui fecit cœlum & terram*, si ad secundam *Mahumedus* : & ad tertiam, *Alij* ; tunc absque dubio salvum fieri hominem. Responsione data rursus discedere Angelos, spiritum seu animam & corpus. Falsum autem esse testatur experientia, quod scripsit Xenophon, Persas nec tussire nec emungi. Ipsis accidit, vt & alijs.

Quod Del-rio, Disq. Magic. libr. 2. dicit corpora Persarum non putrefactione consumi in sepulchris, vt Europæorum, sed solùm ligni instar exiccari & sic corrumpi; etiam compertum est sic se non habere, nisi in quibusdam macilentis & à senio anteà quasi omni succo exhaustis ; quod etiam apud Europæos contingere poterit.

Opes & divitiæ Persarum.

44 Tantum conficitur in regnis provinciisque *Imperii Persici* pannorum Sericorum, vt non contenti duntaxat iis sint incolæ atque cives, sed & magnum eorum numerum in remotissimas regiones, in Ægyptum vsque & Syriam divendant. Nec minor est in eo Imperio gemmarum & vnionum negociatio. Maximas tamen divitias largitur Mare, cujus beneficio ingens numerus navium ad littus persicum appellit, mercandi gratia. Sed vt de quibusdam mercibus sigillatim dicamus, reperiuntur in *Persida* Smaragdi, quos mercatores satis vili emunt precio, quod non adeo pellucidi sint vt cæteri. Nec minus ex hac provincia exportatur Serici in alia regna, quam ex *Hyrcania* aut vicinis. *Bactriana* gignit intra sua viscera varia metalla & gemmas quasdam, inprimis Smaragdos, Hyacinthos & Chrysolithos, vnde incolis multum accedit lucri. In *Aria* provincia colligitur pharmaci quoddam genus, non absimile Myrrhæ, quod indigenæ extraneis vendunt, vt & Saphiros diversorum colorum. Chirman provinciæ *Carmaniæ* caput est, in qua vrbe plurimum texitur panni aurati & argentati.

Sed nunc ordo postulat, vt quoniam vidimus, 45
in quibus rebus divitiæ populi consistunt, etiam proventus regios consideremus. Sed profecto ita est, nemo vsque in hunc diem certo scire potuit quousque illi se extendant, cum ne ij quidem, qui in eam vnam rem omnibus studijs incubuerunt, similia memoriæ prodiderint. Alij enim ei tribuunt trium Millionum auri redditus, alij quinque. Duæ tamen res sunt, quibus persuademur, vt non nisi opulentissimum esse credamus eum Principem. Prior est, quod Tammas Sophus, Persarum Rex, qui patrum memoria regnavit, prohibuit, ne amplius exigeretur vectigal ab ijs rebus quæ importantur aut exportantur. Constituerat autem antea vectigal istud XC. millia Tomanorum, id est, Auri Millionem vnum & DCCC. millia coronatorum, si Tomanum vnum XX. Coronatis æstimemus. Quod tam luculentum portorium Rex iste sine dubio non sustuliisset, nisi aliunde multo majores habuisset proventus, quibus invitatus hanc peregrinis mercatoribus gratiam fecit. Altera est, quod omnes regni Persici provinciæ divisæ sunt, in septem, vt loquuntur, generalitates, quarum Ispaana solvit quotannis DCC. millia Coronatorum, & Syrasana tantundem, etsi non sint opulentissimæ : nam Corasana & Dargumena vtramque longe superant, quarum illa abundat metallis gemmisque, hæc materia Serica.

Quod si quis me jam percunctetur, vnde igitur Rex ille percipiat tantos thesauros, cum seipsum spoliaverit tantis vectigalibus atque portorijs, quæ ex negociatione ad ipsum redierunt? ei ego sic respondebo ; quod percipiat ex amplissimis dominationis suæ terris, ex decimis fructuum, ex ærifodinis, postremo ex censu pergularum atque tabernarum mercatoriarum, quilibet enim, qui erigere officinam aut tabernam rerum venalium vult, tenetur singulis annis regi certam pecuniam persolvere. Taceo jam eximia munera atque donativa quæ ei à privatis, nec non ab vrbibus integrisque provincijs offeruntur : nil dico de confiscationibus similibusque hamis, quibus ingentem vim auri quotannis attrahit : postremo de Tributis exterorum Principum qui Persico subsunt Imperio.

ROBVR ET VIRES Militares.

Consistunt hujus regni vires magis in valore & 46
fortitudine militum quam numero hominum. Sunt autem tria militum genera: primum est eorum, quos rex perpetuis stipendijs circa se alit: in secundo sunt Timariotæ, cum ingentem habeat

equi-

Digitized by Google

equitum numerum, quibus pro stipendio militari certi fundi ac possessiones sub conditione Feudi attributi sunt, vt apud Turcas: tertium genus consistit in mercenariis, qui argento conducuntur è Gurgistanis atque Tartaris sive Scythis.

Sed vt de duobus prioribus, qui proprie ac peculiariter ad regnum & regem pertinent, dicamus, neutri eorum aliter quam ex equo pugnant, ita, vt cum arma sint in manibus nobilium, non libenter ijs instruant peditatum. Et hinc aliud oritur incommodum, vt Persæ omnino careant militia maritima. Nam quamvis ab vna parti habeant Mare Caspium, ab altera Sinum Persicum, in neutro tamen vnquam habuerint classem. Quanquam etiam Mare Hyrcanum in longitudine habeat DCCC. millia, in latitudine DC. nullæ tamen in ea videntur naves, & quicquid est navigiorum in Sinu Persico, ad Lusitanos pertinet, qui in eo late dominantur, cum semper aliquot navium stationem habeant in Armusio insula.

Etsi autem abundat metallis, inprimis provincia Corasana, non magnus tamen in regno Persico vsus est tormentorum bellicorum; multoque minus habent scientiæ muniendi, obsidendi, quatiendi, defendendi, oppugnandi locum aliquem, cum omnia hæc pertineant ad militiam terrestrem, perinde vt in aperto campo conserere prælium, & fortiter pugnare ad equitatum spectant, quo profecto in genere Persæ egregiam norunt præstare operam.

Alterum incommodum, quod militiæ Persicæ multum impedimenti affert, est defectus vnionis, orturque divisio ista ex duabus potissimum rebus: prior est sita in magnitudine Principum Persicorum, quos potentia inflatos facit atque contumaces: posterior, quod difficulter è tam longinquis regionibus conduci copiæ possit, quod fere nulli ibi sint fluvijs navigabiles, quales plerique sunt fluvijs regni Persici. Influunt autem omnes vel in Sinum Persicum, vel in Mare Caspium, vt media regio prope destituatur aquis: hinc patet, quod nihil sit in iis fluminibus opis, ad conducendas copias & conjungendas vires regni Persici, sicut faciunt Rhenus, Danubius & Albis in Germania, Ligeris in Gallia, Padus in Insubria, Vistula in Polonia, Scaldis in inferiore Germania. Adde his difficultatibus immania deserta & altissimos Montes, qui intersecant dividuntque provincias, qua in parte hoc regnum magna ex parte simile est Hispaniæ, vbi pauca flumina sunt negociationi apta, præterquam vbi aquas exonerant, interiora montibus locisque desertis impedita sunt, ob siccitatem nimiam. Natura tamen, volens in hac parte defectum navigationis sarcire, plurimos Persis suppeditavit Camelos, ad ferendas aptissimos sarcinas, cum multo maius onus ferat Camelus quivis, quam robustissimus equus, & sit laboris ac longinquæ viæ patientissimus. Camelus enim mille librarum onus dorso suo facile feret, idque continuo quadraginta dierum itinere: cumque peragranda sunt loca sicca & humore cassa, qualia sunt in Lybia, Arabia & Persida, vbi neque pabuli jumentis sit copia neque aquæ, non bibunt Cameli, nisi quinto quoque die, feruntque sitim, si extrema necessitas adsit, in septimum vsque nonumque diem, estque eadem in hoc animali cibi parsimonia: nam vbi demtum fuerit dorso ejus onus, sufficiet ei aliquantum herbæ, aut folia à ramo vicinæ arboris detersa: vt nullum animal videatur Orbis habere, quod in tanta laborum gravissimorum patientia minoribus alatur sumtibus. Optime igitur convenit fiticulosis illis & pabuli inopibus terræ partibus, Asiæ & Africæ, cum Cameli ipsi pro se pauco contenti, multum prosint dominis magistrisque suis. Sunt autem Cameli in triplici differentia: primum genus est minutum, nec vtile nisi ad ferendos homines: secundum habet duos in dorso gibbos, aptum ad ferendas sarcinas: qui in tertio genere sunt, majores sunt vtrisque prioribus, hisce tantum est robur corporis, vt vsitato pondere mille librarum onerari soleant.

Quantum porro equitum numerum Rex Persiæ in aciem adversus hostem educere possit, patuit præteritis bellis inter Ismaelem Sophum, & Selymum I. Turcarum Monarcham: itemque inter eundem Ismaelem & Solimannum; postremo inter Codabandum & Amuratem III. nullus enim ex his regibus vnquam vltra XXX. millia equitum Turcis opposuit, sed ad eum modum armatos, vt nihil veriti fuerint, cum multo majoribus prælio confligere Turcarum copiis. Qui enim inter eos majore cum re sunt, ita armantur, vt equites cataphracti per Europam: reliqui contenti sunt galea, lorica, scuto, prætereaque vel lancea, vel arcu & sagittis.

Vicinos Magnus Persarum Rex hos habet: 47
Ab Oriente Mogores sive Indos: à Septentrione Tartaros Zacathæos: ab occidente Turcam: à Meridie Regnum Armusinum, quod olim Sopho tributarium, hodie Hispanorum regem Patronum agnoscit. Et cum Indis quidem Persarum regi non multum est negocij. Nam sicut Galli & Hispani se invicem non valde offendere possunt, ob Pyrenæorum montium angustias & impeditos transitus: ita limites Indiæ & Cambaiæ, quam Magores occupant, vastissimis desertis & asperrimis montibus separantur à regno Persarum, vt neutri alteris nisi maximis molestiis bellum inferre possint. Sunt tamen quandoque bella inter eos, circa fines, apud Cabul & Sablestan, quæ loca Indorum reges sibi subjecerunt.

Provincias *Magni* Chami Tartarorum Principis non immediate contingit Persicum Regnum, intercedentibus primo quibusdam principibus sive regulis, quibus sua quædam Autonomia: deinde ingenti deserto: videturque Oxus fluvius sive Abian in eum finem à Natura factus, vt limitis officio fungatur, distinguatque Imperia. Oritur hic fluvius in regione Sablestana, ad radicem montis Dalanguer, confectoque

Digitized by Google

cursu longissimo, vbi accessu plurimorum amnium & rivorum valde excrevit, tandem præcipitat aquas suas in Mare Hyrcanum, distinguitque ad Aquilonem regnum Sophorum à Zacathæis Tartaris. Hunc fluvium nullus vnquam Rex Persa transire ausus fuit: sed & Saba Zacathæorum Rex altrinsecus hunc amnem transgressus, ingenti prælio victus fuit ab Ismaele Sopho. Cyrus, cum fluvium hunc ponte stravisset, & per eum exercitum suum contra Tamyrin Scytharum reginam duxisset, oblitus est reverti, cæsus à Scythis cum omnibus suis.

Turcam Sophus confinem habet, à toto spacio occidentali regni sui, id est, à Mari Caspio vsque ad Sinum Surium, quod spacium pene XV. gradus complectitur. Hoc hoste Sophus nullum habet magis potentem, magisque formidabilem: quoties enim Turcæ regnum hoc intraverunt, toties aliquam terrarum suarum partem amiserunt Persæ, exceptis proximis his annis, cum Sophiani Turcas aliquoties profligaverunt, & aliquot de iis victorias reportaverunt. Fatebuntur tamen omnes, superiores Persarum jacturas imperitiæ eorum adscribendas, qui bellum istud male gesserint, cum in solo equitatu & tormentis omnem fiduciam collocassent, nihil intenti munitionibus vrbium, imponendisque præsidijs, rati eum, qui milites impendat conservationi locorum, non satis habiturum virium ad pugnandum cum hoste aperto campo. Coacti autem postea & edocti ipsa necessitate animum ad Architecturam militarem applicuerunt, extructis munimentis propugnaculisque ad opportunos transitus, novisque ædificatis arcibus, quibus omnibus sufficiens imposuerunt militum præsidium, cum tormentis machinisque bellicis. Cum Lusitanis qui Armusium obtinent, nihil Persarum regi est negocij, cum ipse nulla habeat loca maritima, sine quibus frustra est, id regnum recuperare velle: neque Lusitanis suppetunt media, quibus interiora terræ sibi vendicare queant. Erant aliquando, qui Tammam Regem stimulabant ad invadendum illud regnum: ex his quæsivit Tammas, ecquid boni crescret in illo regno? an frumentum? an vinum & egregij fructus, aliaque expetenda? cumque intellexisset, solum quidem esse sterile, sed negociationis commoda ibi magna esse: irrisit, dixitque donavisse se populo suo nonaginta millia Tomanorum ejusdem naturæ, quæ potuisset singulis annis in suum redigere fiscum: intelligens vectigalia maximi momenti, quæ suis vltro remisisset.

MODVS GVBERNAtionis.

48 Extra omnem dubitationis aleam est, rationem gubernationis politicæ in regno Persarum longe meliorem æquioremque esse, quam cæterorum Principum Mahometanorum omnium, quorum ad nos pervenit cognitio: & profecto, potestas Regia non adeo absolute libera est, sed certis boni & justi continetur regulis, quod apud alios hujus sectæ Principes vix invenies. Cæteri enim reges Mahometani consueverunt extirpare Nobilitatem, eorum in locum adscitis servis mancipiisque: sed & solent fratribus vel vitam adimere vel oculos. Inter Persas vero Nobilitati suus est honor, & ipsi reges amare solent fratres suos, iisque omnem præstare benevolentiam. Præterea habent Reges Persarum multos sub se opulentos potentesque principes, cum apud Turcas ne vnum quidem invenire liceat, qui cum hostes sint omnis Nobilitatis, simulac regnum sive principatum aliquem sibi subjecerunt, tollunt è medio quicquid ex illustri natum est sanguine, subrogatis novis hominibus, qui tamen nequaquam fiunt Principes & Domini, sed Præfecti regionum, quos pro libitu dignitate movere possunt. Vt vno verbo dicam, non cedit regnum Persarum vlli regnorum Europæorum in optima gubernationis forma, vt testantur ii, qui coram omnia oculis arbitrati sunt, nec satis deprædicare possunt æquabilem populi vivendi rationem. Nos quidem id pro non parvo infortunio ducimus, quod nemo eorum rationem reipublicæ, modum administrandæ justitiæ & leges regni annotavit, vnde nos aliter quam generatim de hujus regni gubernatione dicere possumus.

RELIGIO PERsarum.

Mortuo Mahometo, auctore fatalis illius Sectæ, qua velut flamma celeriter totum Orientem corripuit, quatuor ejus cognati, Halys, Abubequer, Omar & Ottomar, magnam inter se orsi sunt contentionem, cum se quilibet verum illius hæredem atque successorem scriberet. Hæc controversia fuit radix & scatebra quatuor illarum Sectarum principalium, quæ etiamnum inter Mahometanos gliscunt. Et Halys quidem fuit auctor illius Sectæ, quæ Irnemia vocatur, quamque secuti sunt Persæ, Indi, Gelbini Africæ & plerique Arabes. 49

Alcoranum exposuere duo, vnus ex posteris Halij nomine *Tzafar Saduk*, alter ex discipulis Haly, dictus *Hanife*. Explicationem illius sequuntur Persæ, hujus Turcæ. Credunt vnum DEVM, reijcientes trinitatem personarum: Christum Magnum Prophetam, negantes essentialem DEI filium: DEVM non esse vxoratum, ac proinde filium generare non posse, cum miseseri non nisi corporalem & physicam generationis formam agnoscant: DEVM, Angelos & Diabolos corporibus præditos esse. Eum in finem habent in suis actis. Halij aliquando Diabolum quempiam romphæa sua percussisse & occidisse. Tradunt Angelos peccare & contrà Diabolos se convertere posse, & hujus rei sibi exemplum esse, dum aliquis Diabolorum se converterit Mahumedanam amplectendo religionem.

De creatione Mundi, vltimo Iudicio, Paradiso & vita

Digitized by Google

& vita æterna, alijsque punctis ridiculas enarrant fabellas, quas hic recenſere nimis longum foret. Dies Veneris ipſis eſt Sabbaticus ad cultum publicum, vt ſe à Iudæis & Chriſtianis diſcernant. Nullas habent conciones, ſed ingrediuntur ſolùm Meſtzidam precum fundendarum gratia. Has peragunt brachijs nudatis & prius lotis, facie verſus meridiem verſa. Campanarum loco habent clamoſum in turri templi præconem, qui convocat populum ad preces interim ipſe orans atque Halij & aſſeclas ejus beatos pronuntians maledictis Abubequer (ſocero Mahumedi) ejusque complicibus. Poſt Muhammedum ſummum prophetam venerantur XII. Imani ſive ſanctos, qui divina virtute multa ediderint miracula, hoc ordine: Aaly, Haſſan, Hoſſein, Seinel Abedin, Mahumed Bakur, Tzafer Sadut, Muſai Kaſum, Riſa, Mahumed Taggi, Ali Naggi, Askeri & Mehedi. Præter hos etiam alios hinc inde, vt Sumachiæ colunt *Schich Murith*, non procul inde in pago Pyrmaraſo quendam *Seid Ibrahim*, atque ejus præceptorem *Tiribabba*; Ardebiliæ SchichSefi; ad Fakerlu Pyr-Mardechanum &c.

De cæteris hic nihil commemorabo, cum ſatis prolixe de ijs dixerim, vbi Turcarum Religionem ſum perſecutus. Habet autem Perſarum opinio plura rationi & naturæ conſentanea, quam cæterorum, cui & multum auctoritatis conciliavit patrum memoria Iſmaël Sophus, qui cum dixiſſet ſe ortum è proſapia Halys, extulit magnifice Sectam ſuam, denunciato etiam bello vicinis Principibus, niſi eandem ſecum amplecterentur religionem. Ferebat hic tegumentum capitis rubeum cum XII. apicibus in memoriam duodecim filiorum Oceni, qui filius fuit Halys, volens, vti omnes qui eum ſequerentur, ejuſmodi vterentur pileo. Multæ gentes in hujus Iſmaëlis iverunt ſententiam, in primis quotquot habitabant inter Euphratem & Oxum fluvios, nec non Perſicum & Hyrcanum maria, qui populi omnes ad hanc vſque ætatem in ea perſeveraverunt opinione.

Inter alia feſta præcipuè obſervant magnum *Baïram* die nobis XXV. Aprilis ipſis X. menſis *Silhoza*, quo celebrare ſe jactant memoriam ſacrificij Abrahami, quod in Iſmaële (non Iſaaco, vti habet Moſes) voluerit peragere. Qui poſſunt; eo die ſummo mane extra limen domus ſuæ agnum vel ovem mactant, & in particulas diſſectum diſtribuunt pauperibus magno numero tunc circumeuntibus. Nihil retinent de beſtiâ, ne pellem quidem, cauſam allegantes, ſic etiam nihil ſecum domum ſumpſiſſe Abrahamum de hædo quem loco filij ſui ſacrificarit. In hunc finem ex omni Perſia & alijs locis Mahumedanis ſacrificij hujus ergo magnus fit hominum confluxus Meccam in Arabiâ. Die X. Silhozæ oportet omnes adeſſe ad vrbem, & montem vicinum Arafat, in quo, vti putant, Abraham ſacrificium peregerit. Hunc montem conſcendunt orantque ibi totam noctem. Ante Solis ortum deſcendunt, & proſpiciunt ſedulò vt quiſque accipiat aliquid, vel pilum ſaltem, de camelo illo, qui in vrbe vt res ſacra ab ipſo Hetzas, id eſt, Pontifice Maximo, jugulatur & conſecratur. Particulam etiam ligni puniceo colore & aquæ benedictæ ex templo Mechano ſecum gerunt, vbi revertuntur. Sic egregiè ſe DEVM coluiſſe opinantur; & vocantur tales peregrinatores Hetzi, qui deinceps omnitempore abſtinent à vino.

Vnicum ſaltem exemplum erit documentum, quanta ſit eorum Religio. Illud hoc eſto. In Alcorano fingit Mahomet, Abrahamum fuiſſe filium Aſaris cujuſdam Statuarij Nimruti Regis Ægypti; hunc in Ægypto duxiſſe Saram conjugem, cumque ea profectum eſſe in Arabiam; ſed cum illa ſterilis eſſet emiſſe Hagarem mancipium, atque ex ea procreaſſe Iſmaëlem. Sara expellit gravidam domo ex invidiâ; ancilla exul in campeſtribus pariens & filium enixa patitur ſitim, atque ex impatientia infantulus pedibus terram feriens calce fontem elicit; ſed vſque adeò vehementer rapido curſu aufugientem, vt mater non potuerit ejus aqua frui; ideoque ſupervenientem Abrahamum mandaſſe fluvio, vt conſiſtat, & placide fluat quò puerpera bibere queat, pronuntiata voce: *Semſem*; objecto etiam clivo arenoſo. Sic bibiſſe Hagarem & domum reverſam fuiſſe, fluvio autem inde nomen hoc manſiſſe: poſteà & Saram peperiſſe Iſaacum. Poſtmodum angelus quidam jubet Abrahamum eo ipſo loco, quo Hagar biberat, domum ædificare; & cùm detrectaret vt rem ibi ob defectum lignorum & lapidum impoſſibilem, dicit Gabriel, *DEVS providebit*; & ſtatim magni multique lapides ſponte ſua ab monte Arafat devoluti veniunt ad Abrahamum, ex quibus domum extruxerit, cujus ſtationem jam occupet Templum illud Meccæ. Confectis ædibus vnicum adhuc reliquum lapidem ibi jacentem ſermone claro conqueſtum eſſe ad Abrahamum, cur ipſe ſolus ſit rejectaneus, neque ad hoc domicilium ſit vſurpatus? huic reſpondiſſe Patriarcham, Majori reſervatum eſſe honori, nempe vt in poſterum ab omnibus fidelibus oſcula accipiat. [Hinc adhuc ſinguli peregrini lapidem quendam angularem ad templum iſtud oſculantur, creduntque hunc eſſe] Angelus poſtmodum redit ad Abrahamum, eique annuntiat mandatum DEI de ſacrificando Iſmaële in ſignum gratitudinis, quod tam dives factus eſſet. Vir promptus jubet Hagarem lavare & novis veſtibus amicire filium ſuum, vtpote quem cras aliò ſit ad lætas nuptias ducturus. Itaque altero die aſſumpto filio, funiculis & cultro, aſcendit montem Arafat ante orientem Solem. Interim venit Scheithan (Diabolus) ad Hagarem exprobrans ei quod Iſmaëlem permiſerit abire; eum non ad nuptias ſed ad macellum proprij juguli abduci à patre inſuper prodens. Et cum Hagari, quærenti è Satanâ, *Cur Abraham hoc faceret?* malignus ſpiritus reſpondiſſet, *Ex mandato DEI*; illaque aſſereret, *Ergo recte fieri & bene*; Diabolus autem multis verbis ei moleſtus eſſe pergeret, tunc fœmina iracunda lapidem tollit petitque Satanam. Hic omiſſa muliere tentat Abrahamum, Proſpice quid agas, inquiens, ecquis tam crudelis eſſet parens

Digitized by Google

vt filium proprium mactaret; quàm horrendum cæde illa innocentis perpetrabis peccatum? Verùm Abraham statim animadvertens, quis esset ille Disputator, verbis duris primò excipit Satanam, & deinde lapidis ictu abigit. Itaque aggreditur ipsum puerum Ismaëlem; sed & hîc ad exemplum parentum lapidem sublatum jacit in Diabolum. Cùm igitur perveniissent in montis cacumen pater dicit: Mi fili, scis cur hic simus? DEVS mihi mandavit vt te in ejus honorem sibi offeram. Respondet actutum adolescens, Fiat voluntas DEI. Sed tria sunt, quæ opus erunt observatu. 1. Vide vt bene constringas mihi pedes manusque, ne forsitan ex sensu dolorum tibi obluctet. 2. Cultrum bene acue, & cum jugulum petis oculos claude, vt citò præcidatur, neque tu ex tristitia manum retrahas ab aspectu. 3. Reversus domum saluta matrem vltima vice meo nomine, & dic me velle vt omittat lacrymas propter obitum meum. Abraham pollicitus omnia, clausis oculis cultrum apponit; sed post retractum cultrum videt puerum adhuc illæsum esse, itaque iratus cultro, cujus culpam esse putabat, eum affricat acuendi gratia lapidi proximo, sed inopinatò eum acies cultri dissecat. Vir admiratus interrogat cultrum, Cur scindis lapidem durum & non carnem filij mei tenellam? Ad quæ cultер loquens perfectè respondet: DEVS non vult vt lædam jugulum filij tui; & tunc statim adfuisse Angelum Gabrielem, qui prehensa Abrahami manu dixerit, Abstine Abraham, sufficit; DEVS te voluit probare quantopere diligas eum; solve & dimitte puerum; ejus loco autem macta & sacrifica hunc hircum, quem angelus in promptu habebat. Tres istos lapides, quibus Agar, Abraham & Ismaelem (si credere fas est) Satanam impetijsse hîc audis, dicunt adhuc jacere ad viam intra Medinam & Mecham subter magno lapidum cumulo. Solent enim singuli viatores religiosi in transitu superadiicere lapidem.

Hinc multos illorum reperies, qui tres parvos lapides inde secum auferunt tanquam efficaces ad labigendum Satanam. Quo nitantur hæc fundamento, ipse judicet Lector.

Sunt & Iudæi in Imperio Sophorum, ex posteritate eorum, qui in Assyria manserunt, cum Esdras & Nehemias reversi sunt in Iudæam ad instaurandam Vrbem & templum. Qui autem cum alijs profecti non fuerunt, elegerunt sibi in Assyria, vt Origenes ait, Caput sive Principem ex familia Davidis, extruxeruntque vrbem super ripam Euphratis fluminis, quam appellaverunt *Neardeam*, id est fluvium scientiæ.

In Provincia Corasana inveniuntur Christiani Melchitæ sive Græci, de quorum Religione supra diximus, & hi quidem obediunt Patriarchæ Antiocheno. Nec desunt huic regno Nestoriani, introducti in Persidem, vt Paulus Diaconus scriptum reliquit improbitate Cosrois Persarum Regis, qui in odium Heraclij Imperatoris, à quo acie victus & male habitus fuerat, spoliavit omnia Christianorum templa; quot-quot in suo regno habuit, ejectisque Catholicis, substituit in eorum locum Nestorianos, qui se deinde miscuerunt cum Assyrijs Medis atque Parthis.

Sunt & multi Christiani ex Armeniorum Secta in Persico regno, qui huc transiverunt metu violentiæ Turcicæ, habentque adhuc Patriarchas duos, quorum prior, cujus auctoritas per superiorem Armeniam agnoscitur, habitat in Monasterio Ecmeazino, haud procul ab Eruan vrbe Persidos. Alter, cui parent Armeniæ inferioris incolæ, habet sedem suam apud vrbem Sis in Caramania. Cum autem de vtroque satis multa dixerimus, eo loco, quo de Religionibus per Imperium Turcicum egimus, Lectorem eo remittimus.

Et hæc dixisse sufficiat de religione Persarum, qui quamvis eundem Mahometum cum Turcis Sectæ suæ primum auctorem agnoscant, capitali tamen à barbaris hisce odio dissident, non minus ac nos per Orbem christianum: suntque non pauci ex prudentioribus, qui existimant, si Christiani Principes pluris fecissent Oratoris Persici postulata, qui superioribus annis à Schach Abaso in Europam missus fuit, potuisse Regem illum paulatim adduci ad fidem Christianam.

Offendicula autem multa istis populis, vt & Iudæis, ponuntur ab ipsis Christianis, quæ causa sunt, cur alieniores sint à suscipiendâ Evangelij veritate. De his differere non est hujus loci.

* *
*

SYN-

Digitized by Google

SYNDROMVS RERVM PERSICARVM, CONTINENS HISTORIAM REGVM EORVM EX AVCTORIBVS tam Græcis quam Latinis.

SVMMA CAPITA.

1. Chronicon abbreviatum Regum Persicorum, ex Sacris Litteris, Philone Iudæo & aliis scriptoribus.
2. Aliud Chronicon paulo copiosius superiore, ex Herodoto, Xenophonte, Iustino, aliisq; scriptoribus Græcorum.
3. Cyrus primus Monarchiæ Persicæ auctor, qui eam à Medis ad Persas transtulit.
4. Historia Danielis in foveam Leonum conjecti, & qua de causa Indæis permissum fuerit ædificare Templum. Cyrus subacta Lydia captoque ejus Rege Crœso, infert bellum Scythis, à quibus prælio vincitur & occiditur.
5. Laus Cyri. Dictus fuit Rex Regum. Primus in Persidem introduxit vsum tunicæ talaris, &, vt quibusdam videtur, Tiaræ.
6. Cambyses devincit Ægyptum, interficit Smerdin fratrem suum, ejus sacrilegia & sævitia, mors.
7. Smerdes vnus Magorum Regnum sibi vendicat, quo modo fraus ejus detecta fuerit.
8. Quo pacto Darius Hystaspis filius ad Diadema Persicum pervenerit, auxit Regnum Persicum, restituit summum Sacerdotium Iudæis. Invasurus cum ingenti exercitu Græciam, à morte prævenitur.
9. Xerxes successor Patris declaratus, quod fuerat patre rege genitus, cæteri fratres non item. Ægyptios qui rebellaverant, magna severitate ad obedientiam reducit. Quantis cum copiis terrestribus & marinis Græciam invaserit. Vincitur, fugatur, moritur.
10. Pretensio Artabani ad regnum, cujus malitia detegitur & castigatur. Artaxerxes vlciscitur mortem Xerxis Patris sui, mittit ingentem exercitum adversus Ægyptios, remittit Esdram Hierosolyma, multis affectum beneficijs. Ægyptij excutiunt jugum dominationis Persicæ.
11. Cyrus Darij filius Captivus, & qua de causa, quo tempore mortuus fuit Darius Nothus.
12. Cyrus evadit è custodia. Virtutes hujus Principis & Mors. Artaxerxes Mnemon pacis studiosus, conatur Græcos civilibus inter se sævientes bellis in gratiam reducere.
13. Iudæis quiescere nolentibus, mittit contra eos Darius Ochus Rex Bagoum, qui eis tributum imperat. Origo Iudæorum Abramidum. Seditio Artabazi ejusque mors in causa est, quod Ægyptus, Phœnicia & Cyprus sub dominationem Persicam relabuntur. Darius ejusque liberi per Bagoam veneno tolluntur.
14. Darius exuitur omni imperio per Alexandrum Magnum.
15. Quando & quomodo Regnum Persarum antiquum suum splendorem recuperavit. Origo Artaxerxis, ejus Magnitudo, vincitur prælio ab Alexandro Mammææ, est versatissimus in scientiis Magicis.
16. Sapores Persa adimit Romanis partem Mesopotamiæ, aliasq; Vrbes non paucas. Vincitur in pugna adversus Gordianum Imperatorem, vincit vicissim Valerianum, ipsumque Imperatorem vivum capit. Odenatus Rex Palmyrenorum prosternit ingenti prælio Saporem, eoque intercidit cursum victoriarum ejus.
17. Vardanes pacem facit cum Probo Imperatore. Carus vicissim adimit Persis Mesopotamiam.
18. Narses multa & ardua conatus, ingenti prælio vincitur à Maximiano, qua victoria Persicis rebus exitium attulit.
19. Misdates, ita volente patre, coronatur in Regem adhuc in vtero matris latens. Sapores II Capitalis Christianorum hostis, octies potitur victoria adversus Constantem Imperatorem, ipse postremo victus in Armenia per Arsacen. Exercitus Iuliani Apostatæ casus. Iovinianus pacem facit cum Persis.
20. Dissensiones variæ inter liberos Saporis, super successione in regno paterno: crudelia Artaxerxis facinora.
21. Isdigertes Theodosii adolescentis & Imperatoris Tutor: ejus in Pupillum fides & merita. Grandis ab initio Christianorum persecutor, sed postremo aliter persuasus est ab Antiocho, gubernatore Juvenis Imperatoris, cujus filius à Dæmonio liberatus fuerat precibus Mathuntis Episcopi.
22. Varanes persequitur Christianos: vincitur à

Digitized by Google

Theodosio Iuvene, unde sit finis persecutioni Pax inter Imperatorem & Varanem.

23. *Bellum inter Perosum & Euthalitas. Origo hujus gentis. Perosus jurat fidelitatem Regi Euthalitarum. Moritur Perfidus.*

24. *Valens fit tributarius Euthalitis. Cavadates eorum jugum excutit, crudelitas ejus, & lex, qua mulieres esse voluit communes.*

25. *In Persida regnare nemo potest, nisi Regio ortus sanguine. Consilium Gusanascadis, quid de Cavadate faciendum esset, capitur hic, & per uxorem libertati restituitur. Seoses confugit ad Anastasium Imperatorem, adjutus ab Euthalitis recuperat possessionem regni sui. Causa cur in Christianos fuerit clementior.*

26. *Cosroes amator litterarum & litteratorum. Infert bellum Iustiniano Imperatori, cum quo coactus pacem facit, quam tamen paulo post violat. Vincitur aliquot prelijs a Belisario, moritur marore animi.*

27. *Bellum Hormisdæ regis adversus Romanos. Tiberius Imperator gravi & memorabili prælio vincit Hormisdam, qui secundo prælio victus à Philippico Romanorum Duce, amittit Nisibin Vrbem; & Arsemenen cum parte Mesopotamiæ. Hormisda reddit Turcas sibi tributarios, deiicitur solio regio. Cosrois execranda crudelitas, quam exercuit in patrem Hormisdam, ejus uxorem & filium, fratrem suum.*

28. *Ingens conspiratio in Cosroen, quam is vitat invocato Deo Christianorum. Restituitur in regnum. Memorabilis historia de Turcis, ferentibus signum Crucis in frontib. suis. Narses insurgit in Imperatorem. Cosroes juvat Phocam auxiliaribus armis.*

29 *Cosroes omni potitur Mesopotamia atque Syria, pratereaq; Palæstina, Armenia, Cappadocia, Galatia, nec non urbibus, Edessa, Cæsarea Cappadociæ, Damasco, ipsaq; Hierosolymorum civitate: abducit secum Sanctam crucem in Persidem. Devincitur postremo ab Heraclio Imperatore.*

30. *Reges Persarum Mahometistæ profligati à Tartaris, Tamerlanes fit Dominus prope totius Orientis; è cujus posteris est Vsuncassanes.*

31. *Vsuncassanes ducit uxorem filiam Imperatoris Trapezuntini, ipse elocat filiam suam Secaidero. Uxor Vsuncassani sanctæ vitæ famina. Bella ejus contra Mahometem Regem Turcarum. Vguelij Mahometis rebellio contra patrem, qui ad Turcarum opem confugit. Vsuncassanes, qua calliditate In filium usus fuerit.*

32. *Historia Tragica de morte Jacobi Patissæ, ejus uxoris atque filij. Secaiderus corripit arma adversus Principem suum.*

33. *Secaiderus vincitur & occiditur. Educatio Ismaelis Sophi, primus ejus conatus Alamutus Persarum Rex male rem gerit. Commisso prælio cum Ismaele Alamutus vincitur. Sophus victor occupat Taurim; cujus crudelitas erga matrem describitur.*

34. *Ismael novum sumit capitis operimentum rubri coloris, unde natum est nomen Chaselbas. Victoria Ismaelis contra Marat Canum. Occupat Mesopotamiam: qua versutia a se amolitus fuerit proceres regionis. Invadit Syduliam, interfecto rege, cujus propetotum regnum sibi vendicat. Iterum vincit Murat. Canum. Tartari bellum inferunt Ismaeli Sopho, qui Sumachiam occupat, expugnata armis Darbana civitate. Amor insignis militum in Ismaelem, qui quibus verbis monetam argenteam aureamq; signaverit, ostenditur. Selymus Turcarum Monarcha infert Ismaeli bellum, quæ fuerit causa inimicitiarum inter hos duos Principes. Prælium ad Salderanam, in quo Ismael à Turcis victus fugatusq; fuit. Selymus occupat Taurim Vrbem, eamq; exspoliat.*

35. *Vlama Persa rebellionem concitat adversus Tamasam. Quas terras Solimannus armis eripuerit. Persis, suoque adjecerit dominio, nempe Assyriam, Mesopotamiamque, Solimannus capit Bagadetum sive Babylonem, & iterum despoliat Taurim urbem. Hujus exercitus caditur à Delimento duce Persarum.*

36. *Astutia Ismaelis Sophi in causa est, ut non tantum perdat regnum, sed ipsam quoq; vitam. Victoria Amuratis Monarchæ Turcici de Mahometo cognomento Caco, cui quas eripuerit urbes & terras, commemoratur. Turcarum exercitus vincitur per Abbam Persarum Regem, qui & Legatos suos in Germaniam misit ad Rudolfum Imperatorem.*

CHRONICON REGVM PERSICORVM

Ex Sacris Litteris,

PHILONE IVDÆO,

& alijs scriptoribus.

IN describendis superioribus Europæ, Asiæ Africæque regionis ac provincijs hunc secuti sumus ordinem, ut non solum quis esset vniuscujusque situs, amplitudo, peridromus, qui populi ritus & mores, quæ vires militares & divitiæ exposuerimus: sed & qui reges principesque ab initio ad nostra vsque tempora in ijs dominati fuerint, quæ bella gesserint, & qua fortuna, quæ fuerint cujusque regni & Principatus incrementa atque decrementa. Idem institutum nostrum etiam deinceps in rebus Persicis observabimus, quod sane regnum dignum est, vt ejus accuratius consideremus vicissitudines, cum non tantum Reges Persarum olim totius hujus Vniversi Monarchiam obtinuerint, sed & nostro ævo amplissimis nationibus ac gentibus ferocissimis imperitent. Hic enim videbimus,

Digitized by Google

bimus, non tantum nomina & res gestas præcipuas tot potentissimorũ regũ, sed & miras mutationes & vicissitudines, migrante dignitate Regia non solũ de gente in gentem, sed & de familia in familiam. Faciemus autem, quicquid summa diligentia, in tanta antiquitatis profunditate & auctorum variantibus opinionibus, tam ex priscis quam novis auctoribus fieri potest, vt res tam abstrusas in lucem proferamus.

Est inter scriptores recentiores Hispanus quidam, nomine Texiera: qui cum legisset Historiam Persicam, scriptam per quendam nomine Turik Mirkond, natione Persam, confecit & ipse Chronicon quoddam per summa capita collectum, in quo videtur optimo ordine deduxisse successiones Magnorum istorum Principum, ab origine hujus Monarchiæ vsque ad hæc nostra tempora. Neque tamen dissimulandum est, tantam in eo esse dissimilitudinem, & ab omnibus superioribus auctoribus discrepantiam, vt res maximæ sit futura difficultatis, hoc scriptum cum aliis concordare velle. Neque tamen fortasse ratione carebit, si dicamus, Mirkandum illum ad veritatem prope accessisse: & si quid vel in Sacra Scriptura vel apud alios auctores ab eo discrepet, nominum potius id esse adscribendum mutationi, quam rerum aut Personarum. Vt autem illis satis faceremus, qui in Chronographiis & Genealogiis Principum plus fidei tribuunt antiquitati, optimum factu visum est nobis, primo persequi ea, quæ historiarum veterumque scriptorum monumenta hactenus prodiderunt, & de quorum veritate nemo dubitavit: deinde subiicere ea, quæ Texiera ex Mirkondo tradit, vt Lector inde queat dispicere, quantum vni vel alteri debeat tribuere fidei: reservato nihilominus mihi jure adjungendi quædam, vbi vsus exigere videbitur: non vt contradicam Texieræ, sed ne desiderari à Lectore possint, tot acta & facinora illustria, & res memorabiles, à Regibus Persis cum contra alios, tum inprimis adversum Turcas gestæ.

Cum autem Philo Iudæus & Metasthenes, auctores antiquissimi, in multis à Græcis scriptoribus dissentiant, cum Sacris vero Litteris apprime consentiant, nõ erit alienum ab instituto nostro, quid ipsi sentiant, huc referre. Sic ergo ajunt. Cyrum ereptum Astyagi Medorum regnum, avunculo suo Dario reliquisse, cujus deinde auxilio ipse ceperit Babylonem, translata Monarchia Assyriorum ad Persas. Duobus annis post Darium reversum in Mediam & Cyrum solum in Babylonia regnavisse. Hunc ipsum Cyrum postea susceptа expeditione in Scythas, reliquisse Cambysen filium suum in regno, se absente, quod ita juberent leges Persarum, relinquere in regno cum Regia potestate eum, qui sanguine Regi quam proximus esset: & hæc causa est, ob quam auctores illi Cambysi ordinem locũque inter Persarum Monarchas non dant, neque mentionem faciant duorum fratrum Magorum, qui fraudulenter sibi regnum vsurpaverant, vt suo loco dicemus, quorum etiam potestas non nisi per bimestre tempus duravit, Dario Hystaspis filio in regem electo. Huic successit Xerxes filius, sed ne hunc quidem in Monarcharum ordinem referunt, quod hic statim sub regni sui initia, reliquerit sceptrũ Dario Longimano filio suo. Græci a. nequaquam omittunt Cambysem & Xerxem, sed eos suo loco inter Persarum Reges adscribunt, vnde non mirum est, si plures annos numerant, quam Philo & Metasthenes, apud quos Reges sive Monarchas Persarum hoc ordine invenimus.

CYRVS cum Dario regnavit annos II.

Cyrus idem post mortem solus annis XXII.

Darius Hystaspis filius, electus in regem, & cognominatus Artaxerxes Assuerus, regnavit annis XX.

Darius Artaxerxes Longimanus annis XXXVII.

Darius Nothus annis XIX.

Artaxerxes Mnemon annis LV.

Darius Ochus regnavit annis XXVI.

Arsames regnavit an. IV.

Darius vltimus, regnavit an. VI. deinde victus hic est ab Alexandro Magno Macedonum Rege, qui Monarchiam à Persis ad Græcos transtulit.

ELENCHVS REGVM PERSICORUM ex Auctoribus Græcis & Latinis.

Sed juvat audire, quid Herodotus, Xenophon, Iustinus, Agathias, Procopius aliique Historiæ Persicæ auctores dicant, quorum quidam obiter & incidenter, alii vero ex professo Regum Persicorum mentionem fecerunt: sed primum audiendus est Iosephus, mirus antiquitatis scrutator, qui de Persarum origine hæc habet. Semo, ait, Noachi filio, quinque fuerunt filij, qui & Asiam possederunt ab Euphrate vsque ad Oceanum Indicum. Elymæ enim posteri fuerunt Elamitæ sive Elymæi, à quibus originem trahunt Persæ: Porro quod ad appellationem Persarum attinet, non est ea valde antiqua: prius enim dicti fuerunt Panelij, à Rege quodam tracta denominatione; deinde Cephenij, postremo Persæ à Perseo Iovis ex Andromeda filio, vt putavit Herodotus. Qui autem Persei hujus fuerint successores, nemo scriptum reliquit, neque id quidem sine causa. Non multis enim annis post subiecti fuere Persæ Monarchiæ Assyriacæ, sub qua & mansere, donec Sardanapalus vltimus Assyriorum Monarcha solio regio deturbatus fuit ab Arbace primo Medorum Principe, & Phul Belocho Babyloniorum rege, cõprehendente tunc *Medorum Monarchia*, Persidem, Bactrianam, Parthiam & Hyrcaniam. Vltimus *Medorum Monarcha* fuit Astyages, qui eversus fuit regno Consilio & sollicitatione Harpagi, cujus interfici rex jusserat filium, ejusque carnes coctas patri ad comedendum proposuerat. Tantum facinus vt in rege vlisceretur Harpagus, misit ad Cyrum, Astyagis ex filia Nepotem, qui tunc cum patre privatam vitam vivebat in Perside, eumq; invitavit ad vindicandam vtriusque injuriam: se enim liberum ei in regnum accessum confecturum, vt factus rex Persas à *Medorum* servitute liberaret. Cyrus probato hominis consilio, egit cum Persis suis, vt excusso per seditio-

Digitized by Google

ditionem Medorum jugo, tributum iis negarent & obedientiam. Astyages cum hæc intellexisset, vocavit ad se Cyrum, vt rationem redderet rebellionis suæ: cui nunciari Cyrus jussit, venturum se celerius ad regem, quam ipsi expediret. Hoc accepto responso Astyages vim & arma paravit. Cũque pro nihilo haberet injuriam, qua Harpagum ante affecerat, concredidit homini summum copiarum adversus Cyrum imperium magno suo malo. Cum enim ad prælium res venisset, duces plerique, quibus cum Harpago consiliorum erat societas, Cyri partes secuti sunt: cæteri quos proditio ista latebat, desertos se videntes à sociis, in fugam præcipites abiverunt, vnde primo inclinatio aciei, deinde effusa fuga *Me*dorum secuta est, Astyage subinde Cyro mortem minitante. Cum autem primus consuluisset Magos Divinosque suos, qui futurus esset illarum rerum exitus, omnes vno ore suaserunt, ne sequeretur amplius Nepotem, sed sineret ipsum vti fortuna, quam ei Dii in manus dedissent. Sed Astyages, cum & hos conspirationis cum Cyro participes crederet, suspendi laqueo jussit omnes. Hinc instaurato bello & majoribus quam ante coactis copiis in Cyrum duxit, voluitque ipse prælio interesse, damnoso admodum consilio.

3 Victus enim acie, amisso exercitu ipse Astyages vivus captus fuit à Cyro, qui nihil acerbius in Avũ statuit, Monarchia duntaxat spoliatum, Hyrcaniæ præesse jussit: huc enim vsque extenderat se Imperium Astyagis, vt ab occidente ad Syriam & Iudæam, & in minore Asia ad Cappadociam & fluvium Halym, quæ vltra hunc erant, ad Lydorum regnum spectabant.

Regnum Cyri & Cyaxaris sive Darij.

Devicto & in ordinem redacto Astyage Avo materno, Cyrus commune habuit regnum cum *A*vunculo suo Cyaxare, alias Dario, Astyagis filio, vel potius fratre, vt pluribus placuit. Fuit enim Darius admodum Senex, & tamen Astyages, quem natu majorem fuisse par est, ipse interfuit prælio, quo à Cyro victus fuit. Hic est ille Cyaxares sive Darius, cuius jussu Daniel Propheta in foveam leonum conjectus fuit.

4 Cum enim magnæ essent æmulationes inter proceres regni, aulici vno eodemque consilio in Danielem conspirantes, persuaserunt regi, vt Edictũ proponeret, ne quis mortaliũ in toto regno quidpiam peteret ab vllo principe aut regulo, sed ne ab ipso D E O quidem præterquam à solo Cyaxare. Hoc enim modo, ajebant consultores illi, amputabitur subditis regni occasio ad Cyrum confugiendi, quem hactenus omnes vt supremum regem coluerant, eique supplicaverant: quem tamen Zonaras negat, ad hoc edictum commotum animo fuisse, cum videret in eo ne ipsos Deos quidem excipi. Cum autem hi duo Principes non nisi per biennium vna regnassent, cõtigit Cyaxarem mori, & Cyrum destitutum socio solum regnare. Devicerat hic jam ante aperto prælio Regem Assyriorũ, subnixum auxilio vicinarum gentium, Arabium Syrorum & Lydorum, qui multa mala *Me*dis fecerant. Hanc victoriam persecuturus Cyrus, statuit proculcare penitus fastum Babyloniorum. Ergo potitus aliquot de Chaldæis victoriis, venit vt obsideret antiquam illam & superbam Babylonem, quam & postremo cepit. Potitus hac vrbe, receptis in gratiam Iudæis permisit, vti domum reversi instaurarent Templum, servirentque Deo suo, eumque orarent pro salute Regni Persici. Sic hi quidem profecti cæperunt ædificare Domum Dei, & mœnibus claudere Hierosolymorum vrbem, quod contigit (vt quibusdam Chronologis placet) anno Mundi M.M.CCCC.XXVII. Olympiade sexagesima, regnante Romæ Servio Tullio.

Regnum Cyri, primi Monarchæ Persarum.

Medis ad hunc modum sub jugum redactis, & debilitatis Assyriis, Cyrus vt se de Lydis vlciscereture, quorum Rex tunc per Asiam valde potens erat, transitis Tauro & Amano *Mo*ntibus, misit Harpagum cum copiis, vt Asiam minorem ageret atque ferret, ipse recta adversus Crœsum duxit, quem & acie victum vivum cepit, parumque abfuit quin miser Crœsus igne cremaretur, nisi memor moniti Solonis, qui negaverat quemquam ante obitum beatum dici debere, ejus in rogo ingeminasset nomen. Ruina Regni Lydij totam post se traxit Asiam *Mi*norem, ab Hellesponto vsque ad Taurum montem, quamvis Ionij cæterique per Asiam Græci, qui Lydorum confœderati fuerant, aliquandiu in sua vixerint libertate, qui tamen & ipsi postremo Persarum suscipere jugum, eosq; superiores agnoscere coacti sunt: vt imperium Cyri se tunc extenderit à Mari Ægæo & Propontide vsq; ad Indiæ orientales terminos. Vt autẽ ambitio hominis satiari non potest, Cyrus non contentus ea imperii amplitudine, statuit Scythas quoq; sibi subiicere, qui aliquot in Asiam fecerant irruptiones. Sic profectus cum exercitu vltra Araxem flumen, præteritisq; Bactrianis & Hyrcanis, venit in regionem Massagetarum & Issedonum, quæ gentes nostro ævo Tartari, & regio eorum Samarcanda appellatur. Nondum invenerat Cyrus vllum Principem in tota Asia, qui ausus fuisset se ei opponere: gnarusque eo tempore Scythis *Mas*sagetis imperare mulierem nomine Tomyrin, misit, qui eam sibi peterent in matrimonium, non quod ipsi cordi esset reginæ nuptiæ, sed vt causam haberet adoriendi regnum ejus. Sed hæc intellecto petitionis aculeo, nunciari Cyro jussit, ne ingrederetur regnum ejus: ipsa interim collegit quantum potuit virium, vt justum Persæ opponeret exercitum, cui summum ducem præfecit filium suum, quem habebat vnicum. At adolescens nondum gnarus fraudum bellicarũ, deprehensus tali fuit stratagemate. Cyri exercitus, cum fugam simulasset, reliquit castra plena vino & cupediis: quę cũ ingressi fuissent Massagetę, nihil suspicantes, ita se immerserunt delicijs istis, vt prope omnes ebrii obdormirent, qui & plerorumque vltimus fuit somnus. Cyrus enim, qui interim latuerat in insidiis, superveniens sopitis, Massagatas partim concidit, partim vivos cepit. In numero

Digitized by Google

mero captivorum fuit etiam Spagarpises Tomyridis filius, dux exercitus. Mater intellecto filii infortunio, misit caduceatorem, qui adolescentem repeteret, simulque moneret regem : discederet quantocyus è terra sua, quod nisi faceret, satiaturum se eum bello. At Spagarpises vinculorum impatiens, supplicavit Cyro, vti se solvi juberet. Dedit hoc Rex adolescentis precibus, qui liberum membrorum usum nactus, detestatus prius captivitatis turpitudinem, se ipsum inspectante Cyro gladio transfixit. At Tomyris, cum nihil æqui à Cyro impetrasset, collectis omnibus viribus, instructaque acie ipsa in Cyrum ivit. Commisso prælio, quamvis Persæ & Medi fortissime pugnarent, omnes tamen à Scythis in frustra concisi sunt, reperto inter strues mortuorum etiam ipso Cyro, qui nimium confisus fortunæ suæ non cogitabat, reges quoque communem mortalium sortem subire. Intellecta ejus cæde Tomyris conquiri cadaver jussit, inventoque amputari caput, quod situlæ sanguine plena immersisse dicitur, additis his verbis: *Satiare nunc demum vel mortuus cruore humano, cujus per omnem vitam sitientissimus fuisti.* Hic fuit vitæ finis Magni illius Cyri, cujus truncum Persæ Pasagardam delatum ibi tumulaverunt. Fuit autem Pasagarda illa sedes & Regia veterum Persidis regum, quo & Alexander Macedo se recepit, cum Persepolim exussisset, & vbi Sacerdotes Reges consecrare solebant.

5 Magnæ autem multæque fuerunt hujus Regis virtutes, affirmantibus scriptoribus magno consensu, fuisse eum comem & affabilem, liberalem, ingenio excitato & vere nobili, justi æquique amantem, in bello fortem, in pugna validum, audacem ad quosvis magnos conatus. Quicquid à bellis nactus fuerat temporis, id omne transigebat vel Susis; vel Ecbatanis, vel Babylone: contigitque huic primo, vt opinio est, vt Rex Regum diceretur, quæ verba teste Strabone, monumento ejus inscripta fuerunt, quem eundem Titulum & successores ejus sibi sumserunt, vt apparet ex Capite VII. libri I. Esdræ & Epistolis miscellaneis Hippocratis, vbi Artaxerxes ad Poëtam scribit. Idem Cyrus primus auctor fuit Regibus Persis gestandæ tunicæ talaris, quæ fuit, explicante Procopio, vestis longa auro & purpura variegata, perpicta variis animalium & avium figuris: Græci vestem eam Poderem vocant, quamvis & breviores reges vterentur pallio purpureo, manicato & fimbriato. In dubio est, Cyro an Artaxerxi sit adscribenda inventio Tyaræ: istud constat, perantiquis temporibus in vsu fuisse. Reliquit Cyrus moriens hæredem regnorum suorum filium natu maximũ Cambysen, quem ex vxore sua Cassadana Pharnaspis filia (cujus excessum adeo luxerat, vt omnibus dieb. vitæ suæ lugubrem habitum non deposuerit, nec cives suos id facere voluerit) susceperat, cum ipse regnavisset quidem annis XXVIII. in Perside, at summa rerum posteà per totam Asiam vti Monarcha absolutus positus esset biennio & aliquot Mensibus, quod colligere est, ex Dan. 10. ℣. 1. collato cum ESRÆ c. 1. ℣. 1. & c. 3. ℣. 8. anno Mundi termillesimo, quadringentesimo, vigesimo tertio.

CAMBYSES, SECVNDVS Monarcha Persarum.

Multum hic à Patre Cyro degeneravit, crudelis 6
superbus & insolens supra modum, omniumque adeo virtutum hostis, impius præterea, omniumque contemtor Religionum. Hinc factum est, vt impediverit Iudæos in ædificatione Templi, prohibitis Satrapis Præfectisque, ne qua re ipsos juvarent, quod antea fecerant ita volente edicto Cyri. Prima ejus expeditio fuit adversus Amasim Ægypti regem, cujus filiam Cambyses in matrimoniũ petierat, suasu Medici sui, qui erat Ægyptius, & infensissimus Amasi Regi: cujus quidem consilii ratio hæc erat, quod sciret Amasim summo affectum iri dolore, si cogeretur ei tradere filiam aut magno infortunio si negaret, quod victrices Persarum manus Ægyptius effugiturus non esset. At Amasis parum salutari vsus consilio, filiam quidem suã secum retinuit, misit autem ad Cyrum aliam quandam virginem elegantissimam Niretin nomine, filiam Apriis Regis Ægyptii quem Amasis occiderat. Hæc cum in Persidem delata, & à Cambyse filia Amasis salutata fuisset: falleris, inquit, ô Domine; ego enim filia sum viri multo melioris quam Amasis est, quem hic proditorie interemit, occupato regno ejus. Graviter hæc res offendit Cambysem, qui se ab Amasi irrisum videbat: & mulierem quidem secum retinuit: vindicare autem mortem patris ejus Soceri sui, & debitum vxori regnum occupare armis statuit. Adjutus ergo à Rege Arabum ingressus Ægyptum, devicit bello Amasin cum filio, cumque Memphim pervenisset, jussit è momento proferri cadaver Amasis, & illud flagris scuticisque cædi, perinde ac si sensus aliquis ipsi inesset: nec contentus hac insania, mandavit illud in ignem conjici & comburi, quamvis id esset contra Religionem Persarum, qui eo tempore ignem inter Deos colebant.

Hinc constituit apud animum suum, in regem Æthiopum ducere, sed impeditus atque in Ægyptum redire coactus fuit, vbi plenus irarum Templum Apis evertit, interfecto sacro bove, qui erat inter Numina Ægyptiorum, quem in femore vulneraverat. Misit idem Cambyses exercitum in Libyam, vt Templum Iovis Ammonis, quod ibi erat celeberrimum destruerent: sed is quidem pluvijs tempestatibus fulminibusq; repulsus, infectare ad Cambysen rediit. Huius autem impietatis, quam etiam in falsos Deos commiserat, graves paulo post pœnas dedit. Primo enim, quasi penitus è potestate mentis exivisset, ita amicissimum quemque & sanguine junctum trucidavit, interque eos Smerdem fratrem, motus insomnio, quo ipsum per quietem viderat regio insidentem solio, capite stellas cæli contingentem. Qua de causa misit Cambyses Persidem quendam ex amicorum fidelissimis, Prexaspen Magum, qui Smerdem occideret, quod hic quidem ita exsecutus est. Hinc alia insania legem tulit, vt propriam germanamque sororem in vxorem ducere liceret,

quæ

quæ res ante eũm diem inter Persas inaudita fuerat: cumque ante consuluissent Iurisperitos, negaverunt se invenire legem, qua illud facere liceret, aliam tamẽ se reperisse, quæ vellet licere regi quicquid voluisset: quo quidem responso supplicium capitis vita verũt, quod haud dubie adiissent, si aliter respondissent, cum Tyrannus iste duas habuisset sorores conjuges, quarum minorem interfici jussit, quod ploravisset ob fratrem Smerdem nuper occisum.

Erat Cambyses vino supra modum deditus, vt propemodum quotidie inebriaretur, quanquam vini naturam satis commode non ferret, obnoxius morbo caduco: cumque aliquando ebrius ex Prexaspe Mago, qui Smerdem occiderat scisciteretur, quæ Persarum de se esset opinio? & Prexaspes illos in cæteris rebus omnibus præclare de eo sentire, vini tamen nimium vsum probare non posse, respondisset: Cambyses factus iracundus ex ebrio, jussit adduci Prexaspis filium, correptoque arcu misit sagittam in pueri pectus, his additis verbis, non recusare se quin ebrietas sibi vitio verteretur, nisi cor pueri certo destinatoque ictu percussisset. Aperto igitur corpore, deprehensum est medium cor transfixum. At infelix pater, cum hoc præsens intueretur, compressis lacrymis, etiam sagittandi peritiam laudavit in eo, qui per ludibrium monitoris sui filium interfecerat. Crescente autem insania, præstantissimos quosque ex amicis & Aulę suæ comitivis interemit, quos paulo post, oblitus eos suo jussu Cæsos fuisse, quasi adhuc viverent, ad se vocari jussit.

Pro his tantis talibusque facinoribus ac flagitijs compar eum vitæ exitus invenit. Cum enim ab Ægypto proficisceretur, allatum est ad eum funestum nuncium, Magos concitata seditione invasisse Regnum, inprimis autem duos, Paziſitem, cui ipse plurimum fidebat, ejusque fratrem Smerdem vsurpare sibi Diadema. Quod quidem homini magnam tristitiam attulit, indignanti ob proditionem Magorum, & dolenti, quanquam sero, interfectum ab se Smerdem fratrem. Proficiscenti ad compescendos rebelles contigit, vt cum equum conscenderet, gladius ejus vagina elapsus, intraret coxam ejus, eo loco, quo ipse Apim in Ægypto vulneraverat, vnde contracta ex vulneris malignitate Gangræna, cum totum femur sphacelatum fuisset, mortuus est circa Ecbatana, vt ei Oraculum prædixerat, quanquam ipse tum non intellexisset. Præfuit Monarchiæ Persicæ Cambyses annis VII. mensibus V. nullis relictis liberis hæredibus, qui succedere possent: femellæ enim à successione apud Persas legibus excludebantur.

SMERDES MAGVS TERTIVS
Monarcha Persarum.

7 Nondum credebant Persæ, jussu Cambysis interfectum fuisse fratrem ejus Smerdem: neque expediebat Prexaspi, commissam à se cædem fateri. Hinc Persarum proceres ad Smerdem Magum facto concursu, eum regem salutaverunt, Cyri filium existimantes. At Magus, cum hoc pacto ad Imperium venisset, missis edictis per omnes regni Persici Provincias remisit populis bonam tributorum vectigaliumque partem, quæ res ei voluntates multitudinis mirifice conciliavit, vt facile omnes haberet ad obsequium, exceptis ipsis Persis. Smerdes enim probe sciens, si conspectus publice fuisset, se agnitum iri, nunquam prodibat in publicum. Aucta hinc est Persis suspicio, esse eum Magum, cujus rei vt certi esse possent, hoc astu vsi sunt. Habuerat Cambyses inter concubinas Phædynen filiam Otanis, filii Pharnaspis, cujus magna erat inter Persas auctoritas. Eadem tum concubinæ præstabat operam Smerdi. Quæsivit Otanes ex filia, cum quonam cubaret? at hæc nihil respondere poterat ad rem, cum negaret se Smerdem Cyri filium vnquam vidisse: addidit eadem, mulieres de ea re ne colloqui inter se quidem posse, cum rex eas separatim haberet. Hinc multo magis suspicati fuere Persæ, esse eum Magum qui regnaret. Otanes igitur, vt omnem tolleret dubitationem mandat filiæ, vt cum eo cubans scrutaretur, haberetne novus rex auriculas, quas Smerdi Mago præcisas fuisse norat jussu Cyri. At filia cum carere auribus eum, quo cum cubaret, intellexisset, nunciavit Patri: qui rem istam Aspolatino & Gobriæ nunciavit. Hi tres sibi alios tres socios assumpserunt: Intaphernen, Megabyzum, & Hydarmen. Redierat commodum Darius ab Susiana, quam habuerat provinciam, & is mox septimus allectus est conspirationis socius, qui non gravate cæteris accessit, vtique cum intellexit, Smerdem Cyri filium vere cæsum fuisse. Tanta autem prudentia hi septem in tanto illo negocio versati sunt, vt concisis in frusta Magis, Prexaspes, interfector Smerdis filij Cyri, desperatione veniæ ex alto Palatio se præcipitem dederit, cum prius omnem facti veritatem exposuisset, & omnem Populi multitudinem in Magos concitavisset, qui regia potestate non nisi octo mensibus abusi fuerunt, vnde planum est, Persarum regnum non diu penes Cyri posteros stetisse, nec tertium hæredem partis ejus gavisum fuisse.

DARIVS I. HYSTASPIS FILIVS,
Quartus Persarum Monarcha.

Extincto Magorum dominio, nunc ad Ele- 8
ctionem veniendum est. Cum autem septem illi Principes, quos paulo ante nominavimus, inter se honore & opibus æquales essent, convenit inter eos, vt sub primum Solis exortum omnes equis insidentes exirent in campum, & cujus equus primus orientis Sydoris jubar hinnitu salutavisset, is rex fieret. Effecit Darius astu equisonis sui, vt illud omen primus acciperet, vnde continuo à cæteris Rex salutatus est. Erat autem hic Darius filius Hystaspis, magni inter principes Persarum nominis, quem Cyrus privare vita voluerat, quod vidisset per somnium, eum liberis suis auferre coronam regiam. Nota jam ante erat viri virtus, quæ tantum ei auctoritatis conciliavit, vt facile totius Asię populi imperata ejus facerent, præter Arabes,

qui

qui etsi à Cyro & Cambyse fuerint domiti, nunquam tamen ad persolvendum tributum cogi potuerant. Iunxit sibi matrimonio Darius duas Cyri filias non tantum vt tanti regis splendorem in suam inveheret familiam, sed &, vt Persas eo pacto magis sibi redderet benevolos. Hic cum quatuor Imperii sui annis toti regno pacem restituisset : fecit Iudæis potestatem iterum ædificandi Templi, & instaurandi muros Ierosolymitanos, suppeditata illis per præfectos materia & alimonia, auro & argento, aliisque rebus necessariis, volens simul, vt ad DEVM Patrium Iudæi vota facerent pro se atque regno suo. Hic putatur esse ille Persarum rex, qui in Sacris Litteris Assuerus vocatur, cujus frequens est mentio in libro Estheræ, quæ & Hadessa appellatur, cujus opera Iudæi servati sunt à pernicioſissima Hamanis conspiratione, & in precio ac honore habiti per totum regnum. Primus hic partitus est omne Persarum Imperium in octodecim provincias sive præfecturas, quas ipse Satrapias nominavit, quibus singulis singulos Satrapas præfecit, jusso vnoquoque certum argenti tributorumque modum è sua quotannis colligere provincia, tam ad necessarios vsus Aulæ regiæ, quam ad sumtus belli. At Persæ, qui hanc rem non providentiæ sed avaritiæ tribuebant, hoc eum notabant scommate, vt dicerent, Cyrum quidem fuisse Patrem Populi, Cambysem Regem & Tyrannum, Darium autem esse Institorem.

Regno ad hunc modum constituto, duxit exercitum adversus Babylonios, qui rebellaverant, & sibi proposuerant, omne potius infortunii & calamitatis genus perpeti, quam Persis dedere Civitatem. Verum Zopyrus filius Megabyzi, qui fuerat inter Septem Principes Electores, miro ac prope incredibili vsus astu, Dario tradidit vrbem. Cum enim sibi ipsi nasum & auriculas præcidisset, comamque ignominioso more resecuisset, ita lacer & deformis confugit ad Babylonios, fingens se à Dario tot affectum injuriis : cui quidem Babylonii crediderunt, persuasi tum habitu oris, tum viri amplitudine & splendore generis. Introductum ergo eum in civitatem, præfecerunt copiis suis, qui aliquot eruptionibus & præliis levioribus adversus Persas tanta pro oppidanis edidit virtutis specimina, vt nemo per totam vrbem dubitaret, quin rei summa ipsæque civitatis claves ei credendæ essent. Hac potentia Zopyrus ita vsus est, vt Darium regem cum exercitu intra mœnia vrbis receperit: qui cum Babyloniorum perfidiam severe castigasset, donavit Babylonem cum omni agro atque præfectura Zopyro, in cujus gratiam etiam vrbem omni exemit tributo atque subsidio.

Finito ex animi sententia bello Babylonico, Darius, cupidus exigendæ à Scythis vindictæ, quod Cyrum occiderant, deleto cum rege omni Persarum exercitu, statuit illi nationi bellum inferre. Noluit tamen ea vti via, qua Cyrus in Scythas iverat, sed conversus in occidentem, junctoque ponte Bosphoro Thracio sive Freto Byzantino, trajecit in Europam, aggressurus Scythas, qui partem Ponti Euxini accolunt, & Borysthenem Danubiumque fluvios. Videns autem Scythas solummodo carpere exercitum suum, pugnæ vero copiam non facere, plures tamen subinde à suis cadere & minui copias, veritus ne interscisso ponte Danubii sibi redeundi copiam adimerent, coactus est omittere expeditionem illam & reducere exercitum, cum circiter XC. hominum millia variis casibus amisisset; quod adeo mirandum non est, cum pro comperto sit, vniversum ejus exercitum non paucioribus quam DCC. millibus militum constitisse. Nec tamen nihil eum ista expeditione fecisse dicas, subegit sibi Darius Macedoniam, Thraciam & Phœoniam per Megabyzum Zopyri filium, quem parti copiarum suarum præfecerat. Causa hujus belli potissima fuit, quod Amyntas Macedoniæ rex interfecerat Oratores à Dario rege missos. Misit & eodem tempore Amasim adversus Afros, qui aliquot naves Persicas interceperant, occiso Arcesilao Classis Præfecto, qui rex erat Cyrenaicæ, quæ vicina est Ægypto. Hujus tamen Arcesilai mortem vltus est Amasis occupata Barce vrbe Occidentalis Africæ. Paulo post Otanes, quem Darius Thraciæ præfecerat, cepit vrbes Byzantium & Chalcedonem, cum insulis Lesbo, Andro & Imbro. Cumque Iones rebellassent Dario, persuasi ab Aristagora Principe suo, misit rex contra eos exercitum. Ibi Athenienses, cum bello illi se immiscuissent, obsederunt Sardeis vrbem Lydiæ, eamque ceperunt atque cremaverunt, quæ causa fuit longi & difficilis belli. Darius enim contra eos misit Arthaphernem, qui commisso cum Ioniis & Milesiis acri prælio, vicit Græcos, cepitque Miletum aliasque Asiæ vrbes, quas regi suo fecit tributarias. At alibi Mardonius Præfectus rei Marinæ denuo subegit Macedonas, & quanquam vltra XX. millia hominum tempestatibus naufragiisque perdidisset, cum reliquis tamen copiis ingressus Thraciam, omnem Imperio Persico subjecit provinciam, vt Darius hic fuerit omnium Monarcharum, qui ante eum fuerant, longe potentissimus.

His bellis confectis, restituit Iudæis summum Sacerdotium, omni eos insuper prosecutus benevolentiæ genere. Cum autem Cares Minoris Asiæ populi, vicini Ciliciæ, cursum victoriarum ejus interrumpere ausi fuissent : aggressus eos bello facile vicit vna cum Eretriis. Nec tamen eadem eius fuit felicitas adversus Athenienses. Hi enim, nescio quo potius favore Cæli quam viribus suis, vicerunt exercitum ejus, duce Miltiade, in Campis Marathoniis, profligato Mardonio duce copiarum Persicarum. Movit hæc clades Darium, vt constitueret tantum adversus Athenienses ducere exercitum, qui sufficiens esset ad calcandam atque proterendam vniversam Græciam. Insumsit autem in hujus belli apparatu totum triennium, cumque jam in Græcos ire vellet, allatus est ei nuncius, de defectione Ægyptiorum. Potior tamen apud eum fuit cura exigendæ ab Athenienſibus vindictæ, duxisſetque haud dubie in eos quem tanto tempore collegerat exercitum, nisi mors eum in iti-

Digitized by Google

nere correptum è vita sustulisset, anno regni sui trigesimo sexto, Mundi ter millesimo, quadringentesimo, nonagesimo octavo : Olympiade XXXVII.

XERXES QVINTVS PERSARVM Monarcha.

Excedens è vita Darius, magnam reliquit liberis suis contendendi materiam, cum incertum esset, quis patri in imperio succedere deberet. Ariamenes enim, quem Artabazanem alii vocant, cum filiorum esset natu maximus, allegabat jus primogenituræ, propter quam Persarum legibus regnum sibi deberi affirmabat : erat autem hic Dario natus è filia Gobriæ. Contra Xerxes, qui natus erat Atossa filia Cyri, etsi minimus nata erat, negabat tamen cæteros esse filios regis, verum hominis privati, quod eos Darius ante acceptum Diadema genuerat. Se vero & à Dario rege genitum, & ex Regina, magni regis filia natum, regis insuper nepotem esse. Hic est ille Xerxes cognomento Magnus, qui in sacris appellatur *Ahasuerus* & à Iudæis Ahasuerus Pius : maritus Estheræ. Patet etiam ex Herodoto libr. 9. vbi meminit convivii Regii, quod vocat τύκτιον, Persicè Tycta. Vxorem ipsius appellat Amestrin quasi dicas, Ham-Ester.

Victis ad hunc modum competitoribus Xerxes, potitusque Diademate, duxit in Ægyptios, quos vbi perdomuit, magna severitate punivit, multo acerbius in eos animadvertens, quam Darius pater fecerat, constituto iis præfecto Achemene fratre suo, qui postea cæsus est ab Inaro Afro, rege Libyæ. Pacificata Ægypto, statuit continuare bellum in Græcos, quod pater magno apparatu totius triennii auspicatus fuerat, ad quod tempus ille alios annos quatuor adjunxit, vt nullus ante eum tantam hominum multitudinem Rex sub signis habuisse creditus sit. Ad decies enim centum hominum millia coëgisse fertur, quas copias omnes lustravit apud Sardeis vrbem. Tanta autem hujus multitudinis ceperat hominem fiducia, vt non solum quicquid vnquam est hominum; sed & ipsa maria & fluvios dicto suo audientes fore sibi persuaderet. Iussit ergo flagris cædi Hellespontum, quod inquietior negaret transitum militibus suis, eique iniici compedes. Hi tamen tam vastus & immanis exercitus victus atque profligatus fuit per manipulum aut pugillum Græcorum hominum: primo apud Salaminem duce Themistocle : deinde ad Plateas, sub duce Aristide, vt tota illa tam operosa expeditione nihil effecerit, nisi quod omnibus regionibus, quacunque transiit, calamitatem intulit atque vastitatem, quoque Athenarum Vrbem desertam à civibus incenderit, vt Mare insano conatu ponte straverit. Cumque denuo novas collegisset vires, prioribus non multo minores, inque iis classem DC. vel vt alii annotaverunt, CCC. LX. navium ; vterque tamen exercitus, tam terrestris quam navalis cæsus est à Cymone Atheniense. Præfecerat autem copiis maritimis Tiraustem, terrestribus vero Phraandatem. His toties iteratis cladibus, multum de priore fastu & insolentia remittens Xerxes, cogitavit se hominem esse, coactusque est nobilem illam cum Græcis pacem facere, qua promisit juravitque, se in posterum ad vnum stadium exercitum ad fines Græciæ non adducturum, neque navigaturum vlterius, quam ad Insulas Chelidonias & Cyaneas. Non longe post occisus fuit Xerxes, cum dormiret, per Artabanum, qui dedignatus infelicitatem ejus, primo contemsit hominem, deinde interfecit. Cumque eum prope certa spes regni cepisset, incidit in easdem pedicas, quas regi suo tetenderat. Hic fuit finis Xerxis Regis Persarum, qui tam immani copiarum apparatu tremere fecerat prope totum hoc vniversum, quibus tamen nihil dignum memoria fecit, mortuus, vt diximus, anno regni sui vigesimo primo.

Commisso in regem parricidio Artabanus è vestigio ad juniorem inter regales filios, nomine Artaxerxem se contulit, mentitusque est, Dariam filium majorem natu occidisse communem Patrem : recte igitur facturum Artaxerxem, si se cum Artabano conjungeret, & tam atrocem cædem vindicaret, antequam Darius frater invaderet regnum. At adolescens motus indignitate facti, correptis armis sequitur proditorem, obtruncatque fratrem nihil minus quam tale quid expectantem. Sic Artabanus, sublato Xerxe, & Dario majore filio, à quo sibi maxime metuerat, fraternis armis interemto, ingressus Palatium, irruit in Artaxerxem, eique infligit vulnus, sed non lethale. At juvenis cum ictum declinasset, collecto spiritu quam maximus potuit, in proditorem irruit viribus, eumque obtruncat, potitus sceptro, quo Artabanus per VII. menses abusus fuerat.

ARTAXERXES LONGIMANVS Sextus Persarum Monarcha.

Videns se in solio constitutum regio Artaxerxes, nihil habuit prius potiusque, quam animadvertere in eos qui vel auctores fuissent cædis paternæ vel adjutores, nec hos duntaxat atrocib affecit suppliciis, sed & Præfectos ac Satrapas, quibus parum fidebat, loco ac dignitate movit, qua severitate totum regnum à malorum hominum contagie purgavit, vt omnes valde admirarentur adolescentis prudentiam. Ad hunc confugit Themistocles Athenienſis, pulsus in exilium invidia civium suorum, estque honorifice acceptus à Rege, & in honore habitus. Interea Ægyptii, videntes turbatas res Persarum fluctuare, defecerunt à fide : electoque sibi rege; omnes Persarum Præfectos, Quæstores, Iudices, provincia ejecerunt, postea cum Athenienſibus fœdus percusserunt, vt communibus viribus Persas oppugnarent. At rex, cum misisset Achemenen Darii filium cum CCC. millibus militum adversus Græcos, citius expectatione accepit nuncium, fusas fugatasque copias suas ab Athenienſibus. Alio igitur vsurus consilio, tentavit, an Lacedæmonios

in A-

Digitized by Google

in Athenienſes concitare poſſet: quod cum non ſucceſſiſſet, alium exercitum non minorem ſuperiore, ducibus Megabyzo & Artabaze miſit contra Ægyptios, qui poſt longum variumque bellum ad extremum coëgerunt Ægyptios diſcedere à fœdere Athenienſium, fuitque poſtremo pax facta inter Perſas & Athenienſes, vt hi incolumes omni Ægypto diſcederent, neque poſt hac controverſiis inter Perſas & Ægyptios ſe immiſcerent. Artaxerxes mortuus eſt, cum regnaſſet annis XLIV. Princeps bonus & pacis ſtudioſus, prolixaque in Iudæos vſus benevolentia, vt qui Eſdram Hieroſolyma miſit, vt curaret tam ea, quæ ad Politiam inſtauratæ vrbis, quam quæ ad Templi & Sacrorum rationem pertinerent.

XERXES II. SEPTIMVS Mon. Perſ.

Reliquit Artaxerxes moriens filios duos, quorum major, quem Xerxem ſecundum appellaverunt, non niſi duobus menſibus regnavit.

SOGDIANVS OCTAVVS Perſ. Monar.

Alteri nomen fuit Sogdiano, cujus regnum vix octo menſibus duravit. Nihil autem neque ab hoc neq; à ſuperiore memoria dignum eſt, vnde à multis in numerum Regum Perſarum omnino non referuntur. Nos vero in his recenſendis ſecuti ſumus Euſebium, qui in ſuis Chronicis eos hoc ordine poſt Artaxerxem collocat.

DARIVS II. DICTVS NOTHVS, NONVS Perſarum Monarcha.

11 Duobus his Principibus mortuis, Darius, cognomento Nothus ad Imperium pervenit. Sub hoc Ægyptii excuſſo Perſarum jugo, in libertatem ſe aſſeruerunt, conſtituto ſibi Saito rege. Cum hoc Dario fecerunt Lacedæmonii fœdus, Medi vero rebellantes, ſubacti ſunt ab eo, vt vltro venientes, fidem & obſequium ei detulerint. Habuit hic rex ex Pariſatide vxore filios duos, majori fuit nomen Artaxerxi, minori Cyro, qui multo quâ frater fuit ſtrenuior, ſapientior & humanior, ac proinde magis amatus ab omnib. Hunc conſtituit pater Satrapam Lydiæ & Ioniæ, juſſum opem ferre Lacedæmoniis adverſus eorum inimicos. Vnde cæpit fieri inſolentior, vt quoſdam è regio ſanguine principes, qui ipſum non regio more ſalutaverant, necari iuſſerit. Hac de cauſa pater ex morbo decumbens, juſſit eum ad ſe venire, & illius cædis reddere rationem, vt puniretur ex legibus & judicio ſapientum regni. Paruit Cyrus, relictoque in Ionia Legato ſuo, Lyſandro Lacedæmonio, cujus vt & aliorum Græcorum opera poſtea vſus eſt in bello adverſus fratrem, dedit ſe in viam. Proficiſcenti affertur nuncius de morte patris, qua non obſtante ad fratrem deductus, & in carcerem conjectus eſt. Obiit Darius diem ſuum anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, eo ipſo anno, quo Civitas Athenienſium capta & exuſta fuit à Lacedæmoniis, & Dionyſius Tyrannus profligatus è Sicilia, qui tres caſus annum illum fecerunt illuſtrem. Regnavit Darius hic annis XIX.

ARTAXERXES II. COGNOmento Mnemon, Decimus Perſarum Monarcha.

Succeſſit hic patri in Imperio, ſine cujuſquam 12
contradictione: nam Cyrus frater ejus tunc detinebatur in cuſtodia: qui tamen paulo poſt effracto carcere cum effugiſſet, profectus in Græciam, collegit ibi copias, Græcis ductum ejus libenter ſequentibus, quod inter ipſos prope à puero enutritus fuiſſet: & profecto, videbatur Cyrus fratrem Solio regio depellere potuiſſe, niſi eum ſtatim ab initio mala fortuna dejeciſſet, & ſi præcipitia conſilia ſua moderari potuiſſet. Erat enim in ſingulari gratia apud matrem, deſiderabatur à Perſis, diligebatur ab omnibus. Sed cum in pugna nimis fervide pugnantium cuneo ſe intuliſſet, recepit vulnus in caput, quo mortuus eſt Princeps fortiſſimus, in ipſo ætatis flore, cum jam fratrem in eas redegiſſet anguſtias, vt quo ſe verteret, plane neſciret. Fuit autem Artaxerxes amator pacis ſingularis, cumque bellum fraternum ex ſententia confeciſſet, ſtuduit & Græcos diſſidentes ad concordiam reducere, diverſo ab anteceſſoribus ſuis vſus conſilio, qui diſcordias inter illos ſerere & nutrire ſtuduerant. Sed & Græci ad hunc Artaxerxem miſerunt Legationem ſplendidiſſimam, in qua & fuit Pelopidas Thebanus, quem rex, ſcribente Plutarcho, præ cæteris maximo affecit honore. Cum autem Artaxerxes regnaviſſet XXXVI. annis, deceſſit, relicto hærede Dario Artaxerxe Ocho.

DARIVS III. DICTVS ARtaxerxes Ochus, Vndecimus Perſarum Monarcha.

Initia hujus Imperii excepit tumultus Iudai- 13
cus. Iudæi enim, cum inter ſe contenderent ſuper ſummo Pontificatu, varias domi dederunt turbas, adeo vt quidam nomine Iohannes in ipſo templo occideret Ieſum fratrem ſuum, qui ſummus erat Pontifex, quo quidem facinore & populus amiſit libertatem, & templum fuit pollutum, ingreſſo in id Bagoſo, qui non delinquentes duntaxat ſeveriter punivit, ſed & tributum VII. annorum Iudæis impoſuit: cumque paulo poſt Ochus vrbem quandam eorum cepiſſet, juſſos migrare ex ea omnes incolas, traduxit trans Mare Caſpium: & hi ſunt ij, quos Euſebius Abramides vocat, qui & noſtra memoria multa ex Iudaiſmo retinere memorantur. Contra hunc Darium movit ſeditionem quidam ex primo Satraparum numero, nomine Artabazus, geſſitque diuturnum bellum cum præfectis Legatiſque regiis, adjutus copiis vicinorum: ſed ad extremum interfectus dedit rebellionis pœnas. Recuperavit ea occaſione Ochus Ægy-

Digitized by Google

ptum, Cyprum, Phœniciam, & Sydonem vrbem proditione cepit, vbi morte affecit proditorem, qui vrbem tradiderat. Cum autem regnaviſſet Darius Ochus annis XXVI. ſublatus eſt veneno cum omnibus liberis (excepto vno) per Bagoam Eunuchum.

DARIVS IV. dictus ARSAMES Duodecimus Perſarum Monarcha.

Qui autem virus evaſerat, ARSAMES, regnavit pro patre, ſed non diu. Quarto enim anno poſt, idem Bagoas pariter veneno eum ſuſtulit, cum omni proſapia regia: neque tamen ipſe parricida regno potiri potuit, quod pervenit ad Codomannum Principem virum, qui ſe appellavit Darium IV. cui cum Baguas idem quod ſuperioribus propinaturus eſſet venenum, coegit eum Codomannus, id ipſum ſumere, & ſic fraus cecidit in artificem.

DARIVS V. dictus CODOMANNVS, Perſarum Monarcha vltimus.

Punito ad hunc modum Bagoa venefico: Darius
14 Codomannus ad Imperium pervenit Perſarum, quo tamen diu lætatus non eſt. Cum enim per ſex annos regnaviſſet, venit ex Macedonia Alexander Magnus, Philippi filius, eumque & regno & vita ſpoliavit, everſa ſimul Monarchia Perſica, quod accidit anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto, Olympiade centeſima duodecima, anno poſtquam eam Cyrus Medis eripuerat ducenteſimo vigeſimo octavo, quod quidem tempus valde breve eſt, ſi cum Monarchia Aſſyriorum conferatur, quæ propemodum tot duravit ſeculis, quanquam minime fuerit tam potens, vt Perſica.

Quando & quomodo Regnum Perſarum priſtinum ſuum ſplendorem recuperaverit.

ARTAXARES REX PERSARVM I.

Dejecta ad hunc modum Monarchia Perſica, &
15 velut humi proculcata, ſerva facta eſt ex domina, ſepulta quaſi atque latens in potentia Macedonica: quæ etſi per annos CCXCIII. duraverit, non tamen diu imperavit Perſis. Mortuo enim Alexandro Magno, Principes Macedonum, conflictati inter ſe civilibus bellis, cum de Principatu contenderent, quidam *Arſaces*, Nobilis Parthus (alij Bactrianum dicunt) à quo omnes Parthorum reges poſt eum Arſacidæ dicti fuere, trahens in ſua commoda illas Macedonum diſſenſiones, defecit ab Andragora Perſa, quem Alexander Parthis præfecerat, eumque provincia ejecit, ſeque ipſum Parthorum Principem conſtituit, nolens amplius Parthiam à Macedonum dependere auctoritate: quod accidit anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, Olympiade centeſima trigeſima tertia. Sic collapſa eſt potentia Græcorum in Oriente, & Parthi, quorum antea vix nomen erat notum, facti ſunt domini Orientis, obtinueruntque Monarchiam ſpacio ducentorum annorum, vſque ad tempora Artabani, noviſſimi Parthorum regis, qui fuit privatus regno & vita per Artaxerxem Perſam, humili natum genere, de cujus ortu in hunc narrant modum. Nupta fuerat mater ejus cuidam Paueco, homini plebeio, vltimæ conditionis, qui opificio erat coriarius, ſed rei Aſtrologicæ & divinationum peritus. Evenit, vt quidam nobilis, nomine Sannæus, iter faciens per Caduſios, diverteret apud Pavecum, etſi hoſpitium id erat vile & egenum. Pavecus, qui artis ſuæ beneficio videbat hoſpitem ſuum fore authorem Illuſtriſſimæ ac Potentiſſimæ familiæ, magna triſtitia affectus eſt, quod non haberet filiam vel ſororem, vel agnatam, quam Sannæo conjungeret, vt inde naſcerentur liberi, quibus cum ipſi deinceps conſanguinitatis jura intercederent. Videns autem Pauecus, ſed ad id felicitatis conſortium alia ratione pervenire nō poſſe, obducto honeſtatis oculis velo, ſubſtravit Sannæo propriam ſuam vxorem, conditionem eo pacto cum fortuna mutaturus. Ex illo concubitu natus eſt Artaxeres ille ſive Artaxerxes, vt aliis placet, de quo agimus, nutritus in domo putatitij ſui patris Paueci. Cum autem ſtrenuitate ſua in honoris curreret ſtadio, lis ſuper eo orta eſt, vtriuſnam eſſet filius, cum Pauecus eum ſibi vendicaret, & Sannæus ad ſe genitum diceret. Poſtremo cōvenit, vt diceretur Paueci filius, natus ex ſemine Sannæi. Et hanc fuiſſe originem huius Regis tradit Agathias, qui prope in momento oculi totius Aſiæ regnum adeptus eſt, quod contigit anno AN CCC. XXVIII. tenente Pontificatum Romæ Vrbano Primo, Imperante Alexandro Mammææ filio, contra quem Perſa iſte geſſit bellum, coëgitq; Romanos, qui jam ad Mediæ fines proceſſerant, ſe recipere. Veriſimilius tamen eſt, eum tantum partem copiarum Imperatoris repuliſſe, deinde enim commiſſo totis viribus cum Alexandro prælio, victi fuerunt Perſæ, aut Alexander Syriam & Meſopotamiam obtinuerit, ibique exercitum refecerit; Perſa eum laceſſere vlterius non auſo, quod haud dubie feciſſet, ſi primo prælio victor extitiſſet, & hoc pacto conciliabimus Lampridium cum Herodiano. Dicitur alias Ardshir Babekan, qui Teixeræ eſt Ardxir.

Mortuus eſt Artaxerxes hic, cum regnaviſſet annis XV. verſatiſſimus in ſcientiis & diſciplinis Magicis, vt & Philoſophia, qualis inter Perſas in vſu erat: vnde illa fatidicorum & divinorum natio inſolentior fuit quam vnquam antea, cum nihil ſine eorum ſcitu rex iſte faceret.

Sapores Primus, Rex Perſarum ſecundus.

Secundum hic obtinet locum in novo hoc re- 16
gum Perſicorum ordine, (alias Schabur, vel Xabur Zahelketas: qui eſt Nicephoro Calliſto Coſroës)

qui

Digitized by Google

qui Diadema adeptus est anno AN. C. CC. XLIII. Pontifice Anterio, Imperatore Gordiano, qui & difficile cum hoc rege bellum gessit; cumque inter Senatum & duos Maximinos civiles essent dissensiones, Sapores vsus occasione dissidii, occupavit prope totam Syriam & Mesopotamiam coëgitque Gordianum Iuniorem arma contra se capere, qui & ea prosperitate contra Persas vsus est, vt multas vrbes Imperio Romano ereptas recuperaverit, velut ipse ostendit in Epistola ad Senatum. Cum autem Philippus Arabs Gordianum occidisset, Sapores non cessavit vrgere propositum, Pervastata enim Syria & Cappadocia, cum in Ciliciam irruisset, obvium habuit Valerianum cum exercitu Romanorum. Commisso prælio tam glorioſa potitus est rex Persa victoria, vt non tantum Legiones Romanas conciderit, sed & ipsum Valerianum vivum ceperit, eumque captivum in Persidem deduxerit, vbi in miserrima servitute perijt, quæ res nulli ante eum Romanorum Principum contigerat. Motus indignitate rei Odenatus Palmyrenorum Rex collectum exercitum grassanti per victoriam Persæ opposuit, vbi cum ad manus veniſſet, victus Sapores fugere coactus est, quem in Assyriam vsque persecutus Odenatus, concubinis regiis, Gaza, omnibusque castrorum impedimentis potitus est, fuissetque haud dubie actum de Imperio Romano, in Orientis duntaxat partibus, nisi Palmyrenus iste se Persis opposuisset. Continuit se domi post hanc cladem Sapores, relictoque successore Ormisdate, mortuus est cum regnaviſſet annis triginta & vno.

ORMISDATES, PERSARVM REX III.

Nihil hic memoria dignum gessit, cum non nisi per annum vnum regnaverit. Dicitur alijs Hormoz, vel Ormisdas; cui alij ante Bahram sive Vardonem subjungunt proximè quendam TOS, qui Schickardo est NORS, id est, Narses. Nos omittimus.

VARDANES REX PERSARVM IV.

Ormisdaten in Imperio secutus est Vardanes, nulla re memorabili gesta clarus: Persæ enim longo tempore quieverunt, qui &, vt Vopiscus ait, Oratores cum muneribus miserunt ad Aurelianum Imperatorem.

VARDANES II. REX PERSARVM V.

17 Vardani primo successit ejus nominis secundus, quintus in hoc ordine Persarum Rex. Fuit huic bellum cum Probo Imperatore: sed tandem inter eos pax facta est, ita vt manerent Persis aliquot oppida quæ ceperant. Hæc res Probum apud milites in odium & contemtum adduxit, à quibus & paulo post obtruncatus est: factusque fuisset haud dubie Vardanes dominus totius Orientis, nisi Carus Narbonensis cum Carino & Numeriano filijs afflictas res Romanas in se suscepissent, Carus enim cum omnem recepisset Mesopotamiam, in mediam vsque Assyriam progressus est, qui & sine dubio vlterius victricia protulisset arma, nisi mors ei filum intercidisset. Potitus est Vardanes regno Persarum per annos XVI.

VARDANES III PERSARVM REX VI.

ET NARSEAS.

Cum hic tantum quatuor mensibus in regno 18
vixisset, mortuus est nulla re memorabili gesta, reliquitque sceptrum ac diadema Narseæ successori: qui cum esset vir elati spiritus animique indomiti, ægre tulit à Romanis eas possideri in Asia terras & provincias, quæ ipse putabat ad Persarum regnum pertinere. Aggressurus igitur bello Armeniam & Mesopotamiam, bellum Romanis intulit: sed repulsus fuit per Galerium Maximinum, qui primo prælio prospera vsus fortuna, Persas vicit. Cum autem secunda pugna, quæ inter Carras & Callinicen commissa fuit nimis temerarie in hostem invectus fuisset, aggressus cum modicis copiis ingentem exercitum, fusus, fugatusque, ad Diocletianum se recepit, qui tam elato calamitosum excepit supercilio, vt ne currum quidem quo ipse vehebatur, sisti jusserit, Galerio magnum viæ spacium in Purpura sequente. Impatiens igitur dedecoris, collectis ingentibus per Illyricum Mysiamque copiis in orientem duxit, vbi Persarum duces nominatissimos habuit obvios in Minore Asia, quibus cum congressus acie, insignem reportavit victoriam, non minore vsus astu & consilio, quam promptitudine. Ipse enim cum duobus vel tribus Equitibus, speculatoris officio functus, castra hostilia ambivit, rimatus Persæ consilia, quem non vicit solum, sed & omni Gaza regia, omnibusque impedimentis exuit, capta ingenti Nobilitate Persica. Narseas timore perculsus, in abdita regni sui se recepit, petens solitudines. Ergo Galerius potitus tam illustri victoria, reversus in Mesopotamiam, à Diocletiano, qui jam novas parabat militum copias in subsidium ejus, Triumphantis in speciem exceptus est, cum duceret ante currum Triumphalem, inprediens Romam: vxores, sorores & liberos Narseæ, qui cum contentus regno patrio esse non posset, amisit etiam quinque provincias vltra Tygrim fluvium, quæ in Romanorum venerunt potestatem. Ab eo tempore magnum res Persicæ ceperunt detrimentum; & Narseas non diu supervixit, defunctus septimo regni sui anno.

Digitized by Google

MISIDATES OCTAVVS REX persarum.

19 Succeſſit huic filius Miſidates, tempore Conſtantini Magni, ajunt hunc coronatum fuiſſe latentem in vtero matris, ita volente patre, cujus quidem rei nihil ſimile legitur in vlla Hiſtoria, vt homo nondum natus Diadema regni acciperet. Mortuus eſt cum regnaſſet annis VII. menſibus IX. anno AN.C.CCC.X. Pontifice Max. Marcello, Imperatoribus Maximiano Galerio & Conſtantino Magno, nulla re memorabili geſta.

SAPORES SECVNDVS HVIVS nominis, Rex Perſarum

IX.

Hic Miſidati patri ſuccedens, cum ad eam ætatem perveniſſet, quæ rebus gerendis apta eſt, recuperavit omnia, quæ anteceſſores ejus vltra Tygrim fluvium in Aſſyria, & cis eum in Meſopotamia amiſerant, anno AN.C.CCC.XXVI. eo ipſo tempore quo primum Chriſtiani in regno ejus publice viſi auditiq; ſunt. Ergo Sapores impulſus ac ſtimulatus à Magis Sacrificiſque, à quorum nutu omnis illa Artaxerxis familia dependebat, cæpit magno furore in Chriſtianos ſævire, interfecto viro Sanctæ vitæ, Simeone Epiſcopo cum centum aliis bonis piiſq; viris, qui omnes vno die necati ſunt. Cumq; proſcribendi & trucidandi finē non faceret, Conſtantinus Magnus, miſſis ad eum Legatis, monuit hominem, vt mitius tractaret amicos Romani Imperatoris. Conſtantino autem mortuo, majore Sapores in Chriſtianos debacchatus eſt, quam ante, ſævitia, vt oſtendit Hiſtoria Eccleſiaſtica: vt etiam ij, qui ſe metu tyrannidis in deſerta & ſolitudines abdiderant per Aſſyriam & Meſopotamiam, vim ejus effugere non potuerint. Qui cum vicina loca ſibi ſubijceret, ortum eſt bellum inter eum & liberos Conſtantini, in quo Romani præter ictus & vulnera nihil reportaverunt, vt Eutropius annotavit in Hiſtoria Romana, vbi ait Conſtantem diverſa fortuna, & magna ex parte contraria in bellis vſum fuiſſe. Multis enim magniſque à Perſis affectum incommodis, multa deſideraviſſe oppida, multos amiſiſſe exercitus, nec vnquam cum Barbaris conflixiſſe, vbi non Sapores victoriam obtinuerit, excepto vno prælio ad Syngaram vrbem, vbi potuiſſet domare ſuperbiam hoſtium, niſi temeritas & furor militum hanc ei felicitatem è manibus eripuiſſet. Sed clarius etiam de hac Conſtantis infelicitate loquitur Pomponius Lętus: cum ait: Conſtantem nihil vnquam in Oriente ſuſcepiſſe, quod felicem habuerit exitum, quin ſemper eum hoſtibus inferiorem abiviſſe. Anno enim vndecimo Imperij ejus, cū vix ægre potitus fuiſſet victoria ſemel apud Syngaram vrbem, eadem ſtultitia & temeritate militū rurſus fuit perdita. Sic cum poſt octo adverſa prælia, vna vice viciſſet Conſtans, ſtatim ab eo, velut eam pœniteret conceſſæ pauliſper palmæ, receſſit victoria & ad hoſtes migravit, qui magna celeritate occupaverunt vrbes Syngaram, Bazabdam, & Amidam. Ergo toties victor Sapores invaſit Armeniam, cumq; obſidione cinxiſſet Niſibin vrbem, audivit Maſſagetas cum armis contra ſe venire. Adverſum hos cum proficiſceretur Perſa, Conſtans vſus, occaſione, miſit ad eum Legatos, qui pacem peterent, quam & obtinuit. Interea pergens Sapores in bello adverſus Armenios, ſenſit ſe fortunam non vbiq; habere ad vota ancillantem. Arſaces enim eum vicit, & in Perſidem ſe recipere coëgit. Et quamvis bellum Armenium non fuit magni momenti, multorum tamen detrimentorum cladiumq; Romanis cauſa extitit. Iulianus enim, qui Apoſtata vſurpatur, ratus meliore ſe ſucceſſu contra Saporem vſurum, duxit in eum exercitum, vbi ipſe cum omnibus copiis fæde trucidatus eſt: pugnabat enim cum eo, quem Deus ſalvū volebat, etſi infidelem. Neq; ſane aliter meruerat Iulian. omnium hominum deterrimus, quam vt ſecundo Imperij ſui anno moreretur, ſalutis vero noſtræ CCC.LXVII. regni Saporis LVIII.

Non eſt tamen animus Saporis cæde Imperatoris & internecione Romanarum Legionum factus elatior, cum conſideraret, quot viros fortes ipſe è ſuis amiſiſſet, occiſis etiam Elephantibus, quos in acie habuerat, & Romanos nondum penitus abjeciſſe animum, ſed novum agitare apud ſe bellum, nactos Iovinianum, virum fortem atque ſtrenuū: noluit igitur vlterius progredi: quæ cauſa fuit, vt pax inter eos coaluerit, quanquam nō admodum rē Romanorum, neceſſaria tamen. Quanquā Ammianus hanc pacem omnib. modis damnet, vt quę à molli & effæminato animo profluxerit, accuſetque Iovinianum ignaviæ & timiditatis. Nos tamē huic ignoſcendum arbitramur, obſequenti temporum neceſſitati, & nimis dedito laudibus Iuliani ſui, cujus ductu caſtra ſecutus fuerat.

ARTAXERXES X. PERSARVM REX.

Cum Sapores LXX. annos vixiſſet, & totidem 20
regnaviſſet, fecit vivendi finem anno Salutis Noſtræ CCC.LXXIX. relinquens Artaxerxem filium hæredem Diadematis & potentiæ, non item felicitatis ſuæ. Cum enim Sapores plures habuiſſet vxores, ex illuſtrioribus inter eas habuit filios hos: Ormiſdam, Ardanaſſem, & Narſen: ex ea autem quæ pulcherrimæ quidem erat formæ, ſed plebeii generis, vnum ſuſtulerat, Artaxerxen. Et Ormiſda quidem fovebat partes Romanorum: & Ardanaſſi debebatur regnum jure primogenituræ: ſed pater peroſus crudelitatem hominis, eum ſibi ſuccedere noluerat. Cum enim Legati ab Meſopotamia Sapori dono obtuliſſent tentorium è corio camelorum, gemmis & auro exornatum, donavit pater in Ardanaſſi filio, ſciſcitatus, ſatiſne ei placeret? reſpondit filius, ſe, ſi rex foret, plus voluptatis capturum ex tentorio facto è pellibus humanis. Ad hoc reſponſum cum alia plura futuræ crudelitatis ſpecimina acceſſiſſent, noluit pater hunc ſibi regno ſuccedere. Sapores enim Rex de communi conſiliariorum principumque ſententia juſſerat, vt Artaxerxes filius ſuus, regnaret. Sed ne in hoc quidem inveniebant quod deſiderabant. Nam

patre

Digitized by Google

patre mortuo jussit, è vestigio necari Arnanassen, Narsen autem privari oculis, & Ormisdam in carcerem compingi, auspicatus regnum ab inaudita crudelitate. Ormisdam captivum vt inviserent, impetravere fœminæ, mater ejus, vxor & soror, permittente rege, dederuntque ei limam, qua rupit cancellos carceris, & ad constantinum Imperatorem effugit, cui pervtilis fuit in rebus gerendis. Sic Artaxerxes solus potitus regno, pacem, quam pater cum Romanis fecerat, servavit, & à bellis omnino abstinuit, mortuus cum vndecim annis regnavisset.

SAPORES III. IN HOC REGVM *Persicorum ordine,*

REX XI.

Hic à parte Artaxerxe hæres regni relictus, tantum quinque annis regnavit, quo brevi tempore nihil memoria dignum gessit.

VARANES PERSARVM REX XII.

Secutus est hic in regno Saporem Patrem, studuitque omnibus modis servare pacem cum Romanis, quos prospere ac feliciter agere videbat sub Imperio Theodosij Majoris; sub cujus Liberorum, Honorij & Arcadij ipse regnabat apud Persas, quibus cum X. annis præfuisset, mortuus est.

ISDIGERTES REX PERSARVM XIII.

21 Accepit hic Diadema regni anno AN. C. CCCC. VI. Pontificatum gerente Innocentio primo. Hic est ille Iatzdigerd sive Isdigertes, in cuius probitate tantum habuit Arcadius Imperator fiduciæ, vt eum Testamento tutorem scriberet filij sui Theodosij, tam vt compescceret rebelles, quam vt adolescens pacato frueretur Oriente. Id testamentum cum ad eum delatum fuisset, singulari Rex Persa accepit lætitia, coluitque magna fide & æquitate pacem cum Romanis, quam pater & avus ejus juraverant. Quin & misit ad Iuvenem Imperatorem Antiochum quendam, virum spectatæ virtutis, fidei & justitiæ, & omnino dignum tam excellenti officio, qui dici vere posset Protector Imperatoris, & Conservator iuris Pupilli sui: scripsitque ipse Rex ad Senatum in hanc sententiam, referente Paulo Diacono: *Postquam Arcadius moriturus me Testamento optavit Tutorem filio suo: mitto vobis virum idoneum, qui meo loco Tutorem agat. Ne quis igitur tã audax sit, vt pueri vitæ struat insidias, ne grave & intolerabile bellum pessundet Rem Romanã.* Et ne quis vllo modo de ejus dubitaret animo, renovavit fœdus inter Persas & Græcos, scribente etiam Antiocho sæpius ad Isdigertem in favorem Christianorum: vnde factum est, vt Christiana Fides longe lateque propagaretur per Regnum Persicum, laborante inprimis Maruntheo Episcopo Mesopotamiæ. Antea autem fuerat hic Rex Christianos crudeliter persecutus, magis instinctu Magorum & Idololatrarum quam, propria malitia. In illa persecutione dejecerat Auda Episcopus, vir inculpatæ vitæ, sed intempestivi Zeli, Templum Sacri Ignis, quem Persæ adorabant. Rex imperavit Episcopo, vt id denuo ædificaret. Respondet hic malle se mori quam parere. Etsi autem culpandum cum istud factum tum responso non videtur, causa tamen fuit acris persecutionis, quæ postea cessavit, vt diximus, dante id Rege non solum gratiæ Imperatorum, sed & meritis Maruntheis Episcopi, qui Varanen Isdigertis filium Dæmoniacum, quem curare Magi non potuerant, sanum fecerat: vnde permisit rex Episcopo, vt tot in regno suo ædificaret Templa sive Oratoria pro Christianis, quot ipse voluisset: qua liberalitate Regis multi persuasi fuerunt, vt crederent Regem factum fuisse Christianum: non item Magi, qui plurimum in regno poterant. Mortuus est Isdigertes anno AN. C. CCCC XXVII. cum regnavisset annis XXI.

VARANES II. PERSARVM REX XIV.

Quantum hujus pater fuerat in Christianos cle- 22
mens & beneficus, tantum hic sævus & immanis eorum extitit persecutor. Cumque vix pater oculos clausisset, denunciavit bellũ Theodosio II. sive Iuniori, qui tamen cum copijs Persis obviam progressus, vicit eos acie, fuissetque haud dubiè persecutus victoriam, nisi in gratiã Christianorum substitisset, veritus ne Tyrannus in eos tormentis sæviret plus quam antea. Orsus hic fuerat persecutionem à Principibus Magnatibusque, qui fidem Christianam susceperant, quos ad eam redegit necessitatem, vt camelos pascerent, aut viliora præstarent ministeria. Cum autem eos ne sic quidem ad abnegandum Christum impelli posse videret, crudelissimis ex Magorũ sententia eos sustulit supplicijs: accepta tamen à Theodosio clade cessavit aliquantum persecutio. Nam Imperator, quamvis luculentam rei bene gerendæ nactus fuisset occasionem, tantum tamen dedit bono & tranquillitati Christianorũ publicæ, vt Helionem Patriciũ & Anatoliũ Prætorem orientis ad Varanem mitteret, acturos de pace, qui non repudiavit oblatas conditiones, sed fecit quę Imperator voluit, & sic cessavit persecutio. Regnavit Varanes annis XX. mortuus anno AN. C. CCCC. XLVII. Pontifice Romano Leone Primo, & Theodosio bellum gerente adversus Wandalos. Alias vocatur *Bahram Cur.*

VARANES III. REX PERSARVM XV.

Hic patris exemplo monitus, quem noverat in magnas à Theodosio redactum angustias, vt omnib. votis pacem optaverit, à bellis omnino sibi abstinendum esse duxit, vnde nihil movit, sed lætatus est tranquillitate à patre parta, mortuus cum regnavisset annis XVII. mensibus IV.

Digitized by Google

PEROSVS, PERSARVM REX

XVI.

Alias Firuz vel Pheruz.

23 Succeſſit hic Varani, homini pacis ſtudioſo, bellator animoſus, & elato ingenio, qui temeritate potius quam bono vſus conſilio periit in expeditione contra Neptalitas, non tam victus robore hoſtium quam propria temeritate & ſtultitia. Tranſiens enim per hoſticum, cum caute atque circumſpecte incedere debuiſſet, adeo fidit viribus ſuis, vt hoſtes ſecuritate ejus cognita, irruentes ei exinopinato, conciderint prope omnes ejus copias, cum nihildum memoria dignum effeciſſet. Et ſic quidem refert Agathias: At Procopius hos non Neptalitas, ſed Euthalitas vocat, quos & Albos appellatos fuiſſe tradit, contra quos Peroſus duxerit exercitum. Sunt autem Euthalitæ illi ex progenie Hunnorum, neque tamen eorum vicini, cum quibus neque in expeditionem proficiſcuntur, ſed attingunt Perſici regni terminos à Septentrione. Præcipua eorum Civitas Gonſa dicitur, in collimitio Perſidos, cujus incolæ ſæpius bello laceſſiverunt vicinos, vt proferrent fines ſuos. Non ſunt autem Euthalitæ Nomades ſive Paſtores vt cæteri Hunni, neque ſolent Romanos fines ingredi prædandi gratia, niſi ſint in ſocietate Perſarum. Colore ſunt, inquit Procopius, albo, nec toruum ac furioſum tuentur, vt cæteri, neque adeo vt Hunni Barbari ſunt, ſed habent quandam inter ſe reipublicæ formam. Obediunt enim Euthalitæ vni alicui Principi, qui ſuperiorem non agnoſcit, ſtudentque aliquo modo civili vitæ, ratione ac jure vtentes erga vicinos ſuos. Qui inter eos feliciſſimi putantur, ſunt hi qui plurimos nacti fuerunt amicos, puta viginti aut plures, cum quibus cibum capere ſolent, & omnium bonorum habere ſocietatem, etiam dominij. Mortuos ſuos honeſte efferunt & terra ſepeliunt. His ſubjungit idem Procopius, cum Peroſus in talem cum ſuis deductus fuiſſet locum, vnde ipſi evadere impoſſibile eſſet, miſiſſe ad eum Euthalitatarum Regem, eique nunciari juſſiſſe, ſi velit periculum iſtud effugeret, vt ad ſe veniret, præſtitoque ſibi fidelitatis homagio juraret pro conſuetudine regionis, Perſas nunquam deinceps facturos Euthalitis bellum. Peroſo dubitanti hoc conſtitutum ſuggeſſerunt Magi, de juramento ipſum quæ vellet, facere poſſe, de adoratione, reverentia & fidelitate, ipſi nihil licere, quod nefas eſſet Perſas præter Solem quicquam adorare. Cum autem periculoſum viderent, nihil horum facere, hanc velut mediam invenere rationem, vt ſummo mane, cum primum diluceſceret, Perſa ad Euthalitam pergeret, converſuſque ad orientem Solem, ſic demum adoraret eum: hoc enim pacto ipſum vitaturum periculum, & conſervaturum honorem ſuum, neque violaturum leges patrias.

Hoc igitur modo ſervavit ſe ipſum Peroſus, ſed nihil eorum præſtitit quæ promiſerat. Vix enim in regnum ſuum pervenerat, cum collecto ingenti exercitu in Euthalitas progreſſus eſt, relicto domi Cavade filio ſuo, qui præeſſet regno. Sed Peroſus cæſus eſt ab Euthalitis cum reliquis liberis ſuis, cumque magna parte nobilitatis, & ingenti numero virorum fortium è Perſis, anno AN. C. CDLXXXIX. Pontificatum Romanum gerente Simplicio, Leone Imperatore.

VALENS PERSARVM REX

XVII.

Aliis Ialas, Blaſes, & Belax.

Frater hic fuit ſuperioris, poſt quem & ſuſcepit 24
gubernacula regni, Cavade adhuc intra pubertatis anno conſtituto. Vmbra tamen verius Regis quam Rex, nihil memoria dignum geſſit. Et ſane Euthalitæ potius regnabant quam ipſe, quibus & ipſe factus eſt tributarius, quod quidvis potius optaret, quam turbas & bella, afflictis vehementer rebus Perſicis. Nec tamen quiete illa diu lętatus fuit mortuus cum præfuiſſet regno annis quatuor, & duorum annorum tributum perſolviſſet.

CAVADES I. REX PERSARVM

XVIII.

Aliâs Cobad, Chuadus, Quadus, & Coades.

Cum Valente mortuo Cavades Peroſi filius ad Regnum perveniſſet, invenit Perſas ab Euthalitis propemodum oppreſſos. Vnde ipſe, cum eſſet homo bellicoſus, & impatiens ocij, ſtatim correptis armis Euthalitas aggreſſus eſt, eoſque vicit, abjecta eorum dominatione. Deinde intulit bellum Romanis, aliiſque vicinis gentibus, à quibus aliquot reportavit victorias. Vir fuit hic ingenio crudeli, iracundiæ adeo laxans habenas, vt cum efferbuiſſet, ſedari placariq; non poſſet. Quin & volupe ſibi duxit, veteres abrogare Perſarum leges atque conſuetudines, ſubſtitutis novis, inter quas vna fuit indigna rege, & quæ potuiſſet totum Perſarum regnum evertere: vbi voluit, vt mulieres omnes cõmunes eſſent. Omnes enim Perſæ hac lege adeo offenſi ſunt, cum nihil putarent rationi ac bonis moribus magis adverſari, vt Proceres ac populus vno velut impetu rebellantes, correptum hominem in carcerem compegerint, cum jam vndecim annos regnaviſſet.

BLASES SIVE LAMASES REX PERS.

XIX.

Cum Cavades carceri mancipatus, non habe- 25
ret hæredem maſculum regni capacem, Perſarum Proceres elegerunt Blaſen, Peroſi regis fratrem: legibus enim prohibebantur, aliquem ad regnum vocare, qui non regio fuiſſet ortus ſanguine. Hic igitur, cum electione ad regnum per-

Digitized by Google

perveniſſet, primum omnium ad deliberandum propoſuit, quid de Cavade faciendum eſſet: etſi autem variæ dicerentur ſententiæ, populus tamen eum necari minime volebat. Ibi Guſana ſcades Satrapes Provinciæ, videns Senatum nihil expedire, cum veſte protuliſſet cultellum longitudine vnius digiti, quo ſolent vti Perſæ, in præcidendis vnguibus, eumque oſtendiſſet cæteris, dixit, hunc cultellum efficere poſſe, quod poſtmodum ne XX quidem millibus hominum facile futurum ſit: oſtendens, quantum malorum expectandum eſſet à Cavade, ſi è carcere evaſiſſet. Neque tamen his aut aliis perſuadere Perſis potuit, vt morti addicerent regem ſuum: omnium ſententia hæc erat, vt homo crudelis regnoque invtilis in perpetuo cuſtodiretur carcere, Blaſes vero, ſive Lamaſes, ſive denique Zambazes (tria enim hæc tribuuntur ei nomina) regnaret, vir juſtus, benignus & affabilis, ſub cujus Imperio Perſæ haud dubie ex animi ſententia victuri eſſent.

Harum tamen cogitationum paulo poſt eos pœnitere coëgit Cavades, vſus opera cujuſdam Seoſis amici ſui, qui non longe habitabat à carcere. Hic enim, cum dies & noctes conſideraret, quo pacto poſſet carceri eximere Regem ſuum, id ſolum deſiderabat, ſi qua ratione cum captivo loqui poſſet. Licebat autem ſoli vxori Cavadis ad maritum ingredi, eique res præſtare neceſſarias: per hanc nunciavit Seoſes Cavadi, eo loco, vbi ipſe habiturus eſſet exeundi copiam, adfuturum ſe cum celeribus jumentis, ipſumque deducturum quocumque vellet, ſimulque oſtendebat, vbi illa eſſent parata. Nec defuit conſilio fortuna. Mulier enim, cum veſtes ſuas marito induiſſet, effecit, vt is facile per excubitorum ſtationem è carcere evaderet, & ad Seoſen ejuſque ſocios ſe conferret, qui omnes vno agmine ad Regem Euthalitarum effugerunt, qui Cavadi ſuam in matrimonium dedit filiam. Alij dicunt eum ad Anaſtaſium Imperatorem fugiſſe, cum tamen vix videatur veriſimile, Imperatorem Chriſtianum ſuam homini infideli voluiſſe elocare filiam, qui jam ante plures habebat vxores. Verior videtur ſententia eorum, qui dicunt, Euthalitæ filiam ei tunc junctam fuiſſe, cum Perſæ interfeciſſent eam, quæ vitam ſuam poſtpoſuerat libertati mariti: quo quidem facto ſatis oſtenderunt Perſæ, quomodo in regem iſtum affecti fuerint, cum ne conjugali quidem amori quicquam indulſerint, quæ tamen potius veneranda erat quam punienda in tam magni animi muliere.

Euthalitarum igitur adjutus copijs Cavades in Perſas redijt, quos contra prodire auſos, primo congreſſu fudit fugavitque: inde progreſſus in Satrapiam Guſanaſcadis, qui regis occidendi ſuaſor fuerat, movit eum dignitate & gubernatione, ſubſtituto alio. Hinc rectà petens Regiam, ea ſine magna difficultate potitus, Zambazen Regem cum Guſanaſcade interfici ſine mora juſſit; Seoſen vero cujus fidei ſuam debebat libertatem, conſtituit *Adraſtadaram Selanem*, qui Magiſtratus habebat ſummum in militiam Perſicam imperium: fuitque Seoſes ille primus & vltimus, ad quem honor iſte delatus apud Perſas fuit.

CAVADES elapſus carcere, iterum Perſarum Rex.

Recuperato per tot difficultates Perſarum regno Cavades factus cautior, multo majore in ſuos vſus eſt, quam antea fecerat, modeſtia. Debebat autem magnam auri vim Euthalitarum regi; quod debitum & diſſolveret, miſit ad Anaſtaſium Imperatorem, petiitque, vti ſibi aliquot talenta mutuo daret.

Paſſus autem repulſam, occaſionem eam arripuit, inferendi bellum Romanis. Sic igitur Perſæ, facta irruptione in Armeniam, Amidam vrbem ceperunt, cumque vlterius progredi vellent, occurſu Euthalitarum coacti ſunt pedem figere. Romani igitur, cum precio corrupiſſent præfectum vrbis, receperunt civitatem. Interim Cavades, cũ ſenio jam fieret vicinior, metuens aliquã in Regno Perſico poſt mortem ſuam mutationem, ſtatuit ſucceſſorem regni nominare. Cum autem haberet filios tres; præteritis duob. majorib. deſignavit ſucceſſorem natu minimum, nomine Coſroen, cum primogenitum, Cavadem nomine, parum probaret, & ſecundus, Bazæus, luſcus eſſet, vnde ad Diadema legib. Perſarum non admittebatur, quæ repudiabant omnes mancos aut vllo membro captos. Tertius igitur patri cordi erat, quem ex propria ſua ſorore Abeneda genuerat, qui & poſtremo regnũ obtinuit. Hoc facto, ad perſequendos Chriſtianos converſus, multa crudelitatis exempla edidit, cumque quibuſdam poplites ſuccidiſſet, nihilo minus tamen ambulaverunt. Deinde obſedit caſtrum quoddam Indorum munitiſſimum, nomine Azubdabar, quod cum nullis virib. expugnare poſſet, ad extremum Chriſtianorum precibus adjutus cepit. Cum autem theſaurum inæſtimabilis precij in eo caſtro reperiſſet, delinitus prædæ dulcedine, multum de priore crudelitate remiſit, quin & omnibus, qui baptizari vellent, id permiſit, prohibitis inquiſitionibus & tormentis, quæ antea in vſu fuerant. Exarſerat bellum inter hunc & Iuſtinum Imperatorẽ, quod tamen non diu duravit, ſtatim conſecuta pace & paulo poſt Cavade mortuo, cum poſt reſtitutionem ſuam è carcere regnaviſſet annis XXX. & ante captivitatem ſuam XI. qui anni ſimul ſumti conſtituunt XLI. Reliquit hic Coſroi filio ſuo pacatum regnum: Cavades enim major natu occiſus fuerat cum Manichæis, reus conſpirationis contra patrem. Incidit autem mors Cavadis in annum Chriſti DXXXII. Imperatore Iuſtiniano, Bonifacio II. Pont. Max.

COSROES REX PERSARVM.

XX.

Defuncto patre Coſroes Regnum Perſarum 26
adeptus eſt, de cujus laudibus Agathias in hunc modum loquitur. Non ſoli, inquit, laudaverunt & admirati ſunt hunc regem Perſæ, qui fortaſſe nimij fuerunt in ejus laudibus, ſed & multi Romanorum faciunt eum amatorem ſtudiorum & bonarum litterarum, vt qui ad perfectam Græcæ Philoſophiæ cognitionem pervenerit, multaque Græcorum opera in linguam Perſicam converte-

Digitized by Google

verterit: quidam autem eum tam bonum Platonicum fuisse affirmant, vt nec Timæo quidem cedere quicquam debuerit. Agathias tamen consideratis his accuratius, negat id libero ore, aitque impossibile esse, hominum Barbarum, natum & educatum inter mollissima aulæ obsequia, effœminatosque, ignorantes & adulatores homines, ad eas virtutes institui potuisse. Plerique putant non aliunde hanc ipsi natam famam, quam quod tam multi viri docti subinde versarentur in aula ejus, mirantibus omnibus, quo modo fieret, vt rex Barbarus, tantæ magnitudini & potentiæ tanti faceret doctrinas & bonarum artium professores. In cæteris tamen laudat eum Agathias, facitq; tertium post Cyrum & Artaxerxem.

Bellum ei fuit adversus Iustinianum Imperatorem, qui jam vicerat Gothos, omnium nationum ferociſſimam, & negocium habebat cum Vandalis aliisque gentibus septentrionalibus, cum quo tamen postea pacem fecit. Cosroës autem pactis non observatis, post triennium in Ciliciam Syriamque irrupit, & Antiochiam vrbem cepit. Adversus hunc profectus cum copiis Belisarius, vicit Persas, eosque se recipere coëgit. Cosroës igitur in Persiam reversus diu tamen quiescere non potuit, sed cum animus immensus Persici Regni limitibus contentus esse non posset, cum exercitu in Comagenen irrupit. Sed & ibi obvium habuit Belisarium, à quo victus repulsusque tertio est. Duravit tamen hoc bellum XXXIV. continuis annis à temporibus Imperatorum Iustiniani & Iustini, donec Martinus, Iustini cognatus commisso cum Persis in loco quodam Sagartha acerrimo prælio, eos devicit eo ipso anno quo Cosroes mortuus est: qui regnavit annis XLII. quo toto tempore nunquam Romanos vera pace frui sivit. Ait Agathias eum tristitia & indignatione mortuum in vrbe Seleucia, quod videret Mauritium ducem copiarum Iustini Imperatoris, excursiones facere in fines Arpianorum, inque ipsius vrbis, vbi tum Cosroes commorabatur, oculis omnia ferro igneque vastare, transitoque Sirma fluvio, omnia flamma atque sanguine miscere: quæ res Cosroen, ejusmodi insolentiarum insuetum, adeo mœrore tristitia affecerit, vt in ægritudinem lapsus Seleuciam deportari voluerit, vbi mortuus fuerit, regni sui anno, secundum Agathiam XLVIII. Contigere hæc anno AN. C. D. LXXIV. Pontifice Romano Iohanne III. Imperatore Iustino Iuniore, regnante in Gallia Clotario è posteris Clodovei.

HORMISDA REX PERSARVM.

XXI.

27 Hormisda Cosrois filius, vbi primum mortuo patre Diadema sumsit, concepta majoris prosperitatis adversus Romanos spe, bellum in hos prope cum ipso regno auspicatus est. Dux enim copiarum Hormisdæ, Ariardanes, cum terras Imperij Romani longe lateque deprædatus fuisset, cum spoliis opimis in Persidem reversus est, ducto secum magno captivorum numero: secunda tamen pugna à Romanis victus repulsusque est. Cum enim Tiberius venisset ad Imperium cum Iustino Iuniore, misit vterque Oratores suos de pace ad Hormisdam, quos rex Persa elatus prospero successu contemsit: neque vllas transactionis rationes admittere voluit. Hinc vehementer iratus Tiberius collegit ingentem exercitum, divisitque eum in plures partes, vt ab omni parte Persas adoriretur. Profectus interim cum copiis Hormisda agebat ferebatque Armeniam, vbi cum duo exercitus in vicinia castra posuissent, commissum est prælium atrox & cruentum. Postremo tamen cum Babylonii terga vertissent, traxerunt secum in fugam totam Persarum aciem, vnde magna clade affectus Hormisda amisit omnia impedimenta, Gazam, Elephantos, suumque ipsius tentorium. Hujus adversi prælii turpitudine considerata tulit Hormisda legem, qua vetuit imposterum Persarum reges ipsos prœliis interesse, ob periculum quod ipsis contingere posset. Nec tamen sic quievit, sed alium conscripsit exercitum. Cum autem Tiberius contra ipsum misisset Mauritium & Narsetem, viros fortes & strenuos belli duces, Persæ ab his ita concisi sunt, vt omnia amiserint, quæ Iustiniano & Iustino Imperantibus Romanis ademerant. Hanc maculam vt genoroso aliquo facinore eluere Hormisda aliquoties tentavit, sed frustra, cum jactura alia aliam pareret, eripiente ei insuper Philippico Legato Imperatoris Nisibin Mesopotamiæ vrbem, qui & Vlterius in ipsam vsq; Persidem progressus, amplissimam prædã secũ in Mediam detulit. Quin & anno altero post idem Philippicus mittente Mauritio Imperatore, in Persarum regnum irruens omnia ferro atq; flamma vastavit, magnumque terrorem omnibus regni provinciis intulit. Persis contra in aciem progressis Magi spem fecerant, potituros eos insigni victoria: sed prælii eventus vanas ac mendaces ostendit Astrologorum prædictiones, Romanis victoribus, Persis autem magna clade affectis. Et vt rem in pauca contraham, quoties Hormisda cum Romanorum exercitibus conflixit, non nisi vna potitus est victoria, ob quam tamen ipsam Mauricius Imperator Philippico copiarum imperium ademit, subrogato altero, qui Præfectus Orientis fuerat.

Eodem tempore cum Hormisda Turcas sibi feciſſet tributarios, addixit eos postea stipendiis suis, estque eorum opera vsus in bello contra Romanos: neque tamen hæc atque alia subsidia impedire potuerunt, quo minus Bara summus Persicarum copiarum dux fusus fugatusque fuerit, militum ejus maxima parte concisa: quod tribuens Hormisda insciticæ ejus, loco atque dignitate hominem movit. Hac affectus ignominia Bara rebellionem contra regem suum excitavit, accedente conspiratione, vt Hormisda à proceribus captus, magnis insuper à Bindoa, qui regem in sua custodia habebat, injuriis affectus fuerit, cujus rei is fuit eventus, vt Cosroes filius ejus in patris locum regali throno impositus fuerit, frustra protestante captivo rege, & beneficia sua in Persarum gentem allegante, quod toties vitam salutemque suam pro iis exposuisset, &

nuper

Digitized by Google

nuper Turcas Persis subjeciſſet. Poſtremo cum videret fruſtra ſe hæc dicere, & illos omnino conſtituiſſe Diadema regni in alium transferre, monuit eos, ne darent ſibi Coſroen ſucceſſorem, hominem crudelem & ambitioſum, cum adhuc alium haberet filium, ingenio miti & benigno, qui regno vtilior futurus eſſet. Maturavit hoc conſilium ſenis interitum: Coſroes enim, patrem ſibi adverſari videns, omnem moram noxiam iudicans fecit vt coronaretur in regem anno AN.C.C. D.LXXXIX. & factioſi, qui ejus ſecuti fuerant partes, correptam Hormiſdæ vxorem & alterum filium. Coſrois fratrem crudelibus modis trucidaverunt, inſpectante & ad ſpectaculi atrocitatem ingemiſcente miſerabili ſene, cui poſtremo eruerunt oculos, juſſo in perpetuo carcere in felicem claudere vitam. Et primum quidem præbuit Coſroes patri non neceſſaria ſolum, ſed & cum liberaliter ac laute tractari juſſit: cum vero ſenex finem non faceret accuſandi ejus ambitionem, ingratitudinem & parricidium: irritatus degener filius, juſſit ſenem patrem tam diu baculis verberari, donec vitalem ſpiritum efflaret.

COSROES II. PERSARVM REX.

XXII.

Cum parricida hic ſanguine ac morte patris in regno ſe ſtabilitum exiſtimaret: Perſæ, quorum nemo non tam atrocis facti immanitatem penitus deteſtabatur, omnes vno animo ad vindictam accingebantur, probe animadvertentes, non mentitum fuiſſe Hormiſdam, qui filium hunc ambitioſum, crudelem & ſine vllo humanitatis ſenſu hominem eſſe dixerat. Sic iidem illi, qui paulo ante in patrem conjuraverant, ejuſque miſeriarum cauſa extiterant, conſpiraverunt in perniciem ejus, quem nuper regali ſolio impoſuerant, vindicaturi ſanguinem illius, cujus procuraverant mortem.

28 Quin & ipſe Bara (qui ab aliis Varanes dicitur) offenſus malitia hominis, novæ in Coſroën conſpirationis auctor fuit. Quem contra ſe cum exercitu venire videns Coſroes, ipſe cum copiis minime contemnendis ei occurrit, poſuitque vterque caſtra apud Zabam fluvium. At Coſroes videns milites ſuos quotidie deſerto ſe ad hoſtem transfugere, ſeque non vnis appeti inſidiis: interfectis primum è ſuo exercitu quibus non ſatis fidebat, de cæteris non mitiora cogitabat. Ibi cum omnes irati ad arma concurriſſent, veritus perniciem, celeriter aufugit ad Corceſam cum vxoribus, tribus liberis, & parte quadam Nobilitatis Perſicæ, confeſſusque poſtea eſt ſe non ſine miraculo eo delatum fuiſſe, cum in fugæ terrore Deum Chriſtianorum invocaſſet. Poſtremo errabundus confecit ſe in brachia Mauritii Imperatoris, apud quem invenit, quod tot votis optaverat. Mauritius enim firmiſſimis eũ adjuvit copijs, quib. nixus hoſtes ſuos victor immani ſtrage concidit. Narſes enim, Romanarum copiarum ſupremus dux ſex millia ingenuorum Perſarum cæpta Coſroi donavit: Turcas vero captivos ad Imperatorem miſit Conſtantinopolim.

Annotant hic hiſtorici de Turcis ad Imperatorem Chriſtianum miſſis, eos in frontibus notatos fuiſſe ſtigmate cruciformi, atri coloris, quod cum Græci mirarentur, & quærerent ejus rei cauſam, cum ipſi neque cruci neque illi qui in ea mortem perpeſſus fuerat, vllum deferrent honorem, reſpondiſſe eos: Patriam eorum aliquot annis ante graviſſima afflictam vaſtatamque fuiſſe peſtilentia, vt vix pauci vivi evaſerint. Ibi Chriſtianos, qui in Perſide habitant, hoc ſuggeſſiſſe conſilium, vt ſe ad eum modum ſigno crucis munirent, ſic enim ceſſaturam contagiem. Et ſe quidem, cum monentibus paruiſſent, ſtatim levamen mali ſenſiſſe, vnde eos ſignum iſtud ſalutis ſanitatiſque ſuæ circumferre.

Hac victoria, cum Coſroes denuo Regio ſolio potitus fuiſſet, nolens amplius fidere Perſis ſuis, ſemper habuit circum ſe mille viros Chriſtianos, quos ipſi ex omnibus copiis lectos Narſes adjunxerat; factumque eſt in hac neceſſitate Coſrois, vt ceſſaret bellum inter Romanos & Perſas, quod per XVI. annos duraverat, fuitque pax, donec Phocas occiſo Mauritio invaſit Imperium Romanũm, quod accidit circa annum AN.C.DCIV. ſedente Romæ Gregorio Magno PP. Tunc enim Narſes, qui Mauritio fideliter inſervierat, & rebus præclare geſtis, magnus evaſerat, defecit à Phoca parricida, concitataque rebellione occupavit Edeſſam Meſopotamiæ. Hoc audito, mandat Phocas Germano Præfecto orientis, vt Vrbem Obſidione cingat. Narſes eo viſo confugit ad Coſroen, quem in regnum reſtituerat, petens ab eo valida militum auxilia. Non defuit Rex petenti, ſed miſit exercitum, qui congreſſus acie cum Germano, ſuperior fuit, vulnerato etiam Germano in humerum, vnde poſt paucos dies mortuus eſt. Sed & alia victoria de Romanis potitus eſt Coſroes, in qua præcidi juſſit capita omnibus Chriſtianis, qui arma contra Perſas tulerant. At Phocas Narſetem per legatos compellavit, vti ad ſe veniret, pollicitus ſub fide juramenti, nihil ipſum paſſurum, quod non collubuiſſet. Paruit infelix Narſes, quem vbi in poteſtate ſua habuit Phocas vivum cremari juſſit.

Interea progreſſus cum armis Coſroes, totam 29
ſibi ſubiicit Meſopotamiam Syriamque, nemine reſiſtente, adeo male comparatum erat cum Romano Imperio reverſuſque anno ſequenti, Palæſtinamque occupat, cum pleraque Armenia, Cappadocia, Galatia & Paphlagonia, vſq; ad Chalcedonem, vrendo & ſecando, rapiendo & trucidando miſerandam Provinciis iſtis vaſtitatem inferens, abducens non pecudes duntaxat, ſed & homines, inprimis mulieres cum infantib. Hoc tantũ damnum, quod Chriſtiani tunc vbique perpeſſi ſunt, acceptum ferendum eſt partim Tyrannidi Phocæ, partim iracundiæ Narſetis, qui maluit Imperium Roman. à Barbaris poſſundari, quam ab eo quiete obtineri, quem ipſe tantopere oderat.

Interfecto autem Phoca, Imperante Heraclio & Bonifacio IV. Pontifice, Coſroes ineſcatus tam multis Chriſtianorum provinciis, quas ce-

perat,

Digitized by Google

perat, rursum progressus cum copiis in Syriam irruit, anno A.N.C. D.C. XIII. vbi captis Edissa & Capessa vrbibus, Antiochiam vsque excurrit, fuditque ac fugavit Romanos obviam prodire ausos, edita tanta eorum strage, vt pauci vivi evaserint. Vsus ergo victoria Rex cepit & Cæsaream Cappadociæ, Saracenis eodem tempore in Syriam excursiones facientibus, in qua regione jam Cosroes Damascum ceperat, infinitis hominibus in servitutem abductis. Hac de causa scripsit ad ipsum Heraclius Imperator, petens vt modum statueret effundendo sanguini humano, & tributum imperaret subactis à se provinciis. At Persa, qui jam ad Monarchiam adspirabat, petita Heraclii desuper habuit, profectusque Hierosolymam anno Salutis D.C.XV. cepit vrbem; ducto secum in Persidem Zacharia Patriarcha, cum omnibus ornamentis, vasis sacris & omni apparatu precioso. Inprimis autem abstulit secum Crucem Dominicam, in quo Lytron humani generis persolutum fuerat. His tot tantisque victoriis adeo formidabilem se fecit Cosroes, vt Ægyptus, Alexandria, omnibusque Libya vsque ad Æthiopiam in ejus venerit potestatem & obedientiam, cum insuper multas Asiæ vrbes occupasset, vt multi non dubitarent, quin arrepturus esset Imperium totius Mundi, si porro per victorias grassaretur.

Hac fama stimulatus Heraclius cum Avaribus & Hunnis pacem fecit, profectusque est contra Persas, Saracenorum adjutus copiis, vbi commissa pugna superior factus ad XL. millia hominum cepit, quos omnes sine precio dimisit. Non fuit hac clade territus Cosroes, sed misit Sarbaram ducem suum, qui fracta fide, quæ res barbaris familiaris est, denuo incursiones fecit in Imperii Romani terras. Heraclius igitur secundo adversus eum exercitum ducere coactus, ea prosperitate militavit, vt prope omnia receperit quæ Persæ occupaverant, vsque ad fines Mediæ, qua victoria & S. Crucem Dominicam Hierosolyma reportavit. Ad extremum cum Cosroes regnasset annis XXXIX. periit miseris modis, interfectus à proprio filio, qui injecta collo ejus catena ferrea, patrem in fædum detrusit carcerem, nil præter aquam & panem ei subministrans, subinde exprobrans, quod multos bonos viros eodem supplicii genere sustulisset: sic reportavit tandem, quanquam sera numinis vindicta, Cosroes à filio suo mercedem impietatis, quam in patrem Hormisdam exercuerat.

SIROES REX PERSARVM

XXIII.

Cum hic eo quem diximus modo in patre vltus fuisset avum, pervenit simili cum patre flagitio ad Regnum Persarum: quod quidem ipsi non fuit diuturnum. Anno enim vno, non amplius regnavit, quo tamen ipso libertatem restituit omnibus in regno Persico captivis Christianis, remisso domum salvo & incolumi Patriarcha Hierosolymitano, cum omnibus ornamentis & vasis sacris, quæ ex ea vrbe pater rapuerat.

ADHESIR REX PERSARVM

XXIV.

Filius hujus fuit Adhesir, qui post patrem regno non nisi per VII. menses lætatus fuit, occisus ex improviso à Sarbara, qui eo pacto regnum acquisivit, cujus desiderio jam dudum stimulatus fuerat.

SARBARA REX PERSARVM.

XXV.

Nec huic diu contigit regno tam desiderato frui: cum enim non nisi per sex menses in throno regio sedisset, occisus ab ipsis Persis, quod non esset ortus regio sanguine.

BORNANVS PERSARVM REX.

XXVI.

Sublato ad hunc modum è medio Sarbara, Persæ elegerunt Bornanum filium Cosrois, qui Diadema tantum per VII. menses gestavit.

HORMISDA II. REX PERSARVM

XXVII.

Vltimus hic fuit rex ex familia Artaxaris, post quem Saraceni & Mahometistæ obtinuerunt Persicum regnum circa annum Gratiæ D.C.XXXIV. anno postquam Artaxares regnum Persicum Parthis eripuerat, occiso Artabano, rege eorum, Arsacidarum novissimo quadringentesimo decimo tertio.

REGES PERSARVM MAHOMETANI.

Nunc denique devenimus ad Reges Arabas, qui post introductum & stabilitum in regno Persico Mahometismum ibi rerum potiti sunt, quorum describere Genealogias & Successiones, res plena est confusionis: cum ii qui de his aliquid memoriæ prodiderunt, adeo sine ordine scribant, &, quod dicitur, extra oleas vagentur, vt vix magno labore inde aliquid discere sedulus Lector possit, cum nullus illis seculis contigerit scriptor, qui Agathiam in observando ordine & fide historica imitari potuisset. Ne autem res tantæ obscuritatis vano & immenso labore in apricum eruere conemur, nos ipsos inutiliter defatigantes, hoc nobis in instituta brevitate sufficiet, quod Arabes quidem has provincias longo tempore obtinuerunt, donec Turcæ eos primo suo incursu possessione dejecerunt, qui & progressi vlterius, & Minore potiti Asia validum sibi confecerunt regnum, vnde prodierunt Noradini & Saladini, qui postea tot malis affe-

Digitized by Google

affecerunt Christianos in Terra Sancta. Ejectis autè his profligatisque per Tartaros ex regionibus Turquestania & Persida, cum mutatione familiæ etiam mutatio accidit ipsius status regni, mutataque fuerunt nomina provinciarum. Zacatay enim, Magni Chami Tartarorum Regis frater, cum occupasset Margianam, Sogdianam & Bactrianam, voluit vt de se dicerentur Zacatæum regnum, vt de nostro ævo appellantur. Post hæc cum Ocatachamus vi vsurpasset Mediam, Parthiam & Persidem, voluit vt hæc regna junctim dicerentur Azamia: vnde factum est, vt Persæ etiamnum hodie vocentur Azemij.

Nomina etiam tam horrisonæ nostris auribus, vt vix ferre possint E. gr. Puyah, Amaduddaules, Moctafis, Mustasfis, Muazzuddaulas, Fadlus Abulcasimus, Rucnodaulas, Muayidduddaulas &c. vsque ad annum Christi MXXXVIII. vbi cœperunt post Caliphas & ex Piscatoris Bojæ familiâ Reges cœpere Principes Salgucidæ, quorum primus illo tempore erat *Muhammed Abutalib Togrulbecus*, vsque ad annum MCLXIX, Tartari sub *Almostausser Billa Mansur* Caliphæ irrupere in Persiam duce suo *Chinguyzkan*, cujus filius *Octaykahon* & sequens posteritas regnavit in Persia, ad id vsq; tempus, quo se Tamerlanes dominum constituit totius prope Orientis, victo captoque Bajazethe Rege Turcarum. Ex hujus enim Tamerlanis liberis orti sunt Persarum reges vsque ad Ismaelem Sophum, quorum tamen regnum non admodum diu duravit. Tamerlanes enim in Anzar Catayo mortuus est anno AN. C.M.CCC CIII. & Sophus factus est Persarum rex anno M.CDLXXVIII. vt ita Vsuncassanes, cui tam longo tempore negocium fuit cum Turcis, vt filius potuerit esse Tamerlanis vel nepos ejus, sicut & fieri potuit, vt terræ Zacatææ à bello immunes fuerint sub dominio regum Persicorum, donec Vsuncassanes inde ejecit quendam nomine Iausam, qui dictus fuerat supereſſe ex antiqua stirpe Saracenorum.

VSVN-CASSAN, QVIET
Assambeius Persarum Rex;

Alias Azembek dictus.

Nactus hic tranquillam Regni Persici possessionem, petiit sibi in matrimonium dari Regis sive Imperatoris (ita enim dicebantur) Trapezuntini filiam, quam pater ei vel ideo non negavit, quod spectaret habiturum se à Genero auxilia adversus Mahometum II. Turcarum Principem, à quo premebatur bello. Permisit autem Vsuncassanes novitiæ vxori, vt suo more, id est Christiano Deum coleret, quæ & assidue circum se habuit Calohieros, Monachos Græcos qui sacra peragebant officia. Habuit hæc mulier ex Vsuncassane filium vnum & filias tres, quarum primam sibi junxit matrimonio Sechaiadar, pater Sophi, reliquas duas mater secum retinuit, cum permittente marito recepit se in oppidum quoddam Assyriæ, vt ibi vitam solitariam degeret, vbi longo tempore cum filiabus suis nutrita fuit sumtibus regiis, marito largiter & regie omnia suppeditante. Defuncta autem invenit sepulchrum in Amida civitate, in templo sancti Georgij, vbi etiamnum ostenditur monumentum ejus.

Gemina autem fuit Vsuncassani gerendi cum Turcis belli causa: primo vt opitularetur Socero: deinde, quod repetebat Ciliciam, quæ hodie Caramannia dicitur, quam Turcæ asserebant esse suam. Sicut autem Caramanniam à Turcis recuperare non valuit, ita quoque nihil facere potuit pro Socero Trapezuntino, quem Turca victum omnibus terris & possessionibus evertit. Passus est autem hæc Vsuncassanes, non quod Persæ deteriores essent bello Turcis, sed quod vsum tormentorum militarium eo tempore nullum haberent, quibus Turcæ abundantes, velut cælesti fulmine terruerunt & disjecerunt aciem Persarum.

Interea Turca cum valde auxisset exercitum suum, statuit Vsuncassanem in ipso regno Persico bello aggredi, quod Regi Ciliciæ cum copiis adversus Turcas adfuisset. Pervagatus igitur Palæstinam Syriamque, & transito Euphrate fluvio, pervenit vsque ad Lacum Gelucalat, cepitque Arsinganam vrbem, quæ neque opere neque præsidio munita erat. In his partibus obvium habuit Vsuncassanem cum omni regni sui robore, ducentem secum in militiam tres filios, quorum primo nomen erat Calul, secundo Vgurli-Mahometo, tertio Zainelo. Erat autem exercitus ejus compositus è varijs nationibus, Persis, Parthis, Iberis, Albanensibus, Georgianis, Tartariis aliisque: & tamen cum conspicatus fuisset castra Turcarum, dicitur obstupuisse, & post longum silentium in hæc erupisse verba; *Baycabexemneder Iadir*: quod est, O fili scorti, quantum mare est istud! erat enim vastissimus Turcarum exercitus vndanti mari similis. Deinde videns Turcica promoveri agmina, misit cohortem vnam cum ala peditum contra hostes, qui eos prohiberent transitu: ibi conflictus ortus est atrocissimus, percuntibus ex vtraque parte multis, majore tamen cum strage Turcarum, cum Persæ semper laborantibus suis nova mitterent supplementa, quod Turcæ facere non poterant, quorum permulti hauriebantur aquis, cum vadum fluvii ignorarent. Fœdam hoc loco edidit Vsuncassan Turcarum stragem, qui nocte adventante receptui cecinerunt, quod & Persa fecit, quem penes victoria illius diei fuit, quod paucos è suis desideraverit, cum è Tauris ad XII. millia occubuissent, interque eos multi primi nominis viri. Hoctam infelici auspicio territus Mahometus, non ausus est penitius in regnum Persicum ingredi, considerata difficultate fluviorum, montium locorumque desertorum, quæ omnia superanda erant. Recipientibus se Turcis, crevit animus Persis, qui & transito fluvio, vltimum agmen assecuti pugnam conseruerunt. Sed hic Persarum ardor cito defervbuit. Vsuncassanes enim equo insidens Nabathæo celeriter effugit, ducis exemplum multis aliis se-

Digitized by Google

quentibus, in qua confusione occisus est filius ejus natu minimus Zainelus. Verum est, Persas pugnam in septimam vel octavam horam sustinuisse, neque vel post tantum tempus cessuros fuisse, nisi Vsuncassanes Rex, veritus ne ab immensa Turcarum multitudine, velut indagine cingeretur, fugæ initium feciſſet, qui quidem in causa fuit, vt filius ejus occideretur, velut diximus cumque eo ad decem millia Persarum, amissa etiam civitate Caratsar. Anno AN.C.MCD.LXXIV. cum Vsuncassanes moraretur apud Soltaniam vrbem, accepit nuncium, filium suum Vgurli-Mehemetum rebellionem concitasse, & jam Siras vrbem cepisse. Profectus est è vestigio cum copijs pater, vt filij stoliditatem castigaret. At hic audiens patrem adversum se venire, stultum putavit expectare: accepta igitur vxore, liberis thesaurisque suis, confugit ad Turcas, missis prius ad Bajazethem Legatis, qui liberum commeatum impetrarent, Bajazethes celeriter rem nunciat patri Mahometo, qui de commeatus securitate annuit, prohibuit tamen, ne Baiazethes filius vrbe Amasia egrederetur, ad excipiendum Persam, non quod cum honore isto affici nollet, sed quod fraudem aliquam subesse metueret. Hanc diffidentiam vt à se amoliretur Vgurli-mehemet, præmisit prius vxorem liberosque suos, vt essent velut obsides, quos ipse secutus est cum CCC. circiter equitibus, quem Baiazethes magno apparatu & sumtuoso excepit cõvivio. Hinc profectus est juvenis ad ipsum Mahometum, qui eum etiam benigniore vultu aspexit, quam filius fecerat, pollicitus se eum regem Persarum facturum, dejecto Vsuncassane, quem capitalem haberet hostem. Sic acceptis à Turca copiis Vgurli-mehemet, celeriter repetiit Persidem, cũque vix ad vrbem Syras appulisset, fecit excursiones hostiles in terras patris. Misit adversum hunc Vsuncassanes milites, sed nequaquam sufficiente numero, vt facile appareret, non magnopere curare patrem quid faceret filius: sed hæc erat versutia, vt inopinantem deprehenderet. Iussit enim spargi famam, iniquissimo se ferre animo hanc filij temeritatem, quem jam pro perdito ipse haberet, adeo vt etiam morbum inciderit. Vt autem fictio illa fide inveniret, continuit se rex aliquot diebus in suo cubiculo, neminem nisi cui plurimum fidebat ipse, ad conspectum sui admittens. Adeo autem scite ludebatur hæc fabula, vt rumor Constantinopolim vsque deferretur, ægrotare regem Persam ex mærore animi ob defectionem filii sui. Crescente autem fama ægritudinis, quidam ex intimis Vsuncassani amicis regem mortuum mentiti sunt, missis insuper ad Vgurli-mehemetum literis, vt calcata omni mora veniret ad Regiam, priusquam aliquis è fratribus regnum occuparet. Vt autem omnis de morte patris tolleretur apud juvenem dubitatio, celebratæ sunt regi exequiæ per totum regnum, cumque tertius adesset tabellarius, qui cunctantem properare juberet, venit miser Vgurli-mehemetus Taurim vrbem: vbi in Palatium deductus invenit patrem salvum & sanum, qui & filium statim comprehendi jussit & sine mora interfici, quanquam potuisset legitimus ejus in regno fieri successor, si boni filij officium feciſſet.

Sublato è medio Vgurlimehemeto, quod contigit anno AN. C. MCD.LXXVII. ingentem collegit exercitum Vsuncassanes, simulans se in Turcas ducturum, cum tamen in animo haberet oppugnare Iberorum, qui nunc Georgiani dicuntur, regem, quod sibi in Turcas eunti negavisset copias auxiliares. Sed rex iste cum alio quodam vicino suo, ingenti summa pecuniæ, quam Persæ dederunt, pacem redemerunt, vt Vsuncassanes, occupato munitissimo castro in transitu montiũ, Taurim reversus fuerit, vbi mortuus est anno AN.C. MCDLXXVIII. relinquens filios quatuor, quorum tres ex eadem matre erant geniti, quartus erat filius mulieris Græcæ, regis Trapezuntini filiæ, qui cum annum ageret XXI. conspiratione fratrum laqueo elisus periit, quod nefas esse dicerent, filium Christianæ mulieris imperare Persis, & qui multum jam sapiebat religionem maternam.

IACOBVS PATISSA, SECVNdus Rex Persarum ex stirpe Vsuncassanis.

Hic cum secundus esset filiorum Vsuncassanis, convenit cum tertio fratre, cui nomen erat Maziah Mirza sive Mangoni, vnde frater natu maximus Sultan coactus fuit fugere: sicque factus est rex Iacobus anno Salutis M. CDLXXIX. Bellum huic fuit cum Sultano Ægyptio, qui Mammalucos suos misit vsque in Assyriam anno AN. C. M. CDLXXXII. vbi post varios conflictus, velitationes & fortunæ mutationes postremo Persæ potiti sunt victoria, Mammalucquis tota Assyria & Mesopotamia ejectis, & in Ægyptum repulsis, quod accidit anno S.M.CDLXXXVII. Habuit hic Iacobus (Yakubbek Persis) Rex vxorem filiam cujusdam Dynastæ Samurræ, quæ ipse causa extitit interitus. Cum enim esset impudica & appetens Veneris, cæpit clandestino amore operam dare cuidam nobili juveni inter aulicos mariti, cumq; hujus probavisset in militia Aphrodisia strenuitatem, quærebat omnibus modis, quo pacto sublato è medio marito amatorem ad regnum eveheret. Collatis igitur cum adultero consiliis, miscuit toxicum valde subtile, sed præsentis ad necandum efficaciæ. Hinc paravit balneũ ex fragrantibus herbis, vt apud Persas in vsu est. Venit eo Iacobus cum quodam filio suo, septem annorum puero, ingressusq; balneum, Satis diu in illo mansit, deinde contulit se in Gynæceium. At vxor quæ noverat, solere maritum à balneo bibere, præveniens postulationem ejus, obtulit ei in Phyala aurea lethiferam potionẽ, majore vt videbatur, quam solebat, hilaritate, nisi quod colorem aliquo pacto faciei mutaverat: vnde Iacobo nescio quid suspicionis obortum est: qui voluit, vt vxor sibi prægustaret potum. Non ausa est Venefica id negare marito, bibit igitur, deinde dedit viro, qui cũ bibisset, porrexit filiolo suo mixtũ illud, cujus tanta fuit violentia, vt sequente nocte morerentur, qui gustaverant. Magnũ terrorem & confusionem hæc tã subitanea mors Regis, Reginæ & Filii, Principibus totique Aulæ attulit, to-

tum-

Digitized by Google

LYON

tumque regnum in luctum & lacrymas conjecit, quod deinde velut prædæ fuit posteris Vsuncassanis id inter se dividentibus, vt quisque eorum plus poterat atque pollebat.

IVLAVER, TERTIVS IN HOC ordine Rex.

Successit hic parenti defuncto, nam frater ejus cum patre interierat, regnavitq; tribus annis, quo tempore nihil memoria dignum fecit.

BASINGIR IV. REX HVIVS familiæ, Persis Baijsangor.

Conspiraverat hic in mortem Iacobi Patissæ cum adultera ejus vxore, sed non nisi biennium in regno exegit.

RVSTANVS V. REX EX VSVNcassanidis: alias Rostambek dictus.

Vigesimum ætatis annum hic agebat, cum superiori successit, tenuitque regnum per annos VII & hic est ille, contra quem pater Ismaelis Sophi bellum gessit, nomine Secaidar, cui nupta fuerat, vt diximus, vna filiarum Vsuncassanis, fuitque caput Sectæ Sophianorum, id est eorum, qui non recipiunt Alcoranum, nisi ex interpretatione Haly, qui gener fuit Mahometi, invexitque novam hæresin in Mahometismum. Sub hujus Secaiadari auspicijs multi hinc inde dispersi agebant, ejusdem cum eo opinionis, quique eum reverebantur, vt hominem sanctum, qui cum habitaret in Ardevilla civitate, haud longe à Lacu Vasthano, habebat conciones ad populum, quibus innumeros in suam pertraxit sententiam. Fuerunt ei liberi VI. mares tres & totidem fœminæ, omnes capitales hostes Christianorum, cum in eo velut in perfectione quadam glorientur Mahometistæ, si Christianis quam plurima mala fecerint. Fecerat hic jam ante multas excursiones in Circassos, qui cum se imbecilliores viderent, quam vt Sophianorum potentiæ obsisterent, imploraverunt auxilium Regis Persici, qui tunc erat Alamutus.

ALAMVTVS VI. PERSARVM REX è posteris Vsuncassanis, aliis Alvvan appellatus.

33 Successit hic Rustano, eratque per id tempus apud Taurim vrbem, cum ei nunciatum est Secaidarem vrbem Derbentum occupavisse, quæ ad Mare Caspium sita loco opportuno, angustum habet transitum, vel admittere vel excludere transire cupientes potest. Hac de causa misit Alamutus exercitum adversus Sophianos, qui nos detrectabant pugnam. Cumque ad manus ventum fuisset, quamvis Sophiani fortiter pugnassent, & circiter quatuor millia Persarum occidissent: ad postremum tamen victi fuerunt. Cecidit in eo conflictu Secaidar, cujus caput trunco aulsum canibus ad laniandum objectum est. Milites ejus potissima ex parte trucidati fuerunt, in summo enim apud omnes erant Sophiani odio, vt evadere vivi sane non multi potuerint. At filij ejus audita patris cæde in diversas partes fugerunt, primus in Asiam minorē, alter Alepum Syriæ, tertius in insulam quandam Lacus Gelucalat: & hic fuit Ismael ille, ætatis annum agens decimum quartum, pulcher & formosus admodum, gravis & tamen affabilis, breviter ea indole præditus, quæ nihil parvi præ se ferebat. Sacerdos Armenius, qui pueri hujus curam gerebat, Astrologiæ peritissimus, tanto plus in ejus educationem impendebat studij, quod sciret ex arte sua, fore hunc puerum olim potentissimum; cumque videret eum à pluribus ad mortem quæri, summo adolescentem occultabat studio: cumque conaretur eum in religione Christiana instituere, Ismael, qui in ea ætate longe altiora apud animum suum agitabat, valedicens pariter pietati & nutricio suo, quem hactenus patris loco coluerat, discessit ab eo, id tamen ex institutione assecutus, vt toto deinceps tempore æquus fuerit & benignus Christianis. Chilanum ergo delatus, apud Aurificem quendam divertit, amatorem Sectæ Sophianæ, & qui omnibus modis addictus erat familiæ Secaidaris. Hinc sæpe occultas ad amicos suos, qui Ardeuillæ habitabant, misit litteras, quibus cum postremo pactus est de vlciscenda morte Secaidaris Prophetæ, & internecione exercitus ab Alamuti militibus apud Derbentum trucidati.

Prima ejus expeditio fuit adversus castrum Maumtuaga in littore Maris Caspij, quod stratagemate quodam vsus occupavit, cum nemo hostē vllum metueret, nec stationes militum ad portam essent. Hanc velut Arcem belli constituit, vnde multas fecit excursiones, fiducia loci, qui capi non posse videbatur, quod huc subvehi posset commeatus à mari Caspio, frequentibus eo appellentibus navigijs. Aceessit alius fortunæ favor, cum Ismael in oppidulo, quod Arci subjectum erat, reperisset thesaurum inæstimabilis precij, quo in largitiones converso, non solum populi sibi conciliavit animos, & conscripsit milites, sed & Magnatibus proceribusque dona misit, vt in causa fautores eos ac benevolos experiretur.

Ita factum est, vt Ismael, qui non nisi ducentos viros habuerat cum arcem illam caperet, mox auctus copiis tantum acquireret audaciæ, vt excursionibus terras Alamuti Regis infestaret atrocibus, occupatisque locis nonnullis publice quereretur, deberi sibi regnum, vt qui esset natus ex Assambeij filia, illum vero qui jam regnaret, ne regio quidem sanguine ortum.

At altera ex parte Alamutus, videns Arcem Maumutagam expugnari non posse, noluit in ejus obsidione consumere exercitum, ratus Ismaelem vlterius non progressurum, contentum illa offa: ipse sibi interea vigilandum dicens, vt illum

Digitized by Google

lum inopinantem ſecurumque opprimeret puniretque. Sed longe aliter cecidit alea. Iſmael enim cum magnas contraxiſſet militum Copias, cinxit obſidione Sumachiam vrbem magnam & opulentam, in finibus Armeniorum & Medorum ſitam, haud longe à mari Caſpio. Sermanglogli (ſic enim vocabatur rex illius) videns non ſatis ſibi eſſe virium ad reſiſtendum Sophianis, deſerta vrbe, fugit ad Arcem Caliſtanam, quæ videbatur inexpugnabilis. Iſmael ergo potitus vrbe promiſcue trucidatis civibus, ingenti potitus eſt præda, vt & milites ejus inde divites evaſerint, hinc fama per totam Aſiam ſparſa eſt, jactabatur vbique Iſmaelis ſapientia, ſtrenuitas, fortitudo, comitas & liberalitas ſupra omnes Principes orbis, vnde, vt fit, infiniti Sophianorum appellationem vltro ambiverunt, tantum vt participes fierent ſpoliorum.

At Alamutus videns felices hominis ſucceſſus, quicquid potuit contraxit virium, vt & altera ex parte Sophus ſuas, qui & ad Reges Georgianorum miſit, qui per id tempus tres erant: primo nomen erat Scanderbeio, ſecundo Gargarambeio, tertio Mirzambeio; ab his inquam auxilia petivit, pollicitus viciſſim, ſe daturum operam, vt omnes Chriſtiani per totum Perſarum regnum liberi eſſent (nam & Georgiani ſe Chriſtianos profitebantur) & ditaturum omnes qui caſtra ſua ſequerentur. Horum trium Principum miſit vnuſquiſque Iſmaeli tria millia equitum, & V. millia Iberorum, florem militiæ totius Orientis, qui cum Iſmaelem apud Sumachiam reperiſſent, comiter excepti donatique ſunt opibus, quas in illa vrbe nactus fuerat. Alamutus, qui tunc agebat annum decimum ſeptimum, (vt Iſmael decimum nonum) videns ingentem adverſarij ſui apparatum, Taurim acceſſit, inde recta petens Sumachiam, certus confligendi cum Iſmaele. Huic occurrit Iſmael habens ſecum non vltra XX. hominum millia, exercitatiſſimorum quidem optimorumque militum. Sic occurrerunt ſibi duo iſti juvenes magnanimi, de rerum ſumma dimicaturi inter Taurim & Sumachiam Vrbes, intercedente fluvio ſatis magno, qui alteros ab alteris ſemoveret. Sophus tota nocte laboravit, donec vadum reperit, tranſitoque fluvio, nihil animadvertente hoſte, primo diluculo adortus eſt caſtra Alamuti, tanta rabie & impetu, vt Perſæ antequam è ſomno evigilarent & arma caperent, magna ex parte conciſi perierint, Alamuto rege vix tantum nacto ſpacii, vt Taurim effugere poſſet, cum exiguo ſuorum manipulo, qui à cæde ſuperfuerant, ipſe victor cum quatriduum in caſtris hoſtilibus quiete refeciſſet exercitum, recta Taurim duxit, quam & ſine difficultate ingreſſus eſt, cum nec cincta ſit mœnibus, nec bellicoſo referta populo. Ibi merito accuſatur Iſmaelis crudelitas, qui ne vnum quidem ex Iacobi progenie vivum reliquit, ſed etiam diſſectis gravidarum alvis fœtus erui & ſolo allidi juſſit, nec hac vivorum laniena contentus, etiam in mortuos ſæviit. Voluit enim vt corpus Iacobi è monumento erueretur, aliumque principum, inprimis eorum qui prælio ad Derbentum, vbi Sacaidar pater Iſmaelis, occubuerat, interfuerant, quorum cadavera ſive oſſa juſſit exuri loco publico: vtque oſtenderet, quantum delectaretur effuſione cruoris humani, juſſit produci CCC. ſcorta publica, iiſque amputari capita: præterea quadringentis viris qui Alamutum ſecuti fuerant: poſtremo omnes qui in vrbe erant canes, neſcio qua de cauſa necari voluit. Huic crudelitati & ſævitiæ impoſiturus Colophonem, imperavit occidi matrem ſuam, quæ fuerat, vt diximus, filia Vſuncaſſani, quam Iſmael, vt ajebat, horrori habebat, quod poſt mortem patris ſui Sacaidaris, ſecundis nuptiis conveniſſet in manum illuſtris viri Perſæ, qui interfuerat pugnæ ad Derbentum: vnde ipſe colligebat, quod id feciſſet odio prioris mariti, patris ſui, quæ & amore Sobolis ex poſteriore conceptæ, facile privatura fuiſſet prioris matrimonij liberos ſucceſſione regni. Quamcunque autem cauſam hujus matricidij habuerit, ſatis oſtendit Iſmael hac in parte minime σοφὸς, quod fuerit vnus è truculentiſſimis Tyrannis, qui vnquam fuerunt vixerunt-que. Et adhunc modum perit vniverſa ſtirps Vſuncaſſanis, Regis Perſarum glorioſiſſimi, in Alamuto Rege Aderbaionis & Tabrizij Anno MDII. atque Sultano Morado Rege in Parc & Hierak, anno Chriſti MDIV.

LINEA SOPHORVM SIVE SOPHIANORVM.

ISMAEL SOPHVS, PRIMVS ex hác gente Rex.

Stabilito ſibi ad hunc modum cæde ac ſanguine throno, Iſmael victorias ſuas & acerbitatem continuavit adverſum omnes, qui ſe ei opponere auſi fuerunt: qua de cauſa multi viri Principes vltro ad ipſum venerunt, præſtituri fidelitatis juramentum, & deoſculaturi manum ejus, ſumto etiam pileo ſive Tulpano Perſico cum apice rubeo, quæ nota erat Sophianorum propria, qua ſectam ſuam ab aliis diſcernebant, etſi intra ſeptum pectoris longe aliter ſentirent, nec alia de cauſa mutarent religionis profeſſionem, quam vt ſervarent ab hominis crudelitate vitam. Dum autem Iſmael apud Taurim vrbem cum ducibus tribuniſque ſuis hilaria agitat, nunciatur ei, Muratchanem Babyloniæ Sultanum, ortum à ſanguine Aſſambeii, irrupiſſe cum exercitu. Movit hic nuncius Sophum, qui tamen non factus timidior collecto robore exercitus, prodit ei obviâ, hortaturq; ad virtutem milites. Idem facit altera ex parte Muratchanes, qui nihil in ſe deſiderari paſſus eſt, quod virum fortem & ſtrenuum belli ducem facere conveniebat. Conflixere hi duo per integrum diem, tanta animorum exacerbatione, vt à Darij temporibus tam cruentum & vtrique parti funeſtum prælium commiſſum fuiſſe non putetur, vincente tamen ad extremum Iſmaele, & altero Babylonem fugiente, quæ pugna accidit anno AN. C. M. C. DXCIX. cum Iſmael decimum nonum annum nondum compleviſſet. 34

Poſt hunc conflictum ſtatuit Iſmael Meſopora-

Digitized by Google

potamiam in ſuam redigere poteſtatem, quam antiquitus regni Perſici provinciam fuiſſe noverat, tunc autem multos habebat dominos, interque alios Sultanum Calibam, dynaſtam Azanchiſx. Hic cum Iſmaelis propoſitum intellexiſſet, non expectato, donec ei vis adferretur, venit vltro in fidem & clientelam Sophi, oſculatuſque manum ejus, & præſtito fidelitatis juramento, ſumſit Sectæ Sophianæ indicium: quæ res Iſmaeli tam grata fuit, vt eum in Principatu confirmaverit, ſororemque ſuam in matrimonium dederit. Eadem humanitate vſus erga quoſdam Turcas, qui venientes ab Anatolia, ſua ei obtulerant ſervitia, hæreſinque Sophianam amplexi fuerant, inter quos facile primus erat Vſtagialus Momutbegus, quem Iſmael fecit Satrapam Meſopotamiæ, exceptis civitatibus Arancheua & Amida, quas voluit eſſe affinis ſui Calibæ. Cum autem hic non contentus fuiſſet terris, quas ei Iſmael aſſignaverat, juſſus eſt etiam his vrbibus decedere eaſque vſtagialo tradere, qui præterea juſſus eſt, vt Magiſtratu quoque Regis nomine fungeretur in provincia Calibæ, non obſtante, quod hic affinis regis eſſet. At Calibas, cum huic mandato parere nollet, quod Gurdiorum natio, à qua ipſe originem ducebat, iniquo animo ferret Sophianorum imperium: bello petitus fuit ab Vſtagialo, cui & ipſi Iſmael ſororem elocaverat, privatuſque propemodum omni ditione, conſentiente Iſmaele, qui volebat omnes nativos indigenaſque Principes proteri & è medio tolli, vt peregrinos in eorum locum ſubſtituere & hoc beneficio eos ſibi devincire poſſet.

Subacta Meſopotamia, Sophus avaros oculos conjecit in Aladuliorum terram, qui ſunt populi Minoris Aſiæ, & interceperant quaſdam terras Regnante Iacobo Patiſſa. Miſerat jam ante contra hos Iſmael Vſtagialum cum copijs, ſed is re infecta domum redierat. Anno igitur AN. C. M. D. X. collecto ingenti exercitu Sophus ipſe contra eos profectus eſt, non quod crederet tantis ad eam gentem expugnandam ſibi opus eſſe viribus, ſed quod vereretur, ne vel Turca vel Sultanus Ægyptius eorum ſuſcepto patrocinio, negotium ſibi faceſſerent. Miſſis ergo Legatis ad vtrumque, rogavit eos, ne ſe immiſcerent negocio Aladuliorum. Cum quale voluerat tuliſſet reſponſum, brevi tempore totam ferme ſubjecit ſibi provinciam, interfectis quibuſdam ex regiis liberis, & trucidata magna populi multitudine. Poſtremo tamen magnitudine frigoris, cui montana illa Cappadociæ obnoxia ſunt, coactus eſt deſerere terras illas: cum in reditu paulo poſt Cæſaream vrbem, quam Carbeius Aladuli filius defenderat occupaſſet. Hunc cum vivum teneret Iſmael, cepit eum libido, obtruncandi ſua manu juvenem, quod & continuo fecit, vt non longe ante anteceſſori ſuo Alamuto, quem prodiderat Anubejus, aut pariter Iſmael ſua dextera vitam eripuerat.

Vt autem Sophus iſte homo erat ocij & quietis impatiens, confecto bello contra Aladulios, novum agitare animo cæpit. Noverat Muratchanem Babyloniorum Sultanum ſibi litem ſuper regno Perſico movere. Hunc igitur peſſundare ſtatuit atque perdere penitus, hanc bello prætexens cauſam, quot Muratchan poſt mortem Alamuti poſſeſſionem magnæ vrbis Siras apprehendiſſet, quæ caput eſt & Metropolis Perſidos, ſub ſpecie, quod ipſe proximus eſſet liberorum Vſuncaſſanis agnatus. Collegerat vterque Princeps ingentem exercitum, ſed Iſmael habebat meliores milites, voluntarios omnes, cum contra Babylonium ſui plerique inviti ſequerentur, cum recordarentur, ſuperiore adverſus Iſmaelem conflictu è XXX. millibus ſuorum paucos evaſiſſe. Non ignorabat Muratchan hunc ſuorum affectum: cum igitur deſperaſſet de victoria, miſit Oratores ad Sophum, petens, vt ſe in clientelam atque patrocinium ſuum reciperet. Verum Iſmael contemto jure gentium, juſſit ſecuri percuti Legatos, addens, ſi Muratchanes ſe voluiſſet agnoſcere dominum ſuperioremque ſuum, debuiſſe potius ipſum venire, non alios mittere. At Babylonius Alamuti exemplo terrebatur, vnde deſerto exercitu, aſſumtis tribus millibus è fidiſſimis ſuorum, ſtatuit Alepum profugere. Vbi ad Euphraten fluvium pervenit, tranſito eo, tempeſtivo admodum conſilio juſſit abrumpi pontem. Iſmael enim intellecta fuga ejus, miſit VI. millia expeditiſſimorum equitum, qui quin eum aſſequerentur, parum abfuit. Superato enim fluvio, vidit ab altera ripæ parte Sophianos imminentes ſibi, qui ruptum invenientes pontem, irrito labore perfuncti domum redierunt. Muratchanes Alepum ſalvus pervenit, in qua vrbe cum Aladulo Cappadociæ partis regulo liberaliter habitus fuit, ſumptibus Sultani Ægyptij.

Cum ad hunc modum Iſmael vincendi finem non faceret, cæpit fieri vicinis ſuſpectus atque formidabilis. Ejus igitur proſperitatis curſum vt infringeret Chamus, Rex tartarorum eorum, qui à viridi capitis tegumento denominantur, cum exercitu irrupit in Coraſanam regionem, cepitque multas pulchras & opulentas vrbes in littore Maris Caſpij. Hic traxit in eas partes Sophum, vt ſe opponeret virib. Tartarorum, quod & fecit. Coactus enim eſt ſubſiſtere Tartarus, quanquam ſimularet, ſe religionis ergo profecturum Mecham, & viſitaturum Sepulchrum Mahometi. Sed Perſa id noluit credere. Paulo poſt, cum Sermandolius Medorum Regulus fregiſſet pacta quæ cum Iſmaele iniverat, irruit in eum Sophus, vaſtataque omni regione, ſpoliavit eum toto principatu: hinc dedit negocium duobus ſuis ducibus, vt cum parte copiarum obſiderent Sumachiam vrbem, quæ vltro deditionem fecit, vt & Caſtrum Calaſtanum, omneſque arces atque munimenta, à monte Tauro vſque ad Mare Caſpium, vt omnes illarum regionum principes & dynaſtæ, perculſi metu, mutaverint colorem pileis ſeque Sophianos profeſſi fuerint.

Hæc tam illibata felicitas tantam homini apud milites ſuos conciliavit auctoritatem, vt parum abfuerit, quin eum pro Deo adoraverint: ſed & tantum in ejus ſecunda fortuna habuerunt fiduciæ, vt abjectis Clypeis in aciem prodirent, nudo pectore & brachijs, clamantes ſubinde *Schiac Shiac* quæ vox Perſarum lingua Deum ſignificat, quod

Digitized by Google

hunc teſtem cierent promptæ ſuæ voluntatis. Hoc tamen non *Schiac* etiam ipſi Sopho attributum fuiſſe, oſtendunt tituli ejus, quibus etiam noſtra memoria dictus eſt *Schiac Iſmael*. In moneta vero ejus hæc epigraphe ſcripta fuit. *La Illahe Illala, Muhamed reſul allahe*, quorum verborum ſententia eſt hæc: *Deus eſt Deus vnus, & Mahomet ejus nuncius*. In adverſo latere hæc legebantur verba: *Iſzmail halife hillahe*, quod eſt: *Iſmael eſt Vicarius Dei*. Quod ſi quis precari bene alteri voluiſſet, non aliis vtebatur verbis, vt ait Leonclaius, quam his: *Schiac compleat deſiderium tuum: faveat Schiac conatibus tuis*. Mutavit & hic Iſmael formulas precationum quas Mahometus conceperat, ſubſtitutis aliis multum à prioribus diverſis.

Vide mihi jam Lector ſtultitiam hominum, qui ob amorem hujus viri cane pejus & angue oderunt cæteros omnes Mahometi ſectatores, ſolo ſplendore nominis ejus effaſcinati. Atque vtinam non eadem inſania multos teneret, qui Chriſtiani dici volunt? Nempe is, qui omnia ſævitiæ & crudelitatis nõ ſtatuit ſed ſuperavit exempla, qui interfecit matrẽ ſuã, qui mutavit leges patrias, qui regnũ ſuum igne & ferro vaſtavit, qui alienum rapuit: is inquam pro Deo coletur, & Deus aperte ſalutabitur, tantum ideo, quia felix fuit in occidendis hominibus & perpetrandis impune ſceleribus. Sed talibus Diis Heroibuſque digni ſunt, quicunque ex hominibus Deos faciunt.

Hæc erat fortuna Iſmaelis, vt vno perfunctum bello aliud exciperet. Fuit Domus Ottomannica ab omni tempore inimica non Sophianis duntaxat, ſed & familiæ Vſuncaſſanis, eorumque anteceſſoribus, breviter fuerunt Sophiani ij ipſi qui repræſentant Caramanni poſteros, qui olim in Perſiam fuga ſe receperunt, ſemperque fuerunt internecini hoſtes Monarcharum Turcicorum, creſcente in tantum odio, quantum horum crevit potentia. Ad vetus hoc inimicitiæ genus, acceſſerunt aliæ bellorum cauſæ, duo Reges Iuvenes, Selimus Imperator Turcarum, & Iſmael Perſarum rex, vterque ambitioſus, ſtrenuus & pugnax, cupidus alieni, crudelis, felix tamen in expeditionibus. Accedit quod idem illud, quod amicitiæ & conjunctionis cauſa eſſe debuit graviſſimum bellum peperit. Miſerat Sophus Legatos ad Selymum, qui ei gratularentur optarentque felix auſpicium Imperij, & loco munerum ſimul miſerat prægrandem Leonem. Selymus qui intelligebat vel potius opinabatur, eo velut Hieroglyphico ſigno crudelitatem ſibi exprobrari, non parum iratus fuit Legatis, qui quanquam dicerent, voluiſſe regem ſuum, nobilem, magnanimam, vereque regiam beſtiam, magno Regi dono mittere: non tamen perſuaſerunt, ſed Selymus plenus irarum, cum Oratores nullo affectos honore ſtatim diſcedere juſſiſſet, miſit eis duos canes, cruento hiantes rictu & maculatis ſanguine pectoribus, quos offerrent viciſſim dono regi Perſæ, additis prætorianis militibus, qui eos ſine mora ad fines regionis deducerent.

His ad regem ſuum reverſus, Iſmael præiracundia prope amens factus, juravit conceptis verbis, hanc ignominiam ſe non invltam relicturum. Habebat autem ſecum Amuratem Zelebyn, Selymi fratris filium, qui poſt mortem Achmeti ſervandi ſui cauſa in Perſidem fugerat. Hunc primum armavit Iſmael in Turcas, qui & patrui ſui regnum ingreſſus hoſtiliter egit. Hinc ad defenſionem coactus Selymus, duxit validiſſimum exercitum in Perſicum regnum, cum Sophus nihil minus expectaret, qui jam Coraxenos populos habitantes mare Hyrcanum invaſerat: accepto autem de Turcarum irruptione nuncio, ſtatim pedem retulit. Venerant jam Turcæ vſque ad Taurim vrbem, vbi paulo poſt commiſſum eſt prælium illud famoſum ad Salderanum, in quo poſt longam & atrocem diſputationem victoria ceſſit Turcis, Iſmaele quantocyus fugere coacto, qui amiſſa maxima parte militum, omnibuſque theſauris ac impedimentis, in limoſa palude vitam ſervavit. Conflixerunt autem hi duo ann. AN. C. M. DXIII. Potitus victoria Selymus Taurim vrbem cepit, quam cum aliquandiu incolumem conſervaſſet, poſtea tamen exſpoliavit, abductis plurimis civium Conſtantinopolim. Diſcedentis Selymi extremum agmen aggreſſus Iſmael, cecidit, recepitque ſpolia & impedimenta ſua; cumque regnaviſſet annos XX. mortuus eſt anno AN. C. M. DXXV. relinquens quatuor liberos & regnum ampliſſimum nobiliſſimumque.

SCHAM, SIVE THAMAS VEL Tachmas, ſecundus Perſarum rex inter Sophianos.

His nominibus apud hiſtoriarum ſcriptores invenitur primogenitus Iſmaelis filius, qui mortuo in regno ſucceſſit. Huic graviſſima cum Turcis interceſſere bella, quorum non minima cauſa fuit quidam è proceribus regionis, nomina vlama, qui cum regi ſuo rebellaſſet, Turcarum partes ſecutus eſt, movitque Solimannum, vt cum valido exercitu ingrederetur Perſiam, qui non ſolum Taurim vrbem cepit & exſpoliavit, ſed juxta illam Propugnaculum ædificavit, quod tamen vtrumque paulo poſt Perſæ receperunt. Neque tamen hoc impedivit Solimannum, quo minus totam ſibi ſubjecerit Aſſyriam & Meſopotamiam, in primis Babylonem, vbi Coronatus eſt Rex Perſarum, per Calipham illius vrbis: Cumque hic aliquandiu commoratus fuiſſet, ſecunda vice Taurim reverſus coëgit Tacmam fuga ſibi conſulere. Huic vrbi miram Turcæ attulere vaſtitatem, auferentes ſecum quicquid rarum atque precioſum erat, & injicientes ignem vicinis locis. Sed Delimentus dux Perſa harum rerum rationem ab ijs exegit. Aſſecutus enim vltimum agmen cum impedimentis, omnes quos nactus eſt, in fruſta concidit, & Vlamam fugere coegit; quod accidit ad diem XIII Octobris ann. AN. C. M. DXXXVI. Delimentus opertus ſpoliis & plenus gloria ad regem ſuum reverſus eſt, ingenti edita Turcarum ſtrage. Sunt non contemnendi auctores, qui ſcribunt, è quadringentis millibus Turcarum (qui profecto numerus ingens eſt) qui Euphratem tranſie-

Digitized by Google

transierunt, vix octuagies mille salvos sanosque domum reversos fuisse. Post Solimannum patrem Bajazethes filius Persarum regnum invasit, sed exiguo cum effectu. Igitur Solimannus, affectus senio, cum videret diuturnum fore istud bellum, ejusque eventum ancipitem, ad pacis cogitationes conversus est. Confugerat Bajazethes Solimanni filius ad Persarum Regem : cum autem tractaretur de pace, convenit inter Reges, vt Bajazetes miser adolescens necaretur, & sic Persa prodidit supplicem, interventu pecuniæ. Regnavit Tacmas annis LIII. mortuus anno Salutis M.D.LXXVI relictis filijs duobus : Schach Ismaele, & Mehemeto cæco.

SCHACH ISMAEL III. REX E Sophianis.

Primogenitus hic superioris regis post mortem patris regnum adeptus, non diu eo lætatus est, cum obierit anno vno & mense decimo post sumtum Diadema, nulla re memorabili gesta. Alij tamen de hac re aliter narrant: Minimum natu è liberis Tacmæ invasisse regnum, cui Cordar nomen fuerit, conjectis in carcerem fratribus. Verum cum se jam in regno stabilitum videret tam remisso haberique fuisse animo, vt proceres regni eum contemnere cæperint primo, deinde odisse, postremo trucidaverint, Ismaele fratre ejus è carcere extracto & in regali Solio collocato.

36 Qui cum non satis fideret proceribus Persarum, edoctus recenti fratris exemplo, quod idem sibi contingere posse cogitaret, occultavit se in Regia, adeoque ab omnium conspectu abstinuit, vt dissipata fama mortis ejus facile credita fuerit, inprimis ab inimicis ejus, qui ea credulitate decepti, occultos hactenus affectus suos in lucem protulerunt. Verum captatores verborum in omnibus locis dispositi, de omnibus certiorem faciebant Ismaelem, qui velut novum corpus è sepulchro prodiens, apparuit malevolis suis, non vt inane spectrum, sed vt Princeps ad justam provocatus iram. Supergressus tamen omnem vindictæ modum, totam Regiam replevit cædibus, quæ sævitia novarum in regno turbarum causa fuit, accedente alia animorum exacerbatione ex nova lege, quam apud Casbin proposuerat, addita capitis pœna si quis non paruisset. Ingens igitur in eum facta est conjuratio procerum regni, cuius is fuit eventus, vt germana ejus soror, nomine Perca, quæ in conspiratione cum Principibus erat, hominem necaret. Vnde tanta in regno Persico nata est rerum perturbatio, vt nunquam propius à ruina sua abfuerit, suntque qui putant, si tum potens aliquis hostis Persicas res aggressus fuisset, neminem ei resistere potuisse. Cum autem omnia indies deteriora fierent, electus fuit in Regem Codabandes, (quidam dicunt fuisse fratrem Ismaelis) homo ignarus negotiorum regni, quibellum non viderat, lippis oculis, timidus & inconsideratus in suis actionibus, quodque pessimum erat, in nulla apud Principes existimatione. Hinc factum est, vt regnum istud, quod antea multis formidabile fuerat, postea non solum exteris, sed & vicinis populis ludibrio fuerit & contemtui.

SCHACH MAHEMEDES, COgnomento cæcus, Quartus Rex è linea Sophianorum.

In his motibus turbisque regni Persici, de quibus in superioribus diximus, pervenit ad Diadema Mehemedes, quem paulo ante Codabandem nominavimus, cui cognomen fuit Cęco, Anno Christi MDLXXVIII. talis omnino, qualem eum fuisse descripsimus, id est, ad quidvis potius vtilis quam ad regnum. Arripuit hinc occasionem Amurathes Turcarum Imperator aliquoties tentandi potentiam Persicam, misso in Mediam Mustapha Bassa, qui cepit munitissimum castrum Eres, vt & vrbes Sumachiam Deuenopiamque, factusque est eo pacto dominus prope totius Mediæ: Persæ tamen aliquam ejus partem postea receperunt. Sic omne tempus quo hic Princeps regnavit (regnavit autem annis duntaxat VI.) eiusmodi vicissitudinibus absumtum est, cum Persæ alias quidem vrbes & oppida amitterent, alias reciperent, variante simul & velut compensante fortuna clades & victorias inter vtrosque.

SCHACH EMIR HEMSA QVINTVS Rex ex Sophianis.

Rex antecessor reliquerat tres filios, primogenitus Emir Hemse Myrsa post patris obitum eligitur Rex natu minimo Ismaele Myrsa jam tũ mortuo. Verùm non diu gavisus fuit Solio paterno. Siquidem Abas Myrsæ frater, secundogenitus Choddabendæ, cum esset Gubernator Heri in Herat, præfectumq; aulæ suæ haberet Murschidculichanum virum in rebus bellicis versatissimum, hujus ipsius instinctu conspirationis cujusdam autor est contra fratrem Regem, corruptis Hemsæ aulicis, conductoque Regis Chirurgo, vt cùm tonderet barbam Regi gulam abscinderet promissis ei magnis honorum montibus Chudi igitur hoc facinus eo modo perpetrat, sed à Chanis, id est, principibus astantibus, vt à se omnem populi suspicionem hujus homicidij averterent, licet essent architecti bene cõscij, confestim & ipsum Chirurgum obtruncant, in particulas dissecant, easq; rogo impositas publicè comburunt. Facta cædes in provincia Karabach, cùm Hemse arma capere cœpisset contra fratrem, mense octavo Regni ejusdem, Anno Christi M D LXXXV. Itaque succedit ei fratricida.

SCHACH ABAS, SEXTVS REX ex Sophianis.

Cæperat hic tractare negocia regni vivo etiamnum patre : cumque ad regnum perveniisset, eripuit Turcis Taurim vrbem, exemitque bo-

Digitized by Google

nam Mediæ partem eorum jugo, ita tamen, vt ex vtraque parte aliquot clades acciperentur. Pactus hic est aliquot annorum inducias, sed tantum ideo, vt respirare posset. Paulo enim post inprimis regnante apud Turcas Achmeto, multa majore exacerbatione animorum & sanguinis fusione redintegratum est bellum. Cum vero Abbas audivisset, agitari pacis consilia inter Christianos & Turcas, misit Legatos suos tam ad Rudolfum Imperatorem quam ad reliquos Austriæ Archiduces, vt impedirent illam pacis tractationem, vt dissipatis in varia bella Turcarum viribus, ipse melius hosti illi resistere posset. Sed & reipublicæ Christianæ talia erant tempora, ea infirmitas, vt pace & tranquillitate quam maxime opus habere videretur : coactus igitur est, ipse rebus suis consulere. Neque tamen protinus à bello destitit, sed illud quamdiu viveret, continuavit.

Obijt autem Ferabati in Mesandaran provincia, quo recreationis ergo se contulerat grandævus anno Regni XLV. ætatis LXIII. Nati Christi MDCXXIX. Successit avo suo.

SCACH SEFI SEPTIMVS REX ex Sophianis.

Qua id occasione factum sit, & quomodo hucusque regnaverit, dicemus infra ad calcem Mircondiani Chronici; ibi lege historiam cum alijs quibusdam memorabilibus.

Nunc hoc loco subiiciemus Catalogum Regum eorum, qui post deletam Monarchiam (de ea enim, ejusque Imperatoribus diximus in prodromo) regno Persico præfuere ad hæc nostra vsque tempora.

LINEA ARTAXARIDARVM.

Anni Salutis.			Anni regni Menses.
228.	1.	Artaxeres sive Artaxerxes.	15.
	2.	Sapores.	31.
	3.	Ormisdates.	1.
	4.	Vardanes	
	5.	Vardanes II.	26.
	6.	Vardanes III.	0. 4.
	7.	Narseas.	7.
310.	8.	Misdates.	7. 9.
	9.	Sapores II.	70.
	10.	Artaxerxes.	11.
	11.	Sapores III.	5.
	12.	Varanes.	10.
406.	13.	Isdigertes.	21.
447.	14.	Varanes II.	20.
	15.	Varanes III.	17. 4.
484.	16.	Perosus.	20.
	17.	Valens.	4.
	18.	Cauades.	11.
	19.	Blases sive Lamazes.	2.
532.	20.	Cauades iterum.	30.
	21.	Cosroes.	48.
	22.	Hormisda.	44.
	23.	Cosroes II.	39.
	24.	Siroes.	1.
	25.	Adhæsir.	0. 7.
	26.	Sarbara.	0. 6.
	27.	Bornanes.	0. 7.
634.	28.	Hormisda. II.	4.

LINEA VSVNCASSANIDARVM.

Anni Christi			Anni regni Menses.
1463.	1.	Vsuncassanes qui & Assambeius.	11. 6.
	2.	Iaco-	

Digitized by Google

2.	Iacobus Patiſſah.	12.	
3.	Iulauer.	3.	
4.	Baſſingir.	2.	
5.	Ruſtanus.	7.	
6.	Alamutus.	3.	

LINEA SOPHIANORVM.

1495.	1.	Sophus Iſmael.	20.	
	2.	Schach Tachmas.	53.	
	3.	Schach Iſmael.	1.	10
	4.	Mehemetes cęcus	7.	
1585.	5.	Emir Hemſe		
	6.	Scach Abas.	45.	
1630.	7.	Schach ſefi.	19.	

Quod ſequitur Chronicon Mirkondi Abbreviatum, Amice Lector, tam denſum eſt & locuples rerum ac narrationum, vt ſi eas ſecundum eam, quam hactenus obſervavimus Methodum, ſigillatim perſequi vellemus, Hiſtoria nobis non Epitome ſcribenda foret, quæ ſine dubio Lectori non parum ipſa prolixitate eſſet allatura tædij, cum tamen non dubitemus quin non minus vtilitatis ex contractiore hac narratione percipi poſſit, ſi quis modo ſeriem rerum in ea contentarum probe obſervet, quæ talis eſt. Dividitur hoc Chronicon Regum Perſicorum in plures familias, facto initio à Kayumarra Arani filio, qui fuit filius Semi & Nepos Noachi, vſque ad Alexandrum Magnum. Poſt Alexandrum fuit quoddam velut interregnum LXX. annorum: poſt quod tempus Perſæ velut poſtliminio iterum dominari cæperunt, quodam ex poſteris Dareh intrante in interruptam illam ſucceſſionem, quæ deinde duravit vltra CCC. annos: vt ita familia illa primi regis Kayumarræ vltra M.CCC. annos regnaverit Vltimus ex ea ſtirpe rex fuit Iaz Degerd, qui dejectus eſt ſolio per Arabes & Caliphas Babylonicos, qui & ipſi diſtinguuntur in familias tres. Prima eſt Homaris, quæ tantum XVII. duravit annis. Secunda eſt Ben-Humyæ, quæ per LXXX. annos ſubſtitit: Cui ſucceſſit tertia, Ben-Abæ, quæ circiter annis DCXII. continuata eſt. Sed poſtremi Caliphæ non amplius niſi ſolo nomine vſi fuerunt, cum vnaquæque provincia peculiarem ſuum haberet Principem, natione Arabem: qui tamen omnes profligati fuerunt à Tartaris, primo ſub horum Principe Chingi Chamo, qui Almoſtacem Calipham poſſeſſione dejecit, quinquageſimum octavum in ordinem Caliopham, vſus duce victorioſo Ola Kukan Tartaro, qui Calipham iſtum interemit. Poſtea dominati fuerunt Magoles ſive Mogules Tartari ex poſteritate Chingis Chami per annos quaſi XCVII. Hos ſecuti ſunt poſteri Teymurlangi ſive Tamerlanis, qui tamen non ſinguli, ſed plures ſimul regnaverunt, quæ res multo intricatiorem reddit hiſtoriam per ſpacium CC. annorum. Vltimus eorum dictus fuit Mirzah Abucar, profligatus & interfectus per Kara Iſſuſt Turcomannum. Fuit regnum Perſicum eo tempore diviſum in duas partes, quarum vna dicta fuit Carakyonlu, altera Akuyonlu.

Digitized by Google

Akuyonlu. Prioris quidem possessores, postquam per annos LXIII. regnaverunt, dejecti sunt dominio per posteriores, quorum Caput fuit Azembecus, sed hujus familia non vltra annos XXXIV. duravit, venientibus Sophianis, quorum Dux fuit Ismael Sophus, qui plenum Persici regni dominium adeptus est anno AN. C. M. DI. cujus posteritas vsque ad nostra hæc tempora, per annos CXXV. rerum potitur.

ABSOLVTA succincta descriptione provinciarum Regni Persici, & Monarcharum atque regum, qui in illis dominati fuere, à Cyro primo rege vsque ad Aban, qui nostris temporibus regno præfuit, sicut illam in scriptis Historiisque tam veterum quam recentium scriptorum invenimus: Consequens est, vt eorundem regum Ordinem & successionem pertexamus, sicut reperitur in Annalibus Persicis ab ipsis Persis conscriptis, ex quibus præcipua collegit vir Persa, Caric-Mirkond, memores, nos id ab initio Lectori pollicitos fuisse.

Ait igitur Provinciam Azerbaion sive Aderbaion, vt hodie appellatur, cujus caput est clarissima & opulentissima civitas Tauris sive Tabriz, vnam esse ex optimis & populosissimis totius Orientis. Cujus in habitatores, nasci in singulos prope dies civiles dissensiones videntes, eo quod non haberent Caput aliquod sive Principē, elegerunt sibi communi sententia Regem nomine Kayumarram, qui primo deprecatus est, vt potuit, dominationem in cæteros, negans se parem isti provinciæ, postremo tamen victus importunis procerum precibus consensit. Deportatum ergo in locum publicum, induerunt novo vestitus genere, multum diverso à vulgari, inque signum regij fastigij imposuerunt capiti ejus exiguum quoddam capitium, quod Tagem vocaverunt, eratque illis quod nobis Corona regia. In signum autem subjectionis & obedientiæ, accedentes deosculati sunt manum ejus, quæ consuetudo mansit in illis partibus. Fuit autem Kayumarras iste, (si Mirkondo credimus) filius Aran, nepos Semi, pronepos Noachi, quem Persæ vocant Assani Adam, id est secundum Adamum. Hinc natus est error inter Persas, cum Kayumarras iste & ipse Adamus cognominari voluerit, postquam Rex creatus fuit, quod vulgo putant Adamum primum hominem, auctorem nostri generis primum fuisse Persarum Regem.

KAYVMARRAS PRIMVS REX Persarum.

Sicut hic auspicatus est regnum inter Persas, ita primus civilem politicamque inter suos vivendi rationem constituit, latis legibus, observatoque jure, defendens suos adversum hostes, relinquens posteris suis pacatum regnum, quo ipse potitus fuerat per annos XL.

Fuit huic Kayumarræ filius, nomine Nazek, addictus vitæ solitariæ & contemplatione rerum naturalium, qui se cum vxore sua recepit in regionem Damoandam, quæ deinde Aderbaion dicta fuit, nostroque ævo Hienak appellatur. Hunc virum profundæ scientiæ pater sæpius invisere solebat, quoties à negocijs regni feriabatur. Hic Nazek aliquando in secessu suo mortuus repertus est, pluribus concisus plagis, cum tamen neque vxor neque domestici de cædis auctore quicquam scirent. Hoc igitur complorato & pro loci consuetudine combusto, cum omnes desiderarent scire; quisnam tanti sceleris auctor fuisset: patuit postremo, fecisse id latrones quosdam, facta è vicinis locis excursione. Hoc intellecto Kayumarras, collectis vndique viribus, contra illos profectus est in regionem Macharek, obtinuitque ab illis victoriam in territorio Trabastano, vbi multis interfectis plures captivos secum domum deduxit, qui ei deinde in ædificanda Balka Civitate servorum operam præstiterunt, cujus, vt & vrbis Stahar ipse fundator fuit, in qua posteriore regiam suam habuit. Cætera quæ ipsum auctorem agnoscunt oppida hæc sunt. Ardenel, Kabulstam, Kamuz, Macroa, Nachibem, Gerion, Sagiston, & Gomes, cum nonnullis alijs, de quibus in sequentibus dicendi locus erit. Balca autem erat in provincia Vsbek, populo frequens, divitijs locuples, cives habens bellicosos, vt sunt in illis oris.

SIAMEK, SECVNDVS PERSArum Rex.

Reliquerat Nazek cum interficeretur vxorem gravidam, quæ elapso tempore peperit filium nomine Siamek, quem avus nutrivit & in legibus, erudivit patriis: cumque per ætatem videretur esse capax, constituit eum de consensu populi successorem suum. Ad extremum decedens ipse principatu, tradidit regnum in manus Nepotis sui Siamek: qui paucis diebus post cum copijs in hostes suos profectus est, quos cum armatos offendisset, prælium commissum est, in quo victoria Siamek potitus est, sed valde cruenta & pœnitenda. Sauciatus enim lethali vulnere, inque tentorium suum relatus, expiravit, gravida relicta vxore, quam juramento interposito sibi polliceri coegit, si masculum peperisset, daturam se operam, vt is mortem patris vlciscereturr. Sic regnum rursus intra manus Kayumarræ relapsum est, qui resumto adversus priores hostes bello, qui jam in Persidem irruperant, eos vicit, ingentique numero captivorum potitus est, inque iis auctoribus cædis commissæ in supe-

Digitized by Google

ſuperiores Principes. Sunt qui huic Kayumarræ tribuant inventionem plerorumque armorum, quæ apud Perſas in vſu ſunt.

OVCHAN, TERTIVS PERSARVM Rex.

Kayumarrha mortuo, Ouchan Siameki filius conſenſu totius populi ad regnum pervenit. Cumque in eo eſſet vt collectis militum copiis mortem patris vlciſceretur, & hoſtes priores in eum feciſſent impetum, pugnatum eſt haud longe à Damoanda, vbi Ouchan lapide caput ictus eſt adeo vt mori cogeretur, cum quinquaginta annis regnaſſet, & filium Thamurem poſt ſe hæredem reliquiſſet.

THAMVR DIVBAND, REX Quartus.

Ouchani patri hic ſucceſſit, cui Diubando cognomen additum eſt, id eſt Domitori, ob inſignes victorias quas contra Perſarum hoſtes obtinuit. Cumque populus multa perpeſſus fuiſſet ſuperioribus bellis, remiſit ei in triennium omnia tributa atque vectigalia: Pacis ſtudioſus hic non minus fuit quam amator belli: vnde cum regnum terſius civiliuſque reddere vellet quam id invenerat, multas bonas leges tulit ad reipublicæ vtilitatem facientes. Primus hic omnium regum creavit Primum Vizierum, quem ignari linguæ corrupte Guaſilium vocant, qui primus Magiſtratus eſt poſt Principem. Collocavit hic præſidia in finibus Regionis Aderbaion, quod omnium provinciarum regni facile princeps eſſet. Fama igitur Victoriarum & prudentiæ hujus Principis in cauſa fuit, vt multi è vicinis Principibus vltro ſub ejus venirent dominationem. Poſt hanc autem felicitatem horribilis peſtilentia invaſit has terras quæ infinitos mortales ſuſtulit, & inter alios quoque Thamurem, qui mortuus eſt in Vrbe Balca provinciæ Vsbequenſis, cum regnaviſſet XXX. annis.

IAMXED, QVINTVS PERSARUM Rex.

Hunc quidam dicunt ſuperioris fuiſſe filium, quidam fratrem, tertii patruum. Fuit autem vir ſingularis prudentiæ & intellectus, nec minus peritus artium belli, vt qui ad regnum ſeptem Provincias ſatis amplas adjunxerit, quas non tantum pacifice rexit, ſed & à morbis contagioſis repurgavit, vſus opera Medicorum per id tempus clariſſimorum, quorum vni nomen fuit Faelaſuf Rabon, alteri, Fayecha Gorres. Cumque recordaretur difficultatis annonæ, quæ regnante Thamure regnum afflixerat, conſtituit hinc inde horrea & granaria, in quibus vis ingens frumenti ad futuros vſus reponeretur. Tribuitur huic nonnullorum armorum breviorum inventio, putaturque primus apud Perſas precioſos lapillos ornatus cauſa incluſiſſe auro. Ajunt illius tempore excogitatas fuiſſe veſtes ſericas variegatas, & periſtromata quę Babylonica dicta poſtea fuere. Plurimi faciebat aromata & res odoratas, quas etiam magnis ſumtibus è locis longinquis petebat. Primum hunc vini vſum in Perſidem invexiſſe memorant, de quo narrant hanc hiſtoriam. Habuiſſe illum inter mulierum greges ancillam præ cæteris ſpecioſam, quam & ante omnes dilexerit. Hanc graviſſimo dolore capitis correptam, fruſtra omnibus medicamentis vſam, curari non potuiſſe. Poſtremo deſperationis plenam loca ſecreta & abdita quæſiviſſe, & caſu in Apothecam illam veniſſe, vbi doliolum vini repoſitum fuerit. Hic ſiti, vt in morbis fit, tentatam, bibiſſe vinum, quo facto levamen mali eam ſenſiſſe, Vnde ſæpius eo itaſſe, & bibiſſe largius, donec plene convaluerit. Cum autem hæc omnia regi expoſuiſſet, admiratum eum potionis virtutem, longe in majore precio quam ante habuiſſe liquorem iſtum.

Solebat hic rex fere habitare in vrbe Sagiſtam, vt in hac velut regni Vmbilico rectius erudiri poſſet de omnibus, quæ in regno accidebant, & omnibus conſulere. Debentur huic prima initia vrbis Syras, quæ caput eſt regionis, quæ peculiariter Perſis appellatur. In hanc vrbem tranſtulit poſtea Iamxed regiam ſuam, conſtitutis novis tribunalibus, & militibus ſingulari lege adſtrictis, vetuitque ne deinceps agreſtes & qui rus colunt, aliis publiciſve ſe immiſcerent negociis. Idem quoque de operariis mechanicarum artium cæteriſque, quocunque genere vitæ vterentur, factum eſt: vt his legibus atque conſtitutionibus regnum Perſicum floruerit creveritque pace & divitiis. Hac proſperitate factus inſolentior Iamxed, cum omnia tribueret ſuæ prudentiæ & ſolertiæ, voluit vt Deus coli atq; adorari, propoſitis eo nomine edictis per omnes regni ſui provincias, addita etiam capitis pœna. Hac ſuperbia motus quidam Ahad, dux militum primi nominis, ingentem contra eum contraxit exercitum, cui cum præfeciſſet cognatum ſuum nomine Zoahk, juſſit eum recta in regem ducere. Erat tum Iamxed in vrbe Scyras, qui profectus cum copiis occurrit alteri: ſed commiſſo prælio, victor fuit Zoahk, Iamxed vero captus ad victoremque deductus inſpectante eo jugulatus fuit. Habuit hic filiolum annorum trium, nomine Fraydhun, quem ex vxore Framaca ſuſtulerat, quæ fugiens ſævitiam victoris occultavit ſe cum filio, vt inveniri non potuerint. Nullibi reperitur, quamdiu Iamxed regnaverit.

ZOAHK PERSARVM TYrannus.

Interfecto rege, Zoahk regnum invaſit, qui fuit conſanguineus Iamxedi, ex poſteris Cayamarræ, Heluani filius, viri illuſtris, & qui genus ad reges Arabum referebat. Rerum naturalium cognitioni deditiſſimus hic fuit, in qua & excelluit, corpore tamen deformis & odioſus omnibus. Hic cum aliquandiu regnaviſſet, correptus eſt ægritudine quadam, cui Medici nihil opis adferre potuerunt. Vnde perſuaſus à Magis & veneficis in eam venit ſententiam, curari ſe non poſſe, niſi totum corpus ſanguine inungeret humano: vnde promiſcue multos

Digitized by Google

multos diversi sexus & ætatis homines in Vrbe Scyras mactari jussit. Hoc cum prudentiores vidissent, dimovere ab insania illa hominem conati, svaserunt, ut pro humano cruore arietino uteretur, multis adductis rationibus, cur huic sangvini qvã illi plus inesse crederent virtutis. His svaforibus fassus est Zoahk, arrodi sibi perpetuo à duobus colubris interanea, seque jam aliquot annos in illo supplicio transegisse, qvo cruciatu durante, vidisse se per somnium à tribus se vinciri viris, qvorum unus qvidem clava percusserit sibi caput: reliqvi duo accepto cingulo, qvo ipse cinctus fuerat, pedes ejo alligasse, & in terram Amoandam traxisse.

Territus hujus somnii atrocitate Zoahk, omnes Magos & Divinos convocavit, qvi uno ore ita interpretati sunt visum, Privandum ipsum & regno & vita, qvod apud Persas cingulum esset nota honoris & dignitatis. Metuens ergo Zoahk, ne hoc sibi per Fraidhunum Jamxedi filium contingeret, jussit eum ubiqve gentium perqviri: sed Mater Framaca satis longe amoverat filium, unde irritatus Aspenum mulieris patrem officio motum etiam interemit. Postremo Framaca, cum desperaret filium occultari diutius posse, tradidit eum bubulco, ut custodiret puerum. Hoc intellecto Zoahk ipse ad armentarium profectus est, repeturus puerum. Sed armentario jam cum puero dilapso, iratus Zoahk, magnum boum numerum interimi jussit.

Erat in Hispaona Civitate, qvæ caput est provinciæ Hieraz, qvidã vir magnæ auctoritatis & potentiæ, dictus Koah, cognomento Angar, i.e. Faber ferrarius, cujus duos filios interfici jusserat Zoahk, grandes jam & in honore constitutos. Horum interitum ut ulciscereturpater, auctor fuit in regem conspirationis, confluentibus ad eum omnibus, qvi hominem aliqva de causa oderant. Sic collecto exercitu longe lateqve provagatus provincias, non contentus spoliis, etiam urbes qvasdam cepit. Pugnavit aliqvoties contra hunc Zoahk, sed Angar semper victor evasit, captaqve Amoanda Vrbe, ubi Regiam suam habebat Zoahk, coegit regem fugere, ipse insuper Herey oppidum cepit, & paulo post etiam Carason. Est autem Herey oppidum etiam nostra ætate clarum, cum ob alia mercimonia, tum ob Mannam, qvæ ob præstantiã suam defertur Armusium, & porro per totum Orientem. Capta hac urbe Koah Angar convocatis omnibus suis, ostendit, motum se ad hoc bellum inprimis libertate patriæ, pro qva paratus esset etiam vitam profundere. Darent igitur ipsi Diadema cuicunque vellent, qvod jam in eorum esset constitutum manibus. Conclamavere universi ipsum solum esse dignum regno, qvi id virtute meritus fuerit. Negavit is se accepturum honorem cum Tyrannidis infamia conjunctum: supereſſe enim Jamxedi filium nomine Fraydhun, cui meliori jure regnum deberetur. Visus est vera dicere, assentiente multitudine cum Zoahk adfuit post se trahens exercitum. Finito conflictu Zoahk victus & ad Fraydhunum deductus est, vbi recepto clava verbere in caput mortuus est. Deinde cum ei proprio cingulo ligavissent pedes, traxerunt eum Amoandam usque, velut antea somniaverat. Est adhuc apud Persas celebris hujus regis memoria, ob scientiam rerum Physicarum & Magicarum, & qvod admodum multis annis vixerit: neq; tamen qvisqvam scriptum reliqvit, qvam diu regnaverit. Multi in ea sunt opinione, qvod hic Zoahk non alius sit quam Zoroaster, Magorum celeberrimus.

FRAIDHVN, VII. PERSARVM Rex.

Potitus hic victoria, interfecto antecessore ad regnum patrium pervenit, cumque jam non dubius esset rerum dominus, voluit, ut Koahr Angar supremum in militiam Persicam obtineret imperium, misitqve eum versus occasum: alium vero ducem Garchace in Orientis partes misit ad regionem Machareck. Functus est eo munere Koah viginti annis, qvo tempore pleraſque provincias subjecit novo regi, inprimis Hisfaon & Aderbajon, à qvibus comiter exceptus, præfecturam illam gessit per annos X. approbante rege & populo: quo tempore exacto mortuus est. Doluit amici mortem inprimis rex, qui bona qvidem ejus consangvineis reliqvit, liberos autem ejus in Regia splendide educari voluit. Ipse uxorem duxit unam è filiabus Zoahk, quem interemerat, cumque jam ante haberet filium nomine Iregen, quem susceperat ex illustri muliere Persica: sustulit insuper ex illa Zoahki filios duos, Salmum & Turum, qui avo Zoako nulla re fuerunt meliores. Et Ireges quidem erat comis affabilisqve, ac proinde ab omnibus amabatur, qvæ res patri fuit gratissima. Fruebatur tunc regnum Persicum alta pace: & Fraydhun annis morboqve se gravem videns, cum hæredem ante mortem instituere vellet, convocatis omnibus regni proceribus, eorum voluntates percunctatus est, qui communibus suffragiis in Iregem iverunt. Non displicuit hoc patri, qui tamen discordiarum materiam è medio tollere volens, ut satis faceret cæteris, dedit Salmo terras Magarebias in occidentem versas, & Turio Magarekam Orientem versus protensam. Iregi vero reliquit Persiam, Assyriam & Mesopatamiam cum titulo regio, descriptis certis limitibus omnibus his regionibus. Et Turus quidem urbem condidit, quam de suo nomine Turonam dixit, quæ postea regioni Turqueſtaniæ denominationem tribuit, quam etiam adhuc nostro ævo retinet. Sita est in littore Maris Caspii, versus orientem, in regione quæ dicitur Maurenahar. Inde traxerunt originem suam Turcæ, & inde progressi tam longe lateque protulerunt imperiũ suũ ut ita vanum sit, illos vel à Trojanis vel Tracibus derivare, cum debeant generis sui primordia Turo Fraydhuni filio: Turqueſtania enim nihil aliud sonat quam provinciam sive regionem Turi. Cæterum Salmus ac Turus acceptis provinciis, cum subesse fratri jussi fuissent, ægre admodum tulerunt, criminantes eum spurium esse: communicatis igitur viribus venerunt in regionem Aderbajon, unde per literas ad Patrem qvesti sunt, prælatum sibi fratrem, qui spurius esset: à cujus dominio

Digitized by Google

minio si ipsos eximeret, recte habiturum: sin minus, jus suum armis quæsituros.

Nunciavit hæc è vestigio Inregi filio pater, monuitque eum, vt sine mora adversus fratres veniret cum copiis. At filius pacis media bello præferens, statuit sine armis convenire fratres, multum reclamante patre. At inreges, assumtis ad se viris doctissimis prudentissimisque aulæ suæ, ignaro patre ad fratres ivit, vt eos colloquio à sententia dimoveret. Nihil gratius duobus illis contingere potuerat, qui correptum in vestigio fratrem truncaverunt capite, quo ad patrem miserunt, qui viso eo, quantopere indoluerit, dici non potest. Reliquerat Ireges filium nomine Manucherum, quem avus Fraydhun infilij Iregis locum substituit. Hic postea Salmo & Turo bellum intulit, eosque prælio devicit, vt inter cadavera cæsorum si occultare necesse habuerint, sed magna perquisiti diligentia & ad victorem deducti, vitæ finem invenerunt. Manucher enim etiamnum à pugna calens, vt equo vehebatur, tam certo destinatoque ictu percussit cervices Turi, vt ei caput amputaret: quod conspicatus Salmus, mærore & formidine exanimis collapsus est. Neque vero hi duo duntaxat mortui sunt, sed cum illis vltra XII. millia, partim cæsa partim capta fuere. Erat jam Fraydhun ætate cæcus & afflicta valetudine, ad quem cum Manucher exultans victoria ingressus fuisset, rogante sene quis esset? Sum tuus, inquit, Nepos, qui cædem Iregis filij tui vltus sum, trucidatis hostibus meis Salmo & Turo. Ad hæc verba senex amplexus nepotem, cum exosculatus juvenem fuisset, detractam capite suo Tyaram, ei imposuit, vt ei possessionem regni confirmaret. Fuit autem hic Fraydhun haud dubie laudatissimis regibus adnumerandus, sapiens, magnanimus, liberalis, & amicus eorum qui in virtute ipsi vixerunt. Autumant Persæ hunc temporibus Abrahami regnasse.

MANVCHER VIII. PERSArum Rex.

Fraydhuno mortuo Manucher ejus nepos, Inregis filius solus regno potitus est: quod cum longe lateque pateret, necesse habuit primum suum Vezier Som Narimon in partes Orientis mittere. Huic provinciam suam gubernanti natus est filius toto corpore hispidus & pilosus, cui Narimon obstupefactus novitate rei, nomen imposuit Zalo. Rex cum hoc audivisset, petiit à patre per literas, vt ad se mitteret infantem, se enim videndi ejus capi desiderio. Quod cum Narimon fecisset, consuluit rex Magos & divinos super puero, qui responderunt, fore eum virum fortem & Principi suo fidelem. Voluit ergo rex, vt in aula educaretur puer, donec ad juventuris annos perveniisset, quibus parenti vtilem præstare posset operam, qui eum cupiebat Meridionalibus regni provinciis præficere. Hic cum aliquando à negotiis publicis feriaretur, cepit eum cupido egrediendi extra Satrapiæ suæ limites, & visendi Præfecturam Cabuscanam, quæ tamen à patris sui Satrapia dependebat, qui huc miserat quendam è clientibus suis Merabaham. Hic intellecto Zali adventu, occurrit ei obviam, osculaturus manum ejus & honorifice hominem excepturus. Post sibi temporare non potuit, qui eum coram vxore sua & filia, nomine Rudabah, puella exquisitæ pulchritudinis, subinde laudaret, alias quidem pulchritudinem hominis, alias vero virtutes ejus extollens. His encomiis accensa puella, cæpit amare hominem etiam non visum, quærens, quo pacto ei suos affectus nunciaret. Postremo misit servas suas versus tentorium Zali, vt sub specie colligendorum florum darent homini causam sciscitandi, ecquænam essent? Probavit venus hoc consilium. Zalus enim cũ eas percontatus fuisset, cuinam servirent? Responderunt, Rudabæ, Merahæi filiæ, cujus pulchritudinem & concinnitatem morum ita deprædicaverunt, vt non minore in virginem accenderetur juvenis amore. Eventus hic fuit, vt cum amantes isti aliquando clam convenissent, de futuro inter se pacti fuerint matrimonio. Hoc facto Zalus reversus est in provinciam suam, quo cum venisset, tristitiæ & inquietudines hominem agitaverunt, quod abesse à se doleret amatam. Cum autem affectui repugnare amplius non posset, profectus ad patrem suum, rem totam ei exposuit rogavitque, vti secum ad regem profectus impetraret sibi matrimonii permissionem. Obsecutus pater filio, regem primo morosum & difficilem offendit: qui tamen postremo eorum consensit precibus, vt redeuntes vterque in cabustanam, celebraverint nuptias, Zalus & Rudabah, ex quibus paulo post natus est filius nomine Rostanus, de quo in sequentibus dicendi locus erit: ob hunc enim Rostanum totam hanc historiam commemoravimus.

Præfuerat jam Persarum regno Manucher in summa tranquillitate per L. annos, cum in Turquestania regione quidam Afraciabus rebellionem concitavit, quod diceret velle se vlcisci mortem Turi. Hic collecto exercitu satis valido in Persidem irrupit. Norat hoc Manucher, sed susque deque ferens, cum omnia negligentius expediret, dedit victoriam hosti suo in manus, qui fugitivo regi institit vsque ad castrum Amalum, eumque in eo circumsedit. Cum autem obsessi valide se defenderent, & obsessores nisi expugnato castro non discessuri viderentur: vicinia hyems his cupiditatem injicit repetendi Lares patrios. Quo intellecto Afraciabus maluit etiam cum suo dispendio pacisci, quam cum dedecore se recipere. Sic igitur inter eos convenit, vt Iehunus fluvius celeberrimus esset Limes inter Persiam & Turquestaniam.

Pace ad hunc modum facta, Afraciabus cum suis copiis domum rediit, & Manucher egressus Arce Sagistam vrbem regiam petijt. Nondum exauctoraverat Afraciabus suos milites, cum Manucher collectis totius regni viribus abeunti irruit. Et hic conversus magna vi in Persas ivit. Prudentius hoc bellum gessit Manucher quam prius. Ita enim cum hoste conflixit, vt eum vicerit profligaveritque, adeptus ingentem captivorum numerum. Hæc victoria longinquam Persis pacem peperit. Sunt enim qui eum ad CXX. annos regnasse existimant, post quod tempus mortuus,

Digitized by Google

Naudari filio, saluberrimus instructo præceptis, regnum reliquit.

NAVDAR IX. REX PERsarum.

Audita morte Manucherii, & intellecto, Naudarem Diadema Persicum sumsisse, Pachangus Turquestaniæ Rex, vocavit ad se filios suos, eosqve hortatus est, ne in illa mutatione rei bene gerendæ occasionem è manibus dimitterent. Primus qvi subscripsit patri fuit Afraciabus, cui jam res Persicæ notiores erant quam fratribus. Quid multis? collegit exercitum, cujus instar ad CCCC. millia hominum ascendisse creditur, tam peditum quam equitum, quas copias recta duxit Sagistam. Cujus adventu cognito Naudar celeriter ad se vocavit Som Narimon, Zali patrem qui cabulstaniæ præerat, qui satis validas, & si senex, adduxit militū copias. Cum hic ad regem venisset, deliberatum est quid facto opus esset? Somus ergo in Afraciabum perrexit, sed cum jactationes viæ per summam senectutem ferre non posset, in itinere mori coactus est: qva quidem re nihil gratius Afraciabo contingere potuisset. Naudare autem cum reliqua parte exercitus seqvente, cum utriusque patris castra non longe à se invicem abessent, prodiit in medium miles quidam Turca, provocans virum Persam ad duellum. Comparuit provocanti adolescens qvidam, nomine Cobadus, nepos Koah Angari, de quo diximus in vita Fraydhuni. Monomachiæ eventus hic fuit, ut Cobadus cæsum Turcam spoliaverit, & cum spoliis ad suos reversus fuerit. Turcæ, qvi in uno viro se victos dolebant, structa exemplo acie, Naudaris copias aggressi conseruere pugnam, quam super veniens imber mira obscuritate mixtus diremit. Animadvertit statim Naudar, se viribus Afraciabo parem esse non posse, unde celeriter ad se vocavit duos filios suos, quorum alter Thus, alter Gostam dicebatur, quibus se junxerat Carenus Cobadi frater, qui egressus Sagistana urbe, omnem familiam & supellectilem suam deportaverat in Alborkurh, quæ certa quædam est Regni Persici provincia, ubi adorari solebat Ignis.

Non fugit Afraciabum, quæ Naudar agitabat animo: unde præmisit quendam ex ducibus suis qui redintegraret prælium. Periit ibi Carenus, cæteris fuga sibi consulentibus. Nec videbatur consultum quiescere Afraciabo jam bis victori: tertio igitur aggressus Naudarem, vicit eum cepitque, interfectis multis millibus Persarum. Victoria tam illustri potius Afraciabus, misit XXX. Virorum millia ad occupandam urbem Sagistan, quæ erat Regia Naudaris, quæ statim deditionem fecit. Fama hujus victoriæ per omnes provincias Persicas sparsa, pervenit etiam in Satrapiam Merabah, qvi erat Socer Zali. Hic missis ad Afraciabum legatis cum muneribus præstantissimis, jussit ei nunciari, ducere se genus à Zoahko, ideoqve propinqvum ejus esse: Et hactenus quidem se inseruisse Persarum Regi, sed coactum & quod aliter non posset. Nunc vero conversis rebus, se fore in potestate Afraciabi, & persoluturum etiam ampliustributum, quam Persæ præstitisset. Clam autem misit ad Zalum generum suum, eique quæ gesta fuissent, exposuit: qui magna celeritate contractis copiis, magnis progressus itinerib. celerius omnium opinione ad Sagistan urbem adfuit. Hoc intellecto vehementer excandescens Afraciabus, jussit Naudarem obtruncari, qui ita mortuus est, cum tantum VII. annis regnasset.

AFRACIAB X. PERSARVM Rex.

Potitus hic ad eum modum regno Persico, statim nunciari jussit patri suo Tarquestaniæ regi, quam felicibus vsus fuisset successibus. Ipse in Persas tam acre & acerbum exercuit imperium, vt in ejus conjurarent perniciem, vocato per litteras Agarire in auxilium suum. Respondit hic, melius cos facturos, si Zalum vocarent, eique demandarent summam belli, quod hi fecerunt. Iam ver appetebat, & Zalus qui tunc apud Sagistan erat, cum quæ ad bellum necessaria erant, constituisset, misit Guechuadum, magnæ auctoritatis ducem Tabrastam versus, qui ibi bello initium faceret. Non poterant hæc tam occulte peragi, quin ad Afraciabi pervenirent notitiam: qui fratrem Agariren conspirationis participem intelligens, statim eum necari jussit. At Zalus tam odio servitutis quam cupiditate vindictæ aperte hortabatur Persas ad capienda arma, qui cum ab omnibus partibus concurrissent, congressi cum Turcis horrendum ediderunt conflictum qui per totum diem duravit cum immani hominum vtriusque partis strage, sed nox superveniens incertum pugnæ exitum reliquit. Cum igitur in castra quique sua se recepissent, continuis sex mensibus levioribus prælijs inter eos est decertatum, cum interitu multorum hominum millium. Inde invasit eos primum fames, & hanc secutus morbus contagiosus, vt vacuis, ad hunc modum castris, vtrique ad pacem inclinarent: in quam non difficulter consensit Afraciabus, contentus redire in Turquestaniam, deserta Perside, quam per XII. annos obtinuerat.

BAZAB REX PERSARVM XI.

Digresso illo detulerunt Persæ regnum ad Bazabum, familia ortum regia, qui cum jam octoginta annos natus esset, assumsit sibi collegam quendam propinquum suum, nomine Garchasef. Cumque considerasset, quot calamitates Persæ superioribus bellis perpessi fuissent, statuit omnibus modis conservare pacem, donec vixit, Sed & vltro remisit populo tributa atque jura regia, vt respirare posset, & in vsus publicos, induxit in Persidem duos fluvios ex alueis longe dissitis, quorum vni nomen est Habin, alteri Razabin. Non habuit hic ærarium, neque thesauros colligere voluit, sed distribuit eos inter mili-

Digitized by Google

milites ſuos & ductores ordinum. In vita privata aiteum Mirkondus ebrietate & gulæ deditum fuiſſe, ut qvi novarum cupediarum inventor extiterit.

KAYKOBAD XII. REX PERSARVM.

Hic ubi ad regnum pervenit, ſummum copiarum ſuarum ducem conſtituit Roſtanum Zali filium, qui cum nonnullis aliis belli ductoribus, inter quos erant Guecuad, Caraenus aliique, in inſidiis conſederunt ante Afraciabum, quem cum valido exercitu adventare acceperant. In quas, cum hic incidiſſet, in eas redactus eſt anguſtias, ut duorum dierum inducias peteret, quo tempore de pace tractaretur. Cum vero Perſæ eam abnuiſſent, commiſſa iterum pugna, & majoribus quidem quam ante animis, Roſtanus voluit, uti quis in ipſo pugnæ ardore ſibi oſtenderet Afraciabum. Sed errore quodam alium raptum vinctumque ad regem adduxit, elapſo Afraciabo: Vbi Roſtanus, cum ſe deceptum videret, plenus confuſione, ignoſci ſibi petiit, hoc genus fraudis amplius non admiſſuro. Afraciabus elapſus in Turqueſtaniam, miſit legatos de pace ad Caycobadum, quam & obtinuit. Hoc facto, cum Caycobadus theſauros ſuos militibus diſtribuiſſet, reverſus domum, ad juſtitiæ & pacis artes animum adjecit, functus boni Principis officio donec vixit. Ad extremum cum uſum oculorum amiſiſſet, accedentibus etiam aliis morbis, extinctus eſt in urbe Isfaon, ubi habitaverat, cum regnaviſſet centum annis, relicto filio hærede.

CAYCAVS QVI ET SALOMON Perſarum Rex decimus tertius.

Arripuerat ex ſuperiorum bellorum turbis novorum tumultuum materiam dux quidam militiæ Perſa, hoc rege Diadema ſibi imponente, ut Maſandroniam provinciam cum armis invaderet, qvę cauſa fuit, ut Caycaus magno collecto exercitu, eum ab omni parte circumſederit. Erat autem oppidum in quo dux ille Perſa latebat, natura & opere valde munitum, & expugnatu difficile. Stratagemate igitur utendum videns Caycaus, finxit ſibi deeſſe alimoniam pro copiis, interea fecit ut cum quibusdam obſeſſorum clanculum ageret de venditione annonæ. Horum ſvaſionibus, ut & immenſo precio, qvod pro alimonia ſolvebatur, illecti cives, vendiderunt obſeſſoribus immanem eduliorum vim, non animadvertentes, his deficientibus oppidum cito fore in Regis poteſtate. Eſt autem Maſandron oppidum primi nominis in illis oris, vicinam habens provinciam Gueylon, quæ attingit ab aquilone Mare Caſpinum. Incolæ ejus ſunt robuſti & bellicoſi, & adnumerantur populis ſubjectis Perſarum regibus.

Finito hoc bello, ſtatuit Caycaus inviſere provincias ſuas, interque illas Arabiam, inter quam & Perſidem intercedit Sinus Perſicus, in cujus extremitate occurrit Rex Arabs Perſis, ut prælio congrederetur cum Perſa, quo victus Arabs deſerta regione confugit in arcem quandam, cui multum fidebat, in quam incluſerat theſauros familiamque ſuam, cum filia exquiſitæ pulchritudinis. Ibi Arbitrorum quorundam interventu pax facta eſt, ita, ut Arabs daret filiam ſuam Caycao uxorem, quam frater ejus in Perſidem adduceret cum mille ſpecioſis ancillabus: & ita celebratæ ſunt nuptiæ cum publica lætitia.

Dum hæc in Arabia fiunt, Afraciabus rurſus facta irruptione in Perſidem, multum damni dedit: ad extremum tamen victus repulsusque domum ſe recepit. At Caycaus, conſtitutis rebus per provincias exteras, reverſus eſt in Perſidem cum Sodaba uxore, ubi Roſtanum plurimis auctum honoribus, Satrapam conſtituit Sagiſtaniæ & Kabulſtaniæ. Fuit huic regi, antequam iter in Arabiam, filius nomine Syavex, homo virtuti deditus & ob ſvavitatem morum ab omnibus delectus. Non placebat hoc Sobadæ, quæ ſemper conabatur juvenem apud maritum in odium adducere. Fingens igitur ſe amore ejus captam, nunciari hoc ei juſſit. Exhorruit adoleſcens ad rei turpitudinem, negavitque mulieri quod petierat. At hæc, cum premere propoſitum conſtituiſſet, ſciens regem in conclavi ſuo ſedere ſubtriſtem & moroſum, irrupit in id ſparſis per humeros capillis, plorans gemensque & pectus percutiens, dicens: Syauex tuus, ò Rex, honori meo vim afferre voluit. Ibi Rex imperavit, ut adoleſcens comprehenſus in anguſtum ſquallidumque compingeretur carcerem. Diſcuſſa autem cauſa Syauex innocens pronunciatus eſt, parumque abfuit, quin noverca ejus viva combureretur. Sed hanc tunc quidem preces & affectus in eam regis conſervaverunt. Invaſerat, ut ſupra diximus, Afraciabus provinciam Vsbequenſem, perveneratque usque ad Balcam urbem. Contra hanc Caycaus miſit filium ſuum cum XII. millibus equitum & peditibus totidem, juſſum per Sagiſtan urbem ire, & ſe cum Roſtano, qui etiam majorem habebat exercitum, conjungere. Syavex ab urbe Isfaon profectus, offendit Roſtanum, cum quo contulit conſilium, qua potiſſimum via in hoſtem eundum eſſet. Vbi convenit de itinere, profecti ad ſecundum milliare ab hoſte conſederunt. Miſſis ſpeculatoribus cognoverunt, Afraciabum tertia nocte dimicaturum prælio: cujus is fuit eventus, ut Afraciabus victus & male habitus tandem aliquando de pace bona fide ſervanda conſilium ceperit, ſuique à perpetua ſollicitudine eximendi. Vſus eſt ad hoc negotium quodam propinquo ſuo Garcene, qui tanta dexteritate in eo verſatus eſt, ut Syauex, Roſtanus & Conſiliarii aſſentirent, ſolo Rege contradicente, qui conditiones pacis reſpuens, ſcripſit filio, mandavitque ſeveriter, ut hoſtem perſeqveretur, & ubicunqve poſſet, prælio cum eo decertaret: qvi ſi pugnandi copiam non faceret, totum ejus agrum devaſtaret. Roſtano autem jam admodum ſeni indulſit, ut domum proficiſceretur. Paruit Syavex mandatis patria, duxitqve copias ſuas in regionem

Digitized by Google

Thus, qværens Afraciabum. Habebat hic in ſuo exercitu ductorem qvendam Ordinum, nomine Pirond Vayſa, quem Syavex familiariter noverat, qvi conſentiente Afraciabo, occurrit filio Regali. Excepit hunc comiter Afraciabus, deductumqve Syavecem in tentorium ſuum, juxta ſe in throno ſimili ſuo conſidere juſſit, utqve oſtenderet quanti eum faceret, dedit illi in matrimonium filiam ſuam quæ Franguys dicebatur.

Non placuit hoc Garceni, nec fratri Afraciabi cæterisqve Aulæ proceribus, qui dedecus iſtud interpretantes, conſpiraverunt in necem Syavecis. Nec latuit hunc conſilium inimicorum: rogavit igitur uxorem, ut, ſi ſibi aliquid accidiſſet, filium qvem paritura erat, educandum traderet viro Perſæ. Paucis poſt diebus occi us eſt à conjuratis Syavex, qvi & uxorem ejus interfecturi erant, ut tollerent id ſimul quod ferebat utero, niſi eam Pirond Vayſa protexiſſet. Hæc cum poſtea filium peperiſſet, nominavit eum Kaycotzraon, qvem & ipſum occuluit Pirondus, donec eum in Perſidem miſit, quæ magno dolore ob mortem regalis filii affecta erat, in primisque pater, qui ut ulciſceretur mortem ejus, juſſit Roſtanum cum valido exercitu in Afraciabum ire: qui & fecit id, eumque devicit, cæſo fratre ejus Garcene.

Tenebatur Caycaus Rex magno deſiderio viſendi nepotis ſui, ut & nurus ſuæ Franguys, quæ tum erat in urbe Turona. Miſit igitur eo Virum Perſam, magnæ nobilitatis & dexteritatis nomine Guynem, Gudarzi filium, qui admiſſus in urbem cum viſiſſet matrem & filium, perſuaſit ei, ut omiſſa Turqueſtania veniret ſecum in Perſidem: quod & fecit mulier, comitata duntaxat Guyne illo & Pirondo Vayſa, donec ad Aulam Perſici regis venerunt, excepti omnes à Rege, vt par eſt. Ex eo tempore videns Caycaus plurimarum virtutum ſcintillas lucere in Nepote ſuo, præfecit eum militiæ Perſicæ, remunerato largiter pro fide & ſervitiis Guyne. Magnorum hæc res in Regia motuum cauſa fuit inter Thus, Caycoii nepotem ex altero filio Frayborſo, & Caycozraon. Is enim iniquiſſime ferebat, præferri ſibi indigenæ hominem ex muliere Turcica natum, quæ gens ſemper fuerat inimica Turcis. Ita, ut Aula factiones in duas diviſa fuerit, proceribus partim illi partim huic adhærentibus. Hoc tam noxium diſſidium ut Rex Caycaus dirimeret, fecit id quod ſequitur.

Præerat circa id tempus Ardevillæ civitati quidam Bahamanus, qui factis incurſionibus totam infeſtabat Perſidem: Contra hunc Caycaus duos collegit exercitus, pari militum numero, deditque cuique ex nepotibus unum, addita conditione, ut qui prior ſuperior factus fuiſſet hoſte, vinceret alterum magnitudine & dignitate. Acquieſcente utroqve, Frayborſi filius, nulla re memorabili geſta periit. At alter, victo Bahamano, ſubjecit etiam ſibi civitatem Ardevillam, reverſusque ad regem, ſalutatus fuit hæres & ſucceſſor regni, Guynes vero ſummus dux militiæ ejus. Caycaus autem in ſolitudinem ſe recepit, cum regnaſſet, ut ſcribunt, annis CL.

Eſt autem Ardevilla vrbs celebris Perſidos in provincia Aderbaion, diſtans paucis itineribus ab vrbe Tauri ſive Tabriz, patria Iſmaelis Sophi regis clariſſimi, cujus poſteritas etiamnum noſtro ævo regnat.

CAYCOZRAO, REX PERSARUM XIV.

Hic, cum tam judicio avi quam voluntate populi ad regnum perveniſſet, volens edere ſpecimen probitatis ſuæ, primum omnium juſtitiæ legibuſque ſuum conſtare vigorem voluit, quæ vehementer labefactata fuerat ob cauſas ſuperiorum bellorum, magna in plebem ſimul vſus manſuetudine & liberalitate. Hinc indictis regni Comitiis, propoſuit ordinibus deliberationem belli Turcici, vt vlciſceretur mortem patris, Laudantibus omnibus ſuamque offerentibus operam, miſit Frayborſum patruum cumque eo propatruum Naudaris filium cum XXX. equorum millibus, vt Turqueſtaniam invaderent. Erat autem Caycozrao filius, nomine Syauex, qui ægerrime ferens inferri avo ſuo bellum, quaſi grandem aliquam injuriam accepiſſet, Turonam ſe recepit. Sed & Pirondus Vayſa, qui cum Guyno in Perſidem venerat, vxoremque ibi duxerat, ſuſceperat filium, nomine Ferudum, qui & ipſe abivit in Turqueſtaniam. Amabat Rex hunc juvenem vt filium, cumque audiviſſet, Ferudum præeſſe caſtro alicui in Turqueſtania, mandaverat expreſſe ducibus ſuis, vt illud declinarent: quod hi facere non potuerunt, itineris ratione ad id ducente. Ferudus cognito hoſtis adventu, eruptionem in eum fecit, ſed infeliciter præliatus inter primos occubuit. Magnam hęc mors regi Perſæ triſtitiam attulit, cumque Thus accuſaretur cauſa fuiſſe necis ejus, revocatum cum ad Aulam mancipavit Carceri, Frayborſo & Gudarzo bellum in Turcas continuantibus, ſed infelici ſucceſſu, victis Perſis conciſiſque immani ſtrage, pereuntibus inter cæteros LXX. equitibus, omnibus è Gudarzi familia. Neque tamen Rex propterea deſpondit animum, ſed miſſo iterum Gudarzo cum novis copiis, adjunctus eſt Thus, qui jam à rege receptus fuerat in gratiam. Vix fuerant hi egreſſi fines Perſidos, cum invenerunt hoſtem paratum ad conſligendum, Conſerta pugna tam fortiter præliati ſunt Turcæ, vt Perſæ coacti fuerint, in agrum Demonium ſi recipere, vbi omni ex parte ab hoſte cincti & circumſeſſi fuerunt.

Ad nuncium hujus obſidionis advenerunt duo alii reges vicini Turqueſtaniæ, opem laturi Turcis, vni nomen erat Halcon, alteri Changal, quæ res omnino Perſis ſpem animumque ademit. His ſuorum miſeriis intellectis Caycozrao, celeriter mandat Roſtano, vt maximis proficiſcatur eo itineribus, laturus ſuppetias perituris. Paruit hic, & Perſæ eius advętu cognito, adeo lætati ſunt, vt humum oſcularentur: cumque vtrique ſuas conjunxiſſent copias, tanta animoſitate & impetu adorti ſunt hoſtes, vt præcipuos ex iis trucidaverint, inter quos & Halcon fuit. Hac victoria non contentus

Caz-

Digitized by Google

Caycozrao, quatuor insuper distinctos exercitus misit ad pessundandam Turquestaniam. Primum duxit Gudarzus adversus Balcam vrbem, & huic negocium erat cum Pirondo Vayssa, qui in eo bello cæsus est, & caput ejus ad Regem Persarum missum, qui non est delectatus eo spectaculo, dolens ob interitum nutricii sui. Dicuntur autem in eo prælio ad C. Turcarum millia periisse, & capta fuisse, inque iis vndecim primi nominis duces. Magnis affecit Rex hic præmiis omnes eos, qui in his bellis fortiter fecerunt, donatis Frayborso provinciis, Kachensi & Macronensi, quæ sunt circa Goadelam, ad introitum sinus Persici.

At Afraciabus instaurato exercitu suo assumtoque filio, in terram Corazinam irrupit, quæ est confinis Turoniæ, vbi tunc Persæ castra habebant, sed eadem qua ante vsi Persæ prosperitate, vicerunt Turcas, extincto Afraciabi filio, coegeruntque patrem fuga se in arcem quandam recipere, cum domesticis suis: Cum autem loco illi parum fideret, & alium sibi ad receptum locum quæreret, incidit in manus Regis Persæ cum vxore sua & filiabus, quæ ante à Caycozrao captæ sed liberaliter habitæ fuerant. Afraciabus paulo post captus & interfectus finem imposuit non solum longissimæ vitæ suæ, sed & tædiosissimo bello: quo finito Caycozrao ad exemplum regum antecessorum suorum, subduxit se à tumultibus aulicis, cumque filium non haberet, subrogavit sibi Loraspum, Caycaij fratris filium, frustra contradicentibus quibusdam ex principibus, & non longe post mortuus est, cum prius omnes facultates & possessiones, quæ priores reges proceribus Persarum abstulerant, restituisset, omne æs alienum dissoluisset, pauperes sibi beneficiis obligavisset, jus vnicuique dixisset, & milites præmiis affecisset.

Hujus temporibus fuerunt inter Persas duo præcelebres Philosophi, quorum vnus dictus fuit Horez, alter Lokman. Et hujus quidem posterioris extant adhuc opera quædam, quæ sublime hominis testantur ingenium, interque ea Apologi quidam & Similitudines, non multum absimiles Fabulis Æsopicis. Putatur autem hic ipse esse, cujus lingua Persica descripta, circumfertur vita, vbi perhibetur ingens fuisse Philosophus, servus tamen domino suo fidelis & ob id valde gratus, & quod ad mortem condemnatus fuerit. Vna res est, quæ nos dubios facit, quod vulgo dicitur Iudæus fuisse, Natum est huic apud Persas Proverbium, quo dicunt, Non esse necesse, vt quis quicquam doceat Lokmannum; tanta est etiamnum fama scientiæ ejus.

LOKASPH XVI. PERSARUM Rex.

Defuncto Caycozrao, vt diximus, sine filio, pervenit hic ad regnum, qui, vt supra attigimus, fuit filius Caycai, & defuncto regi quam proxime junctus sanguine. Cum autem nimia hominis severitas vel potius crudelitas vulgo nota esset, impedimento fuere principes, ne confirmaretur in regno, inprimis obstitit Rostani pater. Pervicit tamen Loraspb, vt Rex salutatus fuerit. Primum omnium, cum provincias suas lustravisset ab vrbe Isfaon, vsque ad Balcam, misit Gudarzum cum exercitu in Mesopotamiam Syriam & Palæstinam, redegitque celeriter sub suam potestatem Babylonem & Damascum: Inde duxit versus Hierosolymam, quam Persæ vocant Beyt Almocadas, Beyt enim Persarum lingua sonat domum, & Almocadas Sanctorum. Rex ejus deditionem fecit, ea conditione, vt solveret tributum, deditq; in fidem rei multos obsides, nobilibus ortos familiis, quos omnes Gudarzus mactari jussit, cum intellexisset agitare Iudæos rebellionem adversus Regem Persarum. Postea Gadarzus collectis viribus suis, reversus Hierosolymam, valide concussit vrbem, eamq; expugnavit, in qua Persæ horribili crudelitate in cives sævierunt, deductis plurimis eorum secum in Persidem.

Fuerunt Loraspho regi filii duo: majori natu nomen erat Gustaspho, minori Zariæ. Illi erat elatum feroxque ingenium, & belli avidum, qui pertractis in sceleris societatem quibusdam nobilibus, rebellavit contra patrem, vt eum regno deiiceret. Et ab initio quidem non paucos habuit sectatores: Sed cum pater multo majorem collegisset exercitum persecutus sine intermissione filium, coegit eum, qui imbecillior erat, vniverso profugere regno. Cum paucis igitur in Turquestaniam evadens, tam bona vsus est fortuna, vt regis filiam adipisceretur conjugem, etiam ignotus: quod in hunc modum accidit.

Erat tunc apud Turquestanos perantiqua consuetudo, vt si Rex vellet filiam jungere marito, omnes in campo publico convenirent, qui tunc in Aula regis erant, quisque quam splendidissime ornatus cultusque. His ita ordine constitutis, accedebat puella nupturiens, vna manu à patre deducta, altera pomum aureum tenens, gemmis operose exornatum. Deinde constituta in loco quodam, vbi omnes procos conspicari exacte posset, cum diu multumque omnes considerasset, porrigebat ei pomum, qui quam optime placuisset: & ea quidem res efficiebat firmum matrimonii vinculum. Accidit autem, vt veniente Gustaspho, Rex elocaturus esset filiam, quæ curiositate solita cupivit novum videre hospitem: Qui adeo placuit puellæ, vt ei sine mora traderet pomum. Displicuit cum patri tum proceribus regni, quod inverso ordine peregrinus homo ignotusque ad eam venisset dignitatem, vt imposterum lege lata cautum fuerit, ne qua filia regis vlli nuberet, præterquam quem natalium commendaret splendor aut meritorum gratia,

Habebat & Rex iste præter hanc alias filias duas raræ pulchritudinis, quæ petebantur à duorum regum vicinorum filiis, quibus & pater gnatas pollicitus est, sub conditione, vt potentiores regni Principes, qui multis malis affecerant patriam, sub suam redigerent potentiam. Visa ipsis est hæc res non parum difficilis. Cum autem multa de Gustaspbi valore & virtute intellexissent, persuaserunt homini, vt ipse periculosum istud in se susciperet officium, in gratiam amicorum. Hic fingens se ad venationem proficisci cum comi-

Digitized by Google

tatu, qui videbatur proposito sufficiens, tanta dexteritate singulos dispersosque invasit, vt eos captos duobus traderet fratribus Procis, qui eos deinde stiterunt ante regem. Horum miratus Rex virtutem & prudentiam, elocavit ijs filias suas. Paucis diebus post cum in Aula regis certamina ludicra equites ederent, Gustasphi tanta fuit peritia & dexteritas, vt rex laudare eam satis non potuerit: Cui respondit Gustasphus, non esse adeo mirandum, eum hæc in ludicro præstare, qui regnum purgarit ab inquietis hominibus & perturbatoribus pacis publicæ. Rex cum hæc verba ad animum admisisset, & quomodo omnia gesta fuissent intellexisset, amplius etiam quam antea favere homini perrexit.

Interea Gustasphus, cum cogitaret, quantopere patrem offendisset transfugio suo ad hostes, qui non acquieturus esset, nisi de filio vindictam exegisset: Statuit illi bellum inferre, quo fine suasit Socero suo, vt Persarum regi vsitatum negaret tributum: quod fecit Rex Turca, misitque Legatum ad Persam, qui ei bellum denunciaret. Territus est supra modum hoc nuncio Lorasphus, cumque inquireret in auctorem, cujusnam suasionibus motus Rex Turquestaniæ hostis factus fuisset: Relatum est ei, esse quendam hominem peregrinum, magnæ virtutis, qui casu quodam factus fuisset gener regis: hunc omnis mali causam esse. Non conquievit Rex Persa, donec plenius de peregrino isto cognosceret, vbi intellexit, non alium eum esse, quam filium suum Gustasphum: de quo cum jam certus esset, misit fidum hominem ad juniorem filium suum Zariam, vt duo hi profecti ad Gustasphum, persuaderent ei, vt veniret & possessionem regni apprehenderet. Audiens de horum adventu Gustasphus, profectus ab aula occurrit eis, collocutusque cum Zaria fratre, sumsit Diadema de manibus ejus, quod pater miserat, imposuitque id capiti suo, salutatus continuo Persarum Rex ab omnibus qui aderant. Ibi demum jubet vocari Socerum suum: Qui videns generum in eo dignitatis fastigio, territus existimavit proditionem esse, qua ipse Regno everteretur. Cum autem melius edoctus fuisset, amplexus generum, non vnum lætitiæ signum edidit. Gustasphus, cum valedixisset Socero, in Persiam suscepit iter, accepta simul Carahuda vxore sua (id enim erat nomen illi, quæ ei pomum porrexerat) sequentibus multis divitiis & magno servitiorum jumentorumque numero. Excepit eum Lorasphus pater magno cum affectu, quem etiam plus postea exseruit devinctus plurimis egregiisque filii in se meritis, qui & postremo cum se regno abdicasset, reliquit ejus administrationem in manibus filii, transacturus reliquos vitæ suæ dies in solitudine, vbi & mortuus est, cum antea salubribus imbuisset filium præceptis. Dictus fuit hic Rex Lorasphus Balcanus, quòd potissimum regni sui tempus Balcæ exegerit.

GVSTASPHVS PERSARVM Rex XVI.

Fuit hic inter Principes bellicosissimos, nec minus callens artium pacis, supra modum tamen addictus cultui Ignis, vt & eos bello infestaret, qui in hoc Idololatriæ genere diversum sentiebant, inter quos Ariasphus fuit Turoniæ Rex, qui Gustasphum eo nomine per litteras reprehenderat, quod sollicitatus ab hoc ad æterni ignis venerationem fuisset. Ceperat autem hæc superstitio prima sua incrementa in Provincia Aderbaion, id est Provincia Ignis, fuitque primus hujus Sectæ inventor appellatus Zarduch, id est, Amicus Ignis. Huic igitur Ariaspho cum obreprehensionem vehementer succensuisset Gustasfus, assumto fratre suo Zazir, & filio Sphandiar, bellum intulit, commissoque prælio apud Turoniam eum vicit, cumque omnibus domesticis neci dedit: Nec mora, ipsam vrbem aggressus, celeriter captam expoliavit: Cumque rediisset in Persidem, conjecit in carcerem filium suum, Sphandiar, ob nescio quam pravam suspicionem.

Dum hæc in Perside fiunt, Ariasphus novis collectis copiis facto in regnum impetu, Balcam vrbem capit spoliatque neque eo facinore contentus penetrat interiora regni, tanta promptitudine, vt Gustasphus, dubius quid faceret, convocaret Consiliarios suos, qui vno ore suaserunt, vt exemtum carceri filium Sphandiarem, præficeret exercitui, quam tamen dignitatem hic respuit, nec carcere egredi voluit, nisi pater polliceretur, se eum hæredem regni facturum, si victor reversus fuisset. His promissis, vt & Iamasphi fratris blanditiis adductis, in Ariasphum duxit, victoriamque ab eo reportavit. Redeunti in Patriam occurrit pater, collaudatumque ob virtutem filium admonuit, parum in ea victoria esse momenti, si sorores ejus essent in manibus hostis (ceperat enim eas apud Balcam vrbem Ariasphus) & servirent servitutem. Erubuit ad hoc verbum Sphandiar, & ne quid in se desiderari pateretur, eligit ex omni quam habebat militum copia XXVI. millia, XII. millia equitum, totidem peditum, assumtoque fratre suo minimo natu Buchutano, persequitur hostem. Ibi cum facientes iter ad trivium venissent, diviserunt copias, jussitque Sphandiar fratrem suum latiorem viam insistere, quæ iucunda erat, & per læta ducebat pascua ad Turoniam vrbem, cum mandatis, vt si eo perveniisset, ad locum quendam Paruindez, ibi se quietus contineret in insidiis, Cumque sub initium noctis pro consuetudine loci multi ignes per totam vrbem incenderentur, tunc ipse quam maximo posset impetu aggrederetur civitatem. At Sphandiar assumtis quibusdam sociis per aliam ibat viam, habitu mercatorum, cumque Septimo die ad vrbem Turonam adveniissent, onusti gemmis, vnionibus aliisque mercibus preciosis, tam eleganter novit agere personam suam, vt hospitium ei in ipso Regis Palatio assignatum fuerit, Cum autem de adventu fratris cum copiis cognovisset, petijt vt sibi licere

Digitized by Google

ceret in sequentem diem Regem ejusque familiam Aulicam in proximis campis suburbanis convivio excipere : quod vbi obtinuit, excitavit per causam lætitiæ publicæ plurimos ignes sub ipsis vrbis mœnibus. Buchutan his conspectis, progressus è loco insidiarum, magna celeritate omnes occupat vias, magnoque impetu irrumpens in vrbem, horrendam edit stragem, totamque exspoliat: ipse sibi ex omni præda nihil reservat quam thronum aureum, immensi precii, gemmis vndique exornatum, & Elephantum album. His factis in libertatem asserit sorores suas, quas Sphandiar ad patrem in Persidem remisit. Ipse porro viam insistit ad Oceanum Indicum, vt cogeret, quasdam nationes amplecti superstitiosam colendi ignis ceremoniam. Reverso in Persidem patre, pro regno quod pollicitus fuerat, multas difficilimasque obiicit expeditiones, quas hic omnes magno honore feliciter confecit. Postremo mittit eum pater ad pervestigandum Rostanum, qui se in locum Siston receperat, nec præsto fuerat Gustaspho cum diadema regni sumeret. Fecit hoc filius, sed coactus, quod nihil auderet negare patri, saltem istud dixit, parum hæc convenire iis, quæ Rostano optime de rege merito jam olim promissa fuissent. Sed tamen profectus est, assumto sibi filio suo Bahamano : qui cum præcederet patrem, videt procul descendere de colle Rostanum, cui occurrit, dicitque quale illud esset agmen quod se sequeretur. Ad huius conspectum expavit Rostanus, properans tamen osculatus est manum Sphandiari: qui cum dixisset, vocari eum ad regiam : respondit Rostanus, eximi se ipsa senectute ab hac proficiscendi necessitate; cæterum si vsus foret, semper se paratum esse ad præstanda regi obsequia. Instabat Sphandiar, jubebatque senem proficisci secum, qui cum pernegaret, à jurgiis conviciisque ad arma devenerunt. Habebatur Sphandiar inter ferociſſimos & audaciſſimos omnium procerum Persarum, vnde & senem in eas redegit angustias, vt præclare secum agi arbitraretur, si objectu clypei evitaret ictus: donec in extrema constitutus necessitate, duplicatis velut viribus, tam valide Rostanus impegit ferrum cervicibus Sphandiaris, vt ex eo ictu moreretur, commendans filium suum Bahamanum Rostano, corpus vero Buohutano fratri suo, qui illud in Persidem detulit & Sepelivit. Doluit supra modum filii mortem Gustasphus, adeo, vt statuerit omni Reipublicæ administratione abstinere: Cum autem Turquestaniæ Rex de morte excursionibus vexaret Persiam, coactus est illi obviam ire, eumque repellere. Reversus domum vidit advenientem nepotem suum Bahamanum ab Sistone, quem hæredem regni dixit, ipse in locum quendam Ghozglinar se recepit, vt in Solitudine clauderet dies suos. Erat autem locus iste ob amœnitatem ei Architecturæ pulchritudinem in admiratione, vt vulgo diceretur opus Solimanni Bendavit. id est Salomonis filii David, distans à Scyra XXX. millibus. Opus Gustasphi est Asuarta Civitas, quam ipse Herbut cognominavit, mortuus anno regni sui

XXVI.

BAHAMAN DARAZDAST,
Rex Persarum decimus septimus.

Successit ergo Avo nepos Bahamanus cognomento Darazdastus, id est, Longimanus : Vocatur etiam Ardchir, estque hoc commune nomen ejus in Chronicis Persarum, quod ei impositum fuit per hanc occasionem. Cum eum mater vtero ferret, venit Astrologus quidam ad Gustasphum ejusque filium Sphandiarem, qui cum salutasset reges, conversus ad Sphandiarem, obtulit ei parvulum cophinum, ajens, munus id esse pro nascituro filio, simul excusans quod offerre per tenuitatem suam præstantius donum non posset. Cophino aperto invenerunt pauxillum lactis & farinæ : Quod quidem munus ob ipsius Astrologi sermonem adeo probatum est principibus, vt puero nato nomen inde imposuerint. Ard enim Persarum lingua est farina, & Chir lac : Vnde nomen è duabus voculis conjunctum est Ardchir. Græci Artaxerxen dicunt, suntque hoc nomine plures deinde Persarum reges vsi. Fuit hic Rex validis beneque compositis membris, habens brachium & manum dextram longiorem sinistra : in cæteris nihil ipsi defuit, quod in bono principe desiderari posset, inprimis adeo boni publici amore tangebatur, vt clam per fidem dignos homines observari juberet omnia acta præfectorum & ministrorum justitiæ, vt eos qui bene præfuissent præmiis, qui male, pœnis afficere posset.

Altero anno postquam rex factus fuerat, convocavit Ordines regni, quos palam & sine dissimulatione hortatus est, vt sine metu dicerent, quid in ipso desiderarent. Quod si quid Majestate regia indignum faceret, vti se regio solio moverent; malle enim se parere melioribus quam præesse, si boni publici ratio id exigeret. Laudavere vniversi erectum regis animum, precatique sunt ei longam vitam & omne prosperitatis genus. Ipse cum nonnullis Ordinum in privatis quibusdam gratificatus fuisset, soluit conventum.

Instauravit hic rex plurima ædificia quæ collapsa fuerant, constituitque regni negocia quam optime. Hoc facto, ad vlciscendam mortem patris sui animum adjecit. Misit igitur exercitum versus Sistan, qui cum in via esset, adfertur nuncium, Rostanum quidem mortuum esse, filium vero ejus, qui dicebatur Framaz occurrere cum copiis. Commissum est prælium atrox & cruentum, vincente ad extremum Ardchiro, qui sanguineam reportavit victoriam, fortissimo quoque à Persis interfecto. Et ab altera parte Framaz Rostani filius cæsus fuit, Zalus vero avus ejus, qui tunc adhuc in vivis erat, captus. Post hanc pugnam subjecit sibi Ardchir Sistan & Kabul, estque Triumphanti similis reversus in Persidem. Post hæc intulit per duces suos bellum Syriæ atque Palæstinæ,

Digitized by Google

suo populos illos subiiciens imperio, multosque Iudæos captivos abducens in Persidem. Habuit Ardchir filium nomine Sarram, qui multum versatus est in studiis Philosophicis Astrologicisque, quibus vt liberius vacare posset, non Aulam duntaxat & Principum regni deseruit consuetudinem, sed & ab ipsius regni administratione abhorruit, vt cum omnium ordinum indignatione diadema pervenerit ad vxorem Ardchiri, quæ tunc ferebat vterum. Hujus temporibus floruerunt in Græcia Hippocrates, quem Persæ Bocarat vocant, & Democritus, quorum scripta habent, cum operibus Platonis, quem Aphlatum nominant: Socratem Persæ fando acceperunt, eumque appellant Sokorat, vt Aristotelem Araştalim. Solent autem Persæ magni facere Græcorum scripta, omnesque habere in precio literas & litteratos, vt Ardchir solitus fuerit dicere: viris doctis Aulam regis semper patere debere.

Cum autem Rostanus vir fuerit inter Persas Illustrissimus, & jam multoties ejus facta fuerit mentio, non alienum erit, de ejus morte quædam hic narrare, quæ ei hoc pacto contigit. Habebat Rostanus fratrem nomine Chagadum, cui demandaverat, partes visitandi provincias suas, & colligendi proventus & tributa earum. Hic cum in regionem Cabul devenisset, captus est amore filiæ Præfecti, eamque à patre sibi petiit vxorem. Negavit hic filiam Chagado, eoque magis, quo magis illum instare animadvertebat. Postremo pollicitus est eam amatori, si se eximere vellet à fratris obedientia, interfecto Rostano. His ad hunc modum pactis, Sistonem reversus Chagadus, multum de Præfecto Cabulensi questus est, à quo ipse contemtus & frivole habitus fuisset. Excandescens Rostanus increpuit timiditatem fratris, collegitque exercitum, vt castigaret Præfecti insolentiam. Impedivit hanc expeditionem quibuscunque potuit rationibus Chagadus, negans opus esse exercitu, solam ipsius præsentiam suffecturam ad redigendum in ordinem hominem. Paruit Rostanus dictis, eltque profectus cum fratre & alio quodam homine fido, nomine Zanada, pauciscque servis, quibuscum provinciam Cabulensem petiit. Edocuerat de his omnibus jam ante Socerum Chagadus, qui prodiens Rostano obviam quasi excepturus eum, colloçaverat jam ante in insidiis aliquot è suis audaces homines. Ibi Præfectus propius accedens ad Rostanum, simulavit se delictorum veniam petere: cumque Rostanus ignoscere se ei dixisset, Cabulensis rogavit eum, vt secum veniret in viridarium vicinum, ibi capturus quietem, eumque deduxit in locum insidiarum. Erant autem fossæ quædam ramis viridantibus objectæ, in harum vnam delapsus est Rostanus cum equo. Videns autem se circumventum, nec vllam esse evadendi spem, rogavit eos, qui aderant, vti sibi darent arcum cum sagittis, quibus se adversus ferarum injurias defenderet, ne ab illis vivus laniaretur. Qui aderant simpliciores, dederunt ei quod petierat. At is nactus instrumenta vindictæ suæ, cum duas sagittas nervo imposuisset, tanta vi jaculatus est, vt vtrumque, & fratrem & Socerum ejus traijceret. Est autem vulgare apud Persas, duas tresve sagittas simul ab nervo mittere, vt hæcars in Rostano miranda non sit, qui ea ratione eos secum rapuit, qui mortem ei machinati fuerant, quo pacto tamen ipse perierit, historia non commemorat. Est autem Cabul peculiaris provincia, olim subjecta Regno Persico, sita in finibus Indiæ, oportebatque antiquitus eum, qui proficisci volebat à Cabul ad Lahor, vbi Regia est Magni Mogul & centrum totius Indiæ, trium mensium spacium in via consumere, ob copiam latronum, qui per immensos circuitus vitandi erant, cum nostro ævo viginti quinque diebus iter illud omne facile confici possit.

HOMAYA Persarum Regina, in ordine regum decimum octavum locum obtinens.

Post mortem Ardchiri regis administratio regni mansit penes ejus vxorem Homayam, quæ vt diximus, vterum ferebat, exactoque quinto mense puerum enixa est admirandæ pulchritudinis. Statim pro more regionis adfuerũt Astrologi, qui ex Astrorum positu de futura pueri fortuna vaticinarentur. Responderunt ii, magnorum malorum in regno eum causam fore, vt essent, qui eum illico necandum arbitrarentur. His tamen consentire maternus amor non potuit: sed cum aliter non posset, infantem in exiguis cunis positum, ciştæ ligneæ incluşit, additis plurimis gemmis aliisque rebus preciosis, vt si quis pauper in eam incidisset, iis ad nutriendum puerum vteretur: & hoc pacto imposuerunt eum Iehuno fluvio, qui capsulam cito è spectantium oculis abstulit. Appulsam ad littus arcam primus omnium conspicatus est homo pauperculus, qui in ripa fluvij linteamina lavabat. Hic primum obstupefactus novitate, cum attractam arculam aperuisset, videt in ea infantem admirandæ pulchritudinis: sed multo magis miratus est conspectis tantis divitijs, vnde facile cogitare potuit, vir magni & illustris esse filium. Sublata igitur quæ invenerat omnia, ad vxorem suam detulit, quæ magna cura educavit infantulum, eumque appellavit Darab, formato à casu nomine; Dar enim significat lingva Persica tabulam ligneam, & Ab aquam.

Aliquot annis post, cum Darabus pubertatis annos attigisset, voluit eum lotor iste linteaminum opificio alicui admovere: sed pueri ingenium longe altiora sapiebat, satisque testabatur, nequaquam humili se ortum genere, cum semper ad arma ferretur magis quam ad quidvis aliud. Hoc vbi cognovit fullo, emit ei arma & equum, exornatumque prout captus ejus erat, dimisit, vt eques alicubi faceret stipendia. Parabat tunc Regina Homaya expeditionem adversus Rumestanorum gentem, & jusserat conscribi milites. Inter hos nomen quoque suum dedit Darabus: & quanquam hoc primum ejus esset Tyrocinium, conserta tamen pugna, tam fortia edidit facinora, vt omnes ejus commilitones eum suspicerent. Confecto bello summus copiarum dux refert reginæ, vt omnia gesta fuerant, inprimis de novi militis fortitudine, quem satis laudare non

Digitized by Google

non poterat, vt Regina illius visendi teneretur desiderio. Percunctata igitur juvenem, quod ei esset nomen? & cujusnam esset filius? responsum accepit: vocari eum Darabum, patrem & matrem alium non nosse quam fullonem & ejus vxorem: post recitavit causam nominis sui, & cætera, quæ ex nutricio suo perceperat. Ex his paulatim cæpit Regina agnoscere, hunc ipsum esse filium suum, cumque jam certioribus indiciis omne sublatum fuisset dubium, tradidit ei regnum, quod ipsa gubernaverat annis XXXII. Ædificavit hæc mulier vrbem Gerbatcon, extruxitque per vniversum Persidos regnum vltra mille Pyramides, quas Alexander Macedo postea omnes dejecit.

DARAB KEBAR, REX PERsarum XIX.

Eo quem diximus modo Darabus Hormayæ filius ad regnum Persicum evectus, omnium ordinum regni consensu & publica lætitia Rex salutatus est, cum omnes egregiam, nec vanam, de eo spem concepissent. Et superabat quidem bonitate & prudentia plerosque ex antecessoribus suis, qui & ipsi bonorum Principum laudem meruerant: vnde etiam exteris Charus fuit regibus, excepto Phaylaco rege Yunoniæ (id est Philippo Macedoniæ Rege) qui inflatus multitudine victoriarum, quas à Græcis reportaverat, negabat Darabo tributum, quod majores ejus, & Iones Persarum regibus solverant. Vnde & arma sumsit, intulitque bellum Darabo, primo per duces suos, deinde ipse coram, vbi tamen victus fuit, & in Arcem quandam fugere coactus, in qua cum à Darabo obsideretur, pax inter eos facta est, vt Phaylacus, ejusque posteri quotannis Darabo & ejus successoribus solverent XL. millia librarum auri, vtque pactum istud esset inviolabile, petiit sibi Darab. dari vnam ex filiabus Phaylaci, quæ virginum eo ævo pulcherrima habebatur: quam tamen paulo post repudiavit Persa, quod male olentem duceret spiritum. Circa hoc tempus contigit, Karimath vxorem Phaylaci imprægnari (non ex marito suo, vt ajunt sed ex alio aliquo) quæ postea peperit Ascandarum sive Alexandrum. Darabus ex bello Phaylaci reversus in Persidem, paulo post mortuus est, relicto hærede Darabo filio, cum regnasset annis XXIV.

DARAB SEGVER SIVE KVCHEK, Rex Persarum XX.

Fuit hic Darabus superioris filius, cognomento Parvus, qui simul ac ad regnum pervenit, ostenditingenij sui pravitatem homo nullius fidei, sine comitate & benevolentia in suos, torva insuper & deformi facie: vnde tantum à cunctis odio habitus est quantum pater ejus amatus fuerat. Crevit autem odium Persarum in eum adeo, vt facta conspiratione statuerent se dedere Alexandro Phaylacisive Philippi filio, quem & plerique proceres invitaverunt, vt sine mora in Persiam veniret, cum maximo militum numero, inventurum eum Procerum paratos animos atque arma: vtque speciem belli haberet, suadebant, recusare tributum XL. millium librarum auri, quod pater ejus solverat. Accepit Ascandar, qui natura bellicosus erat, tam luculentam conditionem, neve dimitteret occasionem è manibus, fecit rei initium negando tributum. Darabus, qui mirabatur hominis audaciam, repetebat per Legatos ab eo debitum. Respondit Alexander, eos qui solvere consuevissent, mortuos esse. Misit igitur Persa secundam Legationem, simulque pullum Noctuinum, deinde saccum plenum lapidibus, & Abacum refertum denariis. Etsi autem non omnes vno modo harum rerum mysticam significationem accipiunt, plerique tamen ita interpretantur; per primum denotari crudam & imperitam Alexandri adolescentiam: per secundum multitudinem populorum qui Persico subsunt imperio: per tertium ingentem vim opum Darabi. Res huc redit: Ingentem esse temeritatem, Alexandrum, juvenem & exiguæ partis Græciæ dominum, bello lacessere velle tantæ potentiæ Monarcham. Est enim frequens apud Orientales ejusmodi vti figuris & similitudinibus.

Excepit Alexander hanc Legationem, cum lustraret exercitum, quem conscripserat, non quidem adeo magnum numero hominum, sed lectum ex optimis militibus quibus summa erat scientia belli cum pugnandi ardore conjuncta, cumque dona à Darabo missa longe aliter interpretatus fuisset, & in læta omina convertisset, persecutus iter suum, Asiam ingressus est, nemine admodum resistente. Extruxit idem in Ægypto juxta Portum celebrem civitatem nobilem, quam de suo nomine vocavit Alexandriam, toto terrarum orbe postea clarissimam. Cepit & Cayrum, quæ semper fuit totius Ægypti Caput, à Græcis Memphis, ab Hebræis Messrain dicta, quæque nunc corrupte à Persis & Turcis Messer dicitur. De nomine Cayri ita refert Mirkondus Persa parte quarta Historiæ suæ, vbi de religione Calipharum Cayri, variisque eorum successibus loquitur: Messer vrbem venisse in potestatem regis cujusdam nomine Mohez, qui eo ab Damasco miserit ducem quendam Iauar Caden, vti suo nomine præesset Civitati. Ad hunc majoris securitatis ergo extruxisse castrum non longe ab vrbe, idque appellasse Kayrch; in honorem illustris cujusdam mulieris, quæ ita vocata fuerit: deinde successu temporis Castrum id in eam crevisse amplitudinem, vt vetus nomen Messer prope abolitum fuerit, vt nunc per totum orbem, inprimis vero Europam, sub nomine Cayri vrbs illa norior sit.

Hinc profectus est Alexander in Armeniam, vbi accepit litteras à Darabo, quibus admonebatur, ne rem committeret ancipiti prælio, quasi Persa valde sollicitus esset de ipsius salute. Respondit Alexander, Regna & Imperia à Deo esse, qui ea det cui velit: & sic progressus venit in provinciam Aderbaion, vbi acie vicit quendam è ducibus Darabi, penetravitque vsque in provinciam Gucylon. Fuit autem hoc olim magni nominis

regnum,

Digitized by Google

regnum, sed redactum postea in formam provinciæ, & distributum in quinque præfecturas, Et Persæ quidem vocant Gueylon sive Guylon, ipsi vero incolæ appellant Endiafet, id est Indiam Albam, quod sit amæna & suavis ad habitandum respectu veræ Indiæ, habet hæc provincia portus aliquot marinos è quibus frequens est negociatio in alia regna, vsque ad Tartaros habitantes ad Astracanam fluvium, & varios Moscoviæ populos, quo plures ducunt fluvij navigabiles.

Ex hac provincia duxit Alexander exercitum in regionem Nacuduniam, cujus præcipuam vrbem excussit vastavitque vsque ad fundamenta: hinc progressus in Persidem obvium habuit Darabum cum innumerabili exercitu, vnde cruentum commissum est prælium, in quo victoria fuit penes Alexandrum fugiente Darabo ex facie, & relinquente vxores, filiasque suas cum omni Gaza regia in manibus Alexandri. Multi ex Darabi militibus sequentes regem in fuga, perierunt in fluvio qui transeundus erat, cujus reperire vadum non poterant, quo ad extremum invento, transiit Darabus ipse, & post eum copiæ ejus, quanquam innumeri homines submersi perierint. Darabus in securo constitutus loco, tam stolidus fuit vt auderet ad Alexandrum scribere, si sibi redderet mulieres filiasque suas, & reverteretur in Græciam, se ei remissurum tributum pendi solitum, & superiorum annorum debita in accepta relaturum: ipse interim mittebat ad Reges Macharecenses & Indos, quos partim beneficiarios habebat partim amicos, quorum auxilio collegit exercitum multo etiam majorem quam prior fuerat.

Intellectis propositis à Dario conditionibus, risit Alexander, nihilque respondit aliud, quam in victoria sita esse ea omnia. Sic igitur conserta pugna tertium victor Alexander, coegit Darabum fugere in Castrum quoddam munitum, vbi à quibusdam ex suis multis ictibus confossus, & pro mortuo relictus est. Alexander cum de proditione illa intellexisset, contendit summa cum festinatione ad locum vbi Darabus erat, quem cum jam animam agentem deprehendisset, & è tanto regno in eas redactum miserias, effudit lacrymas, levatisque ad cælum manibus, vocavit Deos in testimonium innocentiæ suæ. Videns hæc Darabus, & credere se ea omnia, & gratias agere victori dixit, rogavitque eum, ne parricidas regis sui esse sineret inpunitos, vtque duceret filiam suam Ruchanch vxorem, ne tot regna in peregrinas devenirent manus. Pollicitus est liberaliter omnia Alexander; at Darabus, cum multa de vitæ humanæ inconstantia & miseriis questus fuisset, quæ latius persequitur Mirkondus, expiravit; cum præfuisset regno per annos XIV.

***

MONARCHIA MACEDONVM.

ASCANDAR SIVE ALEXANDER, Rex Persarum XXI.

QVem Alexandrum nos vsurpamus Philippi filium, eum Persæ, Arabes & Turcæ Ascandar sive Scandar nominant, aliqui etiam Zulkarnek. Factus est hic dominus non solum regni Persici, sed & Græciæ, Tartariæ, Indiæ, & majoris partis Orbis Terrarum. Arabes, cum de regno Persico loquuntur, dividunt id in duas partes, appellantes vtramque Hieraken: citerior, cujus Metropolitana vrbs est Isfaon, vocatur Hieracagemy, id est Hierak Persica: altera est Babylonica, quæ constituit partem Arabiæ, complectiturque Ægyptum cum aliis provincijs, diciturq; Herak-Acaby: cum autem dicunt Hierakhen, de vtraque provincia simul loquuntur.

Ajunt autem prope omnes Persarum historici, Alexandrum non fuisse Phaylaci sive Philippi filium, sed quendam ex beneficiariis ejus nomine Colum, amore reginæ captum, aliam ad thalamum ejus commodiorem viam nescientem, trucidasse regem. Alexandrum autem assumto sibi quodam è fidissimis ducibus quæsitum inventumque Colum, sua manu interemisse: quo facto ipsum adivisse Philippum adhuc spirantem, eique sumtam de parricida vindictam nunciasse. At Philippum constituisse Alexandrum in medio Procerum Macedonum, & rogasse, vt eum se defuncto regem agnoscerent, eique parerent, jam ante per Aristotelem Philosophum in præceptis bene regnandi salubriter instituto. Atque his dictis Philippum expiravisse. 32

Igitur Alexander cum jam Persarum dominus factus fuisset, defuncto Dario duxit ejus filiam Ruchanch, quod nomen significat lumen sive candelam ardentem. Sed & administrationem regni Persici commisit cuidam ex propinquis Darabi, divisitque totam istam Monarchiam in nonaginta Satrapias, cum cuique peculiarem præfectum constituisset. Iussit idem è lingua Persica in Græcam transferri libros tres. Primo nomen est Teb. qui agit de Medicina: secundus dicitur Noiun, tractatque de rebus Mathematicis & Astrologicis (est autem Noiun Persis Stella sive Astrum) Tertius est Philosophicus. Extruxit & supra fluvium Ichun vrbem nomine Caracon, quę & alias dicitur Herat: nec non Samarcandam in Vsbequia. Constitutis ad eum modum rebus in Perside, in Orientem cum exercitu se convertit, cumque longissimas difficilimasque vias confecisset, pervenit in Indiam. Cum autem hæc omnia à diversis scriptoribus cum cura enarrata sint, non est necesse vt nos ea persequamur. Id satis constat, amplissimis rebus gestis eum mortuum fuisse apud Babylonem vrbem, annum agentem XXXVI. cum regnavisset annos XVII. Imperavit autem donec vixit, viginti duabus maximis provinciis, in tribus Orbis

Digitized by Google

Orbis partibus, è quibus tredecim Reges perpetuo ejus sunt secuti castra.

Habent autem Persæ hujus principis vitam & acta velut miraculosa, scripseruntque plures libros de ejus rebus gestis, partim carmine partim oratione soluta, in quibus vtriusque mira ingenij & venæ vbertas apparet, vel latius ostendit Mirkondus Historicus.

INTERREGNVM PERSIÆ.

Post mortem Alexandri mira confusio atque perturbatio invasit omnes ejus provincias, numeraturque interregnum in Persida LXXII. annorum quo toto tempore regnum Persicum administratum fuit per Satrapas, donec exacto eo rursum devenit in potestatem eorum, qui à superioribus regibus oriundi fuerunt, quorum sequens texitur elenchus.

CHAPVR XXII. REX PERsarum.

Elapsis LXXII. annis interregni post Alexandri mortem, elegerunt sibi Persæ regem nomine Chapur, propinquum Darabi, quanquam eum Mirkondus fratrem vocet, ex morte Persarum & Arabum, qui necessarios consanguineosque suos fratres appellare solent, vt & in sacris litteris fieri videmus. Regnante hoc Chapur nihil memorabile accidit, quod quidem historiæ annotaverint, quanquam per LX. annos eum regnasse asserant.

ARDECHIR BABACON, PERSArum Rex XXIII.

Nomen fuit huic regi, Ardechir Babacon, quod Persarum lingua idem sonat quod Abumalek, id est, Pater & Rex sive Dominus. Nominis ratio est, quod fuerit Princeps optimus, & ita regnaverit, vt nemo de eo conquerendi causam habuerit. Ajunt autem in hujus regni tempora incidere nativitatem Servatoris Nostri I. C. contra quam sententiam, etsi non pauca obiici possint, nos tamen institutæ brevitatis memores, à disputatione ista abstinebimus. Non invenimus hunc vllum bellum gessisse, totis illis sexaginta, quibus regnavit annis.

CHAPVR ZABEL KETAF REX Persarum XXIV.

Reliquit Ardechir moriens duos filios: hunc Chapur, & alium quendam minorem: cumque admodum pueri essent, Tutor iis constitutus est propinquus quidam eorum, nomine Ardechir, Hormosi filius, quam multi ex Principibus pro rege habebant, vt & à quibusdam in numerum regum refertur: sed noster Historicus ait, illum recusasse, præfuisse tamen regno magna prudentia, inter medias conspirationes & technas inimicorum. Cum autem ei tempus videretur, vocavit pupillum suum Chapur Zabel Ketaf, quem educaverat instruxeratque in virtute & justitia omnibusque rege dignis virtutibus: quibus vt nunquam deest comes invidia, cum aliquando Chapur dormiret ruri in tentorio suo, ingressus nescio quis parricida, dormientis fauces injecto fune elisit. Egredientes autem sicarij inciderunt funes, quibus tensum fuerat tabernaculum, vt ita collaberetur. Elegerant autem insidiatores isti de industria sibi noctem pluviam & intempestam, vt videretur vi ventorum dejectum tentorium obruisse regem: neque postea sciri potuit, qui tantæ cædis auctores fuerint. Luxit autem totum regnum mortem hujus Principis, cui præfuit annis LX.

BAHARON KERMONCHA, REX XXV.

De juniore fratre, quem Chapur Zabel Ketaf habuerit, supra diximus: & huic fuit nomen Baharon, quem frater Satrapam fecerat Kermoniæ, vnde est cognomen istud Kermoncha. Est autem Kermon inter præcipuas regni Persici provincias, in qua est territorium Carachonense, celebre per Orientis partes, ob merces quæ hinc petuntur. Notandum autem, magnam vim Aquæ Rosatæ hic confici, vt & apud Chiraz, Iazd & Dusgon, eamque fieri duobus modis, infusione & decoctione, deinde distillatione. Illam vocant sua lingua Persæ Gulap: hanc Arka Gul, id est sudorem Rosæ, quod nomen satis ostendit, quomodo fiat, defertur autem & distrahiturque hæc aqua ex his locis per totum Orientem.

Fiunt insuper in Persia peristromata variegata præstantissima, & quæ ob id Persica appellantur, ipsi ea sua lingua vocant Kalichey. Quæ cæteris bonitate antecellunt, fiunt in regione Iazd, tantæ excellentiæ, vt singula millenis ducatis aureis vendantur. Secundum gradum obtinent Aulæa Kermonensia, & tertium Karasonensia. Reperitur etiam in Kermonia Tutia, quæ vix alibi quam hic invenitur. Persæ vocant Tutyah, in quadam ejus provinciæ parte, quæ ab vrbe distat XII. Parasangis, vnde transportatur in plerasque Orbis partes. Conficitur autem ad hunc modum. Terram ex eo agro petitam subigunt aqua pura, deinde addunt cespitis quoddam genus, coquuntque in furno sive clibano, vt vasa fictilia coqui solent, cumque materia illa probe excocta est, poliunt eam redduntque nitidam donec induat formam Tutiæ sive Cadmiæ fossilis: hanc postea mittunt Armusium venduntque. Vnde apparet error Doctoris Garciæ, qui in Dialogis suis de Simplicibus Indiæ ait, Tutiam fieri ex cineribus arboris cujusdam, cui Gunæ nomen sit. Non negaverim, reperire in Persida fructum qui Gaon appellatur, cujus forma & magnitudo coccum cerasi refert, cooperum pellicula in flavum ex viridi vergente, vnde rerum naturalium studiosi varia conficiunt, quorum tamen nequaquam is est effectus, qui est Tutiæ sive Cadmiæ Kermonensis. Reperitur & in hac eadem provincia herba sive frutex, quam Persæ Dramch Kermoni vocant, vnde paratur præstans illud medi-

camen-

Digitized by Google

camentum, quod in officinis noſtris Alkermes appellatur.

Sed vt omiſſis his ad Baharonem redeamus, fuit is corpore ſolido & ſano, magniq; vir judicij & prudentiæ, vnde & nemo in vniverſum ejus imperio offenſus eſt, quod tenuit per annos XII. quibus prope elapſis ingens ſeditio inter Aulæ miniſteria orta eſt, ad quam componendam ipſe in medium prodire neceſſe habuit. Cumque jam omnia ſopita viderentur, quidam è ſeditioſorum numero, è media populi preſſura ſagitta eum trajecit, vt ſtatim mortuus collaberetur, dolentibus omnibus regni civibus, qui ſub rege iſto in tranquillitate vixerant.

YARDZ GERD REX XXVI.

Cum ſatis temporis luctui indulſiſſent Perſæ ob mortem Baharonis, elegerunt in locum ejus Yarzd Gerd filium ejus. Hic antequam regni gubernacula cepit, fuit in honore & precio apud omnes, ſtudens ſe præſtare comem & affabilem erga quoſvis. Rex autem factus mutavit virtutes illas in arrogantiam, crudelitatem & avaritiam: adeo inſuper implacabilis, vt cuidam cum gemitu & lacrymis veniam oranti, reſponderit, tria eſſe quæ parcere aut ignoſcere non poſſent: Ignem, Mare, & Iratum Principem. Vxorem habebat, ſed velut in perpetuo cum ea vivebat divortio, quod ex aliquot infantibus quos enixa fuerat, nullum educare potuerat. Poſtremo tamen inter media jurgia & ſtomachationes gravida facta, peperit filium Baharonem: quem pater videns vitalem eſſe, cæteris omnibus intra menſem defunctis, ablegavit à Regia in confinia Arabiæ, commendavitque eum cuidam regi, beneficiario ſuo, nomine Neaman, cui plurimum ipſe confidebat, qui puerum educatum, in ea colendi numinis ratione inſtituit, quam ipſe ſequebatur. Adoleverat jam Baharon, cum Neaman mortuus eſt, relicto hærede Manzare filio, qui patri nulla virtute ſecundus erat.

Interea dum hæc in Arabia fiunt, regnabat Yarzd Gerd in Perſide, nulli gratus, gravis omnibus, inprimis ob crudelitatem & ſævitiam, quam non mutavit vſque ad finem vitæ ſuæ. Cum aliquando contemplaretur equum exquiſitæ pulchritudinis, animal nulla manifeſta cauſa ferociens, tam valide homini poſteriores pedes, & quidem bis impegit, vt ſtatim mortuus concideret, ne vno quidem prolato verbo, cum regnaſſet ann. XXII. menſes V. Etſi autem ob interitum ejus nemo magnopere doluit, magnæ tamen inter Principes regni ortæ fuerunt diſſenſiones, cum quidam eligi aliquem ex omni procerum numero vellent, alii vero ſervari morem partium, etſi hi poſteriores metuerent ne nimium forte Baharon patriſſaret. Ad extremum pervicit factio eorum, qui eligi Regem volebant, miſſiſque ſuffragiis electus fuit quidam Cozrao, defuncti regis proximus agnatus.

Baharon interea cum hæc fierent, erat in Arabia, cumque intellexiſſet de morte patris & novitatibus, quæ in regno acciderant, communicata re cum Manzare Neamani filio, rogavit juvenem. ne ſibi deeſſet in recuperando regno jure ſibi debito, quod Cozrao injuſte vſurparet. Probavit ſtudium Baharonis, laudavitque conatum, vt dederit ei decem millia Manzar equitum, quibus cum prægreſſus eſt Baharon, ſequente Manzare cum XXX. millibus peditum, quæ copiæ in vniverſum conficiebant XL. militum millia. Adventante hoc exercitu, varie afficiebantur Perſæ: & multi quidem è principibus ſe cum Baharone conjunxerunt. Neque tamen Cozrao quievit, ſed occurrit ei cum exercitu ſatis valido. Interea non pauci erant, quibus civile hoc bellum valde diſplicebat, qui & in medium progreſſi, antequam concurreretur armis, pacem inter eos componere conati ſunt, eo eventu, vt Baharon Rex ſalutaretur, eique omnes jurarent obedientiam; inter quos primus fuit ipſe Cozrao, quem nonnulli ex Perſarum Hiſtoricis in numerum Regum referunt.

BAHARON GVR, REX PERSARUM XXVII.

Vt primum in regno patrio Baharon ſtabilitus fuit, ignovit, ſuadente Manzare, omnibus, qui in ſuperioribus turbis adverſario faverant, conſtituta Amneſtia publica. Hinc ad ſtabiliendam juſtitiam animum applicuit, & optimam adminiſtrandi regni rationem, exornans regnum multis novis ædificiis, & inſtaurans antiqua, quę collapſa fuerant. Manzari autem, cujus beneficio debebat regnum, cum prolixe gratias egiſſet, ingentia donavit munera, retento ſecum in Regia filio ejus, donec adoleſceret. Erga ſuos autem ea vſus eſt prudentia, humanitate & liberalitate, vt omnes ſe demum natos ſub hoc principe putarent, cum tam beata & firma pax in regno floreret, vt multi armis in poſterum ſibi non opus fore dicerent.

Sed dum ita in tranquillo velut ludunt Oceano & alta Malacia, accipiunt nuncium, Hakon Chinin, Tartarorum regem, conſpecto Perſarum ocio & beata vita, cum exercitu CCL. millium hominum fines regni ingreſſum, omnia agere atque ferre. Terruit hoc vehementer Principes regni cum nullæ copiæ præſto eſſent, quas tam potenti hoſti opponerent. Ad Regem igitur pavidi concurrentes, exponunt ei neceſſitatem, qui ſatis frigide reſpondit, quaſi rem non admitteret ad animum. Et eo ipſo tempore juſſit omnia parari ad venationem. Habebat Baharon in Aula ſua VII. regulos, beneficiarios ſuos, & hos ſe ad venationem ſequi juſſit. Fecerunt hi imperata, ſequutique ſunt cum comitatu ſane modico: neque vero rex ipſe vltra CCC. equites ſecum habebat, ſed ſelectos ex omni numero. Fuerunt autem ab omni ævo cum Principes viri inter Perſas, tum ipſi Reges ſupra modum dediti venationi, ingentes in id exercitium facientes ſumtus, amplitudinis & magnificentiæ hanc notam exiſtimantes. Et hæc eſt cauſa, cur Principi huic cognomen Guradditum fuerit, quod ſignificat Onagrum, quod immodicus fuerit in hujus feræ venatione. Quamvis ambiguum ſit vocabu-

Digitized by Google

cabulum hoc, & foveam quoque, sepeliendo corpori humano punctam denotet. Quod autem Gur fossam quoque significat, optime convenit cum ratione venandi apud Persas vsitata. Noverunt hi etiam Falcones cæteraque aves rapaces adsuefacere, vt Onagros quamvis magnos & feroces subigant sternantque. Avis enim delapsa inter cornua animalis, subinde ferit rostro oculos ejus, adeoque molesta est ei, vt consistere cogat, donec adsint venatores, & bestiam interimant. Vtuntur & Persæ præter canes omnis generis velocissimos, Lupis cervariis sive Lyncib. & Leopardis mansuefactis, quos caveis ligneis inclusos secum vehunt ad venationem: aliqui etiam eos dorso equorum suorum pone se imponunt, ita tamen munitis lorica equis, vt vnguibus bestiarum illarum lædi non possint. Plurimi autem faciunt venationem animalis cujusdam, quod ipsi Gazal vocant, corporis habitu capreolis nostratibus non absimile, cornibus rectis acutissimis & velut contortis, cujus mira est in cursu pernicitas. Habent & genus quoddam ferarum ovium.

Est & apud Indos vsitatum, vt feras per ejusdem generis feras venentur capiantque. Habent enim earum in domibus suis magnam copiam, quas ad eam artem mansuefecerunt, quas secum ducunt ad venationem, vt vel sui generis animalia deducant in retia plagasque, vel eas nolentes sequi pelliciant in pedicas. Vtuntur autem hac fallacia: cicures feræ, (vt ita dicam) errantes in pabulis cum indomitis, cum venatores præsto esse animadverterunt, accedunt ad feroces, & velut blandiuntur, cornua cornibus jungunt, atque inde laqueos, quos suis gerunt cornibus, ignaris fraudis iniiciunt. Mirum autem inprimis est, quod de Elephantorum in Zeylan Insula referunt, quo pacto vnius beneficio fœmellæ mansuefactæ multi indomiti mares in captivitatem pelliciantur & postea cicurentur.

Tygres magno numero habet Oriens, quas in eadem insula hoc pacto capere ajunt. Vir robustus munit sinistrum brachium vsque ad cubitum manica è laminis Chalybeis satis firmis, in dextra tenens pugionem præacutum, hinc librato saltu iniicit se animali, illudque multis in ventrem confodit ictibus: in quo certaminis genere Insulani isti tam exercitati sunt, vt plerumque feram conficiant: quanquam & multis vita ac sanguine constitit: sunt enim Tygres Orientales robustæ & supra modum feroces. Est autem apud Nayros & Malbares Indiæ magna laus, interfeciſſe tale animal. Ait Teixiera, qui totum Orientem pervagatus est, nequaquam Tygridi eam inesse celeritatem, quæ vulgo tribuatur, quanquam de sævitia nihil neget, quæ in ea sit extrema, quodcunque enim animal, si ejus præsentiam præsentiscat, noxam effugere facile posse. homini igitur quam maxime bestiam illam infestam esse, quem sciat tam celeriter currere non posse. Et hanc ait idem auctor veram esse causam, cur magis homines appetat, non quod horum sit sanguis suavior, aut carnes palato, quam cæterorum animalium gratiores. Refert idem auctor anno A.N.C.M.DC. in Malaca super fluvium Poranacam Tygrem depugnaviſſe cum Crocodyle, idemque factum esse post apud Cuamam amnem.

Sed vt ad Baharonem nostrum redeamus; is ad eum modum ad venationem instructus, recta ivit ad regionem Caraſon, vbi hostes erant, relicto domi Prorege quodam propinquo suo Narsio, quem quidam inter reges numerant. Hic cum nonnullis regni proceribus venit in eam opinionem, fugisse Regem: miserunt igitur Legatos ad Hakon Chinin, qui cum eo de pace agerent. Non repudiavit Tartarus quod offerebatur, cumque de fuga Baharonis non dubitaret, multum remisit de impetu suo, fecitque omnia in castris negligentius, vt ne excubias quidem recte constitueret. Interea Baharon, cum longius ab vrbe provectus fuisset, conversa in Regionem Aderbaion Armeniamque via, habens secum circiter II. millia equitum (ad eum enim numerum interea excreverat comitatus est) sed lectissimorum hominum, raptabat agmen suum per itinera invia & occulta, subinde captans, quid rerum hostis ageret. Cumque se haud longe ab eo abesse intelligeret, missis tribus diversis viis speculatoribus, voluit certus esse de numero hostium, & quomodo posuissent castra. Cumque illi reversi nunciassent, magna securitate & incuria omnia apud hostes agi, vt ne excubiæ quidem agerentur, Baharon ne perderet tempus, quos habebat equites, manu quidem promptos omnes, in quatuor turmas divisit, vsusque occasione obscuræ noctis cum tubæ omnes clanxissent, à quatuor partibus hostes magno impetu invasit, vt partim ab hoste inexpectato perturbati, partim nocturnis territi tenebris, desertis castris omnes fugam arriperent. At Rex Persa sine mora tentorium Tartari petit, quem invenit sibi induentem arma sed impacto in caput ejus acinace, nihil ei in posterum opus esse armis ostendit. Hinc persecutus fugientes vsque ad fluvium Iehun, magnam eorum edidit stragem. Et hic fuit finis hujus expeditionis, quam Tartarorum Rex Hakon Chiny in Persidem suscepit: quo cæso pax regno reddita est. Baharon reversus domum cum ingentibus spoliis & honore, in magna apud suos fuit admiratione, quod tantillis copiis tantum exercitum fugasset ferocissimorum hostium.

Post hæc cepit Baharonem desiderium visendi Indiam, quo profectus est comitatus paucis suorum, non tamen se Regem professus quacunque transivit, sed primarium aliquem Satrapam, qui ob quasdam cum Rege simultates discessisset ad tempus. Hic vbi fuit, addixit operam suam cuidam Indorum Regi, inter cæteros potentissimo, qui & hujus Baharonis opera aliquot victorias ab hostibus reportavit. Hujus meritis, vt rependeret Indus gratiam, dedit ei vnicam quam habebat filiam in vxorem. At Persa cum jam haberet conjugem, neque sibi amplius metuendum putaret, detracta persona, quis esset fassus est, quo quidem socer ejus adeo lætatus non est, veritus, ne id novis rebus occasionem præberet, cum Baharon jam ante plus satis ab Indis coleretur atque amaretur. Verum hic nihil tale agitabat animo, vtque Socero omnem suspicionem eximeret, assumta vxore

Digitized by Google

sua reversus est in regnum suum. Hic vbi aliquandiu quievit, misit quendam è ducibus suis, vt cum exercitu Romanorum terras invaderet, in quibus multa occupavit nemine resistente. Ipse cum alio exercitu Arabiam ingressus, hostiliter invasit regnum Hamonis, quod differt ab eo, quod Aiaman dicitur, quanquam vtrumque vicinum sit regno Sabæ, vnde orta fuit regina illa quæ Hierosolyma venit ad audiendum sapientiam Salomonis, quæ via non est adeo longa. Neque enim mulier illa ex Abyssinorum regno aut Æthiopia in Palæstinam venit, quæ sunt regna longissime inde distantia. Hic cum potitus victoria nocte quadam fugientes persequeretur Arabes, incidit cum equo in paludem quandam, in qua suffocatus periit, nec inventus postea est; cum enim nocte id fieret, sciri à Persis non potuit. Vbi diluxit, magna eum quæsiverunt diligentia, sed frustra. Hic fuit exitus Regis Baharon Gur, cum regnavisset annis XXIII.

YAZD GERD, REX PERsarum XXVIII.

Extincto Baharone patre pervenit hic ad regnum, qui Narsium propinquum suum constituit Administratorem Regni, vt & pater ante fecerat, adeo vt jam tertium præfuerit regno, vnde mirandum nō est, si inter reges numeratur. Fuit hic Yazd Gerd tam amans justitiæ, vt nihil vnquam in judicio gratiæ vel offensæ dederit, vnde & dilectus fuit ab omnibus donec vixit. Anno regni sui XIV. duxit exercitum adversus Romanos, sed cum res componeretur, à prælio vtrique abstinuerunt. Habuit hic rex filios duos, priori nomen fuit Phoruz, posteriori Homoz, quem pater tenerius amabat, quā majorem, cupiens etiam ei post mortem suam regnum relinquere. Hæc causa fuit, cur Pheruz ablegatus fuerit, vt gubernaret provinciam Nimrus, & per absentiam ejus nemo esset, qui alterius successioni contradiceret. Sic regni sui anno XVIII. mortuus, reliquit filium minorem successorem. Fuit huic additum cognomen Sepaphdux, id est, Amicus Militum.

HOMOZ PERSARVM Rex XXIX.

Non patris duntaxat electione, sed & totius populi consensu hic Rex factus est, quem tamen cito post promtitudinis in eum pœnituit. Fuit enim Homoz ingenii maligni, quod tamen artificiose dissimulaverat, donec ad fastigium regiū conscendit: vnde primus populi in eum amor cito in odium conversus est. Hoc vbi intellexit Pheruz frater major natu, quem pater injuste regno everterat, contemnendam occasionem eam minime ratus, adjuvantibus amicis, inprimis Abtelæ rege, quem Pherus data parte quadam provinciæ sibi obnoxium fecerat, vt sibi cum XXX millibus equitum præsto esset, Persidem ingressus est. Occurrit huic Homoz, eique pugnandi copiam fecit, sed cæsus fuit exercitus ejus, & ipse vivus captus. Paucis diebus jussit eum Pheruz è medio tolli, cum non nisi per annum rex fuisset.

PHERVZ, REX PERSArum XXX.

Cum hic cæde fratris regnum adeptus fuisset, studuit ijs, quæ necessaria sunt ad optimam regni gubernationem. Cum frater ejus Homoz adhuc in carcere detineretur & novis rebus adversus fratrem regem studeret, pellectis in societatem quibusdam è domesticis ejus, jussit rex ex ijs convictos tres capitis supplicio affici. Initia regni hujus fuerunt infamia ob ingentem siccitatem, quæ totis VII. annis Persidem afflixit, & tanta fuit, vt non solum fontes exaresceret, verum etiam quædam flumina, suntque qui de Iehuno & Degila, id est, Tygriadem dicant.

Vnde multi homines, multo plures vero pecudes siti defecerunt, & campi pleni fuerunt avibus siti enectis, accedente etiam fame, cum terra exusta nihil gigneret. Pheruz, cum omnia fecisset, quæ ad sublevandam populi calamitatem facere poterant, postremo vim ingentem populi convocavit, quibuscum in publico dies noctesque divinum Numen precibus fatigavit, donec pluviam impetraverunt, vnde terra fœcunda facta est.

Post hęc venerunt quidam populi ad regem hunc quorum Rex Abtelæ depopulatus fuerat agros, & petebant ab eo opem. Erat autem hic ipse cui dederat Pheruz regionem Mermerdam pro XXX. millibus equitum, quibus ipse sibi regnum vendicaverat.

De hoc Abtelæ rege tradunt Historici Athio & Turnamirus esse eundem Euthalitarum regem, in cujus fossis periit Pheruz rex, quę ab eo eventu Pheruzæ dictæ fuerunt.

Et sane vocant Persæ Euthalitas Abtelah, significatque vtraque vox Nationem Septentrionalem. Auditis igitur, vt diximus, querelis de illius regis excursionibus, statuit ei inferre bellum. Cognitis his Rex Abtelæ, valde perturbatus fuit animo, vt quem non latebant Pheruzi vires. Quidam vero ex Satrapis ejus, cum angi dominum suum mente intellexisset, dixit se exempturum eum hac sollicitudine, si ipse post mortem suam hujus beneficii memor esse vellet, & dignam vxori liberisque suis rependere gratiam. Hæc vbi rex omnia pollicitus fuisset, digressus ab eo Satrapes, jussit sibi amputari manus, pedes, nares & auriculas, & ad hunc mutilatus modum deferri voluit in recessum quendam, qua sciebat transiturum Pheruzi exercitum. Hunc cum velites, qui præibant copias, conspicati fuissent ad Pheruzum detulerunt, qui motus atrocitate spectaculi quæsivit, quis & à quo tam male tractatus fuisset? Respondit is flebili voce, esse se Satrapam & Consiliarium regis Abtelæ, quem cum videret totum esse in apparatu belli adversus Persas, monuisse se, consideraret etiam atque etiam quæ moliretur & omitteret rem tam dubii eventus: illum fidem suam affectumque tam iniquo accepisse animo, vt se jusserit ad hunc modum truncari, & in sylvam abiici, vt à bestijs devoraretur. Hoc esse præmium admonitionis suæ. Expavit ad hanc crudelitatem hominis Pheruzus, cumque de ver-

Digitized by Google

de verborum veritate non dubitaret, solatus est hominem verbis, dixitque, brevi se ulturum in Tyranno & hoc & alia ejus generis flagitia. Egit quas potuit eger gratias regi, cumque rex ab eo digredi vellet, fingens magno se Satrapes teneri vindictæ desiderio, dixit se eum, si sequi vellet, breviori via deducturum, ita ne ab hoste conspici posset. Persuasus Rex jussit illum ante agmen ferri, omnesque subsequi copias. Lusit autem mutilus iste tam dextre personam suam, vt Persas in ea loca deduxerit, vbi magna pars siti periit, & cæteri cum ipso rege in Euthalitarum potestatem pervenerint: quorum rex insigni in Persas vsus clementia, omnes liberos dimisit, vnum duntaxat pactus, ne rex Pheruzus sibi suisque deinceps bellum faceret, neque ipse per se, neque per duces suos: quod hic libertatis desiderio promisit.

Sed nihil horum servavit Persa. Vix enim domum reversus, magnum conscripsit exercitum, vt iret denuo in Abtelæ regem, quanquam omnes qui ei aderant, omnibus modis deterrere hominem conarentur, Frustranea tamen fuerunt horum & consilia & preces. Misit enim qui vocarent ad se quendam ex propinquis suis, Satrapam Sistomensem, nomine Sufaram, cui commisit cum gubernationem regni, tum curam filiorum suorum, Belacis & Cobadi: ipse assumta filia sua raræ pulchritudinis cum exercitu profectus est.

Vbi ad fines Abtelæ Pervenit, occurrit ei Rex, impediturus ne progrederetur vlterius, monuitque simul eum, recordaretur pactorum, sed hæc clausis accepit Pheruz auribus. Fecerat autem Rex Abtelæ hinc inde juxta viam profundas fossas, easque aqua repleverat, & tanto texerat artificio, vt facile laterent, cumque videret Pheruzum ab insania dimoveri non posse, simulavit se fugere. At militibus Persis crevit audacia insequendi, non præmissis ob festinationem exploratoribus vlarum, vnde plerique in fossas illas præcipitati perierunt cum Pheruze rege, qui per XXVI. annos regnaverat.

At Sufara Prorex, intellecta clade regis sui, contractis magna celeritate copiis progressus in Euthalitas, coegit regem eorum pacem petere, ita vt redderet captivos, spolia & Pheruzi filiam, quam valde invitus reddidit Euthalita, quod eam valde amaret. Sufara victor domum reversus, regem fecit Belacem, majorem Pheruzi filium. At minor Cobadus, cum se eo pacto à Sufara injuria affectum quereretur, ad Turquestanię regem confugit.

BELAX REX PERSARUM XXXI.

Et sic quietus possessione regni gavisus est Belax. Cobadus autem in Turquestaniam fugiens, assumserat sibi Bezarmeherem, Sufaræ filium, amicissimum suum, qui vxorem familiamque suam habebat in Nichabur. Hic ergo exoravit Cobadum, vt huc ex via deflecteret, vt eum hospitio excipere, & abstergere molestias aliquo modo possit: cui paruit Cobadus. Habebat autem Bezarmeher ille filiam admodum formosam, quam vbi Cobadus vidit, illico deperire cœpit: quod ipsum id erat, cujus gratia Cobadum in domum suam invitaverat: obtulit ergo eam Principi, qui nihil pluribus optaverat votis, duxit eam vxorem, ex qua vertente anno sustulit filium nomine Anuchiron.

Celebratis ita nuptiis, commoratus aliquot diebus apud Socerum Cobadus, relicta apud patrem vxore, perrexit in Turquestaniam, quo cum venisset, dedit se in familiam & clientelam Hakon Chini, qui tunc ei regno præerat, exactoque in aula ejus quadriennio, petiit pro præmio præstitorum officiorum exercitum sibi dari: quem vbi impetravit, duxit Cobadus in Persidem adversus Belacem fratrem suum, qui tunc omnibus gratus regnabat.

Divertit autem Cobadus ad Nichabur, vt viseret vxorem suam & filiolum, quem nondum viderat: dumque vlterius proficiscitur in Persidem, accipit nuncium de morte Belacis fratris sui, qui tantum per V. annos regnaverat.

Est autem Nichabur provincia subjecta regno Persico, sita intra Carason, Vsbek & Tartar, ampla quidem, sed plena campis sabulosis & desertis. Hæc est ea provincia, in qua Persarum historici referunt, Tamerlanem vno die morti dedisse CCCC. millia hominum. Inveniuntur & ibidem gemmæ, quæ Turquesiæ vocantur, nullibique per regnum totum perfectiores gemmæ reperiuntur, quam hic excepto Bezoare, qui in Perside est optimus. Vocant autem Persæ lapidem Bezoar per excellentiam Pazahar, id est, Antidotum. Zahar enim generale nomen est, significatque Virus vel Venenum. Est in quadam Persiæ provincia, nomine Stabanom, civitas Lara, in cujus campis frequens nascitur planta, herbæ Croci non absimilis, quam depascunt arietes illius loci. In horum ventriculis generatur certus lapis, qui cæteris omnibus ob virtutem & præstantiam præfertur, quos lapides maximi fecit Schach Abas, inter postremos nostri seculi reges. Virtus est huic lapidi à nutrimento animalium: arietibus enim in aliam terram translatis, non amplius ingeneratur iste lapis. Qui habitant hanc provinciam, nullos habent in capite pilos. Observavit hoc quidam ex ministris Abæ regis, petiitque ab eo in servitiorum suorum præmium, vt singuli Calui in regno ejus sibi singulos solverent ducatos aureos. Hanc petitionem, cum videretur ridicula, is facile obtinuit. At hic, qui hujus tam vastæ provinciæ incolas omnes caluos noverat, brevi tempore ingentem vim auri acquisivit. Lapidem Bezoar, qui ex America ad nos affertur, auctor noster nullius precii esse existimat.

COBADVS REX XXXII.

Mors Belacis in causa fuit vt Cobadus pro hoste Rex ingrederetur in Persidem, tranquillamque regni acciperet possessionem, cum frater successorem non reliquisset filium. Omnes ergo in occursum ejus progressi, testati sunt in excipiendo eo benevolentiam. Præfuerat interea regno Sufarax, qui ob virtutem & bonitatem omnibus cha-

Digitized by Google

rus fuerat, excepto solo Cobado, qui eum in tanto fastigio auctoritatis constitutũ torvis intuebatur oculis, semperque cogitabat, quo pacto eum humiliaret & opprimeret penitus. Hoc autem cogitabat perficere opera audacis cujusdam in Aula sua militis, quem in consensum mortis Sufaracis pellexerat. Hunc cum ille aliquando inviseret, post varia colloquia primum ad jurgia, deinde ad arma devenerunt, in quo certamine Sufarax ab altero cæsus fuit.

Cum jam circiter X. annos Cobadus regnavisset, surrexit in Persida quidam nomine Mezdak, qui venerat è regione Stahal, qui conabatur novam introducere in regnum Sectam, plenam absurditatum & superstitionum circa adorationem Ignis. Appellabat se hic Prophetam, fingebatque, esse sibi privata cum Igne isto colloquia, ex quibus multa de futuris eventibus disceret: & hæc quidem ita jactabat, vt multis è vulgo persuaderet, cum præsertim alia quædam in medium proponeret: exempli gratia, vt res omnes inter vnius Sectæ homines communes essent, etiam vxores liberique: ne quid vivum interficeretur; aliaque absurda. Et multi quidem, cum fallacias ejus nondum satis cognovissent, amplexi sunt illius dogmata, inter quos ipse Cobadus Rex fuit, qui omnes, quotquot hunc Pseudoprophetam sequebantur, honoribus præmiisque affecit, ipse vero eum vt virum sanctum venerabatur. At viri Principes & prudentiores in regno, videntes quantum hæc res damni post se traheret, dolebant regem ita circumventum fuisse: quamobrem rogabant eum, vt à se amoliretur hominem, vel etiam è medio tolleret. Cum hoc sæpius ab eo petiissent, nec monitis precibusque suis locum dari viderent, indignati regno Cobadum privaverunt, eumque carceri firmissimo incluserunt, dato Diademate cuidam Iamaspo, agnato ejus, qui tamen inter reges non numeratur. Cobado capto, conabantur Persæ Mazdakum è medio tollere, sed non poterant eum interimere, quod ingens multitudo hominum eum sequeretur, quanquam postremo successerit, vt sequetur.

Habebat Cobadus Sororem pulcherrimam, cujus ipse captus amore, thalamo potiri volebat: quod & dispensatione Mazdaki facile obtinuit, qui in his talibus non nimis erat scrupulosus. Videns hæc fratrem eundemque maritum suum captivum, sentiensque duplici se jure ad ejus amorem obligari, quæsivit, qua ratione eum carceri eximeret. Tandem visa sibi est modum cæteris commodiorem reperisse. Vestita igitur vestibus pretiosissimis, gemmis & auro ornatis, quibus nativæ pulchritudinis adjuvabatur splendor, ivit in Cobadi carcerem, cum donis ac promissis, quæ prope honestati repugnabant, vnde tantum à custodibus nacta est licentiæ, vt dormiret ea nocte cum marito, qua finita, jussit per famulas colligi lectum suum, iisque involui Cobadum, inque suam deferri domum. Ipsa interea erat in excubiis, vt daret marito tempus ad evadendum: qui se tam celeriter in locum tutum recepit, vt nemo eo quidem tempore persenserit. Deserto igitur regno Persico contulit se ad Abtelæ regem, sperans se ejus auxiliis sublevatum iri, qui eum humaniter quidem excepit, copiis tamen militaribus non adjuvit.

Aliquot tamen annis post dedit ei XXX. equitum millia, quibus cum aliam manum adjunxisset, intravit in Persidem. Ex hoc ejus adventu magna contentio orta est inter cives regni, an recipiendus esset: aliis vt amicum venisse asseverantibus. Postremo vicerunt ij, qui omni cum submissione eum recipiendum esse affirmabant, fuitque primus qui se ei submisit Iamasphus, in cujus manibus administratio regni fuerat. Hanc viri spontaneam subjectionem ita remuneratus est Cobadus vt omnium delictorum perpetuam faceret gratiam. Quod à bellis superfuit ei temporis, in constituendam justitiam convertit, curiosus inprimis in excitandis ædificiis erigendisque vrbibus, inter quas sunt Bardahet Guania. Periit consumtus morbo cum XLIII. annos regnavisset.

KEZERE ANVXIRON REX PERsarum XXXIII.

Kezere Anuxiron sive Anuchiron, sive denique Nauchiruan (his enim nominibus à variis appellatur) Cobadi filius fuit, ex Zarmechera vxore, post patrem rex factus. Multæ magnæque fuere hujus viri virtutes, quæ ei tam apud suos quam exteros claritatem nominis pepererunt. Primum omnium condemnavit ad mortem Mezdakum Prophetam omnesque ejus sectatores: quod quidem judicium tanta severitate exercitum est, vt intra parvum temporis spaciũ omnes sublati fuerint, quanquam ob multitudinem extingui non posse visi fuerint. Ipse vt minore labore regnum gubernaret, divisit id in quatuor summas præfecturas, quibus præfecit viros ex omni Principum numero lectissimos, Primus Satrapes sub se habebat provincias hasce: Carason, Sagistam, Kermon, Maurenahar. Secundus Isfaon, Kom, Aderbaion & Armeniam. Tertio suberant, Parc sive Persis & Ahuva. Quarto Hierac, Babylonia & Rumestania, id est pars Græciæ. His ad hunc modum constitutis copias conduxit, quibus acquisivit Tachastar, Zabulstam, Iugonyan, Kabulstam & Abtelam. Talia agitantem Tartarorum Rex Hakon Chiney interpellavit, qui cum magna Tartarorum manu ingressus regnũ ejus, sibi subjecit Berchach, Fernam, Kaich, Nesaf, Samarkand, Bokara, Est autem Samarcanda vrbs valde potens in territorio Maurenahar, vnde Tamerlanus ortus fuit, Princeps per omnem prope terrarum orbem celeberrimus. Natus hic fuit non patre latrone aut viarum insessore, vt vulgo nugantur, sed parentibus nobilibus, ex sanguine Chingi Cham Tartarorum Regis, de quo in posterioribus dicendi locus erit. Pervenit autem ad regnum, non pulchritudine corporis, fuit enim luscus & gibbo deformis: sed ob strenuitatem in armis & pugnacitatem, quibus virtutibus etiam dominum se constituit magnæ partis orbis habitabilis: comis & benignus in eos, qui se sponte dedidissent: sævus ac immanis in eos qui restitissent. Nomen ejus proprium fuit Teimur, cognomen

Langh;

Digitized by Google

Langh, id est, Claudus. Hinc videmus, unde corruptum istud Tamerlani nomen ortum fuerit. A Persis vulgo vocatur Sahaybkaron, id est, dominator fortunæ. Extat de eo liber peculiaris lingua Persica scriptus, stylo valde eleganti.

Reliquit hic moriens plures filios, qui divisérunt inter se terras patrias: quin & Magnus Tartarorum Mogul, quem Persæ potentissimis Mundi Monarchis adnumerant, quique nunc rerum inter Tartaros potitur, creditur esse octavus ab isto Teimur langh, descendens linea directa. Nomina Monarcharum istorum, qui Persicum imperium obtinuerunt, sunt hæc: Turcæ, Persæ, Tartari, Chinenses, & Mogules, quorum potentia porrigitur à Gange fluvio vsque ad regnum Macronium in sinu Persico, quo in spacio comprehenduntur plurima regna & provinciæ opulentissimæ.

Est autem ipse quidem Mogul minime Christianus, ab omnibus tamen etiam reliquis sectis alienissimus, cum suum quoddam peculiare sequatur institutum. Colitur ipse à suis Numinis instar, habetque semper secum scribas, qui aliud nil faciunt, quam vt omnia ejus dicta atque facta annotent. Præfecti vigilum in Aula ejus semper sunt VI. reges, beneficiari ejus, qui perpetuo versantur in Regia. Sed nos de hoc alibi agemus.

Bokara Vrbs est provinciæ Vsbequensis, in qua vitales auras primum adspexit Auicenna, Medicus experientissimus, quem Persæ proprio nomine vocant Boalyn: multumque tribuunt scriptis ejus Medicis, appellantes eum *Chequeris Boaly Eben Sina*: id est, Dominus Boaly, filius Sinæ: Nobili hic fuit genere, neque tamen Princeps, neque Cordubensis, neque Hispanus, vt quidam putant. Scripsit hic plura, quæ enumerare nihil attinet, cum ea sint in manibus Medicorum. Scripsit autem non Persica, sed Arabica lingua, quod hæc per Orientem vsitatior & eloquentior, quam illa. Sunt qui eum non satis honorifice de Lege Mahometi sensisse arbitrentur. Notandum autem est, apud Persas omnes Medicos simul habere Pharmacopolia & Officinas, ex quibus ipsi depromunt ægris Medicamenta.

Sed nos ad Kezeren Anuchironen revertemur. Hic cum Hakon Chinyn in regnum irrupisse cognovisset, misit adversum eum Hormozum cum maximo militum numero, quem contrahere potuit, qui tam diligens in suo fuit officio, vt protere positis haud longe ab hoste castris eum variis fatigaverit eruptionibus, levioribus prælijs & stratagematis, vt postremo diffidens sibi ipsi retro domum se receperit, plenus formidine relictis omnibus iis locis quæ occupaverat. Reversus igitur & Hormoz est domum cum gloria & Triumpho. Et hic fuit finis illius quidem belli Tartarici.

Paulo post Persarum regi nunciatum est, quosdam Rumestaniæ sive Romanor. duces ingressos fuisse terras Manzaris Regis Arabum, clientis sui, ibique rapiendo & vrendo multum damni dedisse, interfectis Arabū plurimis. Misit ergo ad Imperatorem questum injurias, qui tamen postulata neglexit. Rex, ubi hoc scivit, collecto exercitu, Mesopotamiam ingressus cepit Vrbem Dara Medineyraham, inde progressus in Syriam, cepit Antiochiam aliasque, ut coegerit Imperatorem Græcum pacem petere, quæ ita coaluit, ut Græcus magnam vim auri persolveret, ipse contra à Persa reciperet terras Chan, Jazirat, Heyaz, Zaman, Thaef, Burgra & Homan, quæ omnia ad Imperium spectantia ceperant hoc bello Persæ.

Junxerat sibi jam ante matrimonio Rex Persa mulierem Christianam exquisitæ pulchritudinis, cui deinde multum molestus fuit, volens eam cogere ad abnegandum Christianismum, quod tamen frustra fuit ob mulieris constantiam. Habuit tamen ex ea filium nomine Nuchzad, qui postquam cum lacte combibit maternæ pietatis initia, nunquam ea postea deposuit, spretis minis promissisque patris, qui ei iratus, conjecit adolescentem in angustum tetrumque carcerem, eumque ut vilissimum è plebe habuit. Accidit autem circa id tempus, ut Syriæ quidam populi rebellarent Persis, unde Anuchiron coactus est ipse eo proficisci, ubi in grandem ægritudinem lapsus est, ut omnes de eo actum crederent. Quod cum intellexisset Nuchzad, qui tunc in carcere erat, invenit rationem evadendi ex eo, & convocavit ad signa omnes Christianos, qui in regno erant, numero sane non exiguo, iisque conjunxit aliquot cohortes militum Persarum. Potitus insuper thesauris patriis liberaliter eos inter suos distribuit, constitutis novis præsidiis in finibus regni, vt pater jam antefacere constituerat. At Rex auditis his, misit Rambarzinum unum ex peritissimis ducibus, ut quam maxima diligentia conscriberet quam maximas copias, & Nuchzadi conatibus obviam iret, neque tamen eum interimeret, sed si posset, vivum caperet, & honesto aliquo loco asservaret. Habebat Nuchzadus ducem belli Chamas Romanum, qui ausus est adversarium ad pugnam provocare, & ab initio quidem visa est victoria in Nuchzadum propendere: verum Rambarzinus procurrens in medium suorum, cum multa fortitudinis exempla ederet, in causa fuit, vt instaurata pugna Regii præliarentur animosius, unde Nuchzadi milites in fugam versi sunt: ipse sagitta per loricam non satis densam in pectus ictus, paulo post expiravit, multum dolente Rambarzino, qui mortuum ea pompa & ceremoniis, quæ inter Christianos usitatæ sunt, sepeliri jussit.

Convaluerat interea rex, compositoque bello Syriaco in Persidem reversus fuerat, ubi sedatis novarum seditionum initiis, cogitavit transferre bellum in Indiam & Zeylon Insulam, quam putant Persæ Taprobanen esse, cujus regem coegit pacem petere & tributum solvere, adeo, ut Rex ipse Persa imperaverit per provincias Maurenahar, Carason, Darband, Hezran, Hyamama, Tarbastan, Gerjon, partem Indiæ, Kermon, Parcy quæ Persia est, Aderbajon, Hierak, Jazriat, Homan, usque ad Ayaman Arabiæ & Magaceb Romanorum.

Hujus regis temporibus ex India in Persidem allati fuerunt duo libri philosophici, magnæ cele-

Digitized by Google

britatis: uni nomen fuit Kelilah, alteri Vuademana, cum ludo latrunculorum, quem Indi simul miserant Persis, vt eos admonerent, quam variæ & inconstantes essent res humanæ, vbi velut in eo ludo, in quo perpetuum bellum est, varius exitus. Aiunt nonnulli, Persas Indis remisisse Fritillum, in quo tessaris luditur, vt significarent, cum prudentia audaciam conjungendam, & faciendũ, vt postquam diu deliberavimus, tandem dicamus jacta est Alea. Porro ipse Rex Kezere Anachiron, vir fuit sapiens, & mira in sapientes viros animi propensione, inter quos facile primum locum obtinuit Hormozus, quem pater antequam decederet, successorem regni declaravit quod accidit anno XLVIII regni sui, cum ei moriturus in primis pacis studium & amorem populi commendavisset. Ait Mirkondus huic cognomen fuisse Adelo, id est, Iustitiario, & floruisse sub eo regnum Persicum, omni prosperitatis genere.

HORMOZ REX PERSArum XXXIV.

Non semper ea nobis vtilissima sunt, quæ maximis optamus desideriis. Fuit semper Hormozus pro bono Principe habitus, donec privatus vixit: sed simulac habenas regni in manus accepit, mutavit cum fortuna mores. Erat hic natus matre Scythica, regis Tartarorum filia, vnde mirum non est, si regnum suum auspicatus est à crudelitate omnibusque viciis: & vt nemo esset, qui tam scelerate agentem corripere aut monere posset, sustulit è medio plerosque regni principes, deponens ab officiis Ministros Iustitiæ, negans convenire, vt in suo regno præter se alius Iudex esset. Crudelitas ejus erga vniversos tanta fuit, vt XII. primis annis regni sui per omnes suas provincias trucidaverit ad XIII. millia hominum illustrium, præter incredibilem numerum plebeiorum, vt multis ad fugiendam hanc pestilentiam vitato regno in spontaneum abiverint exilium.

At Imperator Constantinopolitanus, cum de mala regnandi ratione huius regis accepisset, noluit tam pulchram occasionem è manibus dimittere, sed, vt recuperaret terras & vrbes, quas Persæ Romanis ademerant, cepit arma, superveniensque Persis jam ad Naciben vsque pervenerat, quam Persæ Niniven esse ajunt, Arabes vero Mosul in Diarbek vocant, adeoque non dubitant, vt dicant hic concionatum fuisse Prophetam illum, qui postea à Balæna vivus deglutitus fuerit: quod si verum est, Ninive nunquam omnino destructa fuit, cum etiamnum nostra tempestate satis floreat. Ad hanc igitur vrbem cum pervasisset Imperator Christianus, nunciavit Hormozo, si sibi vellet reddere terras & dominia, quæ ad Romanum Imperium pertinent, se sine maleficio domum rediturum. Cum autem responsum commodum à Persa non accepisset progressus vlterius, totam pervastavit Armeniam & Aderbaion, misitque duos belli duces cum copiis non modicis ad desolandum agrum Babylonium, qui rem gnaviter executi sunt.

Erat ea tempestate Tartarorum Rex Hakon Chiny, Avunculus Hormozi, qui nepotem in illo conspicatus periculo, conscripsit exercitum CCCC. hominum, vt ajunt, constantem millibus, non vt Hormisdæ opem ferret, sed vt ejus sibi vendicaret terras, quod & fecit, transgressus enim Iehunum fluvium, venit in provinciam Carasconensem: ibi demum Persa cognovit, quanto errore primores Persarum interemisset, cum jam nullum haberet, quem hostibus opponere recte posset. Convocato igitur Senatu, bonum factum visum fuit cedere Imperatori Græco terris ac possessionibus, quas ante repetierat, ne quod ab illa parte bellum esset, atque omnes regni vires in Tartaros converti possent. His ita factis Hormozus, collectas omnes suas copias ductori cuidam Persæ demandavit, quem cordatissimum inter omnes habuit, qui & hactenus Armeniam rexerat: Baharoni Chubio nomen erat; qui vbi ad Regiam venit accepto mandato Principis sui, nihil moræ indulgens, duxit cõtra Tartaros, etsi vltra XII. millia militum secum non haberet, veteranos tamen omnes & in armis exercitatissimos: breviter tales, vt cum illis aggredi ausus fuerit numerosissimum Cabachæ exercitum eo eventu, vt Cabacha cum multis Tartarorum millibus cæsus fuerit, captus in numeris. Cabacha mortuo, Tartari in ejus locum suffecerunt filium, qui continuavit bellum adversus Persas, eadẽ fortunæ malignitate qua pater. Persæ enim semper victores extiterunt, in primis autem vno conflictu Tartari prope in vniversum deleti sunt, & incredibilem amiserunt prædã, qua potitus Baharon Chuby, misit per filium suum ad Hormisdam regem M CC. L. Camelos oneratos auro & argento facto infectoque, cum aliis rebus multis pretiosissimis. Sed mala virtuti atque fidei hujus hominis sunt repensa præmia. Qui enim erant ad latus regis, tacti invidia fortissimi illius viri, calumniis eum apud Hormozum laceraverunt, quasi aliquid contra regem moliretur. Reversum domum pro tot egregiis meritis carcer excepit, quæ ingratitudo cum scelere conjuncta adeo male habuit virum illum, vt elapsus custodia, Cozrao, Hormozi filio primogenito, media objecerit rebellandi contra patrem, qui & è vestigio monetæ novę nomen suum inscripsit, & arma atque appellationem Regis sibi vsurpavit. Habebat Cosroes duos avunculos, quibus multum innitebatur, vni nomen erat Banduhyo, alteri Bostano. Hormoz, cum de tota conspirationis serie intellexisset, omnibus viribus conatus est nascens malum opprimere. At alterius factionis socii, diffidentes robori suo, aufugerunt. Cozrao recepit se primum in Armeniam, deinde in Aderbaion. At duo illi Hormisdæ affines capti fuerunt. Cum autem effregissent carcerem, collecto novo milite, ex improviso supervenientes Hormisdæ, capto homini oculo eruerunt. Delata statim res ad Cozraon, invitavit eum, vt celeriter in Persidem veniret, vbi rex salutatus fuit: stabilitus autem in regno, veniam oravit à patre, quam & obtinuit, sed ea lege, vt vindicaret cæcitatem suam à duobus avunculis suis.

Rebus ad hunc modum, per vniversum Persarum regnum turbatis, Baharon Chubyus, cum satisfeciisset vindictæ, convertit vltionis studium in ambitionem, est q; ausus ad Persarum regnum adspirare.

Digitized by Google

:are. Collecta igitur magna prædonum & grassato-:um manu, vniversam latrociniis afflixit Persidem, contra quem Cozrao, cum in aciem prodiisset, victus, & Constantinopolin profugere coactus est, cum duob. suis avunculis. Suaserant hi regi, vt ad omnem inimicis præcidendam belli occasionē patrem interficeret. Ad quod flagitium cum filium perpellere non possent, ipsi digressi ab eo, seni Hormisdæ in carcere fauces laqueo eliserunt. Hic fuit finis vitę hujus principis, dignus nimia crudelitate ejus. At Cozrao, qui Constantinopolim perfugerat, duxit vxorem Imperatoris Græci filiam, qui vt Generum, in regnum restitueret, dedit ei C. millia armatorum, misso simul filio suo, cui Cosroes in signum gratitudinis dedit fragmentum Crucis Dominicæ quam Pater ejus Hormisda habuerat. Igitur Cozroa instructus tam bono exercitu, recta ivit in Persidem adversus hostem suum Baharon (quem nonnulli in Catalogum regum referunt,) cumque vtrique castra ex adverso haberent, prodierunt tres Centuriones è copiis Baharonis & ex provocatione multos contra pugnantes ex Græcis interfecerunt. Indignatus ad hoc spectaculum Cozrao, jussit sibi afferri arma, quib. ipse indutus, frustra dissuadentib. suis, congressus est cum jactatorib. illis, devicitq; singulos ordine, vnum post alterū: quam virtutem admirati milites Baharonis, deserto hoc ad Cosroen transiverunt. At Baharon fugitivus ab Persida, in Turquestaniam aufugit, vbi aliquanto tempore post mortuus est.

COZRAO PARVEZ, REX XXXV.

Liberatus à tot adversitatibus Cozrao, & pacificum adeptus regnum Persarum, satisfecit iis quæ patri vivo pollicitus fuerat. Avunculos enim suos Bostanum & Banduhyen, qui patrem ejus interfecerant, severo supplicio affici jussit. Anno hujus regis XIV. rebellaverant Græci Imperatori suo, eumque interfecerunt cum filio suo, qui Cozrao petenti regnum patrium adstiterat, vt vix magno labore filius minimus parricidarum manus evaserit. Hic cum ad Persam confugisset, exceptus habitusque est honorifice, adjutus insuper à Cosroe copiis militaribus & bonis ductoribus ad recuperandum regnum patrium. Hic igitur cum Persis in Syriam & Palæstinam vbi pervenit, recta petiit Constantinopolim, pervastatis longe lateq; agris, abductisq; innumeris captivis. Elegerant Græci in prioris locum quendam Arcol, sive Heraclium, virum prudentem & bellicosum, qui intellecto Persarum adventu, occurrens eis, victor magnam eorum stragem edidit, occisis circiter XVI. millibus ex eis: cæteri non destiterunt fugere, donec patriæ limites attigerunt.

Agebatur annus trigesimus regni Cosrois, cum in Arabia surrexit Pseudopropheta Mahometus, qui ex vrbe Medina missis ad Principes & Dynastas litteris, obsecravit eos velut Dei nomine, vti se audirent, suamq; sequerentur doctrinam. Scripsit & ad Cosroem, qui tantum abfuit, vt eum audiverit, vt contra convicijs prosciderit nugatorem. Neque tamen minus secta ejus per Arabiam vicinasq; regiones late dissipata fuit. Sed vt ad Cozraon revertamur, vivebat is, composito bello Græco, quietus in suo regno, cumque moraretur apud Vrbem Madahem, nocte quadam cum altum dormiret, visus est sibi videre vrbem altis cinctā muris, in quibus erant vndecim turres, easque omnes ordine corruisse vsque ad fundamenta, donec civitas omnino munimentis propugnaculisque nudata fuit. Territus insomnio Rex, convocatis Divinis & Astrologis, visionis interpretationē scisitatus est.

Respondit quidam inter eos, vndecim turres denotare totidem Reges, qui adhuc dominaturi sint in Persida, post quos Monarchiam illam habituram finem. Cosroes, qui credebat se præsagii veritatem impediturum, putavit discordiam liberorum suorum hujus ruinę causam futurā, hoc igitur cōmentus est. Iussit eos comprehendi omnes, prohibuitq; singulis, ne quis vlli mortali loqueretur: sed ne vxori suę. Erat autem inter filios ejus quidam nomine Charear, qui ante omnes vxores & concubinas suas amabat quandam Cherin ob eximiam pulchritudinem: & ipsa quidem vox Cherin Persarum lingua dulcem amab lemq; significat, extatq; adhuc liber, cui titulus est Cozrao Cherin, quem Princeps quidam regionis (minime autem Rex) conscripsit carmine, majoris suavitatis dubites an artificii, q̄ētum maximi fit inter Persas. Cherear igitur privatus jucundissimo Cherinæ suæ adspectu, cum illius absentiam diutius ferre non posset, quidnam faceret, in varias animum convertit partes. Enimvero est ingeniosus amor, invenit vndecunq; tandem doloris sui lenimentum. Fingit se languere, & opus sibi esse venæ sectione, cumque id jam ante cum Cherina communicasset, mulier sumto Chirurgi habitu ingreditur carcerem, vbi cū aliquandiu cum marito fuisset, recepit se domum, sed ferens vterum, vnde eum, qui postea natus est, filium vocavit Yasdegertem: qui enutritus fuit in domo Cosdrois aviśui per annos quinq;, nemine conscio. Verum Senex cum id intellexisset, jussit eū neci dari, constantis id esse putans animi, non mutare sententiam. At mater audita in puerū capitis sententia, provoluta ad genua soceri, cū multis lacrymis servavit vitam infanti: istud tamen deprecari non potuit, quin in densum nemus expositus præda ficret bestijs carnivoris: ita Astrologi illius vaticinium fecit Cosdroen, suspicacem, timidum, avarum, malevolum, superbum, suisque odiosum, è quibus multos necari jussit, stolidis adductus imaginationibus, ne Naemani quidem parcens Manzaris filio, à quo tot beneficia acceperat.

Regnaverat jam XXXVIII. annis Cozrao Prauez in Persida, cū Ordines regni non vlterius ferre valentes sævitiam & crudelitatem hominis, communi consensu eum solio regio depofuerunt, demandata custodia ejus duci bellico magnæ fidei & existimationis, receptoque in regem filio ejus Cobado Chiruyco, in quo multum spei habebant. Accedit autem hoc anno nono Egiræ, vt Mahometani numerant anno vero A. N. C. DC. XXXI. vel circiter, estque hic ipse Cozrao, quem Græci vocant Cosroen vel Cosdroen.

Digitized by Google

COBAD CHIRVTEH, REX PERsarum XXXVI.

Crediderant Persæ, se hac mutatione regis malorum suorum relevamen adeptos, & in posterum bono ac clementi vsuros Principe: sed valde de se deceptos senserunt. Hic enim vbi in regno confirmatus fuit, primum omnium jussit interfici patrem suum, qui hactenus in carcere latuerat. Quo vno facto simul ac semel omnium odium in se concitavit: etsi enim senem non amabant, nemo tamen cruore ejus suas hactenus voluerat commaculare manus. Ad hujus cædis ministerium obtulerat se quidam Hormoz Mordomchæ filius, quem Cosdroes interfici jusserat: qui ingressus carcerem, intuitus Cosroen, nihil aliud dixit, quam justum est, vt iis, qui meum trucidavit patrem, vicissim à me interimatur: quibus dictis, præcidit seni cervices. Revertentem à cæde, læta fronte excepit Cobadus, sciscitatus ex eo, quonam pacto res successisset? At hic etiam luculentum sperans præmium, repetiit eadem verba, quibus affatus fuerat regem moriturum: Ibi Cobadus eadem retorsit in ipsum verba, eique in vestigio caput amputari jussit. Nec in paterna cæde stetit illius insania, XV. quoque fratres mori coegit cum primis Consiliariis atque Satrapis.

His actis atrox invasit Persidem Pestilentia: & duæ Sorores Cobadi, motæ calamitate populi, sumta audacia fratrem corripuerunt, scelera ejus inque primis cædes patris & fratrum causam esse omnium infortuniorum, neque dubium esse, quin Deus graviora immissurus sit, nisi correctis viciosis moribus supremi Numinis imploret gratiam. His & talibus dicentibus Sororibus, cum vera eas loqui sentiret, in tantam incidit tristitiam animi, vt intra paucos dies mortuus fuerit, cum non nisi VIII. menses regnavisset, relicto filio hærede.

ARDCHIR CHYRVTHE, Rex XXXVII.

Cobado mortuo Persæ statim in throno regio collocaverunt filium ejus vnicum Ardchirum, etiamnum puerum septennem. Quidam autem ex ejus propinquis, nomine Charear alias Gherkam, qui gubernabat Provinciam Agenensem, intellecta Cobadi morte, & contemta novi regis pueritia, novis rebus studuit, collectaque quanta potuit militum manu, irrumpens in regiam obtruncavit puerum, cum multis aliis qui vitam ejus defendere voluerant: cumque exercitus nactus fuisset favorem declaravit se ipsum regem, quo titulo miserrimus puer non nisi per quinquaginta dies vsus fuerat.

CHAREAR TYRANNVS Rex XXXVIII.

Conscendit hic, vt diximus, solium per cædem pueri regis & eorum, qui eum salvum voluerant. Postea conatus est omnibus modis animos Principum regni sibi facere obnoxios, sed id frustra fuit. Erant tunc in Aula regis tres fratres nobili genere nati & manu prompti, qui Tyrannidem hujus iniquissimis ferebant animis, neque ejus parebant imperiis. Conspiratione igitur facta, statuerunt eum è medio tollere, quod & sine mora executi sunt. Cum enim aliquando equum conscenderet ante portam Palatii, tres illi irruptione in eum facta, prostratum humi Tyrannum pugionum ictibus confoderunt: adstante populo & quiescente, qui lætabatur ejus morte, cum non nisi annum vnum regnavisset: alii tantum de XL. diebus scribunt.

JOON CHIR, REX PERsarum XXXIX.

Excusso Tyranni jugo Persæ obtulerunt regnum Ioon Chir, quod significat juvenem Leonem, agnatum defuncti & patruum Baharonis Chubii, qui bellum fecerat Cozrao Paruez. Magnam hic sustinebat populi spem, fore eum Principem generosum, quam tamen repentina mors ejus celeriter interrupit, cum post annum primum & regno & vita privaretur.

TVRON DOKT, Regina.

Conscendit igitur regale solium Turon Dokt, filia Cosrois cognomento Paruezi, maior natu earum, quæ fratrem Cobadum tam graviter reprehenderant. Est autem Turon nomen proprium mulieris, & Dokt, significat Dominam sive Virginem. Fuit hæc mulier prudens, quæ bene præfuit rebus, restituta regno tranquillitate, animadvertens severiter in seditiosos, & qui novis rebus studebant. Extant multa illius ædificia, quæ partim de novo fecit, partim collapsa instauravit. Primum in regno Consiliarium constituit vnum è tribus illis fratribus Tyrannicidis, contraxitque arctam amicitiam cum Imperatore Græcorum. Sed mors tam nobilem & vtilem mulierem abstulit, cum populus vix virtutibus ejus perfrui cœpisset: neque enim vltra VI. menses regnavit.

JASANCEDAH REX PERSArum XL.

Extincta Turone Persæ elegerunt regem Iasancedah, cui electioni multa intervenerunt contraria: pervicere tamen, qui eum regem volebant. Adjunt, cũ ipsi Diadema imponeretur, hæc eũ dixisse verba: nimis se premi põdere ejus, & velle se denuo ablatũ à capite. Etsi autem quidam hoc prudenter ab eo dictum putaverunt, quod nullum onus gravius sit administratione tanti regni: alii tamen ex mera stultitia hæc eũ protulisse crediderunt, quorum sententiam probabiliorem facit, quod proceres eadem promtitudine, qua eum ad regnum vocaverant, etiam de solio deposuerint, cum non multis diebus regis titulo abusus fuisset.

AZAR-

Digitized by Google

AZARMI DOKT, Regina.

Præferentes muliebrem dominationem ſtultitiæ virili Perſæ, vocaverunt ad regnum Azarmi Dokt, minorem filiam Cozrao Parvezi, ſororem Turonæ, non minore præditam formæ elegantia quam prudentia & ingenio: Fuerat temporibus Coſrois, ut & tunc, illuſtris & bello celebris vir Ferrocus Hormoz Satrapa Provinciæ Caraſonenſis, qui illectus pulchritudine reginæ, & exigentibus provinciæ commodis, venit ad aulam, relicto domi filio ſuo, qui præeſſet provinciæ: Cumque offendiſſet Reginam, tam incivilis & importunus ei fuit, ut mulier, quę honori ſuo conſultum vellet, eum amoliri à ſe non valens, ſicariis objiceret hominem. At filius ejus Iuegus, qui Caraſonenſem interea rexerat provinciam, audita morte patris amens factus, collectis magna celeritate militibus, ex improviſo in regiam irrupit, & reginam crudeliſsimis modis interfecit, ſurdus ad ejus preces & lamenta muliebria, cum non niſi per VI. menſes regnaviſſet.

KESERE, FILIVS JASANcedæ, Rex XLI.

Suffecerunt hunc mulieri Perſæ, filium Jaſancedæ, quem ſuperius ob ſtoliditatem regno privatum fuiſſe diximus. Sed hic neque ſapientior fuit patre, neque aptior ad regnum, unde Principes pertæſi hominis inſulſos mores, eum ut inutilem neci dederunt, cum regnaſſet menſes XII.

FERROGZAD REX PERSArum XLII.

Vbi de regno Cobadi Chiruych egimus, diximus eum XV. fratres quos habuerat interfici juſſiſſe, quæ res tantam formidinem cæteris ejus conſanguineis attulit, ut omnes certatim aufugere niterentur, & ſe ab inſania hominis ſubducere.

Eo autem mortuo, quidam reverſi ſunt in Perſidem, inter quos fuit Ferrozgad, Coſrois filius, Nepos Coſrois Parvez, qui cum agnitus fuiſſet, rex ſalutatus eſt, multa ſibi de ipſo pollicentibus omnibus, ſed vix uno menſe elapſo veneno ſublatus eſt per qvendam ſervum ſuum.

JAZDGERD, QVI ET ISDIGERDES, Rex Perſarum XLIII. & ultimus ex hac natione.

In vita Cozrao Parvezi diximus, filium ejus Charear impręgnaſſe in carcere uxorem ſuam Cherinam, ex qua natus fuerit filius Isdagerdes: quem poſtea agnitum Avus objici præceperit beſtiis in ſylva, hunc vero Paſtores quosdam, duni pecudes ſectantur, motos miſericordia ſuſtuliſſe atque educaviſſe, ignaros quis eſſet.

Vt autem tempus omnia in apricum profert, ita, puer hic cum adoleviſſet, cum longe altiora ſaperet, quam loci illius, in quo nutritus fuerat, captus ferebat, in aulam Perſarum Regis ſe contulit, ubi tam ſtrenuum ſe præſtitit, ut agnitus ad regnum vocatus fuerit, qui cum optime per annos XIX. regnaviſſet, ingens Turcarum multitudo in Turqueſtaniam veniens, per Nahoandam ſe in Perſiam infudit, omnia, quacunque ingrederentur, in vaſtitatem redigentes. His cum obviam iviſſet Isdagerdes, coactus eſt ſe recipere in Caraſonem, ubi audivit, Arabas, duces Mahometi, alia ex parte in regnum ſuum irruiſſe, cumque jam in eo eſſet, ut cum copiis eis occurreret, adfuere nunciantes, eos jam nimis prope eſſe: celeri igitur fuga ſe in Caraſonem recepit, ubi ſubitanea morte ſublatus eſt, cum regnaviſſet annis XX. Fuit hic ultimus eorũ, qui à Kayumarra deſcenderunt, & in quo exſpiravit Monarchia Perſica, tranſiitque ad Daliphas, ſucceſſores Mahometi, qui ſedem ſuam habuerunt primum in Vrbe Cufa, deinde apud Bogadetum ſive Babylonem, ut poſtea dicemus.

REGES PERSARVM EX ARABIBVS, qui usque ad noſtra tempora dominati ſunt ex eodem Mirkondo Hiſtorico Perſa.

In hac mutatione regni Perſici & ad aliam gentem translatione tam confuſa atque intricata ſunt omnia, ut ſolidæ veræque narrationi vix invenire initium poſſit. Quo non obſtante, conatur Mirkondus, ut ab initio fecit, ita ne nunc quidem lectorem perplexum implicitumque relinqvere ſed id agit, ut Califarum cæterorumque Principum Arabum ſucceſſiones pertexat, qvemadmodum progeniem Cajumarræ ordine deduxit.

Ait igitur, poſtquam Mahometus Pſeudopropheta intra decem annorum ſpacium, plures nationes ſibi adhærentes fecerat, res ejus in magna fuiſſe póſt mortem ejus confuſione, præcipuis ejus ducibus de rerum ſumma inter ſe contendentibus. Poſtremo poſt diuturnum litigium rei ſummam deveniſſe in manus Aububaqueri, qui ſe primus appellavit Calipham, quo titulo & ſucceſſores ejus uti voluerunt. Tyranni enim iſti, volentes imperium ſuum fulcire ſpecie & fulcro religionis, abuſi pietatis & ſanctitatis nomine perſuaſerunt populo, divinitus ſibi ea regna data, ſeqve à Deo miſſos, ut flagelli vice omnes alias gentes caſtigarent. Dominatus eſt in iis quæ anteceſſor acquiſiverat. Abubaquer per annos II. menſes VI.

HOMAR II. CALIPHA, ET PRImus Rex Perſarum inter Arabes.

Poſt Abubaqueri mortem ſceptrum Mahometi in manu Homari pervenit, qui cum jam illud per annos X. menſes VI. obtinuiſſet, videns ſibi omnia ex ſententia ſuccedere, accepit nuncium, Perſas à Turcis vehementer premi: exiſtimavit igitur

è re

è re sua fore, si se illi bello implicaret, quod & fecit tempore Iazgerdis, vt supra diximus : tam autem prospere successerunt ei omnia, subitanea Persarum regis morte, vt intra paucos dies dominus regni evaserit, citius factus rex quem ipse sibi persuadere potuerat. Sedem igitur sibi posterisque suis constituit Bagadetum, mortuus anno AN. C. DC.LV. Egiræ vero sive annorum de computatione Mahometi XXXIII.

OSMAN SIVE OTMAN III.

Successit hic Homarò, deque eo nihil Historiæ vlterius annotant, quam quod annos XI. menses VI. regnaverit : & arma Mahometanorum eo quidem tempore magis in Europam quam Asiam conversa fuerunt, quæ fere tota eorum paruit arbitrio.

HALY, SIVE ALY, CALIPHA IV.

Reliquit Mahometus Pseudopropheta moriens agnatum eundemque generum suum Halyn, qui Diadema sumsit Otmano mortuo, cujus sectatores numerant plurimas regiones quas ipse sibi subjecerit, multa de ejus vi bellica jactantes, quæ tamen fabulis quam veritati sunt propiora. Hic est ille Haly, qui primus novæ sectæ inter Mahometanos auctor fuit, & quæ successive duravit vsque ad tempora Sophianorum, qui se ab eo descendisse ferunt, perpetui hostes Eunorum, qui idem circa religionem sapiunt quod Turcæ. Regnavit hic annis IV. & mensibus VI. interfectus proditorie à servo quodam suo cum esset in Cufa Arabiæ Vrbe. Narrant qui ejus sequuntur placita, corpus ejus mortuum à suis lotum, & aromatibus de more conditum, cameli dorso impositum fuisse, cumque nemo duceret animal, sed sponte currere sinerent omnes, delatum id fuisse in desertum quoddam prope Cufam, & operoso tumulatum sepulchro.

Cumque multi ex sectatoribus ejus eo conferrent dona & anathemata, ex iis ædificatam fuisse Mosqueam, sumptuosæ sane & admirandæ structuræ. Cessantibus autem cum tempore donis & religione peregrinantium, multum deperdidit templum istud à veteri splendore, alicubi etiam penitus corruit.

ACEMVS CALIPHA V.

Haly mortuo, magnæ contentiones ortæ sunt inter Arabes, super novo Calipha : aliis quidem Acemum Halys filium, aliis vero Mauvyam Safionis filium sibi poscentibus, ex posteritate Benhumiæ. Pervicit tamen Acemus, Calipha factus, quo honore non nisi VI. dies lætatus fuit.

MAVVYA CALIPHA VI.

Competitoris morte ad Pontificatum adscendit hic, anno Christi DC. LXII. Mahometi XLI. præfuitque rebus per annos XX. quibus tamen nihil memoria dignum gessit. Vsus hic fuerat bona & fideli opera cujusdam ducis bellici Abdalzyad, cui in præmium fidei dedit civitatem Basora, inter duos fluvios Tygrim & Euphratem, eo fere loco vbi confluunt, simulque in sinum Persicum præcipitantur. Mortuus est Mauvya anno Salutis DC.LX XXII. Egiræ LXI.

YHEZIDVS CALIPHA VII.

Successit hic patri in Pontificatu & regno Persico, quod vtrumque, cum vix apprehendisset, petitus est bello ab Ocemo, Halys filio, Mahometi nepote, Acemi fratre, estque inter eos commissum prælium in campis Cabelanis, vbi etiam nostra memoria visitur Vrbs, quæ vocatur Mechet Ocem, structa in deserto in honorem sepulturæ ejus. Interfecto Ocemo, dux quidam Arabs Abdalazuber arma contra Yhezidum sumsit, vt vindicaret Ocemi mortem, fatigavitque eum cruento triennii bello, dum regnavit : post mortem vero ejus pervaltavit provincias ejus, Arabiam, Persiam, Aderbaion, Carason, aliasque.

Dein, cum in Ægyptum irruisset, penetravit vsque ad Medinam Arabiæ vrbem, vbi insignis portus est Maris Erythræi. Mortuus est Yhezidus anno AC. N. DC. LXXXV. Egiræ LXIV.

MAVVYA II. CALIPHA VIII.

Mauvia II. nepos fuit Mauviæ prioris & filius Yzahedi, quem & in regno secutus est. Cum autem nimis remissus regnoque invtilis esset, depositus est à solio, quadragesimo primo regni sui die : quæ res magnis motibus in regno causam dedit, cum quisque ex Principibus ad regnum adspiraret : sed ad extremum Maruvani factio prævaluit, ad quam rem multum iuvit Abdalzayad, cui Mauvya civitatem Basora donaverat, vt supra diximus.

MARVVAN CALIPHA IX.

Octogesimum jam agebat annum, cum hic ad regnum pervenit, quod tamen inquietum turbatumque invenit. Coactus enim est magnum colligere exercitum ad impediendos Arabas Mechanos, qui ei negaverant obedientiam, & præferebant posteritatem Halys. Eos enim omnes, qui non ex ejus orti fuerant prosapia, Tyrannos fuisse ajebant. In hunc finem convenerant ab omnibus partibus, elegerantq; sibi caput Soliman-

num

Digitized by Google

num Ben Caeb, fuerantque adorti Cufam civitatem, quæ tunc præcipua erat Arabiæ noſtro ævo tota in ruderibus jacens, deſtructa eo ipſo tempore per eos, qui horribilem lanienam exercuerunt in omnes qui erant è poſteritate Benhumyæ, ex qua erat Marvvan. Hic cum accepiſſet de adventu hoſtis, occurrit ei vſque ad Orſam Meſopotamiæ, quæ eſt antiquorum Vr, vbi Chaldæi voluerant exurere Abrahamum, nolentem eorum ſubſcribere Idololatriæ. Hoc loco conflixit Marvvan cum hoſte, obtinuitque victoriam, cæſo Solimanno Arabum duce.

Sic Triumphantem Warwanum domi longe gravius malum excepit. Vxor enim ejus, quæ ſanguinis neceſſitate juncta erat Solimanno, & huius & aliorum propinquorum ſuorum mortem vlta, injecit viri collo laqueum, eumque ſtrangulavit, agentem annum ætat. LXXXI. Anno S. DC. LXXXVI. Egiræ LXVI. regni ſui I.

ABDELMALEK CALIPHA X.

Facilem hic per victoriam patris ad regnum nactus eſt acceſſum, quo tamen diu pacato frui non potuit. Quidam enim ex factione Ch.hahiorum, qui Halyn ſequuntur, cum copias non modicas collegiſſent, excurſiones fecerunt in provinc.as Aderbaion, Diarbek, Avuas, aliaque loca Perſidos & Meſopotamiæ, omnes quacunque tranſiſſent per ſummam crudelitatem occidentes, qui cum ipſis non facerent. Adverſus hos eduxit Abdelmelechus exercitum LXX. millium hominum, aggreſſus primum Abdalaziadum, cui & victoriam & vitam eripuit, cum Dynaſta Baſoræ fuiſſet annis XLI. Ejus præfecturam victor dedit Abrahamo Maleko, Baſoræ autem Mazaebo Abdelæ fratri.

Deinde bello petiit Mokram, eumq; acie victum pariter occidit. Paulo poſt duxit copias adverſus Mazaeb Zoberum, cui victo eripuit terras quas in Perſide habuerat. Profectus deinde Damaſcum, præmiſit Oſiagum ducem ſuum, qui debellaret atque ne caret vltimum ex rebellibus Abdalazoberū, qui & id proſpere confecit. Oppreſſis ad hunc modum ſeditioſis Abdelmelechus, pacificum nactus regnum, dedit Oſiago pro præſtita opera Satrapias duas, Aieraquenſem & Caraſonenſem: ipſe per otium ædificavit frequentiſſimam civitatem Vacetum, ſitam inter duos fluvios in medio Meſopotamiæ, cuius nihil amplius ſupereſt præter rudera. Abdemelechus, cum regnaviſſet annos XXI. menſem I. mortuus eſt anno AN. C. DCC. VI. Egiræ LXXXVI. relictis filiis quatuor: Oelido, Solimanno, Ihezido & Ochone.

OELIDVS CALIPHA XI.

Superavit hic omnes anteceſſores ſuos potentia divitiisq;, cum ope ducum ſuorum regni fines longe lateque protuliſſet, inter quos quidam cepit Caraſonem vſque ad Turqueſtaniam prętereaque regiones Maurenahar & Coarzim.

At alia ex parte Meſelema Ben Abdel Melek cum valido exercitu ingreſſus terras Imperatoris Græci, adduxit eum ad ſolvendum tributum. Nec contentus fuit militari gloria Oelidus, adjunxit & ædificiorum laudem, conſtructis plurimis fabricis ſuperbiſſimis, inter quas eſt Moſquea Damaſcena, cujus Architecturæ artificium, vt & immenſa divitiæ omnes in admirationem rapit ſpectatores.

Circa hoc tempus mortuus eſt in Caraſonia Oſiagus, cujus Satrapa fuerat, anno ætatis ſuæ XLV. cujus tantam fuiſſe crudelitatem ajunt, vt tempore Satrapiæ ſuæ in ſua duntaxat provincia ad C. hominum millia neci dederit præter eos quos bello interemit. Reliquit XXX. mancipiorum millia, variarum nationum, vnde de cæteris ejus opibus cōjectura fieri facile poteſt. Sub exitum ejuſdem anni qui fuit Salutis noſtræ DCCXV. Egiræ XCV. mortuus eſt Oelidus, annos natus XLV. cum regnaſſet ann. IX. menſ. VIII.

SOLIMANNVS CALIPHA XII.

Abdemelechi filius hic fuit, frater Oelidi. Nondum omnino reducti fuerant Perſæ ſub jugum Caliparum, ſed ſemper aliqua pullulabat ſeditio, nūc in hac nunc in illa provincia. Duo inprimis erant, qui nondum fuerant redacti in ordinem: Oerion & Tarboſtam. Contra hos miſit Solimannus Iazidum Ben Mahalep, virum fortem cum valido exercitu, qui vſus bona opera Iafar Barmaki, primi Vezieri, eos compeſcuit. Hinc ad correctionem monetæ animum adjecit, in qua re hactenus populus gravatus fuerat. Ipſe Caliph a mortuus eſt Damaſci, ex Pleureſi, cum annos II. menſes VI. regnaviſſet.

HOMAR II. CALIPHA XIII.

Filius hic fuit Abdalæ Acis Marvvanæ nepos, frater major natu defuncti Caliphæ, quo pacto autem illi ſucceſſerit, non eſt neceſſe diſputare. Fuit hic Arabs valde ſuperſtitioſus & acris in ſua ſecta. Accidit autem anno AN. C. DCC. XVII. vt poſteri Abantis, qui fuerat avunculus Mahometi, inſurgerent in Homarum, eique bellum facerent, ajentes ad ſe ſuoſque pertinere Pontificatum: Princeps inter hos erat Haly Eben Abas, qui miſſis ad exteros Principes legatis auxilium rogabat adverſus Homarum: ſibi potius deberi regnum, legitimo hæredi & amatori juſtitiæ. Dum hæc fiunt, Ochon, Abdelmelechi filius, Solimanni frater, venenum præbet Homaro, qui inde mortuus eſt quadragenarius, cum regnaviſſet annos duos menſes quinque. Incidit mors ejus in annum Salutis DCC. XX. Egiræ CI.

IEZIDVS II. CALIPHA XIV.

Homaris morte regnum adeptus eſt Iezidus,

Digitized by Google

dus, Abdelmelechi filius tertius. Adversus hunc insurrexit statim ab ipso initio regni quidam Abu Mocelem Caraſon, persuasus ab Aly Ben Aba, qui duo simul continuo biennii bello fatigaverunt Iezidum, quo tempore exacto Calipha mortuus est, nulla re memorabili gesta, cum regnavisset annos IV. menses VIII.

OCHON II. CALIPHA XV.

Hic est Ochon ille, qui dedit venenum Homaro, frater Iezidi, qui vbi ad imperium pervenit, habuit quod in Perside ageret, vbi Nacer Sayar & Iuseph Eben Homar, Tribuni magnæ virtutis, egregiam ei præstiterunt operam. Vtrique Ochon pro fide luculentam tribuit Præfecturam, Sayaro quidem Caraſoniæ, Iusepho vero Hieraquenæ Satrapa constituto. Reliquum tempus, quod fuit annorum XIX. mensium VIII. Persæ quieti transegerunt, vsque ad mortem ejus, quæ incidit in an. Sal. DCCXLIII. Egiræ CXXIV.

OELIDVS II. CALIPHA XVI.

Ochone mortuo in Calipham electus fuit Oelidus Iezidi filius. Ingentia huic fuere bella contra familiam Abantis, moriente interim præcipuo ex ijs Abdala Ben Abas, qui sibi Caliphatum arrogabat: cujus interitu putabat se Oelidus vsurum pacato regno, vnde & Satrapas creavit duos ejus filios, ratus eos sibi ad hunc modum facturum obnoxios. Et profuissent sine dubio hæc ei, nisi terribili ingenio & naturæ quadam malignitate omnium inprimis militum in se concitavisset odia, qui eum trucidaverunt decimo quarto dominationis suæ mense.

IEZIDVS III. CALIPHA XVII.

Oelidi filius hic fuit, cognomento dictus Nokhes, id est, Diminutus, quod solitus fuerit repetere à possessoribus, quæ superiores reges ijs donaverant. Pervenit ad regnum natus annos XL. quo non vltra VI. menses gavisus est, mortuus Damasci.

EBRAHEM CALIPHA XVIII.

Iezidi hic frater erat, qui non nisi duobus mensibus sceptrum tenuit. Dissolutum hominis ingenium, & ad res graves ineptũ causam præbuit proceribus, vt magna in eum vterentur insolentia, donec quidam ex iis, Marvvan nomine, ejusdem familiæ, eum cepit, per tres menses in carcere habuit, & ad extremum necari jussit.

MARVVANVS II. CALIPHA XIX.

Cum hic cæde Principis sui ad regnum pervenisset, magna inter Arabum proceres dissensio orta est. Præerat Caraſoniæ Nacer Sayar, cui bellum erat adversus Malabum proregem Kermoniæ: fuitque hoc bellum atrox & cruentum. At alibi Abantis factio adversabatur quibus Caraſonensibus & Kermonensibus: cumque ad manus ventum fuisset, vicerunt Abantiani, vltra centum hominum millib. ex adversa parte interemtis qui supererant è Caraſonensibus effugerunt Savvam. Qui dux fuerat victricis partis, Abu Mocelem, non contentus præsenti fortuna, ad majora animum adiiciens, misit Catabeium, ducem peritum, cum valido exercitu, ad occupandam Hieraquenam provinciam, qui rem gnaviter executus est.

Hinc Cusam Arabiæ petiit, vbi obvium habuit Marvvanum, qui Vaceto egressus fuerat, vt cum illo confligeret. Nox erat, & pugnabatur in ipsa Eufratis ripa, vbi instar Andabatarum digladiabantur.

Sed Marvvani milites tanto impetu adorti sunt hostes, vt eos cogerent ad fluvium fugere, servaturos natando vitam: haustus est ibi Catabeius a quis cum multis aliis. At milites ejus, ignari ejus casus, rati ducem suum pugnare, reversi è fuga, jam vitulantes & Pæana canentes hostes magna vi adorti, in fugam compulerunt. Accidit hoc sub ipsius Auroræ jubar. At vbi diluxit, videntes sibi deesse ducem, creaverunt alium, Acemum Catabeii filium, qui sine mora persecutus fugientes, nihil effecit, illis jam Cusam tenentibus.

Cum autem redeuntes incidissent in Safam, qui erat ex Abantis familia, creaverunt eum Calipham etiam repugnantem. At hic cum aliter non posset, assensus eorum voluntati, misit tres avunculos suos Sophan, Abdulum & Absamerum cum magnis copiis adversus Marvvani filium, qui jam exercitum suum iterum ad Euphratem adduxerat.

Ibi secundo magna vi pugnatum est, succumbente Marvvano, qui fugit Cayrum in Ægyptum, qua in vrbe captus & occisus est: anno A N. C. DCCLI. Egiræ Mahometicæ CXXXII. cum regnavisset annis V. Perierunt autem cum eo vltra LXXX. homines è posteris Benhumiæ, fueruntque eorum qui jam obiverant, aperta sepulchra, & exusta ossa mortuorum, nullique vivo parsum est, præterquam vni, nomine Hamar Ben Abdalah, cui ingens virtutis & bonitatis fama etiam inter hostes consentientibus omnibus vitam servavit. Et hoc modo cessavit imperium in posteris Benhumiæ, in Marvvano, transivitque ad familiam Abantis, penes quos regnum multis annis fuit, vt in sequentibus explicabimus.

REGES PERSARVM EX FAMILIA ABANTIS.

SAPHA, CALIPHA XX.

Safa, filius Abdalæ, nepos Halys, pronepos Abdalæ, abnepos Abantis cum ad hunc modum adversarium suum à se amolitus fuisset, dedit operam vt in regno confirmaretur. In quo quietus, sublato

Digitized by Google

sublato æmulo, misit duos suos propinquos, Abdulam, vt præesset Syriæ, Ægypto & Africæ, alterum Davidem, vt regeret Medinam & Mecham. Vacetum vero ad fratrem suum Abuiafarem misit Safam, vt illi regioni pacem redderet.

Hinc jussit eum proficisci in Carasoniam, Persicarum provinciarum opulentissimam, cujus caput est Vrbs Mechad, in qua Ismael Sophus ejusque posteri sepulti sunt. Habet autem Vrbs ista in intermœniis murorum turres CCC. distante vna ab altera ad ictum globi è tormento manuario emissi: ager ejus est valde fertilis; incolæ colore albo, apti ad arma, in moribus à cæteris Persis nihil differentes. Inter hanc provinciam Carasonensem, & Turquestaniam, & Vsbequiam, intercurrit celeberrimus fluvius Iehunus, vltra quem quæ regio est, dicitur à Persis Maurenahar, quod vltra ripam in Septentrionem versa sit. Hæc admonitio servit ad meliorem intellectum, cum de hac vel illa provincia sermo est.

Igitur cum provinciam Carasonensem occupavisset Abusalem, videns contra se venire Abuiafarem Caliphæ fratrem, non solum præstitit ei obedientiam, sed & fidam vtilemque operam dedit: quod quidem eo tempore rarum fuit exemplum, cum natio illa vulgo audiat inconstans & infidelis. Erat primus Safæ Consiliarius quidam Ambuzalemah, cui rex ob fidem & officia multum debebat: & tamen cum palam factum fuisset, eum cum nonnullis aliis conspirasse in vitam regis, capite truncatus est, assignato alii officio ejus, qui in eo majori versatus est prudentia. Postremo Safa, cum regnasset an. IV. menses IX. mortuus est, anno AN. C. DCCLV. Egiræ CXXXVI.

ABVIAFAR, CALIPHA XXI.

Vix successerat defuncto fratri Abuiafar, cum nunciatum ei est, Abusalemum Satrapam Carasoniæ, quem superius eidem Abuiafari, vivo fratre tantum honoris detulisse diximus, rebellasse.

Sed Calipha miro astu effecit, vt Abusalemus ad regiam veniret, quem statim interfici jussit, & ita vnius hominis cæde atrox bellum compositum est. Sed in Arabia non ita successit, vbi Mekaiani Basorenses seditionem excitavere: cõtra hoc misit Abuiafar duces suos, vt eos ad frugem reducerent, quod quidem factum est, sed non sine multa sanguinis effusione: anno Salutis DCCLXIII. Egiræ CXLV. Confecto etiam hoc bello voluit Abuiafar visitare provincias regni sui: profectus igitur ab Cufa, cum transita Mesopotamia ad ripam Tygris fluminis perveniisset, adeo placuit ei loci amœnitas & navigandi commoditas, vt ibi amplam satis Civitatem ædificare cogitaverit, quam ob deliciarũ, abundantiam & hortorum amœnitatem vulgo appellaverũt Bagadad, à Persico vocabulo Baga, quod hortum significat. Post otempus cum tribus annis regnavisset, mortuus est dum iter facit Mecham, in deserto Byr Maymum, quod est ac si dicas Puteus Maymumi, ab eo qui eum foderat, incidit mors ejus in annum Salut. DCCLXX. Egiræ CLIX.

MAHADY BILA, CALIPHA XXII.

Reliquit Abuiafar moriens filium, qui ei in Caliphatu successit, & præfuit regno primis IV. annis quiete, & sine motu, quib. elapsis quidam Akẽ Ben Ochem, qui fuerat A Secretis Abusalemo, quem Abuiafar necari jusserat, seditionẽ concitavit, pertractis in rebellionis societatem provincialib. Hic homo elati supercilii, morib. feris, non solum volebat vt Rex coli, sed & vt Deus adorari.

Et quanquam talia hęc monstra nunquam careant assentatoribus suis: multis tamen displicuit hęc insania, vtique cum velo tectus faciem in publicum prodiit, indignam iudicans plebem, quæ in ipsius intueretur vultum. Effecit tamen vt in aliquot provinciis rex salutatus fuerit.

At Calipha, cum hæc omnia intellexisset, misit adversus eum exercitum sub ductu cujusdam Monsaebi, qui magna diligentia effecit, vt celeriter Caronem adveniret.

At propinqui atque necessarii Akemi, videntes sibi non satis esse ad resistendum virium, præbuerunt homini venenum, credentes hoc pacto sibi receptum fore ad gratiam ducis Persæ: ipsi interim ad vulgus spargebant, eum in cœlum iviſſe.

At Monsaebus, cum omnes terras quæ defecerant, recuperavisset, indignatus, quod hostem suum neque vivum neque mortuum nanciscì posset, multa crudelitatis exempla in consanguineos & sectatores ejus edidit, cum multos vivos cremari jussisset. Accidere hæc omnia anno AN. C. DCCLXXVI. Egiræ CXCVII. quo eodem anno mortuus est Mahady Bila, natus annos XLIII. cum annis X. & mense I. Calipha fuisset.

ELADY BILA MVSA, CALIPHA XXIII.

Successit huic filius Elady, brevi tempore hac dignitate gavisus, cumque esset Princeps comes, affabilis, omnibusque virtutibus ornatus, mortem tamen effugere non potuit, quæ nimis propere ipsum rapuit, cum nonnisi anno vno mensibus tribus rebus præfuisset, mortuus est anno S. DCCLXXXVII.

AZACHID BILA HARVM CALIPHA XXIV.

Secundus hic fuit Mahadi filius, morte fratris ad imperium evectus misit hic anno AN. C. DCCCIV. Egirę CLXXXVII. qui interimerent Beramequos, qui erant ex illustri orti familia, vna cum Vezieris suis, quod eos conspirationis adversum se initæ suspectos haberet. Tertio anno post moverunt ei Græci bellum: sed Calipha coegit Imperatorem ingenti vi pecuniæ pacem emere. Excepit hoc bellum aliud in Maurenahar provincia, vbi quidam Raff Eben Nacer se regẽ appellabat. Contra hunc Azachidus ipse volebat ducere exercitum, sed præventus morte obiit apud oppidum Thus, cum regnum obtinuisset annis XXV. anno AN. C.

Digitized by Google

DCCCX. Egiræ CXCIII. Habuit Arachidus filios quatuor, Mamedum Hammi, cui dedit pater quicquid possidebat Alepi & versus Occidentem. Alter erat Mahamus, cui tradidit Persidem & Carasonem, cum inde dependentibus provinciis. Tertio Acemo, dedit Satrapias Aderbaionis & Mesopotamiæ. Quarto nomine Mataconi, cum eum parum amaret, nullam assignavit partem, quanquam portio ejus successu temporis quam reliquorum non fuerit deterior.

MAHAMED AMIN, CALIPHA XXV.

Nominaverat hunc pater successorem regni, quo vbi potitus fuit, non parum doluit, illud ita in partes scissum esse, sibique exiguam relictam portionem, vnde prima hæc fuit ejus cogitatio, quonam modo quosdam ex iis suis everteret possessionibus. Collecto igitur exercitu, jussit, vti duces sui recta Persidem peterent.

At Mahamus, cui eam pater dederat, videns sibi vigilandum esse; cum tempestas illa haud dubie suæ incubitura esset provinciæ, & ipse collegit exercitum, cui præfecit Vezierum suum, nomine Taher Ben Ocem, qui statim in hostes duxit, eosq; acie victos persecutus est, vsque in vrbem Bagar, quam ingressus vi & ferro, cepit Calipham Mahamedem Amin, quem secum abductum in via necavit, cum tenuisset regnum annis IV. mensibus VII. anno Salutis DCCCXIV. Egiræ Mahometicę CXCVIII.

MAHAM BEN HARVM CALIPHA XXVI.

Superioris hic frater fuit, cui & occiso in Caliphatu successit primum hic sibi Consiliarium constituit Fazelem Ben Saleh, hominem prudentem & politicum.

Cumque tranquillo frueretur Imperio, magnos impendit sumptus in translationem librorum Græcorum & Syriacorum, qui de Philosophia Naturali & Morali, vt & de Mathematica, Astrologia & Medicina scripti fuerant, in linguam Arabicam. Persicæ tamen provinciæ hac pace diu lętatæ non fuerunt. Quidam enim Babecus Coramdinus in regione Aderbaion tumultus excitavit. Sed pax facta est inter eos anno Salut. DCCCXXI. Egiræ CCV. Hoc ipso anno misit Mahamus in Provinciam Carasonem, Taher Zuleminum, quamvis sciret, non contentum fore hominem præfectura, vnde necesse fuit eum ex tempore pœnitere.

Opposuit igitur ei quendam Hamed Abichaledum, qui conatus ejus opprimeret. Sed hic metus sublatus est morte Taheri.

Neque tamen minus ejusdem provinciæ Satrapiam cuidam Taheri filio dedit, Talaheo nomine, cujus fratrem Abdulam pater miserat adversus Vsbequenses, qui diversum in cultu Numinis sentiebant. Hic cum victor ex eo bello reversus fuisset, invenit patrem mortuum, & fratrem in possessione Satrapiæ constitutũ, qua quidem vtraque re nihil ipsi potuit accidere gravius. Talaheus tamen consentiente Califa, fratrem in præfectura socium admisit, vsque ad mortem Mahamumi, quæ contigit anno Salutis DCCCXXVI. Egiræ CCX. cum regnasset annis XII. mensib. VII.

ABV EZACH MATACON. CALIPHA XXVII.

Fratribus defunctis hic ad regnum pervenit, quem pater ita contempserat, vt ne portionẽ quidem inter illos ei assignaverit. Primum ejus in regno operum est nova Civitas, nomine Samarra, quam extruxit in parte Septentrionali à Bagadeto, supra ripam Tygris fluvii, quæ cum aliquando floruerit, hodie vix illius supersunt ruinæ. Mortuo Mahamumo, Babecus Aderbaionis Præfectus bis rebellavit, sed ad extremum tam validum adversus eum misit Matacon exercitum, vt Babecus victus captusque fuerit, cui Califas primo manus pedesque amputari, deinde laqueo eum suspendi jussit.

Neque tamen sic Carasonia quieta fuit, ob provinciam Sistonensem, quæ est infra Carasonem & Kermonem, versus sinum Persicum. In hac enim Sistonensi quidam seditiosus, cum sibi validam manum collegisset, maximam partem occupavit provinciæ. Cumque ea, quæ is occupaverat, dependerent à jurisdictione Carasonensi, Talahæus qui tunc ibi Satrapes erat, correptis armis occurrit Amzæ (sic enim vocabatur seditiosus iste) quem & vicit acie: hinc reversus in Carasonem, lapsus est in morbum, qui eum sustulit anno AN. C. DCCCXXIX. Egiræ Mahometicæ CCXIII. relicta Gubernatione filio suo Haly, contra quem vicini principes diuturnum gesserunt bellum, in quo Halys occubuit.

Neque tamen sic bello finis fuit, quod inde exarsit vehementius. Dum ad hunc modum in Persida tumultuantur, Matacon petit bello Græcorum Imperatorem, eique aliquot extorquet victorias, pauloque post moritur annos natus XLVIII. à N. C. DCCCXXXIII. Egiræ CCXVII. cum regnasset annis VIII. Reliquit hic moriens filios VIII. filiasque totidem, cum VIII. millibus mancipiorum, captisque octo civitatibus præcipuis in totidem regnis, dedit neci VIII. reges.

Sed & VIII. milliones auri in thesauris ejus repertos asserunt, vt ita hæc omnia octonario numero responderint. Et quamvis vir fuerit plane Martius, comem tamen affabilemque se præstitit, charus omnibus, inprimis vero militibus.

VACECVS, CALIPHA XXVIII.

Successit hic Mataconi patri, nec invenitur quicquam memoria dignum admisisse: nisi forte istud, quod in Carasone mortuo Haly Ben Talahe successit Abdula Ben Taheri, sub cujus præfectura, quãvis terræ illæ ob fertilitatem omnibus rebus abundent, horrenda tamen fames cum hanc tum alias provincias afflixit, quæ per tres annos continuata,

eam

Digitized by Google

eam inprimis regionem prope habitatoribus vacuam effecit.

Cum autem postea densi imbres delapsi solum ferax, vt antea reddidissent, redierunt prisci coloni. Conspiraverant tunc Persæ & Arabes, vtriq; Mahometani, in Gentiles, quorum permulti adhuc erant in ea provincia, veneration Ignis dediti, quos etiam nostro ævo magno numero in Persida invenias: ex his Persæ & Arabes innumeros occiderunt: quo tempore periit in Carasone Abdula Taher, cui suffectus est à Vaceco Califa filius, Taher Ben abdula, altero anno post mortuus est Vacecus cum regnasset annis V. mensib. IX. anno AN. CDCC CXXXVIII. Egiræ CCXXII.

ALMOTO VVAKEL, CALIPHA XXIX.

Vaceci frater hic fuit, quo regnante cæpit eminere factio Haly, cujus assecl is hic pro viribus obstitit, ne religionis ergo ad sepulcrum ejus peregrinarentur, quod est apud Mechat Ocem in desertis Cabelanis, vt superius diximus. Vtque eos facilius impediret, perrupit multis in locis aggeres, quibus Euphrates cohercebatur, vt inundantibus aquis campi obruti, accessum omnibus in illa planicie negarent.

Hoc Califa mortuus est in Carasonia Taher Ben Abdulę, relicta Prefectura sua filio Mahamedo, qui cuidam patruo suo dedit terras Tarbastanas, vt iis donec viveret, frueretur. Sed de hoc suo loco dicemus. Habuit Vacelus Caliphas filium Montacerũ, regnandi cupidissimũ, adeo vt non expectata morte patris eum per servitia sua è medio tolli curaverit, post quã annos XII regnavisset, quod accidit anno Salutis DCCCI. Egiræ CCXXXIV.

MONTACER BILA, CALIPHA XXX.

Breve huic ex regno parricidio parto gaudium obtigit: cum enim 6. mensibus diadema gestasset, gravis superveniens morbus, indigno longiore vita cum spiritu regnum abstulit, quod tantopere desideraverat.

ABVL ABAS HAMED, CALIPHA XXXI.

Mahamedi filius hic fuit, Maraconis nepos, ideoque proximus regni hæres. Cum autem præfuisset reb. per annos V. mens. IX. mala suorum voluntate, irati milites correptum eum angusto incluserunt carceri, vbi fame eum mortuũ ajunt. Ex eo tempore res Persicæ aliquo modo confusæ fuerunt, cũ in Tabarstana provincia, de qua paulo ante diximus, quod ea Zuleimanno data fuerit, seditionem moverit quidã Acem Ben Zeyd Alauuy, i.e. Adeodatus, qui totam Tarbastanam sibi subjecit, coacto Zulymanno Bagadetum confugere, vbi benigne receptus est per Califam, multisq; ab eo affectus honoribus. Interea Acemus, cum locis quæ occupaverat, firma imposuisset præsidia, ingressus Persidem, cepit vrbes Casbin, Zenion, Geylon, Habar & Deylon, quod accidit anno Salutis DCCCLVI.

MOSTAHIN, CALIPHA XXXII.

Sublato à militibus Rege superiore, non potuerunt inter se convenire Arabes de eligendo alio: postremo tamen consenserunt omnes in Mostahinum, defuncti Caliphæ propinquum, eumque in regio collocavere solio, quo honore lætatus diu non est. Post decimum sextum enim mensem morbo sublatus est, anno AN. C. DCCCLVIII. Egiræ Mahometicæ CCXLII.

ALMATEZ BILA CALIPHA XXXIII.

Hic cum primũ sceptro potitus est, misit instructissimum exercitum adversus Acemum, sub ductu Muzæ Ben Buca, qui ingressus Persidem conflixit cum inimicis, potitusq; victoria de iis, recepit Civitates regias, Charear, Casbin, Hebar, Zenion, coegitq; mori Acemi fratrem apud Tarbastam, vt necesse habuerit Acemus, alium ex fratribus suis in ejus locum submittere nomine Mahamedem Ben Zeld.

Interea dum hæc in Persida fiunt, milites Almatezi pertæsi dominationis ejus, hoc modo eũ è medio sustulerunt. Lavabatur Almatezus in Vaporatio calidissimo: ad hunc irrumpentes milites prętoriani, coegerunt miserum fundo tenus exhaurire ingens poculum frigidissimę aquæ, quę tam violenta in corpore mutatio homini mortem attulit, cum regnavisset annis III. mensib. VI. anno AN. C. DCCCLXII. Egiræ CCXLVI.

MOTADY BILA, CALIPHA XXXIV.

Electus hic est post Almatezi mortem, quem post vndecimum mensem secutus est, pariter à Prætorianis sublatus, anno DCCCLXIII.

ALMAT HAMED BILA, CALIPHA XXXV.

Hic vt se securũ præstaret à consanguineis propinquisq; suis, à quib. tunc major erat cautio, quã à peregrinis, cogitavit eos omnes sub honesta missione à se amoliri, partim in Arabiam felicem, Medinam & in alia loca.

Cum autem in tota hac historia Medinæ sæpius fiat mentio, non erit alienum ab hoc loco monere lectorem, esse vocabulum non vnius duntaxat significationis, vnde & semper alia vox ad constituendam differentiam ei additur: veluti in Hispania dicimus Medina cœli, Medina Sidonia, Medina Campi, quæ vocabula Hispani à Mauris acceperunt. Sic Persæ & Arabes Vrbem, in qua est sepulchrum Mahometi Pseudoprophetæ, per excellentiam appellant Medina El Nabi, vel Tanabi: id est, Populus Prophetæ.

Cumque peregrinantur ad hoc sepulchrum, etsi

Digitized by Google

ſciant ſe Mecham proficiſci, dicunt tamen ſe Medinam El Nabi ire, cum tamen duæ illæ vrbes longiſſimis ſpaciis inter ſe diſtent. Medina enim Mediterranea eſt, diſtans ab altera quadridui itinere, Mecha vero eſt maritima, ſita in littore Erythræi maris, vnde frequens eſt navigatio Arabum in Orientem.

Cum autem ij, qui ex partibus Orientis Medinam petunt, apud Mecham in terram exſcendant, ideo ſe dicunt venire à Mecha.

Sed & idem dicunt qui ab Occidente veniunt, ita, vt poſtquam religioſæ peregrinationi ſatisfecerunt, Mecham ſe conferant, vt ibi ſibi de diverſis mercibus Orientalibus proſpiciant: cumque Vrbs ea, vt diximus, ſita ſit in littore, & vna omnium à frequentiſſimis adeatur navibus, vocant Luſitani illam Sinus Arabici partem Fretum ſive Strictum Mechanum.

Sive igitur Medinam dicas ſive Mecham, in Sinus Arabici faucibus eam reperies, non autem vt alii nugati ſunt, in ſinu Perſico.

Sed nunc ad res Perſicas redeundum eſt, quę per illos annos confuſæ admodum erant, Iacobo quodam Leyſo rebellante in Siſtonenſi territorio, quę ab initio non multi ſequebantur, quibus cum tamen mira proſperitate, ipſam Vrbem Siſton, caput provinciæ occupavit. Inde progreſſus in Caraſonem, pari ſucceſſu, vſque in terram Maurenahar penetravit. Habebat ibi Mahamed Ben Taher preſidium militum: cum his conflixit Iacobus, cepitque vrbem Harat, vnde nactus eſt audaciam adoriendi ipſum Ben Taher, Satrapā Caraſonis, qui non expectato hoſte aufugit Nichaburam. At alibi Acemus Ben Zeyd ſemper plura loca occupabat, etiam terras Gerionis. Hic coactus fuit Mahamedes ſubſiſtere impediente hoc ei tranſitum. Nullum igitur evadendi ſpem cernens, ſed pugnandum omnino, collectis circum ſe promptiſſimis, conflixit cum Iacobo, ſed victus atq; profligatus, reliquit opulentiſſima ſpolia in manibus victoris, amiſitque inſuper terras, Siſtonenſem, Caraſonenſem, Acemo autem ceſſit Gerionenſis vſque ad Charear. Ipſe comitantibus paucis effugit Nichaburam, Iacobo indeſinenter ſequente, qui in hac via incidit in Abdulam Zaleh Taherum, Vezierum, à quo interrogatus eſt, cujus nam authoritate bellum illud gereret? quod ſi pro Calipha militaret, neminem ei obſtiturum.

At Iacobus extracto è vagina gladio, in hoc, ait omne mihi jus & auctoritas. His auditis, conatus eſt Taherus, promiſſa ſecuritate, hominem ad ſe vocare, quod Iacobo parum placuit. Pugnam igitur conſeruere, in qua Taherus venit in poteſtatem Iacobi, qui eum interfici juſſit, vltimum qui eam provinciam rexerat. Erat autem homo ingenii pluſquam regii, majorisque virtutis quam anteceſſores ejus.

Cum autem acta Iacobi Leyſii non parum habeant admirationis, & in ejus geſtis multa notatu digna occurrant, non ingratum nos Lectori facturos arbitrati ſumus, ſi ad majorem Hiſtoriæ lucem vitam ejus deſcriberemus. Erat in Siſtonia Provincia Faber Ærarius, nomine Leyſus, cui erant tres filii, Iacobus, Hamer & Haly. Inter hos primus cum didiciſſet opificium paternum, adoleſcens admodum oberrabat, exercens opificium ſuum, quo ſe pariter atque patrem egenum aleret. Exlucello autem ſemper aliquid ſibi reſervabat, vt peculium velut campeſtre conficeret, vtque haberet, quod in ganeis, luſtris & alea perderet. Nec defuerunt ei ſocii, quibus eadem vitæ ratio placuit, quibus cum perpetuum ei interceſſit conſortium, & quos ſupra modum Iacobus ille ſibi obligavit, vt facti adultiores & ad res gerendas apti non recuſaverint ipſum ſequi quocunque duceret. Igitur cum eos temere armis inſtruxiſſet, cœpit cum iis inſidere vias publicas, ſolita ſemper in ſocios vſus liberalitate, à quibus & ductor creatus, latrocinia ſtrenue exercuit, mitior tamen in pauperes quam divites. Erat per id tempus Caraſoniæ Satrapa Taher Ben Abdula, de quo in ſuperiorib. diximus, ad quem multæ deferantur à ſpoliatis querimoniæ, dicentibus, quendam Salek Ben Aſar attraxiſſe in ſuam ſocietatem Iacobū Leyſum cum manu ſuorum, ſpe præmiorum & luculenti ſtipendii, & hunc jam ingreſſum Siſtoniā, ipſam cepiſſe & expoliaſſe vrbem. His de cauſis Taher Ben Abdula miſit copias ſuas Siſtonem, qui Iacobum cum ſuis inde ejecerunt.

Paulo poſt mortuus eſt Taher Abdula, relicta provincia ſua Mahamedo Ben Taher. Vix hic adiverat Præfecturam, cum Tribunus quidam Dram Ben Nacer, pertracto in partes ſuas Iacobo, alibi latrocinia exercuit, & loca aliquot in ſuam poteſtatem redegit. Et Dramus quidem perrecturus alio, reliquit Præfecturam Siſtonis Vrbis Leyſio. Taher intellectis his, coegit Dramum ſecum decertare, quem victum vivum cepit & Bagadetum miſit, vbi eum Calipha anguſto includi juſſit ergaſtulo, in quo multo tempore fuit.

At Iacobus, cum nullam perderet occaſionem, videns ſe liberum à Sacramento militari, quo Dramo fidem ſuam obſtruxerat, Siſtonis Dominum ſe appellavit, ita tamen, vt à ſolita liberalitate & comitate in ſuos nihil remitteret, quo fecit, vt in dies ipſis fieret charior. Cum igitur vrbem muniviſſet, & præſidia per loca idonea provinciæ diſpoſuiſſet, cæpit excurſiones facere in agrum Caraſonenſem, quod accidit circa annum Salut. DCCCLXIII. Egiræ CCXLIII. Hinc cepit oppida Herat & Fuchanch, deſcendensque in Kermonem, profligavit milites, quos ibi in præſidiis collocaverat Præfectus Scyranus, quam Vrbem obſedit, quæ &, cum ſe adverſus vim ejus defendere non poſſet, deditionem fecit, vbi milites ejus incredibili potiti fuerunt præda. Ipſe nihil ſibi reſervavit præter XX. Falcones, qui Præfecti fuerant, decem quidem albi, & totidem verſicolores, cum magna vi muſci puriſſimi, quas res miſit Bagadetum ad Califam, ſua ſimul ei offerens ſervitia.

Poſtea, cum omnia ex arbitrio conſtituiſſet, rediit Siſtonem. Verum anno AN. C. DCCCXXII. Egiræ CCLIII. cum audiret turbas eſſe apud Scyras Vrbem, profectus eo, & caſtigatis auctoribus omnia tranquilla reddidit. At Caliphæ non vſque adeo grata erant quæ de ſucceſſibus Iacobi Leyſii nunciabantur, quanquam ſe ſuaque omnia ei offerret: ſed celeriter ei nunciari juſſit, exiret Scyra Vrbe adeoque tota Perſide ſine mora, neque vnquam

Digitized by Google

quam ingrederetur eam provinciam, sed contentus esset iis, quæ alibi occupata per Tyrannidem possideret.

Non audebat Leysus tantæ se opponere potentiæ: respondit igitur, facturum se imperata: & cum dicto deserta Persidе Baltam ivit in provinciam Maurenahar: hinc vsque Cabulam, venit, quæ regio est inter Carasonem & Indiam: hanc ille subegit, & profectus in Nichaburam, decertavit cum Mahemedo Ben Taher, vti supra diximus.

Nec hic subsistere potis, Carasonem invasit, transitaque Taburstana apud Sarym constitit.

Hic Acemus Ben Zeyd, quem supra Adeodatum cognominatum diximus, occurrit Iacobo, sed victus ab eo est, & in Vrbem Delmon fugere coactus, quæ est caput provinciæ Gueylon. Sublato æmulo hoc, Leysus, persecutus est hostes Amalam vsque, cum jam adulta hyems esset, & regiones illæ cæteroquin sint frigidiores, & tunc quidem tam altæ ceciderant nives, mixtique grandinibus imbres, vt coactus fuerit, prius remeare iter, cum vltra IV. millia è suis inclementia tempestatis sublatos amisisset.

His Iaçobi adversitatibus cognitis Calipha, cupiens per hanc occasionem hominem opprimere, misit magna diligentia cursores per omnia loca, quæ Leyso parebant, hortatus præfectos ejus, ne imposterum homini obedirent. Quasi contrarium imperavisset, ita omnes in fide erga Iacobum confirmati sunt, vt quidam Mahamedus Ben Vacel, Arabs & ductor eorum, qui tunc bono numero in Persidе erant, adortus fuerit præsidia, quæ Califa hinc inde in oppidis Arcibusque disposuerat, quæ partim occidit, partim ad seditionem concitavit.

At alibi Muca Ben Bugan, princeps magnæ partis Arabiæ & vicinarum Persidi regionum, conscriptum exercitum Abderamo Ben Mosseh tradidit, qui cum Mahamedo Ben Vacel congressus, victus acie captusque fuit.

At Leysus interea non dormiebat, sed in motib. istis pervigili oculo in omnes erat intentus occasiones, vt his vteretur: ingressus igitur Persidem tam tempestive venit, vt statim provinciæ Dominus factus fuerit, occisis omnibus, à quibus sibi metuebat, cumque satis sibi esse arbitraretur virium altiora tentandi, duxit Bagadetum.

Calipha, cui audacia hominis valde suspecta erat, vt eum à proposito divertere, scribit ad eum, ne progrederetur longius, se ei, si domũ redire vellet, libere permissurum omnia, quæ vspiam obtineret. Respondet Leysus, venisse se, vt ipsum coram videret, neque se nisi co viso ab vrbe discessurum, quicquid alii dicant faciantque. Calipha accepto hoc responso, magna celeritate cogit copias, quibus præficit fratrem suum, qui recta in Leysum duxit, dimicaturus cum eo.

At Iacobo longe alia mens erat, qui nocte motis castris, per vias impeditas nec omnibus notas, versus Bagadetum raptavit exercitum, dubium ac perplexum relinquens Califæ fratrem, qua potissimum via illum sequeretur.

Interea Iacobus magnis progressus itineribus, augebat tamen numerum militum suorum quacunque transibat. Properantem ad hunc modum Colici corripuere dolores, consultique Medici responderunt vno ore, oportere illum, si convalescere vellet, Clystere vti.

At Leysus se moriturum citius quam illo medicamenti genere vsurum asseveravit. Inter medios, quibus torquebatur dolores, adfuit Orator ab Calipha, suadens, ne progrederetur vlterius: assedit Iacobus, vt potuit sumtoque in manum dextram Acinace Persico, in sinistram pane & allio, respondit Legatis Caliphæ. Dicite Principi vestro, mortem, si mihi ex hoc morbo contingat, finem allaturam nostris contentionibus. Si mihi convalescendum sit, gladium hunc decisurum litem super regno inter me & ipsum. Si perdam aleam, vt mihi nulla amplius spes supersit: me in remotissimas terras in exilium iturum, ibique pane hoc & allio victurum. Vix redierant Oratores cum hoc responso Bagadetum, cum illos secutum est nunciũ, morbo illo extinctum esse Iacobum, anno à nato Christo DCCCLXXXVIII. Egiræ CCLXIX. cum jam per annos XI. in Persia dominatus fuisset, vir plane Martius prudens, liberalis, affabilis, amans justitię, in cujus familiæ vsum quotidie mactabantur arietes XX. boves V. & alites permulti, cumque ipse sobrie admodum cœnaret, multa ex his erogaret in vsus pauperum. Defuncto eo, nihil precioſi in ejus tentorio repertum fuit, præter arma quibus vtebatur, & Aulęum Persicum, cum cervicali, cui solebat indormire. Liberos reliquit nullos, quę causa est, vt fratrem successorem habuerit.

Hamer Ben Leys hic dicebatur, hæres omnium fraternarum possessionum: qui multo melius duxit, gratia & amicitia Caliphæ vti: missis igitur Legatis, suam obtulit ei obedientiam, petens se in gratiam recipi. Hanc Legationem tanti fecit Calipha, vt non solum ei confirmaverit possessionem Persidos, Carasonis, omniumque terrarum quas frater occupaverat, sed & Hieraquenam addiderit, cujus caput est Vrbs Isphaon: præterea constituit cum supremum Iustitiæ Præsidem apud Babylonem, post Calipham, quod tamen officium permissu regis transtulit in Abdulam Ben Taher. Hinc duxit Hamer exercitum ad Vrbem Casbin, inde ad Civitatem Rey, relicto Præfecto Persidis quodam agnato suo Mahamedo Ben Leys.

At hic videns alterum absentem, Rex salutari voluit. Verum Hamer mox reversus, castigaturus erat stoliditatem hominis, nisi celeriter aufugisset, relictis spoliis opulentissimis, quę posteà Hamer omnia dona misit Caliphæ.

Interea à multis partibus afferebantur querelæ super insolentia & crudelitate Hameri, vnde Calipha edictum proposuit, quo Hamero omnes auferebat provincias, quas antea permiserat, conscriptisq; omnibus locis militibus præfecit quemdam Saydum Ben Mochalet: qui acie Hamerum vicit atq; profligavit. Erat inter duces ejus quidam Damus, qui longo tempore Bagadeti captivus fuerat. Videns hic infelicem Hameri successum, fugit è ca-

Digitized by Google

ſtris, quod Hamerus quoque fecit, non multis comitatus militibus.

Cum autem novas poſt modum collegiſſet copias, & ſuos vndique ex fuga ad ſe convocaſſet, ſtatuit per vim ingredi Vrbem Scyras. At Monſecus Caliphæ frater præveniens eum ante in Vrbem irrupit, vnde Hamerus, abjecta ejus potiundæ ſpe, Kermonem, Siſtonem & Caraſonem adivit. Ibi mortuus eſt Almat Hamet Bila, Calipha XXXV. cum regnaviſſet annis XXIII. anno AN. C. DCCC XCIII. Egiræ CCLXXIV.

MATAZED BILA HAMED. Calipha XXXVI.

Frater hic fuit ſuperioris, cui & in Caliphatu ſucceſſit, homo animoſus, nec minus prudens & ingenioſus. Cum Hamer Ben Leys amiſſa ſpe Vrbis Scyras in Caraſonem profectus fuiſſet, rebellaverat quidam ex Gubernatoribus illius provinciæ, nomine Rafea Ben Arſuma adverſus Calipham, ſecutus factionem Mahameti Ben Zeydi, adverſus quem Hamerus, permiſſu Caliphæ, duxit ſuas cohortes, eumque victum vivum cepit, & caput ejus Caliphæ miſit, qui plurimi fecit hoc donum, gnarus, Rafeam illum multum damni dediſſe Provinciæ. In hujus facti præmiũ donavit Calipha de novo Hamero Caraſonem, Maunahar, Perſidem, Kermon & Siſton, jubens, vt nomen ejus vexillis inſcriberetur publicis, in ſignum fidei & obedientiæ: q̃ accidit anno à nato Chriſto DCCCXCVIII, vicinſim Hamer Ben Leys, vt gratus eſſet pro tantis donis, miſit Caliphæ præſtantiſſima munera, moneræ argenteæ vim immanem, multa vaſa aurea & argẽtea, plurimum Ambræ, Muſci & Zibettæ, & materiam veſtiariam precioſiſſimam.

Diu jam erat, cum regio Maurenahar jucunda pace vſa fuit, excuſſo prope jugo Perſico, cum Iſmael quidam Ben Hamed ibi dominaretur. Adverſus hunc profectus eſt cũ copiis Hamer Ben Leys. Expectabat eum Iſmael in ripa Iehunis fluvii, qui provinciã Maurenahar ſeparat à Caraſonenſi, vbi poſt aliquot adverſa & ſecunda prælia vnius & alterius, Hamerus victus eſt, & ab Iſmaele captus. Ajunt quidam hunc adjutũ argento ab Califa alteri prævaluiſſe, quem tamen comiter habuit, cum juraſſet, ſancte ſe impoſterum obſervaturum pacem & amicitiam, neque vnquam illaturum bellum provinciæ Maurenahar.

At Iſmael cum de proſpero hoc ſuo ſucceſſu ſcripſiſſet ad Calipham, mandatum accepit, vt Hamerum mitteret Bagadetum, quod & fecit. Ibi Califas eum necari juſſit, cum XXIII. annis dominatus fuiſſet. Fuit autem homo iracundus & ſævus, luſcus ſimul & minaci facie.

Fuerat jam ante, nempe anno Sal. DCCCXCIV Egiræ CCLXXX. Iſmael ex provincia Maurenahar cum exercitu profectus in Turqueſtaniã, vbi multas à Turcis obtinuerat victorias, in vltimoq; prælio cæperat regem Turqueſtaniæ cum patre & vxore ſua, nec non X. hominum millibus, & præda tam affluente, vt ſingulis militibus ex Iſmaelis cohortibus ceſſerint mille denarii aurei, qui conficiunt M D. ducatos aureos. Potitus hac victoria venit Samarcandam, & hinc digreſſus conſeruit pugnam illam cum Hamero Leyſo, habens ipſe ſub ſignis LXX. millia militum. Hinc factum eſt, vt Marazedus Calipha ei dederit titulum Máurenahar, Caraſoniæ, Scyras, Siſton & Kermon.

Hæc cum ita accidiſſent, intellexit Iſmael, Mahamedum Ben Zeydi excurſionibus vexare Tabraſtaniam: igitur ipſe cum copias collegiſſet, miſit eas ſub ductu Mahamedi Ben Aron, qui illum acie vicit, adjecitque dominationi Iſmaelis Provinciam Gerionenſem & Tabraſtanam, quas ipſe poſtea rexit ſub auctoritate Iſmaelis, quod accidit anno Sal. DCCCCI. Egiræ CCLXXXIX. Ipſe vero Matazedus Bila Califa altero anno poſt mortuus eſt. cum regnaſſet an. IX. menſes IX.

MOKTAFI BILA CALIpha XXXVII.

Matazedi filius hic ſucceſſit patri, quo tempore ipſi Arabes in multas diviſi turmas, latrocinia per Arabiam paſſi exercuerũt, funeſta reddentes mercatoribus itinera, & peregrinantes Mecham impedientes. Factus jam fuerat Taher Ben Hamed in locum Aui ſui Rex Siſtonenſis, intraveratque cum copiis ipſam Perſidem armatus, vt eam ſibi ſubiiceret, cum jam ante deviciſſet præfectum provinciæ Abdulæ, qui querelam detulit ad Iſmaelem. At hic ſcripſit ad Taherum, monens eum, vt à talibus auſis deſiſteret, quod is fecit, ſive iſtud gratiæ dans ſive timori. Hinc ad vrbem Scyras reverſus eſt Taherus Anno Salutis CMVII. Egiræ CCXCIII. eodemque anno mortuus eſt Moktafi Calipha, cum regnaviſſet annis IV.

MOKTADER BILA, CALIpha XXXVIII.

Non reliquerat ſuperior iſte Calipha liberos, quare Principatus ad fratrem eius Moktaderum devolutus eſt, quo regnante, Mahamedes Ben Aron, qui, vt diximus vicerat & interfecerat Ben Zeydi, recuperaveratque Gerionem & Tabraſtanam, quas provincias Iſmael ei regendas commiſerat, is, inquam, Mahamedes Ben Aron, rebellavit, & clam pactus cum civibus oppidi Rey, occupavit iſtud. Quo cognito Iſmael occurrit ei: verum is tempeſtiva fuga ſibi conſuluit.

At Iſmael eum perſecutus, recuperavit Casbin, Zeniam & Tabraſtanam: quas provincias ſub ſuam obedientiam reduxit: ipſum tamen Ben Aron adipiſci non potuit. Cum igitur regionem ſufficientibus præſidiis muniviſſet, altera vice in Turqueſtaniam ſe contulit, acquirens ſibi novas terras & nova regna in quibus incredibilem collegit prædam Hac cum onuſtus in provinciam Maurenahar veniſſet, anno Sal. CMIX. Egiræ CCXCV. reliquit regnum ſuum Hamedo filio, quem Caliphain ejus poſſeſſione confirmavit.

Cum enim Caliphæ non in rebus ad cultum Numinis duntaxat ſpectantibus, ſed & in regno ſummam obtinerent poteſtatem, non credebantur ii bono titulo ſuas poſſidere provincias, qui eas non

à Ca-

Digitized by Google

à Caliphis obtinuissent. Fruebatur interea Taherus vrbe Scyra aliisque terris, quas ei Calipha permiserat, cumque in regionem Sistonensem venatum profectus fuisset, quidam Leysi servus, Haly filius ex improviso occupavit Seyras: cumque accurrisset Taherus ad solvendam obsidionem, tam audax fuit Sangherius, (id enim homini nomen erat) vt cum illo acie decertaret, in qua Taherus victus captusque fuit cum fratre suo, & missus Bagadetum, cum rebus suis præfuisset per annos VI. vtque partis majore securitate frueretur, cepit etiam Leysi filium nomine Halyn cum quodam fratre ejus Madedo, misitque vtrumque ad Calipham, quod accidit anno AN.C.CMXIV. Egiræ CCC.

Interea Hamerus Iacobi filius, nepos Leysi, videns Sistoniam tumultibus plenam, collectis copiis militum intravit in eam, totamque spacio novem mensibus subegit, interfectis multis ex seditiosis, sed non diu supervixit, relicto fratre suo natu maximo Calebo Ben Hamad in gubernatione provinciæ.

Hic cum religionis gratia Mecham adire vellet, reliquit suo loco quendam propinquum suum, Taherum Ben Ocem, qui arrepta ex absentia ejus causa, concitavit in absentem seditionem, qui rediens ex peregrinatione, portas sibi vbique clausas invenit, vt necesse habuerit ad vrbem Bokaram in provinciam Maurenahar confugere, & Mansuri implorare auxiliũ à quo non contemnendis adjutus copiis recuperavit Provinciam Sistonensem, è qua Taherus jam profugerat. Videns se Calebus jam pacato frui regno, remisit auxiliares, quibus vsus fuerat, copias ad Mansurum: quod vbi cognovit Taherus, reversus Sistonem, vrbem iterum cepit, coegitque Calebum secundo de auxiliis implorare Mansurum, cumque Sistonem properaret, accepit nuncium mortuum esse Taherum, & filium ejus Ocemum patri successisse: qui vbi de adventu Kalebi accepit, relicta Sistone in munitum se recepit castrum, in quo eum Calebus tam arcte obsedit, vt ad extrema redactus Mansuri imploraverit patrociniũ ad obtinendam Calebi gratiam: Sic Ocemo permissum est, vt reversus Bokaram, tantum à Caleb o acciperet terrarũ, quantum in vsus vitæ sufficeret. Erant omnia illa regna Mansuro tributaria: Sed Calebus, cum jam prospere ageret, immemor acceptorum beneficiorũ, oblitus est tributum solvere. Iratus ingrato homini Mansurus, tribuit Ocemo validum exercitum, vt castigaret Calebum.

At hic diffidens campo, recepit se in arcem quæ videbatur expugnari non posse. Hanc cum Ocemus capere non posset, misit Mansurus alium ducem, Aboaly Ben Semur cum majoribus copiis, qui se cum Ocemo conjungeret. His conspectis viribus, Calebus egressus est Arce, quæ Dareca vocabatur, quam tradidit Mansuro, qui vicissim illum restituit in regnum suum. Talis fuit hujus Principis vicissitudo, qui toties eversus regno, toties restitutus fuit.

Ad extremum pulsus est à filio suo nomine Tahero, cumque ingrato illi cuculo armis resistere non posset, finxit se ægrum, & jam proximum morti cupere colloqui filio, eique aperire, quonam loco Thesauros suos reconditos haberet: ad id se cogi paterno affectu, & quod sciret hæc talia male credi servis. Credidit stultus adolescens verbis paternis, qui advenientem amplexus sua manu confodit: & hic erat thesaurus, quem Calebus ostendit filio.

Sic reversus in regnum, cum id sub finem vitæ iterum amisisset, mortuus est, relicto filio, cui nomen erat Abu Afes.

Alibi Hamedus Ismaelis filius, qui consentiente Calipha partim regno successerat, ingressus Samarcandam, adivit gubernationem illius, vbi avunculum suum Ezachum nescio qua de causa in carcerem inclusit, sed paulo post in libertatem restituto, tradidit gubernacula provinciæ. Præfecturam Nichaburæ tradidit Mansuro Ezachi filio primogenito anno Salutis C M X I V. Egiræ CCCI.

Cum aliquando venaretur, accepit nuncium, Tabrastanam rebellasse, quo cum perterritus in suum se tristis recepisset tentorium, est occisus à servis suis dormiens in lecto, & corpus ejus tumulatum in Vrbe Bokara (quæ Bactra sunt) cum regnavisset annis VI. mensibus IV. Fuit hic vir magni animi, sed duabus rebus nimis deditus: iracundiæ & voluptatibus. Reliquit moriens filium Nacereum, annorum X. quem quidam Hamet Ben Hamet Leys, Bactrorum præfectus, sublatum in humeros, sequente magna populi multitudine per Vrbem circumtulit, clamante præcone, hunc esse regem. At puer Princeps ita se circumferri videns, plorabat largiter, quærens subinde ex stipatoribus suis, an & sibi moriendum esset, quemadmodum patri. Omnibus autem negantibus acquievit cessavitque à lacrymis.

Erat per eos dies Samarcandæ Ezachus, defuncti regis propinquus, qui intellecta morte regis, & spreta pueritia filii ejus, ingentes conscripsit copias, occupaturus ejus dominium.

At Nacercus, qui & alio nomine Amir Seyr dicitur, suasu propinquorum misit adversus eum ducem quendam nomine Hamuiehum, qui Ezachum duabus pugnis vicit, coegitq; eum fugere Samarcandam, vbi reliquerat suo loco filium Eliam, qui & ipse deserta Vrbe aufugit. Sic Ezachus coactus fuit se dedere arbitrio Hamuiehi, qui eum Bokaram misit ad Nacereum, cujus jussu in carcere necatus est. Patris tam indigna morte intellecta filius ejus Mansur, Præfectus Nichaburiæ, cepit arma in Nacereum, cum quo Mansuro se conjunxit Ocemus Ben Halys, ob nescio quam offensam quam à Nacereo acceperat. Hic vt occurreret, præparavit se Hamuiehus, sed dum in expeditione est, accipit nuncium de morte Mansuri.

Neque tamen secius perrexit Ocemus Ben Haly, sed cito finem fecit, victus captusque primo prælio & Bokaram missus. Eodem tempore dedit Nacereus Gubernatorem Carasonensibus, nomine Hamet Ben Sal, qui adiutus à provincialibus, Gerionem & Maruon per seditionem occupavit.

pavit. Sed & hunc Hamuichus victum captumque Bokaram misit, vbi in carcere periit anno Salutis CMXV. Egiræ CCCI. quo eodem tempore mortuus est Calipha Mauctaderus imperii sui anno septimo.

IAFAR BEN MATAZED, CALIPHA XXXIX.

Frater hic Mauctaderi eidem in Caliphatu successit, qui non majore pace ocioque in eo lætatus fuit, quam antecessores ejus. In Tabrastania enim quidam Leylahæus Ben Naeman cum manum latronum collegisset, excursionibus vicinas vexavit provincias, magna vsus prosperitate. Adversus hunc Nacereus misit exercitum, à quo Ben Naema victus fuit. At milites Leylahæi male accepti vias insidentes publicas, viatores spoliabant: hos Nacereani persecuti, trucidaverunt omnibus locis, recuperatis spoliis, sed & ipsum Leylahæum captū truncaverunt capite. Eodem tempore in Vrbe Rey alia seditio orta est, sed hanc celeriter oppressit Nazereus, constituto ibi præfecto Singuro cum valido præsidio: hinc profectus est in regionem Maurenahar, vbi de nova in Persíde rebellione accepit.

Quidam enim Vir Persa, nomine Abusuia, paupere quidem censu, sed nobili natus familia, & qui genus suum ad priscos Persarum reges referebat, tres habuit filios, Emandum Daulæum, & Acemum, & Achmetum. Huic aliquando per somnum oblata est visio, qua visus est sibi videre ignem prodeuntem à genitali sua parte, qui magnam regionis partem incendio corripuerit, & post in triplicem divisus flammam constiterit per longum tempus. Hinc territus consuluit Astrologos, qui responderunt futurum eum dominum amplissimarum provinciarum, in quas & filii post ipsum imperium habituri sint. Erat eo tempore Tabrastaniæ dominus quidam Makon Ben Kaby: in hujus servitium & clientelam dedit se Abusvia cum tribus filiis. Accidit autem vt Azfar quidam contra Makonem insurrexerit, vnde natum bellum vnius anni, quo finito Makon mortuus est. Azfar igitur vsus occasione has occupavit vrbes, Rostandaden, Rey, Casbin, Habar, Zenian, Taromin & Amedon: in quibus locis omnibus magnam fecit vastitatem, vt Nacerus necesse habuerit, cum magnis copiis vastatori illi occurrere, vbi post longam disceptationem pax facta est, vt Azfar sibi haberet quæ occupaverat. In his igitur terris, postquam Nacerus aliquandiu abfuit, tumultuarium est, sed statim ipsius præsentia omnia tranquilla reddidit.

Hæc quidem in Persia fiebant: at in Arabia magna latronum manus Mecham Vrbem invasit, quam penitus expoliavit, ablatis etiam sacris thesauris, quos à multis annis Arabum Turcarumque superstitiosa devotio in locum illum congesserat.

Sed & sacrosanctum illum lapidem secum Cufam abstulerunt, de quo miras Saraceni commenti sunt fabulas, inter quæ hæc non est vltima: Adamum, cum è Paradiso expulsus fuit, eum secum tulisse: hinc eundem venisse in potestatem Ismaelis filii Abrahami, & postremo Mecham sive Medinam delatum, Fingunt etiam, eum colore per se esse candido, sed si sceleratorum tractetur manibus nigrescere.

Sed hæc omnia risu digna sunt, quibus omissis, nos ad Iafarem Calipham revertemur, qui cum regnavisset annis viginti, mortuus est, anno à nato Christo CMXXXIII. Egiræ CCCXXI.

KAHERBILA MAHAMED CALIPHA XL.

Iafare mortuo, detulerunt milites Imperium ad fratrem ejus Kahelbilam Mahamed Ben Mathaced, quem tamen iidem non diu regnare siverunt: nam elapsis mensibus octodecim eruerunt ei oculos, Anno Salutis nostræ CMXXXV. Egiræ CCCXXII. transtuleruntque regnum in

RAZIN BILAM MAHAMEDVM, Califam XLI.

Qui Mauctaderi Caliphæ filius fuit, & Cancellario suo aliquot menses post abscindi manum, deinde ipsum de patibulo suspendi jussit, quod se inconsulto edicto cuidam, etsi non magni momenti, subscripsisset. Fuerat hactenus in more positum, vt Caliphæ ipsi interpretarentur Legem Mahometi ad populum sed hic edicto jussit, vt id imposterum Consiliarii sive Vezieri facerent. Regnavit hic Calipha annis IV. mortuusque est anno Christi CMXXXIX. Egiræ CCCXXVI.

MVKTAFI BILA EBRAHEM Calipha XLII.

Mauctaderi filius hic fuit, creatus Calipha post mortem fratris sui, cum gravi fame apud Bagadetum laboraretur, quam famem horribilis secuta est pestilentia, quæ magnam hominum multitudinem sustulit.

At Muktafio milites effoderunt oculos anno Sal. CMXLIII. Egiræ CCCXXX. cum præfuisset rebus annis quatuor, quanquam post amissos oculos adhuc XXIV. annos vixerit, quo tempore caliphatu potitus est filius ejus.

MVKTAFI ABDELA, Calipha XLIII.

Regnante hoc primum accidit, vt Nacereus, postquam cum Azfare transegisset, Phtisi mortuus fuerit: vir, dum vixit, bellicosus, qui obiit anno regni sui XXXVIII. Salutis Nostræ CMXLIV. Egiræ CCCXXXI. Fuit Princeps liberalis affabilisque. Nominaverat quidem hæredem regni filium primogenitum Ismaelem: hic vero cum morte sua patrem prævenisset, junior nomine Nuæus ei successit.

Nunc dicemus de Abusuia ejusque filiis, qui hactenus Azfari militaverant. Cum Azfar rediisset cum

Digitized by Google

cum Nacereo in gratiam, misit Emandum Daulæum maximum natu cum fratribus ejus adversus Vrbem Hisphaon, quæ caput est Hieraquenæ, cui tunc præerat Mosafat Ben Iacut.

Hic imbecilliorem se videns, deserta regione fugit Scyras ad Iacutum patrem suum, vnde ambo conjunctis viribus duxerunt in hostem, cumque Nardauegem habuissent obvium, conserta pugna vicerunt eum. At Mardaueges fugiens imploravit opem Emandi Daulæi fratrumq; ejus, contra quos pariter Iacutus ita duxit suas copias, vsus hoc stratagemate. Peditibus, quos præire jussit, dedit ollas fictiles impletas Naphtha & bitumine, cum myxis ardentibus, vt incensas illas in adversum hostem mitterent, quod & fecerunt.

Cum vero ventum haberent contrarium, non solum hosti nihil intulerunt mali, sed & ipsi ambusti igne fuerunt. Pariter equitatus Iacuti, perterritis flamma equis, invtilis factus est, cum equi consternati contemto sessorum imperio præcipiti auferrentur fuga. Hos Emandus Daulæus persecutus, opulentissimis potitus est spoliis, vnde ei crevit animus, vt comitantib. fratribus ingressus Persidem eam prope sine sanguine sibi subjecerit, hinc obsedit Scyras caput regionis, cumque vrbs esset primi nominis, & à multis habitaretur nobilibus familiis, soluta de suo militibus pecunia, redemit eam ne spoliaretur.

Cum Emandus aliquot diebus in regia Iacuti quievisset, magna cum sollicitudine habuit, quo pacto debita militibus persolveret stipendia, auro destitutus & argento, & audiebantur jam minæ murmurantium, proximumque aberant à seditione militari. Plenus igitur tristitiæ & formidinis, ingressus in cubiculum decubuit super lectum. Ibi sublatis oculis videt in foramine quodam laquearis ingentem colubrum, subinde exertantem caput atque retrahentem id. Territus ergo ostento vocat servos, imperatque iis, vt sine mora demoliantur tectum, quod erat planum more ædificiorum in Oriente. Eo facto, non solum offenderunt serpentem istum cum nonnullis aliis, quos è vestigio interfecerunt, sed & incredibilem thesaurum, quē Iacutus eo absconderat, qui largiter sufficiebat ad persolvenda militibus stipendia. Aliquanto tempore post alia prosperitas Fortunæ benignitate eidem oblata est. Cum aliquando novam sibi jussisset confici vestem, & Vestiarius, qui antea Iacuto in eodem opificii genere servierat, ante cum constitisset, jussit sibi Emandus porrigi baculum. At sartor plenus formidinis, cum scipionem sibi impactum iri certo crederet, prostratus humi, ignosci sibi petiit, fassurum se veritatem etiam non verberatum. Iussus ergo dicere, habere se domi suæ, inquit, XVII. Cistas bonis rebus plenas, quas Iacutus proficiscens ab Vrbe apud se deposuisset. Statim missi sunt, qui cistas aperirent, in quibus vis ingens telæ aureæ sericæque reperta fuit, & stragulorum ac aulæorum magni precii: quarum rerum pars etiam ad vestiarium pervenit.

Dum hæc in Perside fiunt, successit Nuæus Nacereo patri in regnis Maurenahar, Carasone, Nichabura, aliisque regionibus vicinis.

At Hamuiehus felix ille dux militum non perommia sentiebat cum Nuæo, cumq; hunc jam in regio collocatum videret solio, nihil dubitans, quin privatas persecuturus esset simultates, subduxit se clanculum ab Aula, rediitque domum.

At Nuæus tam plenis benevolentiæ eum invitavit litteris, vt Hamuiehus ad regiam reversus fuerit, cui Nuæus dedit Satrapiam Samarcandæ. Post hæc tempora Nuæus variis locis bella gessit, sed per duces legatosque suos, quorum omnium infelix fere fuit exitus.

Cum enim Aboaly præfectus oppidi Rey rebellasset, profectus adversus eum Nuæus, sed bis victus fuit, & alter ingressus Bokaram civitatem, voluit eam penitus solo æquare, nisi civium precibus & lamentis exoratus fuisset.

Postea tamen Nuæus, cum meliore fortuna vsus omnia recuperasset, crudelibus modis animadvertit in omnes, quotquot rebellaverant, qua sævitia effecit, vt multi deserto se ad hostes transfugerent. Erant tunc Emandus Daulæus in Vrbe Scyras, cū accepit nuncium, Mardevegem, cujus ipse hactenus militaverat auspiciis, cæsum fuisse per servos suos in balneo. Missō igitur Acemo fratre suo, cepit Hieraquenam, contulitque vires cum Aboaly, cui tum non bene conveniebat cum Nuæo.

At huic Calipha contulit præfecturam Carasoniæ, quam dum adit Aboaly, moritur Nuæus tristitia animi, vt putatur, relicto filio Abdul Maleco.

Cæterum Emandus, cum fratrem Acemum ad occupandam Hieraquenam misisset, misit etiam alterum Achmetum ad invadendam provinciam Kermonensem, quam & cepit, & præsidiis munivit: deinde duxit Bagadetum, quam vrbem deditionem facere coegit. Erga Calipham autem Muktafi Abdelam magna crudelitate vsus est, cui erui jussit oculos, postquam regnaverat annos IV. & totidem menses: quod accidit anno Salutis CMXLVII. Egiræ CCCXXXIV.

MOTYA BILA FAZELE, Calipha XLIV.

Cum Superiori Caliphæ vsum oculorum ademisset Achmetus, substituit ei Motyam Bilam Fazelem, Moctaderi filium. Hoc tempore receptus est Lapis ille sanctus, de quo supra diximus, quod Arabes Latrones eum abstulerint Mecha, & Cufam transtulerint: quamvis & alio tempore idem ille Lapis Mecham deportatus, & appenso contra auro pari pondere redemtus fuerit.

Interea Emandus Daulæus cum in morbum lapsus non procul à morte se abesse sentiret, vocatum ad se Azudum Daulæum, nepotem suum ex Acemo fratre, hæredem instituit, ipse paulo post mortuus.

Perierunt & circa idem tempus multi viri Principes, interque eos Vaxus Magir: huic enim in venatione aper mortem attulit, cum se inter equi crura intulisset, eodemq; impetu equū & sessorem evertisset. Et Achmetus Emandi frater Bagadeti mortuus est. Acemi item Ben Feruzani in Tabrastana

& Ca-

Digitized by Google

& Caphutus Hachidius apud Cayrum, & Aboaly Ben Mahamedi in Bactris, & apud Damascum Seyf Daulæus: postremo etiam Imperator Constantinopolitanus. Facta sunt hæc anno Sal. CMLVII. Egiræ CCCXLV. Afflixit eodem tempore Coresta-nam: Carasoniam, aliasq; Persici regni provincias horribilis pestilentia, erantque omnia vulgo plena confusione & reciproco timore, cum omnes sibi metuerent, nemo se alteri crederet, duravitque hęc diffidentia per aliquot annos.

Anno AN. C. CMLXII. Egiræ CCCL. cum Abdul Malecus Nuæi filius per Hippodromum decurreret, lapsus ab equo cervices fregit, cũ regnasset annis VII. mensib. VI. cui successit frater Mansur. Hujus electioni opposuit se quantum potuit Albataquinus Vierus, sed prævaluit factio Mansuri, & Albataquinus duobus prœliis apud Balcam victus fuit. Quo successu elatus Mansurus, convertit arma in Hieraquenam & Civitatem Rey. Acemus, qui eam possidebat, occurrens ei cum copiis, mittit interea filium suum, vt valida cum manu excursiones faciat in Carasonem, ad distrahendas Mansuri vires.

Interea Abul Ocenus, dux copiarũ Acemi, videns neutrius Principis animum abhorrere à pace, cœpit de ea mentionem facere: quæ ita concluſa est, vt Acemus Mansuro solveret CCXX. millia denariorum auri, ipse Mansurus in confirmationem fœderis vxorem duceret Acemi ex fratre neptem, quod accidit anno AN. C. CMLXXV. Egiræ CCCLXIII quo anno ex Paralysi mortuus est Calipha Motya Bila cum XXIX. annis regnavisset, relicto filio Tajaha Abdelo Carimo. Mansur autem, duobus annis post mortuus est, cum regnasset annis XV. relicto filio Nuæo.

TAIAHA ABDEL CARIM, Calipha XLV.

Successit hic patri mortuo in Caliphatu, quo obtinente regnum, (vel potius vmbram regni; nam Caliphæ jam solo nomine reges erant, aliis regna & provincias obtinentibus) multæ res observatione dignæ in Perside acciderunt. Duobus annis post electionem hujus mortuus est Acemus Daulęus, qui filium suum Azudum regem Hieraquenę fecit, qui post mortem patris regnum suum valde auxit.

Nuæus vero Ben Mansur, Princeps provinciæ Maurenahar bellorum nactus est materiam. Cabus n. Changuiri filius rebellavit adversus eum, cepitq; regiones Gerionensem & Tabrastanam.

Circa idem tempus magna fuit controversia inter Azudum Daulæum & Facotum Daulæum fratres, vt ille contra hunc copias miserit, eumq; coegerit in Cabusanam provinciam fugere: quem Cabusus honorifice excepit, se suaque omnia ei offerens. Graviter offendit hæc res Azudum, qui in vtrumq; ducens exercitum vtrumq; vicit, receptaq; Gerione & Tabrastana, coegit Cabusum & Facorũ fugere ad Nuæum Mansuri filiũ, qui eos armis militibusq; adjuvit, quib. cum Azudo congressi & superiores facti coegerunt eum in munitissimũ quoddam castrum fugere, quod & obsederunt.

Cum autem obsidio jam vltra secundum mensem tracta fuisset, proditione cujusdam centurionis captum est.

Cum autem Facorus Daulæus paulo post mortuus fuisset, Azudus sublato fratre æmulo totius regni dominus evasit.

Circa idem tempus mortuus est Abu Ocemus, primus Nuæi Vizierus, cujus mors, nisi fallor, observatione digna est. Habebat inter ancillas quarum gregem alebat, vnam præ cæteris charam, quæ & specie reliquas antecellebat.

Cum hac dum aliquando rem Veneream exercet, repente eum mors corripuit, estque mediis immortuus voluptatibus, quod omnes non parum admirati sunt.

Reliquit filios duos: primo nomen fuit Boaly, qui patri successit in Satrapia Carasonensi & Nichaburiensi: alter dicebatur Faech, cui Nuæus dedit Vaciratum Hieraquensem, qui duo fratres invidia & ambitione stimulati mutuis se appetiverunt armis.

Sed Boaly prævento fratre prior duxit ad Bokaram, qui confugit ad Maruon, vbi collegit quantas potuit vndique vires: quo cognito Nuæus misit adversus eum Innahacum & Bacturum, duos belli duces, vt Boalyn ad officium adducerent. Hi persecuti fugientem, nullibi eum consistere sinentes, primo Balcam se recipere coegerunt, inde Tremedam, vnde scripsit ad Bocrachamum Turquestaniæ regem, incitans eum ad bellum adversus Nuæum. His ad hunc modum inter se digladiantibus, dat Aboaly Ben Ocem litteras ad Nuæum, petitque ab eo supremam præfecturam terrarum Corasan & Maurenahar, allegans sua in eum majoresque ejus merita.

Non abnuit Nuæus, ita tamen vt Aboaly terras illas feudi & beneficii jure, non aliter obtineret. Verum Aboaly, cum harum regionum possessionem nactus fuisset, Tyrannum pro Satrapa egit, cumque monitus à Nuęo Feudi domino, non modo nihil responderet, sed & Bocharachamũ Turquestaniæ regem ad Societatẽ futuri belli vocaret, vltro in regnum Nuæi irruptionem fecerunt, divisis inter se, quas occupaverant terris & oppidis.

Illectus hoc successu Turquestaniæ rex, majores armavit copias, idemque fecit & Aboaly, suntque denuo ingressi regnum Nuæi, idque variis affecere cladibus.

Nuæus collectum adversus eos exercitum tradidit Innahaco, qui Faechum vicerat, qui cum duobus illis congressus acie, victus, & in Turquestaniam missus est. Hoc affectus detrimento Nuæus, coactus est ex hostib. amicos facere, vnde Faechũ quib. potuit modis sibi reconciliavit, eumque Samarcandam misit, vt vrbi illi præsidio esset.

At Faechus videns Turquestanũ adversus se venire, non defendit provinciam, sed deserta ea Bocaram abivit, vlciscens hoc modo priores Nuæi offensas.

Hæc proditio penitus prostravit Nuæum, vt desperata incolumitate è regno aufugeret.

Interea occupat Turquestanus Samarcandam, indeque profectus Bokaram conjungit se cum Faecho, quem ille mittit cum validis copiis ad occupandam Balcam Vrbem cum vicino agro. At Nuæus

Digitized by Google

æus quam occultissime transito Iehuno fluvio, circa Hamulchetum consedit, quo ad eum confluxere multi ex amicis ejus, vt jam pene justi exercitus instar conficerent: vnde aliquam concepit is spem melioris successus. Datis igitur litteris ad Aboalyn, monet hominem, vt memor esset acceptorum beneficiorum, ampliora etiam pollicitus, si ad officium reverti vellet. Respondit simulate Aboaly, fingens se facturum quod ille petiisset, quærens interim occasionem interficiendi Nuæi.

Labitur interea in morbum Bokarachamus, & de consilio Medicorum in Turquestaniam se deportari jubet, vt ibi paterna ac salubriore frueretur aura: sed ingravescente malo moritur in itinere.

Hujus intellecta morte Bactriani, facta in castra eius, quæ jam sine capite erant, eruptione, ingentem ediderunt stragem, adepti etiam prædam incredibilis precii. Hanc occasionem non negligendam ratus Nuæus revertitur in regnum, accipiturque ab vniversis cum gaudio.

At Aboaly audita morte Turquestaniæ regis, voluit redire sub obedientiam Nuæi, quem frater Faechus, quamvis capitali ab eo dissideret odio, à sententia dimovit, persuasitque, vt conjunctis secum copiis bellum faceret Nuæo, qui jam ante hos motus in Indiam cum exercitu miserat Sabutaquin legatum suum, qui occupatis aliquot regionibus circa id tempus cum larga præda victor reversus fuerat. Huic Nuæus supremum copiarum imperium detulit, eumque misit in Carasonem.

Aboaly videns ingentem Nuæi apparatum armorum, cupiens prævenire hostes, quærit amicitiam Facori Daulæi, quam & ingentibus muneribus adipiscitur.

Interea Nuæus & Sabutaquinus egressi cum exercitu, comitantibus Satrapis Baicano, Gerionensi & Gergestano, quærunt Aboalyn, qui cum aliquot veteranorum cohortes à Facoro, & legionem vnam à Cabuso accepisset, egressus Hieraquena statuit cum hoste confligere. Sic cum prope castrametati fuissent vtrique, diu vitari prælium non potuit.

Aboaly quidem ita suam struxit aciem: Faecho dedit alam dextram, Abalcacemo vero alteri fratri, sinistram: ipse mediam tenuit aciem. Nuæus cum suam aciem in plures partitus fuisset cohortes, præfecit singulis singulos duces: Amir tamen Sabutaquinus & Seyfa Daulæus medium aciei robur obtinuerunt. Conserto prælio vtrimque fortissime pugnatum est, ad extremum tamen Aboaly equites terga verterunt, vnde totius aciei inclinatio secuta est. Quo viso Sabutaquinus cū suis acrius instare perculsis, nec ante cessare quā hostes penitus profligaverit. Glisccente hac pugna, Darabus Cabusius deserto Aboaly, Nuæi partes secutus est, quæ res magnum ad victoriam Nuæanorum attulit momentum.

At milites Aboaly, qui à strage & cæde superfuerunt, male habiti, vt quisque potuit, Nichaburam evaserunt.

Victoria ad hunc modum parta divisisque spoliis, creavit Nuæus summum copiarum suarum ducem Mahamudum Sabutaquini filium, ita exigente patre. At Nuæus victor Bokaram abivit, Sabutaquinus Gazancham, Mahamudus Nichaburam petiit.

Aboaly vero & Faechus fratres in Gerionem ad Facorum Daulæum confugerunt, qui eos comiter excepit & benigne habuit, At hospites hi tam importuni fuerunt, vt Facori gratia diu vti non potuerint: quod sentiens Aboaly mortalium ingratissimus, quæsivit media, Facorum interficiendi.

Noluit tamen consentire Faechus fratri, sed suasit, vt potius Nichaburiæ regulum Muhamedum invaderent: qui sentiens tale aliquid, patrem de auxiliis appellavit: qui dum tardius opem fert laboranti, vincitur Muhamedus à fratribus, eiicitur que provincia. Audita filii clade Sabutaquinus, conscribit celeriter copias, egressusque Sistone assecutus Aboalyn, cum eo prælium committit: quo maxime glisccente supervenit cum aliquot cohortibus Muhamudus, vnde in fugam conversi hostes magna strage conciti sunt. Ipsi fratres vix magna difficultate in Calatem arcem munitissimam se receperunt, inde diffidentes loco recipientes se ad Maruon, de gratia atque venia appellaverunt Nuæum. Et Aboaly quidem eam adeptus est, sed ita, ne Gerionia, nisi permittente Nuæo, pedem efferret.

At Faechus ferocior ad Hechcanum Turquestaniæ regem se recepit, qui Bocarachamo successerat.

Dissidebat Vatiniano odio ab Aboaly Abu Abdula Præfectus Corrazamæ: qui aliquando irrumpens Gerioniam captum Aboalyn abduxit. Hunc vicissim jussu Nuæi capit præfectus Herioniæ restituitque in libertatem Aboalin, quem & humanissime habuit, noctes diesque cum eo perpotans.

Quodam die cū largiter bibissent, Mahamumus Gerioniæ præfectus productum ex carcere Abu Abdulam, truncari jubet capite. Hoc facto scribit ad Nuæum, petitque ignosci Aboaly.

Respondit Nuæus, dudum se ei ignovisse, & jam velle, vt eum ad se mitteret, habere se super quibus cum ipso colloqui vellet. Mittit Mahamumus Aboalyn, qui statim vbi ad Nuæum venit angusto inclusus ergastulo in eo periit.

Hujus frater Faechus persuasit Turquestaniæ regi, vt Nuæo bellum inferret. At hic, quem nihil horum fugiebat, missum cum copiis Sabutaquinū, jubet prævenire Faechum, mandatque Mahamudo, vt se cum suis militum cohortibus è Nichaburia patri conjungeret: ipse nova vtrique submisit militum supplementa, vt ad justi exercitus magnitudinem accederent. Hunc apparatū videns Turquestaniæ res, non necessarium dedignatus bellū, de pace cum Nuæo egit, cujus beneficio Faecho præfectura Samarcandę vrbis contigit. Et sic finis fuit horū bellorum circa annum Salutis CMXCVI Egiræ CCCLXXXV. Ab hoc tempore lætatus est pace Nuæus vsq; ad vitæ suæ finem, quiei contigit biennio post, cum regnavisset annis XXII. & filium Abul Hares Mansur successorem reliquisset.

Dum

Digitized by Google

Dum hæc ita fiunt in regionibus Vsbek, Maurenahar & Caraſon, ipſum regnum Perſicum quietum non fuit. Nam Daulæi, de quibus ſuperius dicimus, & quarum rerum narrationem huc vſq; reſervavimus, pergentes in rebellione ſua, multum regioni damni intulerunt. Et Azudus quidem Daulæus, cum regnum adeptus fuiſſet, miſit Abul Favarez filium ſuum in Caraſonem, vt cõpeſceret Præfectum quendam qui rebellaverat, quem & vicit. Sed & Moëzus Daulæus, Auzudi frater apud Bagadetum mortuus eſt, cui ſucceſſit Bactear filius, qui cum patrui & conſiliariorum monita contemneret, fuit iñ cauſa, vt primo Subataquinus, deinde Albataquinus cum magno Turcarum numero regnum ejus invaderent. Ibi Bactear imploravit Auzudi auxilium, qui accurrens magna diligentia, pfligavit Turcas, eoſq; Bagadetum vſq; perſecutus eſt, vbi eos Bactear obſedit. Cum autem oppidani diu acriter reſtitiſſẽt, poſtremo Turcę aſſumto Calipha, confugere ad Tecritum Meſopotamiæ ſuper Tygrim fluvium. Bactear factus dominus vrbis, Caliphæ revocato poſſeſſionem ejus reſtituit. Diſplicuere hæc vehementer Auzudo Daulæo, vt nepotem captum carceri incluſerit, quem tamen paulo poſt exemtum reſtituit.

Poſtea duxit Auzudus copias ſuas in Arabiam: & Bactear, ſpreta ejus abſentia, in regnum ejus incurrit, eique magnam vaſtitatem intulit. Reverſo autem Azudo, Bactear in Moſul vrbem, quam quidam putant eſſe Nineven, ſe recepit. Præerat huic eo tempore Abuſalebus, qui cum viginti millibus armatorum Bacteari ſe conjunxit: ſed ab Azudo Daulæo victus, ipſe quidem Abuſalebus effugit, Bactear vero captus eſt, cui patruus juſſit amputari caput, Cumq; territorium Moſulanum ſupra modum Auzudo placuiſſet, ſtatuit ibi ſibi figere ſedẽ. adjunctis vicinis regionibus, ipſe Bagadetum vrbem, quæ ſuperioribus bellis prope peſſundata fuerat, inſtaurari juſſit, rem iſſiſque populo tributis annuis, puteos hinc inde effodi per vias publicas curavit, fautor inſignis Philoſophorum, Medicorum & Poëtarum, adde etiam Chriſtianorum, quibus non ſolum permiſit vti templa ſive Oratoria in ſuo ædificarent regno, ſed & ipſe è ſuo ærario partem ſumptuum fieri juſſit. Anno AN. C. CMLXXXII. Egiræ CCC. LXXI. extruxit Bagadeti ſumtuoſam illam domum Hoſpitalem, quam luculentis dotavit proventibus, apud Scyras vero aliam non minorem: cumque præterea multa bono principe digna feciſſet, incidit in ſpeciem quandã Maniæ, mortuuſque eſt anno AN. C. CMLXXXIII Egiræ CCCLXII. cum regnaviſſet annis XXXIV. relictis tribus filiis, Scerfa, Scamſo & Bahaone Daulæis, Scerfa quidem ſibi Perſidem elegit, Scamſus Bagadetum: cumque aliquando fratres conveniſſent, cepit Scerfa Scamſum, eumque in carcerem compegit, ſed paulo poſt mortuus eſt, anno Chriſti CMXC. Egiræ CCCLXXIX. Scamſus igitur exemtus carceri in ejus locum ſuffectus eſt. Aſſumſit hic ſibi in regno ſocium Bahaonem fratrem ſuum, ſed gratia hæc cito in bellum exarſit, quo Scamſus Bahaonem acriter perſecutus eſt. Sed accidit, vt milites poſcentes à Scamſo debita ſibi ſtipendia, cum nihil æqui obtinuiſſent, cõcitata ſeditione, Scyras vrbem oppugnarent, in qua erat Scamſus, qui cum fugere vellet, captus eſt ab iis apud Dudmonem, duobus Paraſangis ab vrbe, in quam reductus & cum matre ſua necatus eſt, cum regnaviſſet ann. IX menſibus VIII. anno AN. C. CMXCI. Egiræ CCCLXXX. cui Bahao frater natu minimus ſucceſſit ſine controverſia.

Erat tunc rex Gerionis, vt diximus Facorus Daulæus, qui faciebat bellum cuidam Sahaio Hebado, homini prædiuiti, quem vicit, ejuſque potitus eſt theſauris. Poſtea cum confectis his bellis in Arcem quandam Tabaracam ſe recepiſſet, tantum comedit in menſa bubulæ carnis ſalitæ, ingeſtis plurimis uvis, vt dolore ſtomachi intra paucas horas obiverit, nemine admodum mortem ejus lugente, quod ſævus & crudelis fuiſſet. Audita morte ejus, tanta fuit in Vrbe conſternatio populi, vt cadaver humari non potuerit, donec fętore coacti illud terra obruerunt. Habuit filios tres, de quibus in ſequentibus dicemus. Primus belli dux Bahaonis fuit quidam Boaly, cui imperavit, vt ex omni regno Perſico eiiceret filios Bactearis, quorũ natu maximus Abu Nacereus Præfectum Kermonenſem omni, quam ſibi vindicavit, ejecit provincia. Contra hunc miſerat Bahao Daulæus Mufecum, qui eum vicit fugavitque, quem poſtea ſervus trucidavit. Primo regni ſui anno depoſuit Bahao Põtificatu Taiam Abdelcarin Calipham, cum illa dignitate annis XVII. & menſibus II. præfuiſſet. Ea tunc erat Calipharum conditio, vt qui ante omnibus imperitaverant, poſtea multis parere cogerẽtur. Anno AN. C. MXII. mortuus eſt apud Bagadetum Boali dux belli, Egirę CDL. & anno ſequenti Bahao Daulæus rex, cum vixiſſet annis XLII. menſ. IX. regnaviſſet vero annis XXIV.

KADER BILA HAMED, CALIPHA XLVI.

Etſi jam olim omnis Calipharum potentia exoleverat, & nudum eſſet ſine regno aut imperio nomen, vt quorum omnis auctoritas in Spiritualibus, vt loquuntur, conſiſtebat: cum tamen Mirkondus & Texiera Hiſtorici eos referant in numerum Principum, ad vitandam confuſionem: nos quoque eum ordinem ſequi voluimus, cum rerum Perſicarum intricatiſſima ſeries ſæpe interrumpat ordinem Chronologicum. Igitur Bahao Daulæus, cum Taiam Abdelcarim Caliphatu moviſſet, ſubſtituit in ejus locum Kaderum Bilam Hamedi, Ezachi filium, Moctaderi nepotem: ſub quo quæ acciderunt, hæc fere ſunt.

Facoro Daulæo rege Gerionis mortuo, Majudus Daulæus filius ſucceſſit, Rex ſalutatus quamvis trimulus puer eſſet. Interea Sayda mater ejus gubernacula regni tenebat, mulier magnæ prudentiæ, & apta ad conſervandam in regno pacem. Cum autem filius adoleviſſet, volebat omnia pro temeritate juvenili agere, contemto matris conſilio, quæ indignata recepit ſe in Arcem Tabaracam. Legerat autem ſibi rex adoleſcens Conſiliarium quendam Aboalyn, reclamante matre: qui veritus ne mulier egreſſa regno magnas daret turbas, juſſit omnes obſideri vias: neque tamen ſic impedire potuit,

Digitized by Google

potuit, quin regina in Cufeſtanam pervaderet; quam tunc regebat Acemus Nuiehus: qui ea vi-ſa, & edoctus de rebus filii ejus, collegit militum copias, aſſumptaque ſibi muliere duxerunt in Maiudum Daulæum, Saydæ filium; eiuſque Vezierum Aboalyn, quem vtrumque vicerunt atque ceperunt. Sic regnum rurſus pervenit in muliebres Saydæ manus, quæ ei magna prudentia & conſilio præfuit.

Regnabat circa id tempus in provinciis Caraſon & Maurenahar Manudus Gaſnæus, vt ſuo loco dicemus, qui cum victricia arma per omnes vicinas regiones circumtuliſſet, miſit Oratores ad Saydam, petens, ne in eius regno alia quam ſua in vſu eſſet moneta, ſuo inſcripta nomine & armis, addens, niſi ita fieret habiturum ſe conquerendi cauſam. Reſpondit mulier appoſitiſſime. Si maritus meus in vivis eſſet, jure metuerem, ne vir viro bellum inferret, dubio quidem eventu. At nunc cum & mulier ſim, & vidua, ſatis ſcio, te arma adverſum imbecillitatem meam non capturum, cum multo ſis animi generoſioris. Et hoc quidem accepto reſponſo Mamudus tunc acquievit. Paucis diebus poſt recepit Sayda in gratiam Majudum filium, nec tamen omne regnum ei permiſit, ſed Scamſo ſecundo filio dedit Amadonem, & Abuiafari tertio Hiſphaonem: ſic rexit hæc mulier provincias regni Perſici in pace & tranquillitate vſque ad mortem ſuam, quæ ei contigit anno AN. C. MXXX. Egiræ CCCCXX. Hæc mors magnarum in regno confuſionem cauſa fuit. Mamudus enim Gaſnæus duxit exercitum in Hieraquenam, è cujus caſtris diſceſſit Manucherius Cabuſi filius, Vaxi Manguiri nepos, Veritus autem Mamudi iracundiam, ingentibus eum placavit muneribus, quorum precium DC. millia ducatorum aureorum excedere creditur.

Sed nunc demum ad res Caraſoniæ redeundum eſt. Nuæo mortuo ſucceſſiſſe diximus filium, Abul Harez Manſur. Hujus copiarum dux erat Bacturus, cui Abul Ilecchanus Turqueſtaniæ rex bellum intulit, vt & antea patri ejus. Hinc Turqueſtanus miſit Faëchum cum ſufficiente militum manu ad Bazaram, Vbi erat Manſurus, qui deſerta civitate fugit. Hanc Faëchus ingreſſus, negavit ſe regis offendendi ergo veniſſe, ſed vt ſua ei præſtaret ſervitia. Reverſus Manſur, cum Faëchum non ſimulate locutum intellexiſſet, dedit ei præfecturam Caraſonenſem.

Circa hæc tempora contigit mors Sabutaquini, quæ novorum tumultuum cauſa fuit inter filios ejus Mamudum & Iſmaëlem, vt Iſmael conſpectam fratris fugere neceſſe habuerit. Poſtea adeptus eſt Mamudus Præfecturam Balcanam, Tremedenſem & Heratenſem: quibus ille non contentus, invaſit cum copiis Nichaburam, vbi rex erat, qui cum paratus non eſſet, diffidens loco, fugam arripuit. Mamudus tamen, qui rebellis regi ſuo audire nolebat, vlterius progreſſus non eſt. Venerat interea quidam ex domeſticis Manſuri ad Faechum, apud quem queſtus eſt, ſe parum honorifice à rege habitum fuiſſe. Huic viciſſim narravit Faëchus, quot modis ipſe quoque à Manſuro offenſus fuiſſet. Sic hi duo, cum in regem conſpiraviſſent, occupato illi inter epulas eruerunt oculos, cum non niſi anno vno & menſibus VII. regnaviſſet: ſubſtituto in regnum Abdel-Maleco fratre ejus. Mamudus cum hæc intellexiſſet, ducto in parricidas illos exercitu, omni eos profligavit Caraſonia, factus ad eum modum ſolus illius provinciæ dominus. At qui effugerant, correptis denuo armis in Mamudum ibant, cumque res ad prælium ſpectare videretur, interveniens mors Faëchi id impedivit. Cæterum Illecchanus Torqueſtaniæ rex, auditis his motibus, cum magno exercitu Bokaram venit, Abdel-Maleco regi ſuam deferens opem auxiliumque. Credidit nimis facile ſimplex adoleſcens, miſitque præſtantiſſimos quos circum ſe habuit viros ad Turqueſtanum, vt ei agerent gratias: quos ille omnes captivos fecit, vnde territus ſupra modum Bactrorum rex, nunc fugam nunc latibulum circumſpexit. Illecchanus autem ingreſſus vrbem, ſtationes militum per vias diſpoſuit, & ad portas turreſque murorum excubias. Poſt perquiſitum vbique regem adoleſcentem, inventumque ad Vſcandam miſit, vbi periit in carcere. At Bactriani elegerunt fratrem ejus minimum natu, qui tamen brevi tempore regnavit. Acciderunt hæc anno AN. C. M. Egiræ CCC. LXXXIX. Rex Turqueſtanus videns Bocaram in ſua manu, cepit etiam Abul Hares Manſur, eumque privavit oculis, vt & omnes regio ſanguine ortos, quos ſingulos ſingulis incluſit ergaſtulis, additis ſervis qui iis miniſtrarent. Inter hos erat quidam, quem miſeratio ſortis Abu Ebrahemi captivi tangebat: hunc vt liberaret è carcere, tectum prælonga palla muliebri, peregrino ſchemate extraxit ergaſtulo, deduxitque in domum amicæ ſuæ, vbi aliquandiu latuit, donec vſus occaſione egreſſus Bocara Corrazanam venit, vbi collectum exercitum cum ad Bocaram duxiſſet, conflixit cum Taquino Ilecchani Præfecto, eumque vicit & cepit cum multis nobilibus.

At alibi Arſalon Balu totam regionem devaſtavit, vſque ad Cantaræum minus, cui alius Ilecchani præfectus cum copiis occurrit, pariter victus ac prior ille. Poſt hæc rediit Montecerus Bokaram, cum honore receptus ab omnibus, cumque ſe cum Arſolane conjunxiſſet, tranſito Ichuno fluvio venerunt in Nichaburam. Ad horum adventum Amur Nacetus Mamudi filius deſeruit provinciam, profectus Heratam, vbi pater ejus habitabat. qui magnam militum manum miſit adverſus Montecerum. At hic ſtultum ratus expectare, aufugit in provinciam Cabuſanam, eſtque exceptus cum muneribus, vt Mirkondus refert, qui dona illa velut per ocium enumerat, in tanta quamvis antiquitate temporum. Pollicitus ei fuerat Cabuſus copias auxiliares, ducibus duobus filiis ſuis Darabo & Manucherio: poſtea tamen mutavit ſententiam, revocavitque filios ſuos ad ſe: quod factum eſt anno AN. C. MII. Egiræ CCCLXXXXI. Eodem tempore miſit Mamudus filium ſuum Amir-Nacerum ad recuperan-

Digitized by Google

dam Nichaburam, cui oppoſuit Montecerus Abub Cacemum & Arſalonem, qui acie ab illo victi fuerunt. Montecerus ex prælio fugit Ibudam, quo eum Nacerus ſecutus fuit; ſed is deflexit in Gerionem. Cabuſus interim intellecta Monteceri infelicitate, miſit duo millia militum, qui impedirent tranſitum ejus, adeo homini indignabatur, vt eum ad conſpectum ſuum admittere nollet: ſic infelix Montecerus aliam inſiſtere viam coactus eſt, juſſitque in ipſa fuga interfici Arſalonem, levi ſane de cauſa, vnde omnium in ſe concitavit odia. Poſtremo iterum victus Montecerus, cum paucis ſuorum incidit in manus Turcomannorum. Sunt autem hi paſtores, qui paſſim errabundi paſcunt greges ſuos, habitantes in tuguriolis ſuis. Hi cum Montecerum cognoviſſent, omne benevolentiæ genus homini præſtiterunt, memores amicitiæ: quæ ipſis cum patre ejus interceſſerat. Ex his celeriter collegit aliquam manum, eſtque cum iis progreſſus in regionem Maurenahar. Oppoſuit ſe huic Rex Ilecchamus: verum Turcomanni de nocte invadentes caſtra ejus, ingentem hominum numerum interemerunt, potiti omni præda & impedimentis: Hæc vbi fecere, ad mapalia ſua reverſi ſunt, & Montecerus Ichunum fluvium tranſiit, quod niſi celeriter feciſſet, à Turcomannis, paulo ante ſociis, ob inique diviſa ſpolia iratis, deprehenſus, pœnas dediſſet. Hæc facta ſunt anno MIV Egiræ CCCLXIV.

Erat ea tempeſtate quidam Abuiafar, homo plebeius, qui ex inſidiatore & latrone viarum ad tantam conſcenderat potentiam, vt toti formidabilis eſſet viciniæ; ab hoc petiit Montecerus auxilia. Tantum autem aberat, vt Abuiafar eum juvaret, vt contra ſe omnibus ei opponeret viribus. Coactus ergo Montacerus cum eo conflixit, eumque vicit. Inde cum ſe Ibudam convertiſſet, aliud invenit obſtaculum, Abu Nacerum, Præfectum provinciæ illius, quem Montacerus cruento, eoque nocturno prælio vicit & occidit. Errabat inter hæc Montecerus, nec vllibi habebat locum refugii, cum præter ſpem adjutus ab Satrapa Smarcandæ & Nobilibus Turcis, qui in Vrbe habitabant, aliquot conſcripſit cohortes, quibus Bocaram vrbem invaſit eamque cepit. Illecchamus hoc audito occurrit ei, ſed victus, tantum amiſit ſpoliorum, vt Monteceri milites inde divites evaſerint. At Illecchamus inſtaurato exercitu, rurſus in Montecerum ducit, à quo quidam dux militum cum V. hominum millibus ad Illecchanum transfugit, quæ cauſa fuit, vt Montecerus pulſus fugatuſque ad Ichunum fluvium ſe reciperet, quem cum ſuperare non poſſet, per invia itinera vitabundus occurſum hoſtium in Coreſtanam pervenit: vbi deſertus eſt infelicitatem ab omnibus, prope ſolus Bocaram venit. Huius vrbis Præfectus primo pollicitus eſt ei auxilia: ſed cum aliquid periculi vereretur, juſſit eum exire civitate. Sic calamitoſus Montecerus latuit aliquandiu in humili caſa, in parte Caraſoniæ, cui quidam Arabs Ebenbaigus dominabatur. Quod cum innotuiſſet, quibuſdam Arabibus, profecti eò de nocte obtruncaverunt eum, finemque fecerunt laborioſæ illius vitæ, anno AN. C. MVI. Egiræ CCCXCV. Hujus morte intellecta Mahamudus, quamvis hoſtis ei fuiſſet, indoluit tamen, juſſitque Arabem, qui eum interfecerat, crudelibus enecari tormentis.

Poſſidebat jam XVIII. annum Cabuſus Vaxi filius pacifice quidem terras quaſdam Caraſoniæ. Ducebat hic genus ab antiquis Perſarum regibus. vitaveratque ſolus illos digladiantium regulorum tumultus, vnde non ingentes ſolum acquiſivit opes, ſed & magnam prudentiæ famam. Cum Subataquinus Aboalyn in Caraſonia deviciſſet, venit Bocaram, arctaque cum Cabuſo contracta amicitia, obtulit ei operam ſuam. Erat tunc Gerionis Princeps, vt diximus, Facorus Daulæus, quem oppreſſũ ibat Sabutaquinus, vt Cabuſo eam tradere provinciam poſſet. Huic rei petiit ab Turqueſtaniæ rege X. millia militum, quos vbi cum ſuis conjunxit cohortibus effecit exercitum non contemnendum. Dum autem apud Balcam delectum militum agit Sabutaquinus, mors cum rebus humanis eximit. Idem accidit Facoro Daulæo, cui ſucceſſit Majudus filius. Habitabat apud Kumes Abul Cacemus, qui poſt mortem Sabutaquini ad Cabuſum ſe contulit, perſuaſitque ei, vt communi opera terras Facori Daulæi occuparent. Nec mora, Cabuſus Nichaburam ingreſſus eſt, perque duces ſuos magnam provinciæ partem ſibi ſubiecit, quod idem & dux ejus Siabedus in Tabraſtana fecit, occupata Amala loco magni momenti. Huc cum Acemus Ferazanus accurriſſet, à Siabedo eruptionem faciente victus captuſque eſt, cum centurionibus circiter XX. Elatus hac fortunæ indulgentia Cabuſus, ad altiora animum adjecit, ingreſſuſque Gerionem rex ſalutatus eſt anno AN. C. MI. Et quamvis non defuerint, qui ſe ei oppoſuerunt, ſempertamen ſuperior fuit, vt ad extremum totam Gueyloniam ſibi ſubjecerit, quæ provincia eſt latiſſime patens, cui & Satrapam dedit filium ſuum Manucherum, miſſis ingentibus ad Mamudum muneribus, vt bona ipſius pace his terris frueretur.

Erat autem juſtitiæ Cabuſus tam rigidus cultor, vt prope modum excederet, vnde amor, quo à ſuis antea dilectus fuerat, in horrorem & odium converſus eſt. Quodam die cum in tentorio ſederet, ingreſſi quidam ſunt ad eum, interfecturi hominem. Sed evaſit ex corum manibus, effugitque Boſtam. Sicarii vero omnem furorem ſuum converterunt in tentorium regis, quod ab iis diſciſſum eſt, & omnis direpta ſupellex regia. Cum autem filius ejus jam creandus eſſet à ſeditioſis rex, dummodo polliceretur, impune illos laturos hanc petulantiam: noluit accipere adoleſcens diadema citra conſenſum parentis, pluris faciens officium filii in parentem, quam opulentiſſimum regnum. Quidam ergo miſſi ſunt ad Cabuſum, vt aſſenſum ejus impetrarent. At pater delectatus filii obedientia, emancipavit eum ab obſequiis ſuis, & vltro in eum tranſtulit regnum, quod Manucherus ita demum acceptavit,

magno

Digitized by Google

magno cum vniversorum applausu. Cabusus vero, vt reliquũ vitæ suę quietus transigeret, recepit se in Castrum Cacecum, vbi Gerionenses de ipso vivo vereri non desistentes, eum interfecerunt: nec potuit longo tempore Manucherus rescisce-re, qui nam manus sceleratas patri intulissent: postquam autem eos adeptus est, severissimo sustulit supplicio.

Ergo Manucherus Cabusi filius, alio nomine Malech Amalius dictus, videns se dominum provinciarum Gerionis & Gueylonis, misit Oratores ad Sultanum Mamudum, vt se ejus profiteretur clientem & beneficiarium, & offerret tributum annuum L. millium denariorum auri, qui constituunt circiter L X. millia ducatorum. Mamudus vicissim despondit Manuchero filiam suam: sed paucis post nuptias diebus Manuchero mortuo successit Darabus frater.

Miscuit se hic Darabus, Cabusi filius, rebus inter Nuæum & Boalin, cujus posterioris partes secutus est, & deinde factionem Nuæi: quo mortuo cum à patre missus fuisset in Tabrastanam, vt ei præesset provinciæ, accusatus quorundam criminum nomine, purgavit se coram patre. Adeo autem momordit accusatio illa animum juvenis, vt ad Mamudum confugerit, qui eum honorifice excepit. Cum autem Mamudum offendisset, videns se ejus excidisse gratia, confugit ad Schacharem Gurgestaniæ regem. Postremo successit, vt diximus fratri, brevi lætatus regno.

De controversiis inter fratres Mamudum & Ismaelem post mortem patris superius diximus. Mamudus autem illis sopitis videns se tranquillo potiri regno, contraxit amicitiam cum Illecchano, quod teneretur desiderio invadendæ Indiæ, vt pater ejus fecerat: & sane reportavit in iis terris illustres aliquot victorias, adeptus insuper spolia opulentissima. Hanc prosperitatem invidit ei Turquestanus, neglectaque fœderis sanctitate, absente Mamudo invasit terras illius, misso Taquino contra Balcam. Tenebat eo tempore Arsalon Præfecturam Heratensem cum vicinis regionibus amplissimis pro *M*amudo, qui se opposuit Illecchano & Taquino. Sed & *M*amudus intellecta confœderati perfidia, omissis rebus Indicis domum properavit, vt regnum suum defenderet, eo eventu, vt Turquestanus victus, pulsus profligatusque fuerit, amissis plerisque necessariis propinquisque suis, relicto fratre captivo.

Hæc clades perculit Illecchani animum: qui cum videret tam valido hosti se parem esse non posse, percussit fœdus cum Caderchamo, rege Ketaonis, quam regionem nos Catay vocamus: ita vt hi reges tam in Cataio quam in Turquestania & *M*aurenahar ingentem collegerint exercitum, & junctis viribus Iehunum fluvium transiverint. Hunc tam formidabilem apparatum vbi *M*amudus apud Tabrastanam intellexit, celeriter profectus Balcam, magnum numerum collegit Turcarum, Calangarum, Gasnæorum aliorumque populorum quibus cum suas copias conjunxisset prælium atrox commissum est. Et initio quidem videbantur Turquestani victores, quod conspicatus *M*amudus, desperans jam de victoria conscendit ingentem Elephantum, eumque in densissimum hostium cuneum egit, vt ipse quidem multum damni daret, sed & vicissum ab omnibus peteretur. At milites ejus, videntes regem suum in tanto periculo, contemta morte hostibus illati, eum pugnando servaverunt, & sic victoriam insperatam reportaverunt. Putatur autem hoc prælium fuisse inter atrociissima & cruentissima, quæ vnquam in Oriente commissa fuerunt, acceditque anno AN.C.MVIII. Egiræ CCCXCVII.

Hæc victoria *M*amudo ocium peperit, vt nemo deinceps ejus in Indiam expeditiones impedire ausus fuerit, qui populos Indorum subactos coegit amplecti superstitionem *M*ahometicam. Ergo vicini Indorum reges, videntes de libertate & opibus suis agi, collectum ingentem exercitum oppposuerunt *M*amudo. Pugnatum ibi est per integrum diem, sed victoria penes *M*amudum stetit, qui inter reliquam prædam opulentissimam XL. Elephantos cepit, Qui supererant ex Indis, receperunt se in munimentum quoddam inexpugnabile, situm in medio lacu, in quod coacervaverant omnes suos thesauros, cum sacra Gaza & Pagodibus sive Idolis suis. Et tamen in hoc munimentum intrare potuit *M*amudus, in quo quantum repererit auri, vnionum, geminarum, aliarumque rerum preciosarum, incredibile memoratu est, nec operæ precium velle percensere. Accidit hoc anno AN.C.MXI. Egiræ CCCC. Pari fortunæ favore Mamudus adversus Guzaratas vsus est, cæso eorum duce, qui se Persis opponere ausus fuerat. Ingens per id tempus fames Corasanam afflixit provinciam, vt vlgo humanas esitaverint carnes, nullo observato vel sexus, vel ætatis, vel consanguinitatis discrimine.

Confecto bello Turquestanico Mamudus Bagadetum obsidione cinxit, vt Cader Bila, qui tunc erat Calipha, coactus fuerit se dedere, eique quinque milliones drachmarum auri persolvere, quo auro sibi pacem redemit Pontifex, reverso in Persidem Mamudo. In hujus Mamudi clientelam se dedit, professus servitium Abu Nacerus, confirmatus proinde ab eo in Satrapia sua. Cum autem Mamudus profecturus denuo in Indiam, Nacerum secum ducere vellet, deprecatus est tam longum iter Nacerus. Et tunc quidem dissimulavit iram Mamudus: cæterum reversus domum, misit adversus eum Altuntacem, eumque graviter castigavit. Ipse Mamudus tertio in Indiam profectus, iterum aliquot victoriis potitus est, & spolia opulentissima secum retulit.

Præerat tunc provinciæ Coarzanæ Mamunus quidam, paulo post hæc tempora mortuus, relicto filio Aboaly, qui junxit sibi matrimonio sororem Mamudi, magno suo bono: vixit enim in pace & ocio, donec rerum potitus est, habuitque mortuus successorem fratrem ejusdem nominis, qui & ipse paucis diebus post mortuus est, non sine suspicione veneni, per quendam Neal-Ataquinum porrecti. Huius Mamuni interitum impatienter tulit Mamudus, statuitque eum vindicare, quo fine conscripsit exercitum, eumque misit in Coarzanam.

Digitized by Google

Hunc mane quodam ex improviso adortus Neal-Ataquinus, magnum Persis terrorem intulit, vt victoria ab initio dubia fuerit, quæ tamen ad extremum Mamudi partes secuta est. Neal Ataquinus in fuga à suis correptus, ligatisque manibus ad Mamudum ductus est. Et videbatur Mamudus facturus homini delictorum gratiam: cum autem satis superbe loqueretur victori, iratus rex jussit illum suspendi, translata Satrapia Coarzanensi in Altuntacem.

Quarta Mamudi in Indiam expeditio non minus felix fuit superioribus devicto Gulcando rege Idololatra. Hic cum se victum videret, amissis L. millibus hominum, metuens ne vxor ejus, quam formosissimam supra modum amabat, in hostium veniret potestatem, jugulavit eam, & deinde se ipsum quoque in ipsis Castris. Superavit in eadem quoque India reges Gipalem & Iandebalem, potitus immanibus divitiis, reversusque Gasnæam, extruxit superbissimæ structuræ Mosqueam in gratiarum actionem pro tot victoriis. Hinc cum in Persidem venisset, cepit vrbes, Rey, & Hisphaon in Hieraquena, cumque per annos duos æger decubuisset, extinctus est an. AN.C.MXXXI. Egiræ CDXXI. Duobus diebus antequam animam efflaret, voluit sibi ad lectum afferri omnes suos thesauros, & quicquid vspiam precioſi habuit, quibus conspectis largiter illacrymatus verbum nullum protulit, vt de cogitationibus ejus tum quidem constare non potuerit: ex eo tamen quod mandavit, vt cum cura custodirentur, colligi potest causa tristitiæ ejus, quæ fuit, quod iis amplius lætari non potuit. Morti vicinus vocavit ad se minimum natu ex filiis, quem ingenii turbulenti noverat, eumque hortatus est, ne quid adversus fratres moveret, sed maximo natu obediret: respondit adolescens, non esse cur ipse vereretur aliquid, ita se victurum cum fratribus, vt ipse pater cum suis vixisset.

Dum hæc in Carasone; Maurenahar & Vsbequia fiunt, res Persicæ non in minore erant confusione. Magiddus enim Daulæus Rex Gerionis negligens admodum erat rerum suarum & improvidus. Mamudus ergo vir ambitiosus non negligendam occasionem ratus, misit adversus eum exercitum, cui nihil quicquam repugnavit Magiddus, gnarus se Mamudum nulla re offendisse. Sed decepit eum hæc fiducia. Captus enim est cum filio suo Abuzeyso. Vix accepit de his Mamudus, cum sibi Magiddi thesauros afferri iussit, in quibus erat præter Millionem vnum denariorum auri ingens vis aureæ & argenteæ suppellectilis, & res aliæ incredibilis precii: deinde voluit ante se sisti Magiddum Daulæum, quem præsentem interrogavit, an vnquam legisset Chronicon Regum Persiæ? & hoc asseverante, quæsivit alter porro, an nosset ludum latrunculorum? & hoc itidem affirmante, scisciatus est porro, an vnquam vidisset duos reges in eadem area idem regnum possedisse? quod cum negavisset Magiddus, Mamudus ei multis verbis exprobravit negligentiam & dissolutionem cum regnandi imperitia coniunctam, eumque misit in Carasonem.

Sed & inter ipsos Daulæos valde tumultuatum est in Perside & Kermone, belligerantibus Albusabare & Gelala fratribus cum Tomo Daulæo, qui patri Boadaulæo succesſerat: sed postremo pax inter eos facta est. In Diarbecana intercedebant clandestina pacta inter Acemum Boadaulæi filium & quendam ex ducib. Sultoni Daulæi, quæ vbi detecta fuerunt, vix componi res potuit ne ad arma veniretur. Convenerunt tamen ita, vt Acemus Boadaulæi Præfectus esset Hieracis in Arabia, Sultonus vero Daulæus haberet Aunacem cum Perside. Sultonus vero domum reversus, majores quam antea copias conscripsit quibus præfecit Eben Salacem, quem misit contra Acemum. Verum Salax victus, coactus est se victoris dedere arbitrio, salva vita, vnde in tantum crevere Acemo Boadaulei spiritus, vt se ipse Regem Regũ appellaverit, quod accidit an. AN.C.MXXI. Eg. CDXI. An. sequenti iussit Salaci erui oculos. Eodem an. Bagadeti rex factus est Gela Daulęus, factũq; est novũ fędus inter Acemũ & Soltanũ Daulæos, interventu potissimũ filii Soltani, ita, vt Hieracem Arabię haberet Acemus, Persidem vero & Kermonem Soltanus, qui duob. annis post mortuus est, an. AN.C.MXXIII. Eg. CDXIII. Post huius mortem quidam ex præcipuis ejus belli ducib. Abu Mokaran nomine, voluit armata manu in regnum introducere filium ejus Abul Ganiarẽ: sed Turcomanni qui in Perside habitabant, vocaverunt ex Kermone Abul fabarem Sultoni fratrẽ, eumque in Scyras vrbem receperunt, dũ alter adhuc in via esset. Hoc intellecto Abul Ganiar misit exercitum ad Scyras, vnde competitor ejus in Kermonem se recipere coactus est. Neq; tamen proinde pax fuit, cum quidam bellum in Abulfabarem continuari vellent. Ad extremum tamen post varias vicissitudines Abulfabar revocatus Scyras regnum Persidos obtinuit.

Anno AN.C.MXXVI. Eg. CDXVI. mortuus est Bagadeti Acemus, qui & Mocheraf, Daulæus, cum vixisset annis XXIII. mensib. III. regnavisset annis V. diebus XXV. Vocatus igitur ab Basora est Gela Daulæus, qui cùm non satis tempestive adfuisset, transtuleruntproceres regnũ ad aliũ. Vlturus hanc iniuriam ad Bagadetum accessit Gela, sed repulsus fugatusque Basoram se recepit, cum omnia impedimenta bonamq; partem militum amisisset. Anno sequenti Turcæ ceperunt Bagadetum, quam spoliaverunt & incenderunt, quod fecerunt, ne esset receptaculum Arabum, qui circa eam vrbem habitabant. At incolæ vocatum Gelam regem dixerunt, qui ingressus vrbem comiter ab Calipha exceptus, Pontifici pedes osculatus est. Interea Turcæ, quorum Gela fuerat vsus opera, petebant sibi solvi stipendia: cumque Gela destitueretur pecunia, illi multa ediderunt insolentiæ exempla, spoliatis præcipuis domibus procerum, incluſoque in domo quadam Gela, quem noluerunt dimittere, nisi Calipha pro eo spopondisset, qui vt satisfaceret militi, multas res precioſas vendere coactus est.

In Basora pariter laboratum est dissensionibus inter Turcas & Dialemenses, quorum illi favebant Malek-Aciso, nepoti Gela-Daulæi, quem oderant Dialemenses. Hac pro se vsus discordia Abul Gamiar, occupavit Basorã, progressus inde Vacetum:

Digitized by Google

tum: quem cum Gela impedire vellet, milites contra ipsum pugnare noluerunt, quod sibi non soluta causarentur stipendia. Interea Albufabares Kermonis rex, videns res Persicas ad hunc modum turbatas, profecturus eo cum exercitu, mortuus est in via, post cujus obitum vocatus à Kermonensibus Abul Ganiar, Rex Persidos & Kermonis appellatus est. Cum autem vellet apprehendere possessionem, obvium habuit cum exercitu Gelam Daulæum, à quo Abul victus & profligatus est. At Gela, cum Vaceto sufficiens præsidium imposuisset, reversus est Bagadetum anno AN. C. MXXXII. Egiræ CDXXII. quo anno mortuus est Cader Calipha, cum sedem Pontificiam obtinuisset annis XLI. mensibus IV. in cujus locum subrogatus est filius ejus.

ALKAHEM BEAMARTLÆ ABVIAFAR
Abdula, Calipha XLVII.

Hujus tempora non fuerunt pacatiora quam superiorum Calipharum: & vt à Caraſonia provincia incipiamus, diximus in superioribus de morte Mamudi, cui succeſſit Mahametus filius. Erat huic frater, cui Pater vivus dederat Provinciam Hisphaonensem, qui statim, vbi de morte patris accepit, arma sumsit adversus fratrem. Antequam autem in eum duceret, scripsit Mahometo fratri, non alio se advenisse fine, quam vt sua ei probaret servitia: sibi enim satis superque esse terrarum, ad magnifice transigendam vitam. At *M*ahametus, qui talia non optabat servitia, rogavit fratrem per suos, vt domum reverteretur. Hoc responso adeo offensus est *M*asudus, vt se confestim fratris hostem profiteretur, quanquam multi reconciliationem suaderent. Sed hoc frustra fuit. *M*ahametus enim præmisso adversus fratrem Issuf Sabataquino, ipse cum maximis secutus est copiis. Cum autem Tanganabatam veniſſet, substitit ibi per vnũ mensem, quod esset quadrageſimæ tempus more Mahumetano. Ibi *M*asudus eum circumvenit, vt proditione Issufi & malitia Amir Halys, ducum præcipuorum, Mahametus captus & fratri traditus fuerit, qui proditoribus dignam persolvit mercedem. Issufum enim ferramentis oneratum in profundam demersit fossam, Halyn autem laqueo suspendi jussit. Fratri Mahameto jussit *M*asudus erui oculos, & sic factus est dominus totius Caraſoniæ, Gasnææ & Hieraquenæ: quod acciditanno AN. C. MXXXII. Egiræ CDXXII. Post hæc misit *M*asudus Altuntacem Satrapam Coarzinæ contra Halyn Taquinum, qui tenebat Samarcandam & Bokaram: hi cum confligerent, victus fuit Taquinus, quamvis ab initio superior visus fuisset: Sed Altuntax victoriam illam magno emere coactus est, cum & florem militum suorum, & ipsam amisisset vitam. Sentiens autem se morti ex vulnere vicinum, pactus est inducias cum hoste, ne sui destituti capite cæderentur.

Anno AN. C. MXXXIV. Egiræ CCCCXXVI. rebellaverunt *M*asudo vrbes Gibal & Rey, & milites præsidiarii, quæ pater ipsius in India reliquerat: Contra ipse occupavit Gerionem & Tabraſtanam. Sed & duces Turcas vicit, & iter in Indiam adornavit. At Turcæ, qui dissipati non cæsi fuerant, multa per ejus absentiam in Caraſoniam occupaverunt, ejeceruntque Alaonem Daulæum & Abusalemum suis Satrapiis vnde *M*asudus coactus est in Gerionem reverti. In itinere certior fit, Latronem quendam cum centum grassatorum manipulo, in munimentum proximum se recepisse, solitum spoliare viatores. Hunc cum suis ad se vocavit *M*asudus, pollicitus securitatem & salvum commeatum. Vbi vero præsto fuerunt, jussit omnes ad vnum suspendio necari, dicens hoc hominum genus quocunque modo è medio tollendum esse: Dum persequitur iter suum *M*andus, multæ ad eum afferuntur querimoniæ, super sævitia & Tyrannide Nuri Taquimi, Satrapæ Balcani. Progressus vlterius, accipit nuncium, Daudum quendam ducem belli Turcam adventare cum validis copiis, vt opem ferret Nuro Taquino, eumque jam ad Balcam perveniſſe. Ibi *M*asudus veritus ne includeretur, perrexit in Daudum, habens vicissim sequentem à tergo Nurum Tarquinum, qui vltimum ejus cecidit agmen, magnamque partem impedimentorum abstulit. *M*asudus ita male habitus, non tamen omisit in Daudum ducere, quem & vicit, & in Gasnæam fugere compulit. Hinc cum filium suum *M*aodudum Balcam misisset, comitatus Naceto Hamedo Cancellario suo, magnoque numero militum, ducens etiam fratrem suum cæcum, perrexit in Indiam. Cumque ad fluvium veniſſet, qui vulgo Sendus, Persis Pangus appellatur, nec alius est quam Indus, transivit ipse cum suis in alteram ripam, in citeriore vero reliquit fratrem cum thesauris sub custodia Nustarquini Tribuni. Hic abusus absentia Masudi, distribuit thesauros regios inter milites, & salutavit Regem cæcum Mahametum: qui cum primo oblatum dedignatus fuisset honorem, ad extremum formidine mortis accepit eum. Quo facto & ipsi transito fluvio impetum fecere in Masudi milites, qui non multum repugnavere, cum nihil minus quam hoc sociale bellum expectaviſſent. *M*asudus captus fuit, à quo nihil exegerunt aliud, quam vt privatus in aliquo loco viveret & quietus. Accepit *M*asudus conditionem, elegitque sibi Castrum Cobracebir.

At Rex cæcus, cum animadvertere se regno parum aptum esse, resignavit id Humedo filio suo, qui assumto sibi Issuff Taquino juniore & Aly Cachoando, quorum patres *M*asudus interfici jusserat, non minus quam Hamedi patri oculos eruerat: hi inquam in arcẽ Cobracebir profecti, interfecerunt *M*asudum, cum decem annis Rex fuisset, homo animosus & liberalis in suos. *M*iserat hic ante *M*aodudum filium suum Balcam, qui *M*ahameti reditũ ab India anguſtiis apud Gasnæam præstolatus, eũ cepit cum filio Hamedo, Nustaquino, & duob. illis qui auctores cædis paternę fuerant, cũ multis aliis genere regio natis, quos omnes necari jussit, excepto vnico Abderramo, Cæci filio, quem vivũ conservavit tali de causa. *M*asudo capto, quidam ex fratrib. ejus Diadema capiti ejus detractum humi abjecit, deteſtatus fortunæ iniquitatem. Ibi Abderramus accurrens, reposuit Tyaram capiti *M*asudi, solatus hominem vt potuit. Hoc vbi *M*aodudo

Digitized by Google

Masudi filio narratum est, ita placuit, vt ei vitam reservaverit.

Potitus tam insigni victoria Maodudus, sumptuosum excitavit ædificium quod Fal Habad appellatum est. Cæterum Masudi mortem multæ turbæ secutæ sunt per Persidem & Indiam, veneruntque paulo post terræ Indicæ cum Provincia Maurenahar in potestatem Maodudi. Turcæ tamen qui per id tempus erant in Carasone & Maurenahar eum non agnoverunt, contra quos cum Maodudus misisset exercitum, victæ sunt copiæ ejus. Et Alibi Turcæ progressi è Turquestania cum ingenti multitudine, excursiones fecerunt in regiones Garmeram & Candacharam: Sed hos præsidiarii Maodudi in angustiis assecuti, magna strage conciderunt.

Hoc eodem tempore rebellaverunt adversus Maodudum reges Indorum, qui hactenus se beneficiarios ejus fassi fuerant: Cumq; suas contulissent vires, veneruntad obsidendam Lahoram, ad quam eripiendam ex eorum manibus, misit Maodudus magna diligentia copias suas. Sed hæc controversia composita fuit, duxitque Maodudus milites suos adversus Turcas Saliuquenses, qui occupaverant Carasonem. Sed dum talia molitur, corripitur doloribus colicis, qui eum in via interemerunt ann. AN. C. ML. Eg. CDXLI. Etsi autem hic duos reliquit filios: milites tamen ad regnum vocaverunt Alyben Masudum, fratrem ejus, qui tamen non diu hac dignitate gavisus est: nam summus Consiliariorum Masudi restitutum in libertatem Abdum Aachidum, regem salutavit, coegitque alterum huic cedere.

Interea apud Bagadetum nihil pacati erat, populo subinde adversus Gelam Daulæum rebellante, qui & in huius contemtum regem appellavit Abulganirem, qui tamen oblatum honorem non accepit. Et quamvis Turcæ pacti fuerint cum Gela, transactio tamen illa rata non fuit. Illi enim, vt haberent causam spoliandi vrbem, subjecerunt ei ignem, expulsuri etiam eo modo Gelam, si potuissent, quod contigit anno AN. C. MXXXVII. Eg. CDXXVII Hos motus secutum est tantum gelu, vt Tygris fluvius decem continuis diebus glacie constiterit, tantumque nivis decidit cælo, vt omnis ager circa Bagadetum ad tres palmos contectus fuerit, quę profecto res rara & admiranda est, si situ illius regionis & clima cæli consideres. An. Christi MXLIV. Eg. CCCXXXIV. quidã dux Turca Ebrahē Nealy ingressus Hieraquenã cepit Amedõ: & alius occupavit vrbem Rey, dũ interea moritur Gela Daulęus, cum regnavisset an. XVII. Erat tunc filius ejus Abu Mansudus apud Vacetum, qui ad regnum Vocatus fuit. Cæterum tantis is domi implicatus erat tumultib. vt ad constitutum adesse non posset: Vnde gubernatio regni Abul Ganiari delata fuit. Ann. S. MXLIX. Eg. CDXL. mortuus est in Kermone Abul Ganiar, relictis quinque filiis, quorum hæc fuere nomina: Mansur Fulad Sotun, Kozrao, Feruz, Abu Taher, Aabucaydus, & Aboali Kaykozrao. Et Sotunus quidem, quod natu max. esset, debebat succedere patri: Sed Cosroes Feruzus potiore fuit loco, qui adeptus regnum mutavit nomen suum, appellavitque se Malek Rhaym, qui & post multas turbas regnum retinuit. Apud Bagadetum volebat Caliph a Damascenus, qui erat ex Ismaelis familia, deiicere sede Pontificali Calipham Alkahemũ, quem & cedere vrbe coegit, & ad Tozel becũ confugere, quo cũ ei intercedebat amicitia. At hic ingressus Bagadetum, omnia miscuit flamma & sanguine, nulli parcens, ne mortuis quidem, in quorũ sepulchris latentes quærebat vivos, & sic restituit Alkahemũ in Pontificatũ. Dum hæc geruntur, venit Bagadetum Ganiaris filius Malek Rhaym, quẽ multa pro jure suo allegantem Tozelbecus in carcerem conjecit, inque eo mori coegit. Nec tamen inter se digladiari cessaverunt fratres ejus, qui semetipsos mutuis confecere carcerib. atq; lanienis, pertractis etiam in cædium societatem Turcis. Postremo Aboaly Kaykozrao, Abul Ganiaris filius, vltro cessit Satrapia paterna, eamque tradidit Olobo Arsalomi, qui ei vicissim dedit terras Naobandiam & Actacã, in qua reliquos vitæ suæ dies exegit, semper ab Arsalone comiter & benigne habitus: mortuusque est post fratres suos anno AN. C. MXCV. Egiræ CDLXXXVII. Et hic fuit finis regni Daulæorum in Persida.

Porro persecutus est Tozelbecus Abdũ Rachidum, qui se in munimentum firmissimum recepit. Quod cũ ille nullo modo se expugnare posse videret, corrupit excubitores, qui Rachidũ cũ propinquis suis tradiderũt Tozelbeco, qui eos omnes mactari jussit: Cumq; se ipsum Regem declarasset, duxit vxorem sororem interemti. Sed paucis dieb. post cũ de more publice salutandus esset à populo Rex, decem ex primis civiũ, cum eum salutaturi circũstitissent, trucidaverunt eum dicto citius, nemine ad Tyranni necem exclamante. Post hunc extractus carcere Ferrogozadus, Massudi filius, Abdi Rachidi frater, regno per VI años potitus, mortuus est an. AN. C. MLXXIV. Egiræ CDLXVII. Relicto successore Ebrahemo Masudi, fratre suo: quo ipso quoque anno diem suum Obiit Alkahem. Calipha, cum Pontificio præfuisset an. XLIV. mens. IV.

ALMOKTADYBILA CALIPHA XLVIII.

Post Alkahemi mortem hic Calipha factus est: quo Sedem obtinente multi motus Persidem exagitaverũt, nec tamen magni momenti. At in Carasone & Maurenahar Ebrahemus, qui Ferrogozado fratri successerat, pacta cum Turcis fecit. Cumque regno suo pacem peperisset, duxit in Indiam, estq; nonnullis victoriis cum præda opulentissima potitus. Verum Malecha Turquestaniæ Rex Persastam diuturna pace frui pati non potuit, sed magnas collegit copias, vt Persidem invaderet. Ebrahemus eo cognito, misit Oratores ad Turquestanũ, qui magna dexteritate vsi, eũ à proposito averterunt, nec hoc duntaxat, sed & effecerunt, vt roborandæ amicitiæ ergo Malecha dederit filiam suam in matrimonium Masudo Ebrahemi filio: quibus factis mortuus est Ebrahemus, anno Salutis MLXXXIX. Egiræ CCCCLXXVI. Sexto anno post vivendi quoque finem fecit Calipha Almoctady Bila, cum Sedisset annis XIX. mensibus V.

ALMO-

Digitized by Google

ALMOSTAZER BILA, Calipha XLIX.

Almoctadi filius hic fuit, quo Caliphatum obtinente Bagadetum vrbs eluuie Tygris fluvij inundata atque eversa mutavit situm, in alteram fluminis ripam translata, quæ Orientem respicit, vbi nunc sita cernitur, loco multo commodiore quam antea. Habuit hæc vel à prima sua fundatione vel instauratione per Abujafarem XXV. Caliphas, quorum nullus in ipsa vrbe mortuus est, quod quivem videtur admiratione dignum. Vsus est Almostazer alta pace prope toto pontificatus sui tempore, quem gessit XXV. Annis, mensib. VI. quo tempore elapso mortuus est anno Salutis MCXXIX. Egiræ DXII.

ALMOSTARCHED BILA FAZELE, Calipha L.

Magni hic fuit homo animi & ad gerenda bella proclivis, vt qui quosdam Persarum Principes oppugnavit, & Masudo Saliuquio Carasoniæ regi quasdam provincias ademit, quo cum calipha bellum varia fortuna gessit: Sed ad extremum Masudus victor evasit apud vrbem Taurim, vbi Calipha fuga se servare coactus est, Sed nihil juvit eum hæc fuga; captus enim paulo post, & ad Masudum adductus, jussu hujus necatus fuit, anno AN. C.MC XXXVI. Egiræ DXXIX. cum Pontifex fuisset annis XVII. & mensibus II.

RACHED BILA, Calipha LI.

Filius hic fuit superioris, qui dum conatur vlcisci mortem patris, contrahit copias quantas, potest maximas, proficiscitur que in Persidem adversus Masudum, magnamque partem regionis ei adimit. Cum autem Masudus evigilasset, magno prælio Sacerdotem devincit, qui vix ægre Hispaonem Hieraquenæ elapsus, jussu Masudi trucidatur, anno AN. C.MCXXXIX. Egiræ DXXXII. post cujus mortem Masudus Bagadetum venit, & nemine repugnante admissus est.

ALMOCTAFI BILA, Calipha LII.

Masudus factus Bagadeti dominus, in locum Rachedi Calipham creat Almoctafi Bilam, propinquum defuncti: Et paulo post ipse moritur in Persida. Vnde arripuit Almoctafus occasionem conscribendi exercitum, eumque in Persidem mittendi, vbi non magno labore recuperavit omnia, quæ Masudus patri avoque ejus eripuerat: quæ cum nullo prope interpellante quietus possedisset per annos prope XXIV. mortuus est anno AN. C. MCLXI. Egiræ DLV.

ALMOSTANGET BILAISSVF, Calipha LIII.

Succesſerat Masudo in Persida mortuo, Arsaloncha filius in Gasnæa regione, qui cum vix Diadema de more sumsisset, jussit comprehendi omnes fratres suos, quos multos habebat, & vinciri, præter vnicum Baharoncham qui evasit. Horum proximi agnati erant fratres duo: prior Samar, Satrapa Carasoniæ: Alter Mahamedus Hieraquenæ. Ad priorem igitur Samarem confugit Baharoncha, qui eum cum Arsaloncha fratre in gratiam reducere tentavit: cum vero hic abnueret, Samar ei bellum intulit, ingressusque Gasnæam, vicit Arsaloncham, opimis potitus spoliis. Ne hac contentus victoria Samar, instante Baharoncha, eum secundo vicit, totamque deprædatus regionem, Baharoncham in ejus possessionem misit. At Arsalon intellecto Samaris discessu, ingressus Gasnæam, cogit Baharonem fugere, Iratus Samar revertitur, vincit capitque Arsalonem tertio, eumque tradit Baharoni fratri, qui necari hominem jussit, cum non nisi tres annos regnasset, anno AN C.MCXIX. Egiræ DXII. Baharoni magnæ tribuuntur virtutes, quod fuerit comis & liberalis, facilis ad ignoscendum, amator litteratorum, & ipse doctus adeo, vt quædam in Philosophia scripserit, nec tamen rerum bellicarum imperitus, vt ostendit in expeditionibus suis, quas in Persiam Indiamque suscepit. Obiit hic Princeps diem suum anno AN. C.MCLIII. Egiræ DXLVII. cum XXXV. annis regnasset. Successit ei Cosdroes filius. Profectus hic statim sub initia novi regni in Indiam, reversus invenit regnum suum occupatum ab Samare Carasoniæ rege: Cumque non satis haberet virium, quibus sua recuperaret, reversus est Lahoram in Indiam, vbi mortuus est anno Sal. MCLXI. Egiræ DLV, cum regnavisset annis IX. Successit ei Cosdroes Malecus filius Lahoræ, quæ caput est regni Multonii in India: omnia enim per Persicum regnum jam ab aliis obtinebantur, nec satis erat huic adolescenti vel animi vel virium ad ea repetenda. Sed & ex Lahora Indiæ pulsus Malecus, in Gasnæam rediit, vbi mortuus est anno MCLXIX. Egiræ DLXIII. Tertio anno post finem vivendi fecit Calipha Almostanget, cum XL. annis præfuisset.

ALMOSTANZY BENVR ELAH ACEN, Calipha LIV.

Laudatur hic Calipha, qui patri in Pontificatu successit nomine liberalitatis, eruditionis, & cæterarum virtutum principe dignarum. Præfuit rebus annis IX. mensibus VIII. mortuus anno AN. C.M CLXXX. Egiræ DLXXV. Nihil sub hujus pontificatu memorabile contigit.

NACER LADIN, Calipha LV.

Filius hic superioris, Caliphatum obtinuit totis XLVIII. annis, floruitque sub eo Bagadetum

Digitized by Google

quam maxime. Hoc Potificatum gerente, Coarzini Salincos invaserunt, eosque penitus devictos sibi subjecerunt: Et Tartari sub Chingi Chamo Turonem & Agemum occupaverunt, omnia vastantes igne & sanguine, quibus calamitatibus tantum mæroris concepit Calipha, vt moreretur anno AN. C. MCCXXVI. Egiræ DCXXII.

ALTAHER BILA MAHAMEDVS, Calipha LVI.

Naceri filius hic fuit, successitque patri, sed in novem duntaxat menses, mortuus enim est an. Sal. MCCXXVII. Egiræ DCXXIII.

ALMOSTANCER BILA, Calipha LVII.

Successit hic Alzahero patri, cujus tanta in suos fuit liberalitas vel potius prodigalitas, vt exhausto ærario suo largitionibus pauper evaserit. Hujus tempore Persicum regnum alta pace lætatum est: Verum Mogoles sive Tartari illud ingressi, nonnullas sibi subjecerunt provincias: quibus cum se opposuisset Almostancer, coegit eos multa rursus deserere quæ occupaverant, cumque eos aliquot præliis vicisset, mortuus est anno decimo septimo Pontificatus sui, Sal. Nostræ MCCXLIV. Eg. Mahometanæ DCXL.

ALMOSTACEM BILA ABDVLA, quinquagesimus octavus & vltimus Calipha Bagadetensis.

Tartari ab Almostancero Bila ad eum quem diximus modum victi, sub Almostacemo filio ejus vindicias Persis exegerunt. Olacusan enim Tartarus eos vicit, occiditque Calipham, cum dignitatem illam annis XV. mensibus VI. sustinuisset. Sic desierunt caliehæ de Bagadeto, quam vrbem nos Babylonem, Turcæ Baldach vocant, quam Tartari occupaverunt cum vniverso prope regno Persico. Fuit autem Almostacemus trigesimus septimus ex ista familia, quæ Caliphas suppeditavit per annos prope DXXIII. plus minus: de quibus Sigillatim actum est, prout illi in Chronico regum Persicorum enumerantur. Fecit autem vitæ finem Almostacemus anno Salutis MCCLVIII. Egiræ Mahometicæ DCLV.

DE MOGVLIBVS *Sive* TARTARIS QVI IN PERside dominati fuerunt.

CHINGVIS CHAM, primus Persarum Rex ex Tartaris.

Primus hic fuit qui vim & arma Persis intulit, filius Suky Badu, cognomento dictus Validus, cujus jam subiiciemus Genealogiam, facto initio ab hujus Chinguis patre vsque ad octavum ejus avum. Badur, Fil Chā Tomana-Chan, Bayfanger-Chan, Cayduc-Chan, Tomin-Chan, Bucca-Chan, Buzan-jar, qui octavus fuit Avus Chinguis-Chan, qui natus est anno AN. C. MCLII. Egiræ DXLVI. Amisit patrem annos natus XIII. Sic despecta ejus pueritia, multi motus in regno Tartarico orti sunt, qui duraverunt vsque ad annum Sal. MCLXVI. Eg. DXCIX. Pervicit tamen omnes difficultates Chinguis, superatisq; iis, qui successionem ejus dubiam reddere volebant, potitus est vniverso regno paterno. Nomen ejus antea fuerat Tamachin, verum vbi in regno stabilitus fuit, quod accidit anno AN. C. MCCVII. Chinguis-Chan nominari voluit, q. Tartarorum lingua sonat Regem Regum. Fuit hic Princeps longe potentissimus, qui suo subjecit dominio omnes Hordas sive familias Tartarorum, cum Regnis Cataio, Helan. Tangar & aliis, quæ sibi subjugavit anno Salut. MCCXIX. Egræ DCXV. Egressus hic cum copiis innumeris irruit in regnū Maurenahar. Opposuerat huic se primum Mahometus Corracemcha: sed videns suas vires nihil posse adversus illam tempestatem, cessit fugitque Carasonem.

Intravit in Maurenahar Chinguis-Chan anno AN. C. MCCXXIV. Eg. DCXX. interfectis omnibus puberibus in tota provincia: Idem fecit in Vrbe Balca, vnde misit XXX. millia Tartarorum, qui persequerentur Corracemcham, qui semper fugiens eum præibat: Ad extremum adepti sunt eum Tartarii in provincia Gueylonia, vbi eum mactaverunt cū suis, pervastata regione ejus igne & gladio. Hinc ad Vrbem Rey delati Tartari, putantur in ea trucidavisse DC. hominum millia: In Nichabura vero viros XI. centies mille, pueris & mulieribus non Connumeratis: Ad eum modum torrentis instar infinitis cædib. grassatus est Chinguis-Chan per omnes provincias regni Persici. Erat per id tempus Calipha Bagadeti Almostanier Bila, qui veritus irruptionem Tartarorum in suas terras, collegit quantūm potuit hominum, vt procellam illam diverteret. Erant jam Tartari securi facti, errabantq; sparsim ac divisi: Hoc ita magna prudentia aggressus Calipha, coegit prope tota excedere Perside, & se in provinciam Maurenahar recipere. Accidere hęc anno sal. MCCXXVII. Eg. DCXXIII Mortuo Mahameto Corrazinæ rege, videns filius ejus Tartarorum violentiæ se obsistere non posse, aufugit in Indiam. Hujus vestigiis insistentes Tartari, eum apud Indū fluvium assecuti pugnare coëgerunt. At is victus in Muitoniam, adeoque interiora Indiæ fuga se recepit. Ipse Chinguis Chan, cum viam fecisset suis invadendi Persiam. reversus est in Cataium, ibiq; mortuus, an. AN. C. MCCXXVIII. Eg. DCXXIV. cum vixisset annos LXXVIII. Habuit omnino filios quinque primo nomen erat Tuch-Chan, qui VI. mensibus ante patrem mortuus est. Alter vocabatur Chagatay-Chan, cui dederat provinciam Maurenahar. Aygorto Corrazinam. Quartus Octacayhon successit patri. Quintus vocatus fuit Tuli-Chan, cui pater dedit quasdam terras cum omnibus thesauris. Sed & hic mortuus est anno AN. C. MCCXXXII. Egiræ DCXXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. ita vt ex quinque Chinguis-Chani filiis solus superfuerit Octacayhon, tantæ potentiæ hæres futurus. Reliquerant tamen & fratres ejus liberos, de quorum successione in sequentibus dicemus.

OCTACAY-CHAM, II. Rex Persarum ex Tartaris.

Quartus hic fuit in ordine Chinguis-Chani filius, qui successit patri anno AN.C.MCCXXX.Egiræ DCXXVI. tantum hic laudandus venit, quantum pater vituperandus: Liberalis in primis & munificus; vt Mirkondus referat, summam donorum munerumque ejus, quę extraordinem largitus est, accedere in nostra ratione numerandi ad X. Millionesauri, & DC. millia ducatorum, Primus ejus cõsiliarius fuit Gerbahon Noyn, homo bellandi peritus & prudens, quem misit ad persequendum Galadinum, qui in Multoniam Indiæ fugerat, collegeratque quicquid habebat virium, vt Gerbahonem impediret, sed victus cæsusque est in acie. Hinc victor convertit arma in Persidem, eamque sibi totam subjecit, excepta Begadeto, cumque regnavisset annis XIII. mortuus est inflammatis ex nimio vini vsu viscerib. an. AN.C.MCCXLII. Eg: DCXLIX. Relicto filio vnico, Gajuc-chano, qui quod puer esset, vixit sub tutela matris, quæ regno præfuit annis IV.

GAIVC-CHAN, III. Rex Persarum è Tartaris.

Cæpit hic regnare an. AN.C.MCCXLVI. Egiræ DCXLIII. fecitque omnibus spem boni & laudabilis Principis, cum amaret justitiam, neque odio haberet Christianos, vnde & ipse ab omnibus amatus fuit: Sed breve jus regni primus annus eripuit; mortuus enim est anno à.n.C.MCCXLVII Eg.DCXLIV.

MANCHVCANON IV. Rex Persarum è Tartaris.

Fuit hic maximus natu filiorum Tuli-Chani, qui quintus in ordine fuerat filius Chinguis-Chani, adeptus Diadema, cum nullos patruus ejus reliquisset liberos, vir animosus, liberalis tamen & benignus. Fovebat hic Arabas, ita tamen, vt Christianos non haberet odio, quamvis interim Iudæos cane pejus & angue odisset. Dedit hic fratri suo Cablæo Caboni Regnum Cataii, qui illud valde amplificavit. Estque hic Manchucanon primus fundator celeberrimę Vrbis Cambalu, quæ nostro zvo sedes regia est Magni Tartarorum Principis; Vlaho vero Cuchano alteri fratri donavit provincias Persicas, cumque regnavisset annis XIII. fecit vivendi finem, anno AN.C.MCCLX. Egiræ DCLVII.

VLA KVKAN. V. Rex Persarum ex Tartaris.

Gubernaverat hic, vt diximus, provincias Persicas vivo fratre suo, sed ab anno Christi MCCLVI Eg.DCLIII. postquam solus regnare cæpit, adortus Ismaeliam locum maximi momenti cepit: in qua tantam exercuit crudelitatem, vt omnes mortales juxta interfecerit, etiam infantes. Hinc in Hieraquenam duxit, quam sibi subjecit, & anno sequenti adversus Bagadetum profectus, victum acie Almostacenum calipham cepit. Et occidit cum quatuor filiis, interfectis tam Bagadeti quam alibi omnibus mortalibus, vt credatur jugulasse decies sexies centena hominum millia. Anno MCCLXI. Eg. DCLVIII. duxit copias ad Alepum & Damascum Syriæ, & expugnavit vtramque relicto ibi præfecto Suryo captucaone: Hinc rursus profectus in Persidem, cum in Provinciam Aderbaion venisset, crudelem efflavit animam, an. AN.C. MCCLXVI. Eg. DCLXIII. Antequam moreretur divisit terras suas tribus filiis suis quos habebat. Maximo natu Habcacayoni dedit regna, Hieraquenam, Masandaronem & Carasonem. Secundo Iachemeto Armeniam & Aderbaion. Taduno tertio Rabiam & Mesopotamiam. Primo Veziero suo donavit Bagadetum, vt eam vrbem instauraret, quod hic quidem fecit, alii vero Consiliario suo tribuit terras quasdam Romanas. Florebat per id tempus in Perside excellens Astrologus nomine Naciradinus, qui composuit librum Zichel Kony, de thematibus cæli & judiciis Astrorum, qui inter Persas est celeberrimus. Fuerunt autem præter tres illos filios Vlah Kukano etiam alii duo, quorum prior vocabatur Nicudar Ogiam, alter Taragec-chan, quibus, quod juniores essent, nullos Principatus assignavit pater, quanquam & his sua deinceps cesserit portio.

HABCAY-CHAN, Rex Persarum è Tartaris VI.

Successit hic patri in dominio Persico. Bellum ei fuit adversus Borachanum, qui ingentem exercitum collegit in Chagataio an. Sal. MCCLXXI. Eg. DCLXVIII. Cum hoc commisit Habcay-Chan prælium, eumque victum profligavit vsque in Maurenahar; Regnavit an. XVII. quibus exactis mortuus est apud Amadonem anno Christi MCCLXXXII. nullis relictis liberis. Habuit igitur successorem fratrem Nicudar Oglamum, qui & alio nomine appellatus fuit.

HAMED CHAN, Persarum Rex ex Tartaris VII.

Hic cum Arabum religionem amplexus fuisset, mutavit prius nomen suum, sed regnavit tantum annis duobus & mensibus duobus, mortuusque est anno Salutis MCCLXXXIII. Egiræ DCLXXXIII. & sic regnum ad liberos Habcay-Chani devolutum est.

AR-

Digitized by Google

ARGON-CHAN, VIII. Rex Persarum è Tartaris.

Habcaychani filius natu maximus hic fuit, pervenitque ad regnum morte patrui, quod obtinuit per annos VII. quibus finitis mortuus est anno Salutis MCXCII. Egiræ DCXC. relinquens regnum fratri suo.

GANIATV-CHANO, Regi ex Tartaris IX.

Qui quinto post fratris mortem mense Diadema sumsit, Princeps liberalis, multisque ornatus virtutibus, quas omnes obscuravit amor voluptatum. Cum aliquando destitueretur pecunia, voluit in Persidem introducere vsum monetæ papyraceæ, sicut in regno Cataiensi fecerat: Sed nemo id probavit, nemo tamen acrius ei rei adversatus est quam Badu-Chan, adeo vt controversia in bellum eruperit, in quo Ganiatu-Chanus occubuit, cum tribus annis regnasset, anno Salutis MCCXCV. Egiræ DCXCIII.

BADV-CHANVS, Rex Persarum ex Tartaris X.

Turgahæi hic fuit filius, & Vlah-Kukami nepos qui cum regnum per violentiam invasisset, adversarium habuit Gazun, Argon-Chani filium, qui in eum duxit exercitum ex Mauris & Arabibus constantem. Commisso prælio Baduchanus victus fugit, sed captus & Taurim ad Gazunum perductus, jussu eius interfectus est, anno A. N. C. MCCXC. VI. Eg. DCXCIV. cum tantum per annum vnum Rex fuisset.

GAZVN, Rex Persarum ex Tartaris XI.

Argoni filius, Habcaychani nepos, Vlah Kukani pronepos, Rex factus. Iustitiam eximie amavit. Anno AN. C. MCCXCVIII. Eg. DCXCVI. Damasceni aliique Syriæ populi, facto cum rege Ægyptio fœdere, rebellaverunt adversus eum. Sed Gazun vicit eos, & ad obedientiam reduxit, reversus victor Casbinum, quæ postea facta est sedes Regum Persicorum vbi mori eum contigit anno AN. C. MCCCV. Eg. DCCIII. Sepultus fuit Tauri in sumtuoso templo, quod ipse vivus struxerat: estque è tanto sepulchrorum regiorum numero hoc solum integrum & superstes, cæteris injuria temporum corruptis.

ALYAPTVS, Rex Persarum è Tartaris XII.

In huius manus, qui frater defuncti regis fuit, devenit regnum, qui cum religione Arabs esset, mutavit nomen, voluitque appellari Sultan Mahomet, Ben Argon. Agebat annum vigesimum, cum regnare inciperet, constituitque regiam sibi sedem apud Taurim. In exequenda iustitia valde fuit severus, qua ratione populos suos in freno cõtinuit, fuitque primus, qui tributum exegit à liberis Christianorum & Iudæorum, ipsosque alicubi liberos, vt eos suo modo institueret formaretque. Anno AN. C. MCCCVI. Eg. DCCV. ędificare cępit vrbem Sultaniam, annoque sequenti occupavit Gueylonem: Legitque exercitum adversus Præfectum Damascenum qui jam secunda vice rebellaverat: quem vbi ad officium redux t, in Persidem rediit, estque defunctus in vrbe Sultania, an. AN. C. MCCCXVII. Eg. DCCXVI. cum regnavisset annis XII. mensibus IX.

ABVZAYD BAHEDER-CHAN, Rex ex Tartaris XIII.

Hic Alyapti filius regnum paternum adeptus est, cum annum ætatis ageret XII. Vezierus ejus fuit Amir Chupon, cui filia erat exquisitæ pulchritudinis, sed quæ jam viro nupta erat. Huius amore cum Rex periret, petiit eam à patre. Negavit pater sibi quicquam in eam juris esse, vt quæ jam haberet maritum. Ergo Abusaydus amans & amens vi eam rapuit, interfecto per iracundiam patre & marito ejus. Hæc mulier ita sibi deinde mancipavit animum regis, vt Rex traderet ei in manus gubernacula regni, quæ magna prudentia & moderatione gessit: Ipse Rex interea vivebat vitam solitariã, addictus lectioni librorum, quibus apprime capiebatur. Æstates fere exigebat Sultaniæ, Hyemes Bagadeti, cumque regnasset annis XIX. mortuus est an. AN. C. MCCCXXXVII. Eg. DCCXXXVII Huius obitu divisa est potentia Tartarica per Persicum regnum, cum quivis se appellaret regem illius provinciæ, quam cum imperio obtinebat, vsq; ad Tamerlanem, quod fuit spacium sexaginta trium ferme annorum.

REGES TARTARICI EX POSTERIS TAMERLANIS,

Qui in Persia dominati sunt.

TEYMVRLANG, primus Persarum Rex ex hac familia.

Quem nos vulgo Tamerlanem dicimus, ei verum fuit nomen Teymurlang, id est, Teymur claudus. Fuit autem filius Baydonchani, & decimus quartus in hoc ordine successor Chinguis-Chamis ex cujus ipse ortus est Sanguine. Neque enim, vt multi nugati sunt, fuit vel Latro, vel mulio, vel denique pastor, sed bellator magnanimus, vt ejus res gestæ satis ostendunt. Natus est Samarcandæ, secutus castra & militiam vt majores ejus. Atavus ejus, nomine Cararchear Nuyon cum Chingui-Chano ex Tartaria profectus est eo tempore, quo Chinguis secundo suo filio Chagaray-Chan tradidit regna Maurenahar, Argon & Coarzinam, qui Nuyonem illum primum sibi constituit Vezierum, qua in dignitate ipse posterique ejus constituerunt vsque ad Teymurem hunc.

Regna-

Digitized by Google

Regnabat tunc in Chagatæa Rex nomine Soiorgatus Mechcon, apud quem Teymur fungebatur summi ducis bellici officio. Soiorgato autem mortuo, Teymurlang omnium consensu salutatus fuit Rex. Adeptus eo pacto regnum, eduxit secum innumerabilem exercitum, magna in omnibus rebus vsus prosperitate, ita vt spacio XXXVI. annorum quibus imperavit, præter regna quæ antea possidebat, acquisiverit etiam Maurenahar, Turquestaniam, Coarzinam, Sistam, Carasonem, Indostam, Hieraquenam, Persidem, Kermonem, Masandaren, Aderbaion & Cusistam, quæ regna omnia partim liberi ejus partim duces inter se mortuo illo diviserunt. Annus erat à nato Bono Publico MCCCLXXX. Egiræ Mahometicæ DC. CLXXXIX. cum Teymur, audito rebellari vulgo apud Hisphaonem, quæ caput est Hieraquenæ in Perside, ipse eo profectus est, vt seditiosos compesceret, vbi nimis magno rigore vsus, ad LX. millia hominum trucidavit. Regnabat in Capechaca Toctamech Chan, beneficiarius Teymurlangi, qui & ipse rebellaverat; sed Teymur misso contra eum exercitu, profligavit eum toto regno, & in Gurgestaniam fugere coëgit. Anno AN. C. MCDII. Egiræ DCCCIII. duxit Teymur ingentes copias in Syriam, cepitque Alepum & Damascum, victo etiam Sultano Farache, Ægypti rege: hinc in Babylonem conversus cepit vrbem, & circum Taurim hybernavit. Anno sequenti coactis majoribus quam ante copiis, duxit in campestria Angorensia adversus Turcarum Regem Baiazetum, quem acie vicit captivumque secum abduxit occupata magna regni ejus parte Bajazetes anno post periit in carcere.

Dum adhunc modum Teymur occupatur bello Turcico, quidam Cara Issuf ex improviso capit Babylonem, pulso inde Satrapa, cui Teymur eam vrbem tradiderat. Dum autem ex Anatolia rediit Teymurlang, mittit contra Issufum, nepotem suum Abubaquerum, qui receptam vrbem dedit Sultano Weizo, vt postea dicemus. Teymur Ardevillam profectus, ibi aliquot dies exegit, deinde omissa Perside rediit in Carasoniam, atque inde Samarcandam in patriam suam, vbi multum temporis dedit lætitiæ publicæ ac festivitatibus in conciliandis inter suos nuptiis. Postremo cum se Anaram contulisset, quæ dependit è regno Cataiensi, mortuus est anno AN. C. MCCCCV. Egiræ D. CCCVII.

Fuere Teymurlango filii IV. max. natu nomen fuit Gur, qui mortuus est anno vno ante patrem, relictis duobus filiis Mahamedo Sultomo, & Pyro Mahamedo, quem Teymur testamento scripsit hæredem regnorum Gasnæ & Indiæ: verum Pyrus Haly eum interemit. Secundo Teymuris filio erat nomen Hamar Cheque, qui vivo patre Persidem rexerat: sed & hic mortuus est in castro Hormatu in Loreстania. Tertius erat Miruncha, qui successit in regnis Hieraquena & Aderbaione, vsq; ad Damascum, mortuus est anno Christi MCDVIII. Eg. DCCCX. interfectus ab Issufo Turcomanno. Quartus Teymuri filius fuit & ejusdem successor, dictus.

MIRZACH-CHAROK, II. Persarum rex ex Tamerlanidis.

Minimus hic erat natu inter filios Teymurlangi, commorabaturque in Carasone cum pater moreretur. Non invenit hic quietum regnum, vt opinabatur. Hieronenses enim & Tyronenses eum regem agnoscere nolebant, quos cum compescuisset, duxit adversus Caram Issuf in Aderbaion, qui omni vi se defendere constituerat, sed mortuus est in via, relictis duobus filiis, qui pugnaverunt adversus Charocum, sed victi ab eo sunt: qui tamen minorem Mirzah Ioncham in gratiam receptum, in possessionem provinciæ Aderbaion restituit. Post hæc extruxit Charocus in Maurenahar vrbē, quam de suo nomine vocavit Charoquiam, cumque regnavisset annis XXIII. clausit extremum diē AN. C. MCDXLVI. Eg. DCCCL. Habuit Charocus filios V. Inter quos natu max. dictus fuit Ologbecus, cui dedit provincias Turquestaniam & Maurenahar. Secundo nomen fuit Ebrahemo Sultano, qui ante patrem obiit, cum Persidem rexisset annis XX. & multa struxisset ædificia memoria digna. Anno vno ante patrem mortuus fuit tertius ejus filius, nomine Baesfangor. Quartus fuit Mirzah Mechcon, & Quintus Mahamed Iuguy, sed & vterque vivo patre mortuus est.

Salutaverant mortuo Teymurlango Samarcandenses regem propinquum quendam ejus, nomine Sultan-Kalil, contra quem insurrexit quidam ex clientibus ejus, Kodadah Hosquenus, eumque cepit: postea vocavit in auxilium Chama Ionum, Malgostaniæ sive Tartariæ regem, eique patefecit aditum in provinciam: sed hic adeptus dominium, persolvit condignum proditionis Hasqueno præmium, eumque interfecit.

MIRZAH OLOGBECVS, III. Rex ex Tamerlanidis.

Rexerat hic vivente Charoco patre Turquestaniam & Maurenahar, venitq; Balcam an. Sal. MCCCCXLVIII. Eg. DCCCLI. vbi audivit, Aladaoletum propinquum suum vsurpare sibi regium nomen per Hieraquenam & Corasonem, ductis igitur in eum copiis suis, vicit hominem, coegitque fugere ad fratrem suum Mirzah Baborem, cum quo cum arma coniunxisset, denuo venit, pugnaturus cum Ologbeco. Ergo hic digressus Hieraca Balcam venit, coëgitque omnes suas copias, sed in ipso apparatu nunciatum est ei, filium ejus Abdelasium pariter defeciisse. Coactus igitur conflixit cum Aladaoleto, in qua victus cæsusque est in acie, cum regnavisset in illis oris annis XLI. post mortem autem patris dominus totius regni per annos II. ANC. MCDL. Eg. DCCCLIII.

MIRZAH ABDELATIFVS. Rex e Tamerlanidis IV.

Cæso in acie patre & fratre, hic factus est rex, nemine

Digitized by Google

mine contradicente: sed post VI. menses à militibus sagittis trajectus occubuit.

MIRZAH ABDVLA, V. rex Persarum è Tamerlanidis.

Successit ergo Abdelatiffo mortuo Abdula frater, quo cum anno vno lætatus fuisset, Abusaydus Carasoniæ Rex depopulatus est regnum ejus: cui cum occurrisset Abdula, exercitum & vitam perdidit an. AN. C. MCCCCLII. Eg. DCCCLV.

MIRZAH SVLTON ABVSAYDVS, Sextus Persarum Rex ex Tamerlanidis.

Mahamedi hic filius fuit, Miromchæ nepos, Teymuris pronepos, qui interfecto Abdula regno potitus est. Novum tunc ortum est bellum inter Ebrahemum & Mahamudum socios, & Iooncham qui duos illos fugavit, occupatis eorum terris; postremo tamen inter se transegerunt. Vix facta fuerat illa pactio, cum Saniar & Aladaoletus cum filio suo Ebrahemo bellũ intulerunt Abusaydo apud Saracam, sed victi profligatique, Aladaoletus & Ebrahemus quidem aufugerunt, relicto Saniare in manibus victoris. Tunc factus est Abusaydus possessor provinciarum, Badachonis, Gasnææ, Cabudi, Sistonis & Coarzinæ.

Anno AN. C. MCDLXVIII. Egiræ DCCCLXXII. interfecit Acembecus Alibeci filius, Iooncham, vnde Abusaydus vocatus est ad possessionem Kermonis, Hieracæ & Aderbaionis. Occuluerat se elapsus Acembecus, missisque ad Abusaydum oratoribus pacem petiit, sed obtinere eam non potuit, vnde repulsam passus, confugit ad montes Carabagos circa Taurim, vbi intercepto omni commeatu, in eam redegit Abusaydum annonæ inopiam, vt inde effugere necesse habuerit. Sed captus & ad Iadigarem Mahamedum Acembequi socium deductus, vitam cum regno amisit anno AN. C. MCDLXIX. Egiræ DCCC. LXXIII.

MIRZAH SVLTON HAMED Rex VII. è Tamerlanidis.

Abusaydi hic filius successit patri cæso in regno Maurenahar, quod obtinuit per annos XXVIII. quibus exactis vivendi regnandique finem fecit anno AN. C. MCCCCXCV. Egiræ DCCCX. CIX.

MIRZAH BABOR, VIII. rex ex Tamerlanidis.

Successit hic jure consanguinitatis Hamedo in regno Maurenahar anno AN. C. MD. Egiræ CMIV Sed Ichay Bekan veniens ex Vsbequia, Solio eum deturbavit, & ab omni successione Tamerlanis posteros excluſit. Babor elapsus venit in Gasnæam, & hinc in Indiam, vbi fixit sibi domicilium, cumque omnino regnavisset annis XXXVIII. liquit vitales auras anno Sal. MDXXXII. Egiræ CMXXXVII. relictis duobus filiis, Homaione & Camorane, qui post patrem apud Indos regnaverunt. Et Homaion quidem ducem belli habuit, qui motain dominum seditione, regno eum exegit, & in Persidem fugere compulit: vbi tunc regnabat Chatamas, qui & exulem iuvit lecto exercitu XII. millium militum, sub ductu Beyram-Chani, qui ductum secum Homaionem in regnum restituit.

MIRZAH IADIGAR, Rex Persarum nonus ex posteritate Tamerlanis.

Fuit Iadigar Sultoni Mahamedi filius, Baësfaugoris nepos, Charroci pronepos, abnepos Teymurlangi. Iunxerat hic se anno Egiræ Mahometicę DCCCLXXIII. Acembeco, occideratque Abusaydum, vt diximus, hincque adversus Strabatum duxerat copias. Verum Ocemus Mansuri filius, intellecto Iadigaris conatu, celeriter Strabato suppetias tulit, alterumque vicit anno Gratię MCDLXX Eg. DCCCLXXIV. Iadigar victus recepit se ad Acembecum, qui eum etiam majoribus quam antea instruxit copiis, quibus aggressus Ocemum potitus est victoria, altero illo Balcam vsque profligato. Sic factus provinciæ dominus Iadigar, voluptatib. vicitsque se tradidit, neglectis regni negociis: qua somnolentia animadversa Ocemus nocte quadam mille tantum stipatus militibus, tanta vsus est industria, vt hostem suum vivum ceperit, quem statim morte jussit affici, & sic iterum suo potitus est regno. Accidere hæc anno Sal. MCDLXXI. Eg. DCCCLXXV. Desiit autem in Iadigare radix Charroci. Etsi autem supra annum AN. C. MDXXXII. numeravimus, & hic annum MCDLXXI. posuimus, misso Iadigare post Baborem: causa tamen hujus rei est, quod Provinciæ Persicæ tunc divisæ fuerunt, & plures in iis eodem tempore reguli, qui aliquando totum regnum Persicum, aliquando ejus partem possederunt, vnde aliquid dãdum fuit descriptioni rerum sub his Principibus gestarum, ne hiulcus esset aut imperfectus Chronicorum cursus & ordo.

SVLTAN OCEMVS, X. Rex ex Tamerlanidis.

Adeptus hic postliminii velut jure regnum, quo per Iadigarem privatus fuerat, diuturna pace beavit populũ, cujus non minus fuit studiosus quam Iustitiæ. Exornavit hic regnum suũ multis superbis ædificiis, inter quæ eminet domus Hospitalis sumptuosissimę structuræ, recipiendis pauperib. & peregrinis, opus sane magno Principe dignum. Huius temporib. irruperunt Vsbequenses in provinciam Maurenahar multasq; in ea terras ademerunt posteris Tamerlanis, quas hi hactenus possederant: quib. cũ occurrere vellet armatus Ocemus, mortuus est in via an. S. MDVI. Eg. CMXI. cũ regnavisset an. XXXIV. vixisset an. LXX. in quo tñ numero XX. annos exegit captis Paralysi membris, vt equũ conscendere non potuerit. Filios habuit XIV. è quibus duo ei successerunt.

BAHADI

Digitized by Google

BAHADI AMAZON, ET MVSAFAR Mirzah fratres, vndecimum obtinentes locum inter Persarum Reges, ex posteris Tamerlanis.

Duo hi fratres, Ocemi filii regnaverunt simul post patrem, raro exemplo. His bellum intulit Chaibecus Vsbequensis. At fratres imbecilliores se videntes, cesserunt fortiori, regnumque deseruerunt. Et Bahadi Amazon quidem Truchisium confugit, vbi conscripto exercitu conflixit cum Vsbequensi, sed victus in Persidem fugere coactus est ad Cha Ismaelem qui tunc regnabat, à quo humaniter exceptus, & certo agri modo circa Taurim donatus est, vnde viveret, addito certo auro annuo non modico. Et sic vixit in vrbe Tauri Bahadius annis VII. vsque ad annum AN. C. MDXV. Egiræ CM. XX. quo Selimus Turcarum Imperator capta Tauri vrbe, Bahadium secum Constantinopolim duxit, vbi sequente anno peste extinctus est.

MIRZAH HOMAR, XII. Rex è Tamerlanidis.

Miromcha, tertius Tamerlangi filius duos habuit filios, quorum prior Mirzah Homar successit patri in regione Aderbaion: alter Abudahar Badageti. Post mortem Teymuris Homar se Regem appellavit, occupatisque terris Abudaharis, cepit fratrem in vrbe Sultania. Sed captivus cum corrupisset quosdam è custodibus, interfectis cæteris, evasit è carcere, collectaque in Persida magna manu militum, duxit in fratrem, quem & vicit, & in Carasonem fugere coëgit. Huic Mirzah Carrocus dedit vnam & alteram Toparchiam vnde viveret. Cum autem quietus esse non posset, bello appetivit ipsum Carrocum, eumque victum Morgabum fugere coëgit, vnde cum Samarcandam se recipere vellet, mortuus est in via ann. AN. C.MCDVI. Egiræ DCCCIX.

MIRZAH ABVBA KAR, REX è posteris Tamerlanis decimus tertius.

Homaris hic frater, Miromchæ filius, Teymurlangi nepos, mansit quietus apud Taurim post mortem fratris. Satis huic animi ad bellandum, felicitatis parum. Cara enim Issuf Tur Kimon, qui antea Cayrum in Ægyptum fugerat, bis cum eo conflixit apud Euphratem fluvium. In priore prælio periit frater ejus, & Ababa Kar victus acie, fugit primo Kermonem, deinde Siltonem, anno Salutis MCDVII. Egiræ DCCCX. Anno sequenti, cum magnis subnixus copiis hostem repeteret, extinctus est in itinere, defecitque in eo radix successorum Chinguis-Chani, & Teymurlangi Regum Tartarorum, qui in regno Persico longe lateque dominati fuerunt: de quibus partim jam ante multa diximus, partim in sequentibus plura dicemus.

DE POSTERIS KARA-KVIONLV, *idest,* ARIETIS NIGRI, QVI IN REgno Persico dominati fuerunt.

CARA-ISSVF, primus Rex ex hac familia.

Cara Issuf Ben Cara Mahamet, Turcomannus, dedit se in clientelam & servitium Helkoni, Sultani, Bagadetensis, qui in præmium fidei & præstitæ operæ eum creavit Ducem Turcomannorum eorum, qui ab Ariete Nigro denominabantur, ad differentiam cæterorum, qui ab Ariete albo appellationem sortiti fuerant, vt in posterioribus dicemus. Observatione autem dignum est, eodem illo tempore in Italia duas fuisse factiones, Albam & Nigram, quarum eadem prope referuntur facta, quæ horum in Persida. Fuit autem Cara Mahamet, Cara Issufi pater, Nigrorum caput donec vixit, quę dignitas eo mortuo ad filium devoluta est, qui immemor beneficiorum, quæ à Sultano Helkono acceperat, eripuit ei Babylonem vrbem, quam illi Teymur tradiderat, qui tunc bellum gerebat adversus Bajazetem Turcam. Reversus autem ab ea expeditione, intellecta proditione Cara-Issufi, misit Abubacarum nepotem suum, qui parvo tempore omnia recepit, ipsa quoque Babylonem Sultano Helkono restituit, qui eam tamen diu obtinere non potuit, expulsus à Mironcha, qui eam dedit illi ipsi Abubacaro filio suo.

Victus ad hunc modum fractusque Cara Issuf, fugit in Ægyptum, vbi Rex eum in carcerem compingi jussit, in quo tamdiu fuit, donec nunciatum ei est de morte Teymuris, qua intellecta non conquievit donec è carcere effugit & in Persidem venit, vbi magna industria collegit exercitum, quem non veritus fuit Abubacaro opponere. Interea Helkonus ejectus Bagadeto, nactus redeundi in eam occasionem, vigilavit in rem suam. Dum enim Abubacarus contra Cara-Issufum ducit, ipse irrumpit cum suis in Babylonem, eodem tempore, quo Abubacar apud Nacchoan à Cara-Issufo victus fuit, qui Issufus, cum etiam Taurim vrbem cepisset, eamque necessario præsidio muniviſſet, ivit in Caram Osmanum Baiandurum, qui possidebat Mesopotamiam, quam Issufus captam præsidiisque munitam reliquit, & Taurim reversus est. Ibi novas conscripsit copias contra Helkonum, quem acie victum occidit, & civitatem occupavit anno AN. C.MCCCCXIII. Hinc per Gurgestaniam ingressus Mediam, regem ejus Constantium occidit, Ebrahemum vero captum Taurim abduxit, qui vitam deinde redemit, ingenti persoluto lytro. Hinc cepit Kara Issuf vrbes Sultaniam, Casbin & Taronem anno AN. C.MCDXX. Egiræ DCCCXXII. Postea oppugnavit Azebum Syriæ vrbem, sed superveniente Mirzah Charraco ab Carasone, desistens

Digitized by Google

sistens à proposito, convertit aciem in hunc hostem: antequam autem ad manus deveniretur, mortuus est Cara-Issufus, apud Oion circa Taurim, cumque neque propinquum circum se haberet neque amicum (Tyranni enim amicos non habent) direpta est à militibus omnis supellex regia, adeo vt ne indusio quidem cadaver tectum fuerit: cumq; id ad hunc modum abjectum humi aliquot diebus jacuisset, postremo agnitum à quibusdam humo tectum est, hic fuit finis Cara Issufi, postquã regnavisset annis XIV. Mortuus autem est an. AN. C. MCDXXIII. Egiræ DCCCXXIII. Filios habuit VI. Primo nomen fuit Pyro Budacchano, qui ante patrem extinctus est. Secundus dictus fuit Amir Scandar: tertius Mirzah Iooncha: quartus Cha Mahamed, qui Persidem rexit, donec ab Hamedo occisus est: quintus Amir Apsal & ipse vivo patre mortuus est: quintus fuit Abusaydus, quem Amirus Scandar frater mori coëgit, vt jam dicemus.

AMIR SCANDAR, Cara-Issufi filius.

Secundus hic erat Cara Issufi filius, successitque patri anno AN. C. MCDXXIII. Egiræ DCCCXXIII. qui statim sub initia regni sui bellũ fecit Mirzah Charraco, à quo victus in *Mesopotamia*, trans Euphratem fugit. Victor Charrocus Taurim petit, vbi à civibus admissus non est. Charrocus igitur nihil se effecturum videns, Carasonem rediit, & Scandar Taurim, qui postea & vita & regno privavit Amirum Chamcadinum, regem Calanum. Idem fecit Sultano Hamedo, Satrapæ Gurdestaniæ. An. AN. C. MCDXXX. Egiræ DCCCXXIV. cepit Sultaniam, ejectis præsidiariis Mirzah Charroci, qui cum in Carasonem venisset, suppletis cohortibus suis, invasit vrbem Rey, eamque cepit: reconciliatus autem Ionchæ Scandaris fratri dedit Taurim. At hic virtute illius donationis, cepit arma adversus fratrem, eumque acie vicit, coëgitq; Scandarem se Aleniacum recipere. Iooncha eum persequitur, sed Scandar à filio suo, qui in mala patris erat gratia, obtruncatus est, cum ante Abusaydum fratrem Scandar interfecisset.

IOONCHA, tertius hujus familiæ Rex.

Scandare cæso, Iooncha statim invasit regnum, nihilque cunctatus cepit arma adversus Gurgestaniam quam sibi subjecit, deinde plures fecit in Persidem expeditiones, quam prope totam sub suam redegit obedientiam, ejectis præsidis, quæ Mirzah Mamudus filius Baisfangoris ibi cõstituerat. Hinc duxit in Carasonem, facturus bellum Aladaoleto Ebrahemi filio, quem vicit, Regnabat tunc Balcæ Abusaydus, cũ quo sine difficultate transegit Iooncha, cum audivisset, filium quendam suum adversum se rebellasse apud Taurim, quo pater sine mora accurrens, filium cepit, & angusto mancipavit ergastulo. Vix compositus erat tumultus iste, cum nunciatum est ei, alium filium, Pyrum Budahum, Præfectum Babylonis movisse seditionem, vt Iooncha necesse habuerit, hunc quoque per annum integrum ista vrbe circumsidere, nempe ann. AN. C. MCDLXVI. Egiræ DCCCLXIX. postremo tamen intercedentibus amicis, inter patrem filiumque convenit: cum jam in gratiam rediisset Pyrus, quidam ex fratribus nomine Mahademus, eum interfecit, sed inscio patre, qui Taurim reversus, summo imperio vsus est in totam Aderbaionem, Hieraquenam, Kermonem & magnam partem Syriæ.

Anno MCDLXVIII. Egiræ DCCCLXXII. suscepit expeditionem in Ozun Acembecum, Satrapam Diarbecensem: sed progressum aliquo vsque cum copiis rigor hyemis redire domum coëgit, dilata expeditione in tempus vernum, quod vbi venit perrexit cum exercitu. Consueverat Iooncha singulis prope noctibus se inebriare vino, & in multam lucem sterterem, sive vt conciliaret sibi somnum, vel graves mero dilueret sollicitudines. Hunc morem ejus non ignorabat exercitus, itaque nihilo secius progrediebatur, ipso Iooncha cum mille circiter lectis equitibus sequente. Hoc vbi Ozun Acembecus cognovit, assumtis circiter quinque millibus suorum, tunc Iooncham adortus est, cum à præmisso exercitu nihil opis ei ferri potuit. Sic ipse cum plerisque suis equitibus cæsus est, & duo ejus filii capti. *Majorem* natu Mahamedem Ozunus obtruncari jussit: minorem Issufum privari oculis. Sed periit Iooncha, cum regnasset annis XXXIII. vixisset LXX. vir malus, & pejor princeps, omnibus deditus voluptatibus deliciisque vitæ.

ACEN HALY, Rex IV. ex hac familia.

Hic morte patris hæres regni factus, omnibus pariter thesauris ejus potitus est, qui cum essent grandes, & ipse imperitus rerum, collegit exercitum CC. millium hominum, quibus vnius anni stipendia numeravit, antequam eos in bellum duceret. Accepto auro milites diffluxerunt, quorum major pars ad Abusaydum Carasoniæ regem se contulit, qui deinde illis ipsis copiis Aceno bellum intulit, qui victus fugatusque in manus Ozuni Acombequi incidit, à quo morte affectus est, desitque in eo familia Caracuionlu, qui hactenus in Perside regnaverant: quod accidit anno AN. C. MCDLXIX. Egiræ DCCCLXXV.

DE POSTERIS AKVIONLV, *Sive* ARIETIS ALBI, QVI DOminati fuerunt in Regno Persico.

OZVN ACEMBECVS, primus ex hac familia.

Extincta in Aceno Haly factione Nigri Arietis, factio Arietis Albi fastigium regium conscendit,

Digitized by Google

dit, beneficio Ozuni Acembequi Turcomanni, qui vir in bellis felix & exercitatus, potissimam Persiæ partem sibi subjecit. Appellatur hic vulgo in Historiis Vsun-Cassanus. Obtinuerat Otmanbegus, Acembequi avus Mesopotamiæ partem, quam Cara-Issufi morte adeptus fuerat, sed & Acembecus, vti diximus, interfecto Iooncha Taurim & Aderbaionem occupavit, & cæso Mirzah Abusaydo Carasonem. Reliquerat, vt diximus Iooncha filios duos, quorum alterũ Acembecus necaverat alterũ cæcaverat. Cæcus vbi Scyras venit, ab omnib. rex salutatus est. Verũ Acembecus aggressus vi vrbem, eã cepit, interfecta Issufi vidua: hinc Kermonẽ sibi subjecit & Babylonem, cumque Hieraquenam insuper & Aderbaion & Persidem sub suum redegisset dominium, insulit anno AN. C. MCDLXXII Eg. DCCCLXXVI. bellum Sultano Mahamedo Turcarum Imperatori, qui Acembecum sive Vssun-Cassanem prælio vicit in Arsenione, vnde ipse quidem victus Taurim se recepit, Turcæ verò Constantinopolim. Paulo post extinctus est Ozun Acembecus, nempe anno Salutis MCDLXXVIII. Eg. DCCCLXXXII. quo ipso quoque tempore periit Ogorlu Mahamedes filius è septem Acembequi natu maximus, Secundus dictus fuit Sultan Calil; tertius Iacuppus Mirzah: quartus Maciah Mirzah: quintus Issuf: sextus Macsud Becus, qui occidit Sultanum Calil fratrem suum: septimus Zeynel Becus periit in bello contra Turcas.

SVLTAN CALIL, II. Rex ex Acuionlis.

Acembeco mortuo Calil possessionem paterni regni adeptus, dedit Iacuppo fratri Præfecturam Mesopotamiæ, ipse arma sumsit adversus Morat-Begum, quem fugavit, & in castrum Feruz se recipere coegit. Erat in Arce Tribunus quidam, qui Ocembegum sub specie proditionis in castrum admisit, admissum vinxit & ad Moratum misit, qui eum necari iussit. Eodem tempore sumsit Iacuppus Satrapes Mesopotamiæ arma in Calilum fratrem, duxitque exercitum ad Taurim, socium habens expeditionis Macsub Becum fratrem suum, qui Calilum nihil tale expectantem ceperunt, quem Macsub suis manibus jugulavit, cum mens. VI. regnasset.

IACVPPVS BEGVS, III. Rex ex factione Albi Arietis.

Ozuni Acembequi filius hic fuit; qui deiecto ab solio fratre ad Regnum pervenit. Anno MCCCCLXXXII. Eg. DCCCVI. quidam ex ducibus eius, Baiandur Becus, rebellavit ei, quem Iacuppus vicit & capite truncavit. Eodem anno extinctus est Constantinopoli Mahometus, Amuratis filius, habuitque successorem Bajazetem filium. Circa idem tempus bellum fecit Gurgestanis Aydar Ardevillę Sultanus: cumque Mediam peteret, prævenit eum Farocus Iacatus rex Mediæ, appellato de auxiliis Iacuppo, qui ei militum aliquot Cohortes submisit, sub ductu Solimanni Begi præstantissimi ducis, qui congressus acie cum Aydare, vicit occiditq; eum, captis insuper duobus eius filiis, quorum priori nomen fuit Haly Mirzah, minori Cha Ismael, quos inclusit in Arcem Stercofacam, vt in posterioribus dicemus. Ipse Iacuppus cum regnavisset annis XII. mortuus in Carabage haud longe à Tauri, Anno à nato Bono publico MCCCCXCII. Eg. DCCCXCVI.

BAYSANGOR MIRZAH, IV. Rex ex factione Alba.

Filius hic Iacuppi morte patris ad regnum pervenit; cum autem puer admodum esset, Tutor ei datus est Zufi Calil Musulus, Præfectus copiarum. Sub initia regni ejus valde laboratum est factionibus, cum Bajondurani vellent regem creare Maziam, eoque nomine bellum inferrent Zufi Calilo, qui productis copiis cum conflixisset, Mazia in pugna cæsus est, & Rostanus Becus, ejus ex fratre Macsudo nepos captus, & in Arcem Aleniacensem deductus. Interim Sultanus Baiodurus cum lecta militum manu aggreditur Aleniacum, in qua Rostanus custodiebatur, eumque in libertatem restitutum proclamat regem: hic cũ factione sua Taurim properat, occupaturus ibi Baysangorem, qui deserta vrbe, cum Calilo fugit in Mesopotamiam: hos persequitur Rostanus & Calilem interfecit: Baysangor fuga elapsus est, possessione regni penes Rostanũ permanente. Accidere hæc anno AN. C. MCDLXIII. Eg. DCCCXCVII.

ROSTAMBEK, V. Rex ex factione Alba.

Profligato Baysangore, Rostambecus Macsudi filius regnum adeptus est, qui primum omnium Taurim profectus, è carceribus exemit Haly Mirzam & Cha Ismaelem Aydari filios. At Baysangor, qui jus suum armis repetebat victus cæsusque in prælio est.

Reverso post hanc victoriam Taurim Rostano, Haly Mirzah de consensu ejus Ardeuillam in patriam ivit, pœnituitque actutum Rostanum, quod eum dimisisset, veritus ne fiducia paternæ memoriæ res novas moliretur. *Misit* ergo statim è prætorianis, qui assecuti in via incautum adolescentem mactaverunt: at frater ejus Ismael evasit, vt potuit, in Gueylonem, vbi tunc regnabat Kar Kia Aly, ad quem misit Rostanus oratores, qui adolescentem repeterent; verum hic prodere supplicem noluit. Agebatur annus Sal. MCDLXXVIII. Eg. CMII. cum Hagmetus Becus, Ogorlu *Mahameti* filius, Ozun Acembequi nepos validum exercitũ in Mesopotamia collectum adversus Rostanum duxit, commissoque prælio victoriam obtinuit, fugiente Rostano in Gurgestaniam, vbi mortuus est eodem anno cum regnavisset an. V. mens. VI.

HAGMET BECVS, Rex VI. ex Acuionlis.

Rostani morte tranquillum adeptus est regnum Hagmetus Becus, Ozuni Acembequi Nepos: qui Kermonis quidem Satrapam constituit Hayben

Digitized by Google

Sultanum, & Persidos Cazemum Becum. Sed hi duo conspiratione facta in dominum, bellum ei intulerunt, & juxta Isphaonem prælio vicerunt, in quo ipse periit, vt ita nemo superfuerit ex posteritate Ozun, Acembequi, præter tres parvos nepotes: è quibus Sultan Morat, Iacuppi filius erat in Media: Aluen Becus, Issufi filius in Aderbaione: & Mahamedus Mirzah frater horum & hi tres inter se partiti sunt, quicquid terrarum Acuionlii in Persida possederunt.

ALVVAN BECVS, VII. Rex ex Acuionlis.

Hagmeto ita à clientibus suis & regno & vita privato, successit Alvvan Becus, Issufi filius, Ozun Acembequi nepos, qui ope propinquorum suorum subnixus, Taurim venit, vt se jungeret cum Haybeo Sultano, quia Mahamedus Mirzachus, Alvvani frater se regem appellabat apud Isphaonem Hieracæ. Adversus hunc misit Alvvanus copias suas, qui non expectata vi fraterna aufugit. Cum eum Alvvanus porro persequeretur, à Mahamedo magna pugna victus est, in qua Sultanus Haybeus quidem periit, Alvvanus vero in Mesopotamiam aufugit. Inter has turbas insurrexerunt duo fratres Haybei adversus Moratum Sultanum, Hieraquenæ regem, cumque magnas in Media coëgissent copias, duxerunt in Mahamedum Mirzachum cum quo conflixerunt apud Hisphaonem, in qua Mahamedus cæsus est, anno AN.C.MD.Eg.CMV cum vno anno regnavisset.

SVLTAN MORAT, VIII. Rex ex Acuionlis.

Hic Iacuppi Begi filius, morte Mahamedi adeptus est regna, Persicum & Hieraquenum, retinente Alvvano dominium Tauris & Aderbaionis. Anno AN.C.MDI. Egiræ CMVI. bellum inter hos ex ambitione natum est, posuitque vterque castra apud Casbin Vrbem, neque tamen pugnatum fuit, cum arbitrio bonorum virorum ita res composita fuisset, vt quisque suo regno contentus esset. Erat eo tempore regnum Persicum plenum latrociniis, oppressione, accedente incredibili omnium rerum caritate, & pestem post se, vt fit, trahente. Numerabatur annus AN.C.MDII. Eg. CMVII. quando Cha Ismaël Aydari filius, egressus Nacchoana, magnam armatorum manum Taurim duxit, vbi morabatur Alvvanus, qui statim deserta Vrbe Bagadetum fugit, & hinc in Mesopotamiam, vbi paulo post obiit anno AN.C.MDV. & sic vrbs Tauris venit in potestatem Ismaelis, qui mox arma convertit in Sultanum Moratum, qui Scyras egressus pugnandi copiam Ismaeli fecit apud Amadonem, sed Moratus victus Scyras fugit, & hinc Babylonem, cuius vrbis Satrapa eum in suum suscepit patrocinium. Anno autem sequente, qui fuit AN.C.MDIV.Eg.CMIX. venit adversus vtrumque Ismael, cujus vim illi non expectantes aufugerunt in Caramaniam. Hinc reversus Moratus in Mesopotamiam, paulo post interfectus est à Casselbasis, anno Sal. MDXV. Eg CMXX. desinitque in eo regnum factionis Albi Arietis sive Acuionlorum in Persida.

DE POSTERIS CHINGVIS CHANI,

Qui in Vsbequia & Maurenahare dominati sunt.

CHAYBEK CHAN, Rex Maurenaharis.

Dum res ad eum quem diximus modum in Persida geruntur, dominabantur in Vsbequia posteri Tuchichani, qui filius fuit Chinguis-Chani, obtinueruntque amplissimum terrarum spacium. Anno AN.C.MCDXCVI. Eg.CM. egressus Vsbequia Chaybek-Chan, Budaqui Sultoni filius cum magnis militum copiis, pervastavit provincias Maurenahar & Carasonem, quas intra quartum annum omnino occupavit, sed post coactus est eas cedere Teymurlango. Cum anno AN.C. MDVIII. Egiræ CMXIII. Pady Azamon, Ocemi Mirzæ filius non satis haberet virium ad resistendum Chaybeco, fugit in Persidem ad Ismaelem, ejusque imploravit opem, à quo comiter & benigne acceptus est. Anno autem AN.C. MDXI. intulit Cha Ismael bellum Chaybeco, fuitque commissum prælium apud Marvvon: sed Chaybecus victus in pugna occubuit, cum regnasset annis XII.

KVCHENGY CHAN Rex II. Maurenaharis.

Obtinuit hic cæso Chaybeco Maurenaharem anno AN.C.MDXIII.Eg.CMXVIII. Misit eo anno Cha Ismael validum exercitum in Maurenaharem sub ductu Nagemi Sonii, qui coniunxit vires cum Baboze rege partis Indiæ: Hi ergo simul oppugnaverunt Vsbequenses, sed ab his victi sunt: Et Nagemus quidem in pugna cæsus periit, Babor autem amisso exercitu in Indiam aufugit. Hanc clademvlciscivolens Cuchengis, ingressus est anno AN.C.MDXXX.Eg.CMXXXV. cum exercitu Persidem, in qua tunc regnabat Cha Thamas, Ismaelis filius, qui se ei opposuit, victoriamque ab eo reportavit, vnde Vsbequensis recepit se in Maurenaharem, vbi novas expectabat copias ab Marvvo. Sed pace facta Kuchengensis vlterius progressus non est, sed reversus in Maurenaharem paulo post extinctus est, cum regnasset XX. annis.

ABVSAYDVS CHAN, III. Rex Maurenaharis.

Filius hic fuit superioris, pervenitq; morte patris ad regnum, quod obtinuit annis IV. mortuus postea re nulla memorabili gesta, anno Sal. MDXXXIII. Eg. CMXXXIX.

OBEYD CHAN, IV. Rex Maurenaharis.

Quam primum hic Diadema adeptus est, intravit

Digitized by Google

vit Caraſonem cum valido exercitu, volens inde penetrare in Perſidem: Verum Cha Thamas aliud eum conſilium capere coegit, eripuitque ei totam Caraſoniam. Verum ſecunda vice reverſus Obeydus, magnam terris illis vaſtitatem intulit, vſque ad annum MDXL. Eg. CMXLVI. quo periit cum regnaſſet annis VI.

ABDVLA CHAN. V. Rex Maurenaharis.

Kuchenguis Chani hic filius fuit, adeptus regnum morte Obeydi, quo tamen non vltra VI. menſes lætatus fuit, quibus exactis vivendi finem fecit anno A N. C. MDXLI. Egiræ CMXLVIII.

ABDELATIFVS CHAN, Rex ſextus.

Succeſſit hic patri Abdulæ in Regno Maurenaharis, quod obtinuit vſque ad annum A N. C. MDXLIII. Eg. CMXL. in quo, eo anno mortuo, extinctum eſt jus regni Maurenahar poſterorum Chinguis-Chani.

ORIGO SCHACH ISMAELIS SOPHI & imperium poſterorum ejus quod per regnum Perſicum obtinuerunt vſque ad noſtra tempora.

Vocat nos ordo & inſtituti ratio ad perſequendam ſeriem regum Perſicorum. Antequam autem de rebus geſtis Iſmaelis Sophi dicamus, operæ precium videtur, originem ejus repetere, obſervata quantum fieri poteſt, brevitate. Pater Iſmaelis fuit Chequus Aydar, avus Saltan Iuneius, proavus Chequus Ebrahemus, abavus Chequus Aly, atavus, Chequus Mucha, tritavus Chequus Sophi, & ſic fuit decimus tertius nepos ab Haly, qui fuit propinquus & gener Mahometi Pſeudo Prophetæ. Cum Tamerlanes poſt devictum captumque Bajazetem in Perſidem reverteretur, traxit ſecum ingentem mancipiorum numerum, tam ex Caramania quam aliis nationibus, quæ omnia ſtatuerat trucidare. Hoc conſilio ingreſſus Ardevillam, ſubſtitit ibi per aliquot dies. Erat tunc in ea vrbe quidam Checus Sophy, ab omnibus pro viro Sancto habitus cultuſque: cujus viri fama etiam ad Teymurlangum pervenit, qui ejus deſideravit & notitiam & amicitiam. Huic cum optandi copiam permiſiſſet Princeps, Sophus idoneum ſortitus tempus, oravit vitam veniamque captivis. Teymur, qui viro illi nihil negatum volebat, omnes ei donavit, vt pro arbitrio cum illis ageret. His ita acceptis, Sophus de victu veſtibuſque proſpexit, deinde omnes liberos dimiſit, vt ſuam quiſque repeteret patriam. At hi domum delati, memores acceptæ ſalutis, donis muneribuſque aſſidue hunc virum, & prope ſingulis diebus coluerunt, nec eũ duntaxat, ſed & poſteros ejus, vſque ad Sultanum Iuneium, qui vixit tempore Iooncheæ, filii Cara Iſſufi, de quo jam ante diximus. Hic Princeps, cum videret quotidie tantum equitum peditumque ad Iuneium confluere, rem in ſuſpicionem vocavit, dixitque parum ſibi placere illum hominum concurſum; velle igitur ſe ipſum deinceps huic rei ſupersedere. Offenſus valde Iuneius hoc regis edicto, egreſſus Ardevilla ſequentibus multis religioſis verſus Meſopotamiam profectus eſt. Erat tunc rex illius provinciæ Ozun Acembecus, qui hominem magno honore recepit, ſororemque ſuam Radyam ei vxorem dedit, ex qua Iuneius filium ſuſtulit Aydarem.

Habebat hic Iuneius ſemper circum ſe certos curſores, qui totam pervagabantur Gurgeſtaniam, & quos intercipiebant, ſuam cogebant amplecti religionem. Accidit aliquando vt graſſatoris iſti Trapezuntem ingreſſi, interficerent regem, vrbemque traderent Aydaro Iuneii filio. Cum autem poſtea Acembecus Iooncham interemiſſet, venit Aydar Ardeuillam, vbi vxorem duxit Alemcham filiam Acembequi, quæ ei peperit Halyn & Iſmaelem, qui poſterior natus eſt anno A N. C. MCCCLXXXVIII. Eg. DCCCXCIII. qui ſe Sophy vel Sophum appellavit ob cauſam quam ſupra adduximus.

Anno ſequenti, cum Aydar regnum Mediæ ingreſſus fuiſſet, occiſus eſt à Ferroco Iaſſuto rege illius provinciæ, fueruntque capti duo ejus filii, Haly & Iſmael, quos Roſtanus Becus deinde libertati reſtituit. Majore autem Haly poſtea occiſo, fugit Iſmael in Gueylonem, hæſitque ibi per annos ſex, quo tempore res Perſicæ valde turbatæ fuerunt ob dominationem Acuionlolorum. Iſmael profectus Arſenionem, invenit ibi ad VII. millia hominum Sophianorum, ex diverſis familiis, qui eum omnes ſecuti ſunt, quamvis vix XIV. annos natus eſſet, quod accidit A. N. C. MDI. Eg. CMLXVI. Cum his ingreſſus Mediam conflixit cum Farroco Iaſſuto, qui patrem ejus interfecerat, potituſque victoria occidit Farrocum, factus pro eo Rex Mediæ. Anno ſequenti bellum intulit Alvvano in Nacchaone, coegitque eum fugere, capta Tauri vrbe. Potitus & hac victoria, ſumſit Tulbanum ſive capitis operimentum rubeum, cum duodecim faſciis in memoriam XII. filiorum Ocemi, nepotum Halys, qui inter ſanctos à Perſis relati ſunt, à quibus ipſe ſe genus ducere gloriabatur: appellavitque novum iſtum Ordinem militarem CaſelBas, quaſi dicas Caput Rubrum. Abſente alicubi Iſmaele, redit Albanus occupaturus Taurim: Sed ſtatim adfuit Iſmael, coegitque alterum fugere, primo Babylonem, deinde in Diarbecam, vbi mortuus eſt anno A N. C. MDIII. Egiræ CMVIII. Poſt hujus mortem duxit Iſmael exercitum ſuum in Perſidem adverſus Morat Becum qui victus amiſit vltra X. millia militum, reliquitque Iſmaeli Perſidem & Kermonem. Hinc cum hybernaſſet Comi, miſit Eliasbecum contra civitatem Rey. Hunc ex inſidiis adortus Ocember Gelohæus, vicit & occidit. Iſmael audita hac ſuorum clade, duxit in Gelohæum, qui refugiens cepit ſe in caſtrum munitiſſimum, cui Feruzkhu nomen erat. Iſmael cum expugnare id vi non poſſet, ademit obſeſſis aquã, vnde præſidiarii

Digitized by Google

deditionem fecerunt. Etsi autem bellum hoc diuturnum non fuit, vltra XXX. tamen hominum millia in eo perierunt; quo confecto Ismael in Carasonem iter direxit. Vix egressus fuerat regno, cum regulus quidam, nomine Mahamedes Carrhæus assumta manu aliqua militum regionem invasit Iaztensem, eamque occupavit. Occurrit huic Ismael, defendit se alter animose: Sed ad extremum redacta in potestatem suam civitate captum Carrhæum vivum exurit anno MDVI. Egiræ CMXI.

Scyras Persidis vbi pervenit Ismael, proposuit edictum in forma proscriptionis, quo omnes mori jubet, quicunque prælio, in quo Aydar pater ejus occubuerat, interfuerat. Sic perierunt è proscriptis vltra XXX. millia hominum: Cumque hybernans apud Taronem intellexisset de morte Ozemi Mirzachi, Carasoniæ regis, cujus regnum occupaverat Goybek-Chanus Vsbequensis, exclusis liberis defuncti, qui ad Ismaelem confugerant: Statim cum copiis ivit in Mesopotamiam, deinde tentavit Babylonem, cujus præfectus confugit ad Turcas. Deinde subjecit sibi Cusistam, quæ eadem est cum Susiana, in qua olim Assuerus & Hester suam habuerunt regiam. Media deinde hyeme duxit exercitum in Mediam, cepitque Bacum & Darbandum anno ANC. MDXII. Egiræ CMXVII. Invaserunt interea Carasonem Chaybec-Chanus: Sed audito Ismaelis adventu, retrogressus est Marvvon. Verum Ismael assecutus properantem in campo, confligere coegit, in quo Chaybecus cum regno vitam amisit, & sic Carasonis dominus factus est Ismael.

Eodem anno mori contigit Baiazetem II. Turcarum Monarcham, cui in Imperio successit Selimus filius: anno vero MDXIV. natus est Ismaeli filius Chan Thamas. Anno eo qui sequebatur venit Arsenionem Selimus cum magno Turcarum exercitu, cui obvius factus est Ismael egressus Hisphaone, apud Chalderonem, vbi atroci commisso prælio victus est Ismael, qui primo Taurim fugit, deinde Gazin. Anno eodem intravit Selimus Taurim, commoratusque ibi per dies XV. profectus est in Amasiam. Eo qui sequebatur anno cepit Selimus Kemacam, magni momenti locum in Saladulia, & Sulcadelam, & Alepum Syriæ. Anno vero salutis MDXVII. Egiræ CMXXII. Subegit Damascum & Ægyptum, postea Mesopotamiam, estque extinctus morbo anno MDXXI. Egiræ CMXXVI. successorem habens Solimannum filium. Ipse Ismael Sophus cum toti regno Persico imperitavisset per annos XX. mortuus est, anno Christi MDXXV. Egiræ CMXXX, ætatis XXXVIII. Vir in bellis terribilis, audax, & metus expers, magis crudelis & severus quam suavis & humanus. Solebat crebris vsurpare sermonibus: Sicut vnus in cœlis Deus esset, ita vnum in terris debere esse regem: quo dicto nimiam regnandi aviditatem satis testatus est. In tanta erat apud suos existimatione, vt vulgo eum pro homine Sancto haberent & Religioso, quin & non deerant adulatores, qui ei divinitatis honorem tribuebant, quem se reiicere simulabat palam, sed clam affectabat. Cum enim aliquando præter spem maximi momenti adeptus fuisset victoriam, appellantibus eum aliis Prophetam, aliis Angelum, aliis Deum: tantum abfuit vt illas adulantium voces comprimeret, vt contra juberet effodi profundam fossam, conjectoq; in eam calceo suo, publice proclamari juberet, ne is, qui se quam maxime amaret, insiliens in fossam, inde peteret calceum. Cum dicto ingens hominum multitudo in fossam se demisit, in quos terra egesta irruens, omnes vivos obtexit, persoluta adulatoribus illis impietatis mercede. Filii ei fuerunt quatuor: Chan Thamas, Elias Mirzah; Son Mirzah, & Barhon Mirzah.

CHANTHAMAS, II. Persarum rex ex Sophianis.

Successit hic Ismaeli patri, gessitque multa bella totis illis LIII. annis, quibus regno præfuit, maxime contra Turcas. Mortuus est anno MDLXXVI. Egiræ CMLXXXIII. Relictis duobus filiis, Ismaele & Mahamedo cæco.

CHANISMAEL II. Rex ex Sophianis III.

Maior hic filius fuit Chan Thamas, regno Persarum non nisi anno vno & mensibus X. lætatus, quo tempore exacto mortuus est, relinquens regnum fratri suo Mahamedo, cognomento cæco, an. AN. C. MDLXXVIII. Eg. CMLXXXV.

CHAN MAHAMEDVS, Persarum Rex ex familia Sophianorum IV.

Ismaele secundo sine liberis extincto; Rex factus est Mahamedus frater ejus CHODABENDE: qui etsi captus esset oculis, regni tamen gubernacula per VII. annos tenuit, mortuusque est anno Sal. MDLXXXV. Egiræ CMXCII. Successit patri.

CHAN EMIR HEMSE, Persarum Rex ex familia Sophianorum V.

De quo suprà.

CHANABAS, Rex Persarum ex Sophianis VI.

Successit cæco filius Abas in regno, qui & ipse plura bella gessit, reportatis illustribus aliquot victoriis, inprimis Castigavit Gueylonenses qui rebellaverant, cum suo tum ipsorum damno. Obsedit Balcam vrbem Vsbequiæ per aliquot menses, sed frustra. Regulum Larensem, latrociniis in Perside grassantem, interfecit. Taurim vrbem Turcis reliquit, qui eam à Chani Thamæ temporibus possederant. Hanc tamen Turcæ postea iterum amiserunt, cum plerisque aliis locis quę per Persidem occupaverant. Multa memoria non indigna sub hoc principe contigerunt, quæ plurimam partem propter institutæ brevitatis rationem hoc loco commemorari non possunt.

CHAN

Digitized by Google

CHAN SAM, nunc SCHACH SEFI Rex Perſarum VII. ex Sophianis.

Non abs re erit hîc paulo altius repetere hiſtoriam, vt intelligat Lector qua ratione hic modernus Rex pervenerit ad thronum. Diximus ſupra ante hoc Mirkondi Chronicon, quod Schach Abas ſibi aditum paraverit ad diadema ſanguine fratris ſui: is ipſe huic poſteà ſanguine parentis ejuſdem innoxio viam aperuit.

Id ſic contigit. Poſtquam Abas Rex factus (qui alias propter prudentiam heroicam, victorias contra Turcos, Tartaros & Indos acquiſitas, timites Regni Perſici dilatatos, religionem, juſtitiam atque humanitatem etiam Chriſtianis exhibitam à ſuis valde adhuc hodie adamatus deſideratur) pertæſus in juventa freni Magiſtralis, quod ei imponebat Ephorus vir gravis Murſchidculichan eum ipſum noctu dormientem manu ſua in lecto trucidaſſet, atque ex tribus, quos habebat conjuges, præter trecentas pellices in aula, Reginis totidem procreaſſet filios, *Sefi Myrſa, Chodabende Myrſa*, & *Imameuli Myrſa*, ſolum primum amplectebatur, vt legitimum in Imperio ſucceſſorem, reliquos duos oculis, illum eruendo, hunc admoto candente ferro excæcando Orbatos relegabat in munimentum Alamuth, vt ibi alerentur. Iſte Sefi ex matre Georgiana Chriſtiana progenitus, cum virilem ætatem attigiſſet, adamabat virginem quandam formoſiſſimam in Gynecæo, nuper parenti Sumachia transmiſſam à quodam mercatore. Impetrabat vt ſibi illibata reſervaretur ſub cuſtodia matris futura conjux. Ex hac poſtea ſuſcepit Sefi filium, quem nominabat *Sam Myrſa*.

Paulo poſt accidit, vt inſcio hoc Sefi quidam Chani ſeu Regni proceres (quibus rigor Regis Abæ nunc ſenis & moroſi moleſtus videbatur propterea ejus obitum & filii ſucceſſionem deſiderantibus) forte fortuitò ſchedulas quaſdam illius tædii & deſiderii ſui indices cum nominum ſubſignatione iniicerent in tranſitu conclavi ejus. Sefi Myrſa bono animo ſtatim adfert ipſas Schedulas patri ſuo, vt contra conſpirationem, ſi qua eſſet, in tempore ſibi proſpiceret, teſtatus ſimul odium in iſtos viros, & præſtans officium filii bonæ frugis. Verùm pater, licet laudaſſet fidelitatem filii ejusque integritatem perſpectam haberet, non potuit tamen omnem in filium deponere ſuſpicionem, neque per multas noctes quieſcere mutatis ſemper in palatio cubiculis ſuis nocturnis vſque dum remedium ſibi paratum hac ratione credens filium ſuum ex medio tolleret. Conſcientia nihilominus retrahebat, neque permiſiſſet unquam, niſi adulator quidam malitioſus ſuperveniens, cum Rex eſſet Reſchti in Cilane, camino oleum affudiſſet & ferè ſopitam ſuſpicionem falſiſſimam puro puto mendacio reſuſcitaſſet, fingens ex cerebro ſuo conſpirationem quorundam Chanorum cujus caput ſit Sefi filius ejus. Itaque Rex ſtatim curet accerſi Kurtzugaium ſupremum militiæ Perſicæ Ducem, eique injungit cædem filii. Is prociduus in genua deprecatur hoc facinus, ſe malle mori, inquiens, quam tam nobili ſanguine manus ſuas polluere; ſe rogare vt vel parcat filio, vel alicui alii hoc demandetur. Ergo Bebutbeco nobili datur mandatum: hic paratus confeſtim ſe accingit & obvius factus Myrſæ Sefi, ei primò Patris voluntatem explicat, atque nequicquam innocentiam candoremque ſuum erga parentem dilectiſſimum manibus cœlum verſus complicatis & Numen implorantibus allegantem hiſce fere verbis: *O Bone Deus, ecquid eſt illud, quo meritus ſim tantam patris mei iram? Væ proditori nequam, cujus hæc eſt calumnia, attamen Dei & Regis voluntatem oportet fieri*; ac proinde nullatenus huic carnifici ſuo ſe opponentem diſtricto pugione duobus ictibus interficit & mactat horribiliter. Cadaver per quadrihorium in platea lutoque jacuit miſero aſpectu. Subitò tota civitas ejulatu impletur & ad palatium concurritur omnibus vindictam innocentis ſanguinis poſtulantibus à Rege, vtpote inſciis ejus mandato hoc patratum eſſe ſcelus; triſtiſſimus leſſibus aula perſonat, Chani ipſi Rege ſolo relicto ex metu clam aufugiunt, conjux Sefi aliique amici conſanguinei & tandem ipſa mater Regina paſſis crinibus deformis, lacrymas vda per faciem, atque cum mœrore ferè in amentiam abrepta advolant; hæc magnæ autoritatis cum eſſet apud Regem furioſa manibus involat in faciem mariti exclamans: O Rex ſanguinolente! O tyranne maledicte! cur es profuſor tui proprii ſanguinis, conculcator tui nominis & deletor tui regni? Studio huc tendis, vt hoſtibus tuis imperium tradas. Quo ſcelere filius meus probiſſimus, & tui obſervantiſſimus, dic ſodes, ô monſtrum hominis, hanc crudelitatem promeritus eſt? Et quæ conſimilia erant pectoris læſi verba ab alto dolore ex tempore naſcentia.

Schach Abas interim attonitus & quaſi ſemimortuus tandem in lacrymas totus reſolvitur & inſit: Proh dolor? quid facerem? Relatum mihi erat, ipſum cum aliis conſpiraſſe contra me. Credidi miſer: quid conſilii? Factum eſt. O vtinam infectum eſſet! Regem vſque, adeo deinceps malè habuit conſcientia huius neeis ad exemplum Alexandri Magni ob interfectum Clytum, vt decendium lugens quaſi in tenebris delituerit fugiens lucem Strophiolo continuò oculis admoto lacrymarum torrentem abſtergens, toto menſe proximo perparum edit bibitque ſe ipſum jejuno fermè enecans; & reliquum vitæ tempus lugubri habitu indutus abſque ornamento Regio tranſegit. Locum, in quo perpetrata erat cædes, obduxit longo muro & conſtituit aſylum, additis multis redditibus, vnde quotidie pauperes Reſchtiani aliique advenæ edulia ſua reportant. Decimo poſt eadem die proficiſcitur Casbinum, ibique convocatis omnibus Chanis ad ſe eadem de cauſa delatis vna cum paraſito & convivio exceptis propinat venenum ſub vino, eoſque tamdiu detinet ſecum, vſque dũ omnes extincti eſſent vi iſtius pharmaci. Bebutbekum autem interea factum Chanũ Keskerienſem ex Darciga Caſvvinienſi adigebat vt abſq; mora filio ſuo caput præcideret, idque ad ſe afferret. Oportebat ipſum eſſe morigerum, & cum

Digitized by Google

caput exhibens, Regi quærenti, *Quo sensu tangeretur cor eius*, respondisset, singultibus miscens lacrymas, Hoc facilè coniicere poteris, ô Rex, cùm homicidam me esse coëgeris suavissimi mei unici filii: cor meum disrumpitur! à Rege nihil aliud audiebat quàm: *Iam sumus ergo pares*; etiam in hoc, cùm eundem dolorem manus tua cæde filii mei antehac mihi attulerit; eris itaque contentus. Egregia scilicet consolatio! Hærede igitur legitimo ad Imperium suscipiendum apto ita sublato Regis Abæ mens erat defixa in nepote suo Sam Myrsa: reliqui enim exoculati ejus liberi masculi non erant sceptri capaces. Cùm ægrotus sentiret se brevi moriturum quatuor, quos secum habebat Ferabati in Mesandaran, vbi decumbebat, consiliariis suis, Isachan Kurtzibaschi, Seinelchan, Tuschimal, & Temirbek Ivvogli, præsente etiam Iusuff Aga, exponit vltimam suam voluntatem, inter alia, de successore suo, se velle vt is sit Sam filius innocentis & tamen occisi filii sui Sefi, atque vt Rex factus parentis sui SEFI nomen induat. Iuramento se obstrinxere ad fidelitatem executionis huius petiti Regii. Abas moritur Anno MDCXXIX, sed obitus ejus propter Vsbequanos Tartaros & Cilanos ad rebellionem semper pronos summo premitur silentio quadraginta dies vsq; dum novus Rex coronatus esset; imò in hunc finem juxta ipsius Regis Abæ consilium corpus denati eleganter vestitum, oculisque industria apertis, collocatum est erecta statura in thronum loco ordinario. Post tapetum obductum pro more sedebat, vti anteà, Iusuf Aga Regis Cubicularius, loquebatur tanquam ad Regem, cùm Temirbecus causas agens partium ex officio aliquid proposuisset, atque responsum veluti à Rege sibi datum dabat, qui etiam subinde per tapeti junctura brachia Regis Abæ, ac si partes aspicere vellet pro consuetudine, extendebat, sursum deorsumque provt vivi facitare solent. Hinc omnes firmiter credebant Regem suum adhuc vivere, cum eminus se conspiciendum præberet in palatio. Sed interim Seinelchan celeriter tendit Isfahanem, ibique cum Daruga Chosroë Myrsa communicato consilio confestim adeunt locum (*Taberik kale* vocant Persæ) vbi Sam juvenis princeps cum matre sua se continebant, petentes sibi dari Regem, vt coronaretur. Mater expavefacta inopinato nuntio vix poterat credere bono hoc fieri animo premens adhuc mariti sui fatum sub pectore; ideoque detrectabat filium concredere ipsorum manibus, vtpote quem metuebat mactatum iri potius quàm coronatum, ad mortem quæri non ad diadema. Illi cùm totum triduum sollicitassent, ante fores palatii precibus instantes, etiam noctu ibi excubantes, & periculum in mora esse cernerent, auxilio aliorum confluentium procerum vi viam volebant sibi patefacere ad juvenem. Itaque non aliter fieri posse autumans mulier post oscula filio data dixit. Abi, Mi fili, per manus tuorum occisorum truculentas ad patrem tuum, Deus vindex esto! Ianua reserata & trepidante juvene ingressi illi duo confestim procidunt in genua ante principem, exosculati pedes & gratulabundi ei omnia fausta acclamant vt Regi suo. Ibi subito omni soluta mœrore mater tota gaudio adimpletur. Ducunt absque mora juvenem in Divvanch ne, eumque super humili mensa stratis impositum peristromatis (quæ vocant *Kalstza ahdalet*, id est, tapetes justitiæ) convocatis interim per satellites Regios reliquis Magnatibus statim coronant, eique ex voluntate Abæ avidant nomen Schach Sefi. Post singuli ordine accedunt, & humi prostrati ad genua Regis sui ei fausta omnia & prospera ad Imperium novum adprecantur. Factum hoc est anno Christi MDCXXX. Hic novus Rex hortatu *Talubchani* & *Rustamchani*, summorum in officiis Regiis virorum, omnes suos agnatos & multos alios excellentes viros, qui potuissent ejus gloriæ obesse, partim aliena partim propria manu è media sustulit eos romphæa horribiliter cædendo. Hinc crudelitatem vsque adeò imbibit, vt nulli planè sive hosti sive amico parceret vel leviter offensus. Fratrem suum primò exoculatum ad patruos Chodabende & Imamculi miserat Alamutum, sed postea non alia de causa, quam quia cæci invtiles essent mundo, tres hosce ex arce præcipitatos in petram ita interemit.

Cùm affinis ejus Isachani Kurtzibaschi conjux, Regis amita libere admodum jocabunda diceret, Qui fieret, quod ipse tot habens mulieres jam vltra biennium, nihilominus nondum haberet hæredem ne indicia adhuc apparerent ad spem istam ullibi; cum ipsa sola Domino suo peperisset tres filios: Si non melius se virum præstaret, facilè fieri posse, vt vnus aut alter filiorum suorum post ipsum conscendat solium. Hisce verbis ita commotus fuit Tyrannus, vt altero die adductis simul tribus istis formosis pueris in horti Regii diversa loca constitutis capita abscindi curaverit inscis eorum parentibus. Capita in patina ampla aurea (quales alias orizæ ferculis inter Persas destinantur) sibi jubet afferri, & matre vocata, post mentionē hesterni ejus joci, ei remoto patinæ tegumento & capite vno post alterum ad nares prehenso propriaque manu ostenso dicit, *Ecce hi sunt liberi à tam fertili stemmate parentum prolificorum!* Mulier eheu quasi elinguis & obstupefacta ab inopinato hoc spectaculo nequit verbulum effari: sed videns Regis faciem ob ejus diuturnum silentium valde iracundia inflammatam sibi ipsi mortem minitari tandem procidit ad genua Regis, eaque exosculata dicit: Bene est quicquid hic factum Rex diu vivat! Muliere igitur dimissa accersit parentem liberorum, quem interrogat, Quomodo hoc ei placeret? Isachan repressis tristitiæ cor discecantis signis, Hoc mihi planè non displicet; Si Rex mihi mandasset capita eorum in sui gratiam amputare, paratus fuissem id exequi. Nolo liberos, si Regi non placeant. His verbis quidem Kurtzibaschi caput suum redimebat tunc temporis, sed non diu post cum aliis quibusdam Chanis illud mactationem consimilem experiebatur. Idem fatum subibat Seinelchan Anno MDCXXXII. cum Schach Sefi reversus fuisset Babylone, eamque vrbem à Turcarum obsidione liberasset, quam Rex ipse manu sua mactavit, furioso similior quàm homini sensato, hominem optime de se totoque regno meritum, aliosque viros præstantissimos Talub-

Digitized by Google

Iubchanum, Vgurluchanum, Eahtemadum, Imãculi Chanum Præfectum Schiraſſienſem (eo ſolum nomine, quod frater eſſet cujuſdam Daud Chani, cui Rex offenſus erat) vna cum XV. filiis, egregiis adoleſcentibus & juvenibus. Hunc Imamculi Perſæ valde deplorant vti hominem Reipublicæ vtiliſſimum. Poſtquam etiam juxta phraſin Curtii de Alexandro M. Clyticida idem dicentis Schach Sefi *carnificis deteſtabile miniſterium occupaſſet* poſt alios multos manu propria occiſos etiam in Gynecæo, fœmina quapiam à ſe trucidata, contigit vt potio venerata ei miſceretur, ſed vis non erat tanta, vt hominem extingueret; loco mortis morbo quatuor hebdomadum tolerato. Et cum reſtitutus ſanitati percepiſſet ab ancilla quapiam, venenum à manu viduæ Iſachani amitæ ſuæ proveniſſe proxime ſubſequente nocte miſer ejulatus fuit auditus in arce. Poſtea innotuit ex proditione foſſorum, clamorem fuiſſe XL. fœminarum, quas Rex ex Gynecæo in hortum abductas in oblongum ibi effoſſum ſepulcrum vivas præcipitarit & terra obruerit. Nec ipſa Regis mater à illo tempore viſa fuit; vnde ſuſpicio & ipſam tunc deletam fuiſſe; quanquam ſparſum fuerit in vulgus peſte obiiſſe. Vino valde deditus amabat qui ſecum certare poſſent bibones in evacuandis cyathis: comitabatur hoc vitium libido venerea. Tres habebat conjuges, (Sen vocantur) Anno MDCXXXVI. prima erat filia cujuſdam *Minbaſchi*, id eſt, præfecti mille militum, qui fuerat antehac in aula agaſo aquis pro coquis & lixis in culinam Regiam advehendis deſtinatus, poſteà à Rege Aba nobilis factus & Dominus Biloviæ pagi illius, in quo ruſticus iſte natus fuerat. Hanc ob formoſitatem duxit. Secunda erat Georgiana filia Tamerani Principis Georgiæ: tertia Circaſſe-Tartara ſoror Muſſali ad mare Caſpium habitantis. Sed præter haſce habebat etiam vltra trecentas (*Chaſſe* appellantur) pellices ſeu concubinas. Hæ Regi à Chanis aliiſque opulentis, qui gratiam ejus aucupantur, vltrò offeruntur, & honori ſibi ſuiſque filiabus ducunt, vt in Gynecæum Regium aſſumantur. Moris hoc eſt apud Orientales, vt ſint Polygami pro lubitu & pro mediorum ſuorum ratione. Calidioris temperamenti ſenſus Cupidinis flammas apud eos adaugent. Interim hoc compertum eſt, multas earum rariſſime alias ne ſemel quidem tangi à Rege; ſed integra virginitate tradi in matrimonium Chanis & quibus Rex bene vult. Concorditer vivunt etiam inter ſeſe, atque domi concluſæ tanquam moniales in cœnobiis, & velatæ vbi prodeunt in publicũ. Armenii qui ſunt inter Perſas Chriſtiani, vt malum hoc deviteut neque filiæ eorum puellæ nubiles (quod aliquoties factum) fortaſſe à Rege rapiantur duodecennales & circiter elocant eas in conjugiũ. Hic eſt adhuc dum ſcribimus, rerum Perſicarum moderator, qui quidem Ervanem, locum munitiſſimum Turcis vi magna eripuit, poſt quatuor menſium obſidionem, & amiſſionem quinquaginta millium hominum; pretioſo certe lucro, ſed contra Bãgdat ſive Babylonem Turcæ recuperaverunt, quam XXVI. annos antea Perſę denuò poſſederant: quam jacturam adhuc ſentiunt Sophiani. Vt autem Genealogia hujus Sefi eò melius pateat, huc adſcribemus ſepulcreti Sophiani monumenta aliquot. Ea habentur Ardevillę (ſeu Ardebili) cujus ſupra mentio facta ad deſcriptionem Iſfahanis. Eſt vrbs elegans, ornata magno *Maidan*, id eſt, foro ad eundẽ ferè modum, vti diximus de Ispahanico; poſt hoc eſt conſpicuum *Baſar* & *Kaiſerie*, id eſt, Mercatorum indigenarum & advenarum atrium cum officinis teſtudineis Serico, aureis, argenteis, gemmatisque tapetibus, aliisque pretioſis mercibus repletis Elegantes hic ſunt *Caravanſeræ* pro exoticis, *Hamam*, id eſt, Balnea publica; *Meſtzidæ* ſeu templa, inter quæ excellit Meſtzid Adivè; à qua non procul abeſt (*Meſar*) ſepulcretum magnificum Schich Sefi, ad cujus introitum eſt porta obducta argentea catena; in area domus ampliſſima & quadrangularibus lapidibus ſtrata aliquot officinæ mercatorum ſub laqueari teſtudineo proſtant; poſt quas magnus cuivis deambulandi gratia patens hortus. Ad finem areæ per aliam oportet ingredi portã, cuius limina rotũda ex cãdido marmore jacta non licet pedibus tangere, oſculari autem permiſſum eſt, quod factitant omnes, qui eò veniunt ad ſepulcrum ſancti illius adoratum. Ibi rurſus area magna adhuc venuſtius ornata quam prior illa; ad cujus extremum verſus dextram viſitur camera laqueata, exterius lapidibus diverſicoloribus, cæruleis & flavis, interius tapetis tota tecta, in medio ſtantibus duobus æneis ex orichalco candelabris prægrandibus; ad parietes vbivis ordine circulari ſedent Flamines in albis veſtibus, cantillantes atque non aliter ac ſi funibus alligati modo huc modo illuc traherentur, ab vno ad alterum latus ſeſe continuo commoventes. Devotionis & humilitatis ſignum eſſe volunt. In hoc adyto ſeu Sacello dicunt Perſæ ſuum Schich Sefi quotannis ſedeſſe totos XL. dies, jejunaſſe non niſi ſumta vnica amygdala pro cibo & hauſtu frigidæ pro potu, atque preces ſuas fudiſſe: vnde ipſorum lingua vocatur hic locus *Tſchillachane* à numero quadragenario. Ex hac in tertiam pergitur aream, anguſtiorem reliquis & ornatiorem lapidum junctura & colore peridromidibus, argenteis laminis, peſſulis atque orbiculis ad valvas januarum; ad introitum in Sepulcra tapetes ſparſierant vbi oportet quemvis ingreſſurum calceos exuere. Tunc pervenitur ad Mauſolæa illa, in quo repoſita corpora Regum aliquot. Fornix ibi eſt aurea janua corruſcans, tapetis circumcirca pretioſis conſpicuus. Ditavit locum ex voto quodam Schach Abas. Appenſæ ibi ex teſtudine multæ aureæ & argenteæ ampullæ quarum quædam diametrum habent tres cubitus quadrantes.

In hoc ipſorum Sanctuario duodecim (Haſifahu) chorales Flamines & pergamenis ſuper ſedilia pluteorum vices ſuſtinentia extenſis, quibus inſcripta grandibus literis Arabicis ſunt Alcaroni quædam capita, cantant verba textus ſui, ad formã ritus ſacerdotum Rom. Catholicorum in Choris baſilicarum pſallentium, ſecuti omnes ſuum præcentorem, eadem commotionis ceremonia, quæ illi in Tzillachane. Non procul hinc ſunt diverſa arcuata & auro vndique micantia conclavia, miri artificii, in quorum vno Schich Sefi, in ſecundo Schach Iſmaël cum quibuſdam Reginis ſepulti jacent.

Digitized by Google

cent. Lampades ex auro puro hic pendent multæ, quarum vna singulis accenditur in hypogæo Sefiano, in tertio est Bibliotheca Regia, vbi libri scripti non stantes in ordine, sed jacentes & superimpositi vnus alteri conspiciuntur scripti quidam Arabicè, alii Persicè, reliqui Turcicè; pars in pargamena, pars in papyro: qui historici iconibus constant manupictis. Antiquitus enim carebant Typographia, vti & nos; nunc autem à Germanis ad omnes nationes, & tandem ante paucos annos instinctu Belgarum ad Persas pervenit hæc compendiosa scribendi via. Vnde apparet figmentum esse, quod aliqui prodidere de Typographices vsu à multis seculis apud Chinenses Indorum Persarumque vicinos cognito: Hic asservantur etiam purissimi laboris vasa, quæ vocant, Porcellana seu Chinica, pro servitio mensali Regum, si aliquando huc devotionis ergo pervenerint; quædam capacia centum circiter mensurarum seu cantharorũ. Aurea enim & argentea in loco tam sancto usurpare ad convivia nefas ducunt. Imò Schich Sefi dicitur non nisi ex ligneis patinis sanctitatis ergo comedisse. Appendix hujus sancti loci est magna culina, in qua cuncta ordine dispositа sunt vtensilia; aquæductibus ahena & ollæ reseratis solummodò epistomiis ad focum absque labore lixarum implentur. Ex hac quotidie ad Sonitum lituorum mille homines pauperes ter cibantur jusculo, carne & oryza; idque non parcè, sed vt etiam aliis eleemosynam poscere erubescentibus vendere possint. Inde tenditur in vastum hortum, vbi ostenduntur sepulcra quorundam aliorum Regum sub dio absque singulari ornamento:

Funera autem præcipua hæc sunt:

1. *Schich Sefi* filius Seid Tzeibrail.
2. *Schich Sedredin* filius Sefi.
3. *Schich Tzinid* filius Sedredin.
4. *Sultan Aider* filius Tzinid, qui à Turcis fuit excoriatus.
5. *Schich Aider* filius Sultani Aider.
6. *Schach Ismaël* filius Schich Aider.
7. *Schach Tamas* filius Schich Ismaëlis.
8. *Schach Ismael II.* filius Tamas.
9. *Schach Mahumed* Choddabende frater Ismaëlis.
10. *Ismaël Myrsa* } fratres, filii Chod-
11. *Hemsa Myrsa* } dabandæ,
12. *Schach Abas* }

Ædificium hoc sepulchrale est valde opulentum; cum à primo fundatore Sedredino (secundo in priore ordine) miraculosè illius forma Architecto objecta ab hoc ipso Rege extructum ab aliis successu temporis auctum & ditatum fuerit Regibus, vt reditus annui excurrant aliquot milliones, quos percipit non solum, ex agris, vectigalibus, & pensionibus ordinariis in aliquot circumjacentibus provinciis; sed etiam ex votis Persarum, quæ in angustiis constituti aut ægroti morituri Templo & honori sui Schich Sefi pedicant.

Vnde quotidie huc adducuntur tales votivi cameli, equi, asini, aves, nummi, aliaque vsus humani bona, quæ vocari amant, ecclesiastica. Hæc administrantur à duobus viris juratis (*Nesturzian* vocant) qui loco stipendii fruuntur dominio pagi non procul dissiti Sultanabati. Huc procul dubio etiam transferetur suo tempore Schach Sefi, cùm obierit, nisi forsan eo pereat modo, qui impediat hunc honorem. Nec difficile est sic contingere, cùm multa in promptu sint historicis exempla. At concludemus materiam de Persis, subjecto solùm catalogo Mirkondico.

* *
*

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS REGVM PERSICORVM,

VSQVE DVM ARABES RERVM potiti sunt, secundum Mirkondum.

Supputationem annorum ad marginem adjecimus, quibus numerus nullus additus est, de eo certi esse ex Chronicis non potuimus. Littera G. adiecta, Gubernatores illos fuisse ostendit, etsi à quibusdam inter reges recenseantur. Hac nota } includit reges, sub quibus illi gubernaverunt. Posterioribus etiam annos AN. C. & Egira adiecimus.

Nomina regum,	Anni regni.	Nomina regum,	Anni regni.
Caiumarras.	40.	Baharon Gur.	
Syamecus.	30.	Narsi, O Nasa G.	
Ouchangus.		Baharon Gur. II.	23.
Thamur Diubandes.	50.	Iazd Gerdes.	
Iambchedus.	30.	Narsy G.	
Zoac.		Iayd Gerdes II.	
Fraydhun.		Hormoz Farzand.	1.
Manucher.		Feruz.	
Nauder.	120.	Sufata	
Afraciabus.	7.	Feruz G.	
Zaab sive Bazad.	12.	Sufara G.	
Cay Cobadus.	5.	Feruz III.	26.
Cay Caus,	100.	Belax.	5.
Cay Cozrao.	150.	Iamas pes G.	
Loraspus.	60.	Cobadus.	43.
Gustaspus.	120.	Keseres Anuchiron.	
Bachamandar sive Ardchir.	120.	O. Nauchiruan.	48.
Homaia Regina.	112.	Hormoz.	12.
Darabus Primus.	30.	Baharou Chubi.	
Darabus secundus.	12.	Cozrao Paruez.	38.
Scander sive Alexander.	14.	Cobadus Chiruiehus.	
INTERREGNVM annorum.	72.	Ardchir Chiruiehus.	
Chapur.	60.	Charear.	1.
Ardchir Babacon.	50.	Ioon Chir.	1.
Chapur Zabel Ketaf.		Turon Doc, Regina.	1.
Ardchir Frazand Hormoz.		Iacenceda.	
Chapur II.	60.	Azarmi Doc, Regina.	
Baharon Kemon Cha	15	Reseres.	1.
Iazdes Gerd.	22.	Ferrogzedus.	
Kefere Cosroes.		Iazd Gerdes III.	20.

CATALOGVS CALIPHARVM BABYLONICORUM, qui rerum in Persida potiti fuerunt, postquam eam Arabes sibi subjecerunt.

Anni AN. C.	Anni Egiræ.	Nomina Caliparum.	Anni regni eorum.	Menses Dies.
623.	2.	Abubacar.	2.	
643.	22.	Homar.	1.	

644.

Digitized by Google

644.	23.	Osman vel Otman.	11.	
656.	35.	Morts Haly.	4.	6.
661.	40.	Acemus.		6.

EX FAMILIA BEN HVMYA.

662.	41.	Mauuya.	20.	
682.	61.	Iezidus.	3.	
685.	64.	Mauuya II.		1.
687.	66.	Maruanus.	1.	
688.	67.	Abdel Malech.	21.	1.
706.	86.	Oelidus.	9.	8.
716.	96.	Soleymannus.	2.	6.
718.	98.	Hamar vel Homer.	2.	3.
720.	100.	Iezidus II.	4.	8.
724.	105.	Ochon.	19.	8.
743.	124.	Oelidus II.	2.	1.
744.	125.	Iezidus III.		6.
745.	126.	Ebrahemus.		2.
748.	128.	Marvvanus II.	5.	5.

EX FAMILIA EBEN ABANTIS.

751.	132.	Safa.	4.	
754.	136.	Abu Iafar.	23.	
777.	159.	Mahady Bila.	10.	
786.	169.	Eladdi Bila Musa	1.	3.
789.	170.	Arachidus Harum.	13.	
810.	193.	Mohamed Amri.	4.	7.
815.	199.	Mahamum.	12.	7.
826.	210.	Abu Ezech Matacon.	8.	
833.	217.	Vacecus.	5.	
838.	222.	Almoteuua Bila Iafar.	12.	6.
850.	234.	Montacerus.		6.
851.	235.	Abul Abas Hamed.	3.	

VACAVIT CALIPHATVS.

860.	243.	Mostahinus.	1.	4.
862.	246.	Almatez Bila.	3.	

Anni A.N.G.	Anni Egiræ.	Nomina Calipharum.	Anni regni.	Menses.	Dies
865.	250.	Motadi Bila.			12.
866.	251.	Almat Bila Hamet.	23.		
893.	279.	Matazed Bila Hamed.	9.		9.
903.	289.	Moctafy Bila.	4.		
907.	293.	Moctader Bila.	7.		
914.	301.	Iafar.	20.		
933.	320.	Caher Bila Mahamed.	4.		
935.	322.	Razi Bila Mahamed.	4.		
939.	329.	Moctafi Bila Ebrahem.	4.		
943.	330.	Mostachfi Abdala.	4.		4.
947.	334.	Mutya Bila Fazile.	29.		6.
977.	365.	Tahia Abel Carim.	17.		2.
1013.	403.	Kader Bila Hamed.	21.		4.
1032.	422.	Kahem vel Alkahem Beamarysa. Abu Iafar Abdula.	44.		4.
1074.	467.	Almoctadi Bila.	19.		5.
1095.	487.	Almostacer Bila.	25.		6.
1119.	512.	Almostacer Bila Fazele.	17.		2.
1136.	529.	Rachetus Bila.	2.		
1139.	531.	Almoctafi Bila.	24.		
					1161.

Digitized by Google

1161.	555.	Almoſtanger Bila Iſſuf.	11.	
1171.	566.	Almoſtancy Ben Vr Elach.	9.	8.
1180.	575.	Nazer Ladinla.	47.	
1226.	622.	Alhazer Bila Mahamed.		9.
1227.	623.	Almoſtancer Bila Manſur.	7.	
1244.	640.	Abdula.	15.	7.

REGES TARTARICI, EX POSTERIS CHINGVIS

Chani qui in Perſide dominati fuerunt.

1207.	602.	Chinguys-Chan.	1.	
1230.	626.	Orkay Khaon.	13.	
1246.	643.	Gayuck Cayon.	1.	
1247.	644.	Manchu Cayon.	13.	
1260.	657.	Vlaku Cayon.	6.	
1266.	663.	Haxbay Cayon.	17.	
1282.	680.	Hamed Chan vel Nicudar Oglan.	2.	2.
1283.	681.	Argon Chan.	7.	
1293.	690.	Goniaru Chan.	2.	
1295.	693.	Bul-Chan.	1.	
1296.	694.	Gazun-Chan.	8.	
1305.	703.	Aluaptu Chan, poſt Sultan Hamed.	12.	
1317.	716.	Abyay Bahader Chan.	19.	

REGES TARTARICI EX POSTERITATE

Tamerlanis, qui Regnum Perſicum obtinuerunt.

Anni AN. C.	Anni Egiræ.	Nomina regum.	Anni regni.	Menſes.	dies
1388.	789.	Teymurlangh.	36.		
1405.	807.	Mirzah Carroz.	43.		
1447.	850.	Ologhbecus.	2.		
1450.	853.	Mirzah Abdelatifus.			6.
1451.	854.	Mirzah Abdula.	1.		

REGES MAVRENAHARIS,

1452.	855.	Mirzah Sulton Abuſaydus.	18.	
1469.	873.	Mirzah Sulton Hamed.	28.	
1532.	937.	Mirzah Bahor.	28.	

REGES CARASONIS ET ADERBAIONIS.

1469.	873.	Mirzah Hyadigarus.	2.	
1471.	875.	Mirzah Sultan Ocen.	38.	
1556.	916.	Bahady Amazon, & Muzafa fratres ſimul.	1.	
		In Aderbaione.		
1406.	809.	Miromcha.		
1407.	810.	Mirzah Abubaquer.		

TVRCOMANNI EX FAMILIA NIGRI ARIETIS.

1421.	815.	Cara Iſſuff.	14.	
1438.	841.	Amir Scandar.	16.	
1468.	872.	Iooncha.	33.	
1469.	873.	Acen Aly.	1.	

TVRCOMANNI EX FACTIONE ALBI ARIETIS.

1472.	876.	Ozun Acembecus.	11.	
1478.	882.	Sulton Kahil.		6.

Digitized by Google

1482.	886.	Iacuppus Bayſangor.	12.
1492.	896.	Mirzah N.	1.
1493.	897.	Roſtanbecus.	5.
1498.	902.	Hagmet Becus.	1.
1499.	903.	Alvvan Becus.	1.
1500.	905.	Morat Becus.	1.

6.

SOPHIANI DESCENDENTES AB ISMAELE.

1501.	906.	Chan Iſmael Sophus.	20.
1525.	930.	Chan Thamas.	53.
1576.	983.	Chan Iſmael II.	1.
1578.	985.	Mahametus Cæcus.	7.
1585.	992.	Chan Abas.	45.
1630.	1037.	Chan Sam, nunc Sefi.	19.

DE IMPERIO MAGNI CHAMI SIVE REGIS TARTARORVM.

[Scripſere de hiſce rebus Aytonus, Armenius, Thuanus, Michalon, Lituanus, Martinus, Bronjovius, Sabellicus, Leunclajus, Fletcherus, Iacobus Planenſis, Benedictus Sarmata, Olearius, Marcus Paulus Venetus &c. Præter veteres Geographos, Plinium, Ptolemæum, Strabonem, Ortelium &c.]

SVMMA CAPITA.

1. *Imperii Tartarici ingens amplitudo & Vaſtitas; ejus fines ſive limites & clima Cœli.*
2. *Situs & ambitus Vrbis Cambaln, quæ caput eſt hujus regni.*
3. *Tartarorum variæ hordæ & principatus præter hoc Imperium.*
4. *Taurica Cherſoneſi brevis deſcriptio.*
5. *Circaſſorum ſedes & qualitates.*
6. *Quo fruatur hoc regnum aere: abundat Oriza, frumento vario, ſerica lana, Rhabarbaro, Muſco. Multa in eo camelorum & equorum boumq; armenta. Lithanthracum hic copia, quorum uſus ad ignem. Crebri hic Phaſiani & alii alites.*
7. *Fulgura & Tonitrua horribilia in Tartaria, & venti impetuoſi.*
8. *Lacus ab incolis Caniclu dictus, in quo mira Margaritarum abundantia. Flumina hujus regni celebriora.*
9. *Robur & ratio vivendi Scytharum, qui Tartarorum majores fuerunt. Mos eorum plane Barbaricus, bibere ex craniis interfectorum hoſtium, & ſe eorum detractis tegere pellibus.*
10. *Quæ præcipue coluerint Numina: eorum ſacrificia, ceremoniæ cruentæ in contrahendis fœderibus. Exequiarum ratio in ſepeliendis regibus, quibus immolabant ſervos & miniſtros regios.*
11. *Quibus uſi fuerint ceremoniis in funeribus privatorum.*
12. *Quibus pigmentis ſoleant mulieres Scythicæ ceruſſare faciem. Iuramenta & Leges Scytharum.*
13. *Origo Imperii Tartarici: quo pacto à vicinorum dominio liberati fuerint per Changiſtum ſive Chinguin Chanum.*
14. *Ingenium, mores, Conſtantia, Leges, cibus, potus, veſtitus, exercitia & arma Tartarorum. Ratio eorum pugnandi; exſequia.*
15. *Opes eorum conſiſtunt in negociatione Orizæ, materia ſerica, cannabe, lana, rhabarbaro, muſco, panno è pilis camelorum, gingibere, Caryophyllis, ſubulo aureo fluviorum, coralio, lapide Lazurio & auri fodinis.*
16. *Moneta eorum è corio, arborum cortice & cochleis marinis.*
17. *Robur regni Tartarici conſiſtit in ſitu & amplitudine provinciarum, in oppidis, multitudine*

Digitized by Google



BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1870

Digitized by Google

Digitized by Google

tudine populorum & Hordarum in campis.
18. *Nomina Regum Tartaricorum, litteris aureis inscripta præcipuis Templis vrbium. Potentia eorum absoluta, cum jure vitæ ac necis in subditos.*
19. *Lex & Ordo militaris, auctore Changnisto sive Chingui Chano.*
20. *Quas soleant adhibere ceremonias in Coronando novo rege.*
21. *Sigillum, quo vtitur Magnus Cham Tartarorum in diplomatibus edictisq; suis. Summus & rigidus Iustitiæ observator.*
22. *Consilium ejus duplex, Regni & Militiæ, vtriusq; Iurisdictio. Potentia & auctoritas Astrologorum apud Tartaros.*
23. *Pœnæ & supplicia furibus aliisq; flagitiosis irrogari solita.*
24. *Horda vox quid significet.*
25. *Religio Tartarorum est Cento quidam compositus ex Paganismo, Mahometismo & Christianismo. Eorum ratio cultus, preces. Credunt immortalitatem animarum.*
26. *Origo Iudæorum qui inter Tartaros habitant.*
27. *Error Christianorum inter Tartaros, qui plerique sunt Nestoriani.*
28. *Genealogia regum sive Imperatorum Tartaricorum.*

QVi curiosius ex Geographorum principiis mensi sunt Vastissimum terrarum spacium, quod ingens hoc *Ma*gni Chami Tartarorum Regis imperium complectitur; in ea sunt sententia, vix vllum principem per Asiam & Europam tantum (si amplitudinem spectes) possidere terrarum, quantum *Mo*gul possidet: nisi forte Hispanorum regem excipias, quem, vt non negamus, ob Adversi sive Novi Orbis spacio sissimas provincias & regna, plus humi in terreo hoc globi ambitu, quam Chamum obtinere: Ita rursum fatendum est, Tartarica regna & provincias continentibus spaciis jungi, & velut vnum corpus constituere: cum contra Hispanica potentia per IV. Orbis partes sparsa, velut lacinio sa sit, & vix vsquam, præterquam in America, cohæreat, sed passim intercursu aliorum principatuum separetur & divellatur.

1 Igitur ingens hoc regnum (sive Imperium,) quod incolæ *Mogul* seu *Mongul*, nos *Tartariam* vocamus, à fluvio *Tartar*, qui bonam partem ejus alluit, his circumscribitur limitibus. Ab Oriente vasto & famoso illo regno Chinæ, Mari quod De Cin appellatur, & Freto Anianensi. Ab Occidente Imao Monte, qui totum istud latus claudit, exceptis quibusdam Hordis Tartarorum, qui cis montem habitant, & Magni Chami imperium agnoscunt. A Meridie habet Indiam extra Gangem, ipsum Gangem fluvium, & Oxum, qui hodie Abia dicitur. A septentrione *Ma*ri glaciali terminatur, vbi prorsus ignota incultaque est, & inhabitata putatur, ob Poli Arctici propinquitatem & frigiditatem. Vt brevius dicam: Imperitat magnus Chamus omnibus illis terris, quas veteres sub nomine Scythiæ extra Imaum montem intellexerunt, cum regione Serum, qui sub regni Cataiensis nomine hodie censentur. Quidam qui res Geographicas exactius se percepisse autumant, ita definiunt. Statuunt vnum limitem desertum Lopense, ex adverso Lacum Kytay, vsque ad murum, qui porrigitur intra XLIII. & XLV. Gradum, ab vrbe Ochiola intra duos montes sita vsque ad alium montem, qui mare contingit, dividitque Tartaros à Chinensibus: Et ab Oceano Scythico vsque ad fines Tipuræ & vicinarum regionum. Comprehenduntur in hoc spacio multa regna & provinciæ amplissimæ, multis bonis & præstantibus oppidis exornatæ.

Præcipua totius regni civitas est *Cambalu*, quam 2 quidam putaverunt esse veterum *Issedonem Sericã*, sita supra *Polisangin* fluvium, forma quadrata, cujus ambitus habere putatur XXIV. milliaria Italica. Portas habet duodecim, cum totidem subvrbiis, in quibus sua sunt hospitibus & mercatoribus diversoria. Tenet autem hæc vrbs velut vmbilicum regni Cataii, est non huius duntaxat, sed & cæterarum in circuitu veluti centrum.

Habet autem hoc imperium præter opulentissimum regnum Cataiense, alia quoque non contemnenda: De Tangut, Camul, Tenduc, Tainfur, Thebet, cum vrbe & provincia Caindo, quæ omnia pro dignitate à nobis describi non possunt, cum vix quisquam dicere queat, se ea perfecte novisse, vel quæ scitu necessaria sunt, ab aliis didicisse.

Sunt præterea Tartari (gens illa Scythica, quæ 3 se Abrahæ semen esse jactitat) divisi in Ordas seu nationes diversas. Ad terminos Europæ versus Asiam ad Pontum Euxinum & Mæotidem paludem sunt Precopenses seu Crimenses illi in Taurica Chersoneso, cum vicinis Belhorodensibus & Dobricensibus Casaccis Moldaviæ finium accolis: versus Astrochan & Rha sive Volgam Nagajenses, Ecchadai, Rezihorenses, Zavolhenses, Sagatai, Calmuci, Samarchanenses, & alii &c. Sunt sub XII fere Ducibus dispartiti, quos quidam opinantur esse illos duodecim ex sanguine Ismaëlis descendentes & à Deo promissos. Gen. 17. Vita horum omnium, qua gloriantur est primæva, pastoritia, quam olim in aurea ætate sancti vixere Patres; & ex qua Duces etiam dabantur populis, Regesque & Prophetæ. Sequuntur enim greges suos peragrando campos cum eis hinc inde. Septa nulla habent nec domos, præter præter tabernacula gestatoria ex viminibus & arundinibus compactis ciliciis velata storeis & mattis scirpeis munita, quæ vxoribus & pueris referta, vectant secum in plaustris. Hinc Russis dicuntur *Polotvvski* Terram non colunt plerique, etiam ne fertilissimam, contenti eius spontaneo fructu, herba ad pecus pascendum. Vnde sobrii ferme & abstemii, cum lege quoque prohibitum habeant potum vini ac esum suillæ. Et quam vis pecorum ac jumentorum etiam equorum vescantur carnibus, non tamen apud se, nisi penitus mortuis aut pene morticinis, parcendo videlicet gregum suorum vividis. Præter puteos nihil immobile privatim possident; istos enim contribulibus suis communes habent. Vnde rarus apud

Digitized by Google

eos vel fur vel latro ; quia sanctè inter se colunt pacem & justitiam, non quæstui sed pietati habent judicandi officium , quod ideo non laicum sed religiosum exequuntur per Cadios suos. Horum sententiis stant omnes præter vnicum summum principem , quem Czaar seu Cæsarem suum vocant , cuius Maiestati plus quam humanum quid deferunt. Omnibus tellus patet vnde se nutriat, hinc nec fame laborans vel mendicans inter eos, imo nec fraudulentus alieni haustos facilè reperitur. Piaculum est fuste expiandum præsumi à quoquam gentis suæ, vt vèstitu præcinctuvè aut pileo seu cæsarie vtatur non suo patrio ac vetusto ritu. Adulterii casus rarissimè auditur, cùm pudicitiam servent sacrosanctè, licet polygamia vtantur, multas ducendo vxores & iis adhuc plures addendo pellices , quæ tamen omnes vivunt concordes & morigeræ; Tenent autem fœminas caveis suis abditioribus reclusas, vt non licitum sit eas conspici; quanquam non ab omnibus hoc observetur. Subsunt quidam eorum Moscho, quidam Turco, quidam Magno Tartarorum Chamo, quidam vt Stellæ erraticę, modò hic modo ibi degentes vagabundi, nemini , instabiles multi & omnibus contrarii. Habent tamen emporia ad fluvios navigabiles paludem & suum *Kulsum*: vti vocant, Mare Caspium, quò sæpe confluunt ad mercatum ; oppida etiam pauca. Conveniunt in quibusdam ritibus cum Persis, maximè autem reliquis Tartaris Magni Chami subditis.

4 Taurica Chersonesus arboris folio similis est, quod pediculo suo Scythiæ continenti jungitur, altera ala in paludem Mæotidem, altera vero cum cuspide in Mare Maius seu Nigrum, (Tunorum Caradenitz) extensæ. Gazariam recentiores appellant veteres Minorem Tartariam ; celeberrimam ob soli incredibilem vbertatem aliaque tam excellentiæ naturæ dona, vt Paradisum crederes. Sub variis longo tempore fuit dominis, qui vocabantur Principes Bosphorani , vsque dum eam Tauri Scythiæ populi, à se subjugatam Tauricam nominarunt. Mithridates postea Rex Ponti hos devicit ac provinciam vasto suo imperio adjecit, vt eò potentior esset contra Romanos, sed victus omnia amisit. Romani igitur novos huic Chersoneso imposuere Reges. Hinc contigit, vt Genuenses, quitunc in flore erant, majorem ac meliorem Tauricæ partem classibus suis occupatam ad mare possiderent nova colonia Theodosia (quæ hodie caffa dicitur) introducta. Verum Tartari anno MCCL. eam ingressi Genuenses istos non quidem expulere, sed donis placati tributarios sibi fecere ipsis interea reliqua littora paludis & maris contiguì, campos item fertilissimos, atque eam Scythiæ partem , quæ Crimæa dicitur vsque ad montes Riphæos possidentibus. In hoc itaque tractu nunc habitant Tartari Precopenses , qui amplam latamque vsque ad Tanaim versus Orientem , & vltra Borysthenem versus Occidentem extendunt dominationem, limitanei Polonorum; qui frequentibus suis excursionibus Polonię à partibus Podoliæ & Rosciæ sunt infesti, quemadmodum & Moscoviæ ad Septentrionem sæpe magna damna inferunt. A meridie Turcas sibi habent imminentes, qui maximam Tauricæ partem nunc sibi habent subditam , & præcipuè Caffam. Hanc Mahomethille, qui Constantinopolim cepit anno MCDXXV Genuensibus extorsit; Tartaros etiam Crimenses tantum non in servitutem redegit coactos vt ejus signa (quocunque etiam vocarentur) vel minimis sequerentur stipendiis. Interim Turcæ propter vicinos alios Tartaros nunquam ipsis fidunt. Ideò patiuntur vt suis vivant legibus sub suo Rege, qui pro more Chan aut Czar vocatur; familia autem Regia appellatur Kirei, quam ex Lituania Polonia ortam dicit Michalon Lithuanus ab *Aczkirei* post quem Regnarit filius *Menglikerei*; quem secutus sit *Sapkirei* &c. Habet in circuitu D. milliaria Italica : triginta habuit civitates, populosa valde, vino & frumentis quasi sponte terra nascentibus sale melle, cera & piscium variorum copia abundat; vnde venales magno numero non solùm constantinopolim sed & eæ merces , longe lateque Citracanum, Astracanum , Tanense aliaque emporia Carovanis, quas vocant, & inde in ipsam Italiam , Persiam &c. quondam distrahebantur, nuncautem Christianorum mercatorum navigia non amplius frequentare solent ista loca. Hodie non pauci agriculturæ commoda sentientes Tartari diligenter colunt tellurem arando, serendo, vineta plantando &c. Sunt vrbes *Perecopia* olim Eupatoria. Heraclea, & Pompejopolis dicta; *Coslovia* , *Ingermenum* , *Iambdi* alias *Balacheum*, *Mancopia* hodie *Mangutum*; *Cremum* (Tartaris Crimum , Ptolomæo Taphros, Plinio Taphra) *Sudacum*, *Capha* seu Theodosia vniversæ Tauricæ clarissima & munitissima; *Cercum*, *Costoma*, in mediterranea Chanorum Regiæ, *Bacrasaraijum Salaticum*, *Almassaraium*, & præterea multæ arces, in quibus vxores suas alere solent Chani, horumque fratres, dicti Sultani, vel filii & vxores eorum habitare. Nobilis est & pagus Sortassus in quem legati exterorum Principum, Moscovitici &c. divertunt. Græci & Armenii ibi adhuc habitant Christiani, pauci autem Latini, qui templum habent in Sortasso, rudera autem vbivis tristia templorum & monasteriorum videre licet. Inprimis memorabile est *Corsunum* seu Cherronesus , quæ quod superba, delicata & clara quondam Græce gentis fuerit colonia, & totius peninsulæ vrbs antiquissima & magnifica valde, portu nobilissimo culta, id admirandæ illius ruinæ manifestè testantur. In extremitate Isthmi illius ad ripam vtriusque maris adhuc se ingerunt oculis turres plurimæ & maximæ cum muro magno altissimoque ex secto & grandi lapide erectæ ; aquarum ductus ad vrbis mœnia. Tota hodie habitatoribus vacua vrbs ostentat saltem viatori vanitatem seculi huius & fortunæ ludibrium. Turcæ insignes columnas marmoreas & serpentinas aliosq; lapides grandiores à tempore illo, quo Domini sunt Chanorum, spolii loco per mare avexerunt ad sedes suas in ædificiorum publicorum & privatorum structuram. Ædificia humi prostrata & solo æquata jacent. Duas portas æris Corinthii, quas Græcorum presbyteri Regias vocant, cùm imaginibus insignioribus, ab Græcis quibusdam ad Volodimirum magnum Russorum Principem ea tempestate prædæ loco

Kioviam

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Kioviam deportatas, & postmodum à Boleslao II. Rege Poloniæ Kiovia Gnesnam prædæ itidem loco, vbi in templi maximi introitu etiamnum visuntur, delatas esse, Russorum & Polonorum annales memoriæ prodidere. Ipsum Isthmum olim continuo à maris vnius cornu ad Scythiam vlteriorem excurrente vsque ad alterum olim Mithridatem Eupatorem muro clausisse, vnica duntaxat ad exitum relicta porta, Strabo refert, cùm ipse *Parisadis* primi istius Chersonesi Domini posteritatem quæ multis seculis possederat, regnante alio quodam *Parisade* principe, peninsulam vi sibi subjecisset.

Sic sæpe fieri solet, vti supra quoque ad finem Catalogi Impp. Constantinopolitanorum annotatum est à nobis. Sunt præterea notæ portæ Caspiæ, quæ aliæ sunt à portis Caucasiis, & hac ipsa Taurica etiamsi non longo admodum tractu distent, Scythis olim oppositæ, vti & muri Chinenses alio in loco.

5 Circassos quod attinet, qui post Nagaos, Morduitos; Ceremissos, & Schalcanes in Russorũ finibus, proximi sunt Polonis versus Lithuaniam; isti cæteris sunt vrbaniores, & non tam alieni à sacris Christianis quam illi modo nominati & reliqui remotiores sub Tenduc, Cambalu &c. Reguntur hi à septem ducibus in regione dierum septem itinere spatiosa, viventes more Helvetiorum ex stipendio vicinorum Poloni, Moschi &c. Scaliger fidem eorum valde suspectam reddit, dicens latis esse eos faciebus & tamen omnium mortalium, etiam si Ligures adnumeraris, esse pessima fide & excellenti immanitate: Is ipse appellat Zygas & dicit esse eosdem qui Tauricam Chersonesum inhabitant venditores nobiles Caviari mollis, veteribus Gari appellati. Hodie distinguuntur à Crimensibus, quibus vt & Dagesthanis rectus illud Scaligeri opprobrium competere dicunt isti, qui experientia magistra didicerunt. Viduæ inter ipsos discriminis loco gestant in capite præter ordinariam vittam vesicam vitulinam inflatam atque diversicolore aliquo ligamine gossypino, serico vel linteo obductam, vt putes eminus aspiciens esse bicipites. Æstivo tempore præter sola indusia oblonga variis coloribus tincta mulieres nihil vestiũ gestant; & ea sunt à collo desuper vsque ad vmbilicum fissa, vt eæ corporis partes anteriores planè nudæ sint, nî forsan studio contrahant, vbi velint. Humanæ & fidæ maritis suis, audaces tamen vt quæpiam Amazones. Fratris viduam ducit natu major frater, quod etiam Myrsæ seu proceres illorum observant. Pagani sunt quoad religionem; circumcisionem observant, & unicum Deum credunt, destituuntur autem omni scripturę, sacerdote, & templis, ipsi sacrificia sua peragunt eaque præcipuè in die prophetæ Eliæ. Ridiculum habent morem in abscindendis capræ genitalibus, quæ ad parietem vel sepem vicinam jactu allidunt, si adhæserit indicium ipsis est, animal esse aptum ad sacrificium inde faciendum, si non, indignum judicant. Examine hoc facto, capram excoriant, & pellem detractam in pertica oblonga humi defixa extensamque vt animalis speciem referat, in sublime erigunt. Fit hoc in aperto campo sub dio. Tunc carnem coquunt, assatamque circumcirca sedentes comedunt, quo facto convivio singuli manibus complicatis & vultibus versus pellem sublatis preculas suas effundunt. Devotione hac absoluta mulieres domum revertuntur, viris hilari fronte invicem combibentibus suum Bragga, vti nominant, & vinum adustum ad ebrietatem vsque, quam interdum etiam comitantur jurgia & verbera. Pellis erecta manet vsque dum alio sacrificio novo substituto dematur; & infra ad humum pertica munitur sepimento aliquo elato, ne videlicet res ista sacra à cane aliove animali contaminetur. Iuxta vias in campis, subinde prætereunti occurrunt ea spectacula, præcipuè ad vrbem Terki. De mortuos suos honestè sepeliunt, iisque monumenta statuunt; luctu etiam barbarico deplorant eiulantes & seipsos in facie, pectore & brachiis vulnerantes ad sanguinis fluxum usque, interdum etiam vulnerum vibices, rursus refricantes. *Sarmatas Caspianos* hos cùm Crimæis & Nagais Scythas recte appellaveris. Huc autem pertinent, quia eiusdem omnes prosapiæ ab antiquo cum reliquis Magni Chami Cambulensis subditis, licet hordæ sint distinctæ & non omnes eodem modo sub sint hodie eius Imperio.

Qualitas & ingenium soli Tartarici.

Aiunt regnum Cataiense abundare Oriza & 6
Tritico, aliisque rebus ad victum necessariis, quanquam aere perfletur frigidiori. Sed & auri argentique hic multum reperitur, & serici, & rhabarbari & Musci. Adde magnum animalium numerum; & vt vno verbo dicam, præstat hæc regio, quicquid non ad victus duntaxat necessitatem, sed & delectationem Genii facere potest. Innumeros hic videbis Camelos, & armenta equorum frequentissima. Narrant Epistolæ Tartaricæ, Magnum Chamum alere equarum candidissimarum decem millia, quarum lac bibat. Vinum vix vllibi colligitur, constatque in Cataio non provenire. Reperiuntur hic etiam saxa nigra, velut Carbones fossiles, ad alendum ignem vtiles, cuiusmodi & in Germania inferiore reperiuntur. Aeris 7
temperies hic laudari non potest, sunt enim hic per æstatem tonitrua & fulgura adeo horrenda, vt præ timore homines animo linquantur: Iam calor magnus est, mox frigus, & densissime nives cadunt. Ventorum frequenter tam validi flatus, vt equites in cursu sistant, aut arbores radicitus evellant, multumque damni regionibus inferant. Hyeme nullæ cadunt pluviæ: æstate frequentes, sed adeo leves, vt vix superficiem soli humectent. Avium in his oris ingens multitudo, inprimis Phasianorum & aliarum, quarum apud nos commendatur raritas.

Lacus habet Tartaria plurimos, quos longum 8
esset enumerare: præcipuos tamen recensebimus. In Provincia *Caniclu* Lacus est, in quo tanta Margaritarum copia, vt precium earum omnino vile

Digitized by Google

futurum esset, si cuique quantum liberet, piscari permitteretur. Quare sub capitis pœna cautum est, ne quis sine permissione Magni Chami Vniones in hoc Lacu quærat. Scatet autem & piscibus idem Lacus. In provincia Caraima alius est supra modum piscosus, centum ambitu suo complectens milliaria.

Fluminibus rigatur Vestissimum hoc regnum non paucis, inter quæ *Pulisachnis* vel *Polisangis* facile primum locum obtinet. Caromoran in Occanum evolvitur, ob latitudinem & profunditatem suam pontis impatiens. *Quianfu* latitudinem dimidii milliaris habere creditur, profundus admodum & piscosus. *Quiamo* maiorem in orbe non esse putat M. Paulus Venetus: refert enim latitudinem ejus quibusdam in locis X. milliarium esse, in aliis VIII. in quibusdam VI. Longitudinem vero eius porrigi in iter C. dierum.

De rebus, quas quæque provincia præ aliis gignit, sigillatim dicere, difficile est, nos tamen quædam afferemus. In regno Tangus plurimum crescit Rhabarbari, quod per pleraſque orbis provincias distrahitur: In regno Tenduc auri fodinæ sunt, & venæ Lapidis Lasurii. Provincia Tainfur cæteris est cultior, ita vt etiam vineas habeat. Regnum Thebetanum paludibus vdum est, obsitum tamen nemoribus, in quibus ferarum copia: reperitur hic etiam Coralium, & Muscus odoratissimus, aliæque res aromaticæ. Hæc sunt ea, quæ de huius Imperii natura & qualitate dicere habuimus, nunc, cum aliud nobis in hac inopia non innotuerit, videbimus cum veterum Scytharum, tum nostri ævi Tartarorum mores, consuetudines & vivendi rationem.

MORES ANTIQVORVM SCYTHARVM.

9 Quas gentes populosque hodie generatim appellamus Tartaros: ii olim omnes sub communi Scytharum nomine comprehensi fuerunt, habitaveruntque cis & vltra Imaum montem. Et ab initio quidem Scytharum regio admodum ampla non fuit: sed successu temporis & incolarum virtute longe lateque eius prolata sunt pomœria, subjeceruntque sibi Scythæ alias quoque provincias & nationes exteras, facti celebres per totum terrarum Orbem. Sæpius ab exteris principibus petiti, subacti nunquam fuerunt, nec vnquam peregrino submisere colla iugo. Et Cytum quidem cum omni suo exercitu jugulaverunt, duce fœmina: & Darium turpi fuga se recipere coegerunt: Alexander vero Macedo perdidit omnes quas adversus eos miserat copias. Audiverunt quidem Scythæ nomen Romanorum, eorum vero vires & arma experti non sunt. Vivebant veteres Scythæ, non aliam quam naturæ legem observantes. Furtum detestabantur & puniebant, vt qui greges suos non intra crates aut parietum sæpimenta custodiebant, sed ruri errare sinebant. Auri & argenti apud eos notitia nulla, nec aliud in vsu ad vitam alendam quam carnes cum lacte & melle. Adversus frigora muniebant corpus ferarum pellibus, parandæ ad vestes lanæ artem ignorantes. Captorum cæsorumve in bello hostium capita ad regem deferebant, aliter prædæ participes non fiebant. In amputandis hostium capitibus hac vtebantur ratione. Post aures circa cervicem incidebant novacula cutim in orbem, eamque detrahebant capiti, deinde inciso collo & separatis vertebris excavabant cranium. Ex reliqua pelle corpori detracta & præparata faciebant habenas frenorum suorum, aut adhibebant ad alias res, in quibus corii bubuli vsus est. Quidam etiam dextras manus hostibus amputabant, easque excoriatas applicabant pharetris suis, pelle manuum eas velut operculis tegentes. Alii integram pellem detrahebant homini, eamque extensam in asse siccabant, & velut Trophæum præferebant. Capita hostium, de quibus supra diximus, excoriata & corio bubulo inclusa, ditiores intus deaurabant, vtebanturque iis pro poculis, eaque aliquando peregrinis (siquidem viri illustres essent) dono offerebant, narrantes simul quæ quisque fortiter fecisset.

Principes solebant quotannis honoris ergo vinũ exhibere militibus, qui fortiter fecissent in bello: ii, qui nullum adhuc ex hostibus interemerant, excudebantur è cæterorum consortio, quæ quidem maxima habebatur ignominia. Qui plures cæteris interfecerant, duplum bibebant, quin & tot afferebant ad convivia calices, quod occiderant inimicos.

Inter falsa sua numina præcipue colebant Ve- 10
stam, quam omnibus rebus præesse credebant: deinde Iovem & Tellurem, quam Iovis putabant esse coniugem, & hos quidem cum primis colebant placabantque. Præter hos adorabant etiam Apollinem, & Venerem cælestem, & cum Marte Herculem: nulli tamen horum omnium ullum extruebant Templum aut Aram præterquam Marti, qui sacrificabant centesimam omnium quæ bello cepissent: immolabant ei autem inprimis equos, animalis genus bellicosum. Porcorum omnem abiiciebant curam, neque inter greges ferebant.

Si quis à Rege ad mortem condemnabatur, non in ipso solo stabat supplicium, sed & ad liberos ejus masculos extendebatur. Percutientes fœdus Scythæ, capiebant ollam fictilem, infundebantque in eam primo vinum, deinde sanguinem vtriusque partis contrahentium fœdus, hæcque simul miscebant: eo humore perspergebant gladios suos, secures, sagittas & arcus. Postea recitato iuramento pleno horribilibus execrationibus, quibus devovebant caput illius, qui prior fidem fregisset, bibebant omnes ex olla vel cratere, quicumq; aderant contrahentibus fœdus.

Rege mortuo, profundam fossam inprimebant humo, quadratam. Hinc exenteratum corpus inferciebant odoramentis & feminibus: deinde imponebant cadaver pilento, circumvehentes id ab vna gente ad aliam, vbi ab omnibus cum honore excipiebatur. Sequebantur interea ministeria aulica & domestici regii, findentes sibi auriculas & abscindentes comam in signum tristitiæ, vulnerantes etiam brachia & vellicantes nares vsque ad sanguinem, manũ vero dextram etiam sagitta perforantes. Circumductum ad hunc modum cadaver regium

Digitized by Google

gium in remotissima regni parte destituebant. Ibi erigebatur monumentum, corpusque sarcophago inclusum dimittebatur in fossam. Circum tumulum defigebant lanceas & hastilia, cum fasciculis virgarum & quibusdam defuncti vestimentis: sepeliebatur etiam simul vna ex Concubinis regis, quam putatus fuit præ cæteris amavisse donec vixit. Putabatur autem & opus habere ministris servisque in altera vita, de qua causa strangulabant juxta sepulcrum regis, præfectum cubiculi regii, coquum, pincernam, pararium sive stratorem, mulionem cum equo gradario, & hi omnes sepeliebantur vna cum defuncto Principe, additis vasis & suppellectile preciosiore. Consueverant autem singulis annis adeundem modum tumulo defuncti exequias dare, & ejus recolere memoriam, quamvis honor is coniunctus esset cum interitu multorum illustrium nobiliumve Scytharum: neque enim vllus, qui conditione servus esset, ad ministerium regis admittebatur. Eligebant insuper ex iisdem quinquaginta viros ingenuos cum totidem equis, quos omnes strangulatos exenterabant, exemptisque intestinis ac visceribus ventres rursum consuebant. Hinc suffixos palis equos erigebant & necatos viros iis imponebant, vt constituti circum tumulum regiũ sessorum in equis speciem referrent, quasi tot equites ibi stationem haberent ad custodiam regii sepulchri. Et his quidem Scythæ vsi fuerunt Ceremoniis in sepeliendis regibus suis.

11 At in tumulandis privatis minus erant ambitiosi. Defunctum vita propinqui imponebant curru, deferentes eum ad propinquos & necessarios, quorum quivis super cadavere convivium instituebat, invitatis consanguineis & iis qui funus deduxerunt. Hoc postquam ita per XL. dies circumduxerunt, imposuerunt tribus lignis inducto desuper tentorio, deinde reponebant id in vase ad similitudinem navigii, addentes gemmas lapillosq; lucentes; vt eos nanciscì poterant. Et hæc quidem de ratione sepeliendi mortuos apud Scythas vsitata accepimus: Nunc alia videamus.

12 Viri apud Scythas nunquam lavabantur, mulieres autem fricabant corpus ad saxa aspera & scabra, infusa desuper aqua, cumque cutis hoc modo inflata fuisset, perfricabant eam insuper scobe & ligno cupressi, cinere & thure, ijsdem rebus ad conciliandum bonum corpori odorem præsertim faciei, vtentes, admistis tamen quibusdam medicamentis sive odoramentis, vt hoc modo pulchriores adspectu & suaviores odoratu evaderent. Maximum & pene vnicum Scytharum iuramentum erat per Thronum Regis. Si quis peieraſſe convictus fuisset (magi enim per sortes virgarum saligna rum facile deprehendebant periurium) nullo modo vitabat supplicium capitis, bona vero eius addicebantur fraudis indici & vindici.

Cataienses (qui veterum Seres sunt) suaviter & amice vna vivebant, exterorum vero conversationem aspernabantur, vt ne verbis quidem vterentur in negociatione. Si vero suas res vel permutare vel vendere volebant, aut exterorum merces emere, oportebat peregrinum transire fluvium, ibi quisque exponebat merces suas. Ibi Cataiensis, lustratis diligenter omnibus peregrinis mercibus, sua singulis constituebat precia, oportebatque peregrinum huic iudicio acquiescere, nullo prolato verbulo. Vxor adultera, & fur non vocabantur apud illos in iudicium, ne auditum fuit antiquitus, vllum homicidii reum peractum fuisse: Cum nihil æque metuerent Scythæ, quam inobedientiam erga leges patrias, & multo quidem magis quam Astrologorum numeros & prædictiones.

Cum vxore gravida vir Scytha non dormiebat, neque laborante menstruis. Animalis impuri carnib. nemo vescebatur: Sacrificii genus vnũ tantum noverant, eratque sibi quisque recte agendi magister.

Cæterum hi populi Tartariæ, qui Magni Chami 13
agnoscunt imperium, paruerunt olim vicinis regibus, persolvebantque iis tributum, adeo dissoluti erant & ignavi: Sed postremo excusserunt iugum peregrinum beneficio senis cuiũsdam, qui idem erat in regno Tartarico, quod apud nos & Gallos Mareschallus, quem narrant confirmatũ fuisse visione in somnis, qua visus est sibi videre Equitem in armis albis, insidentem equo ciusdem coloris, qui eum ita affatus fuerit. Decretum est Deo, Canguiste (id enim erat viro nomen) vt tu Tartarorũ colla jugo leves peregrino, atq; Tartarorum Rex & Moderator eos tuæ genti subiicias, quibus ipsa nunc tributum servile pendit. Paulo post Tartari desiderio libertatis accensi elegerunt sibi regem Canguistum, qui primus huius populi fuit Princeps. Aiunt autem accidisse hæc an. AN. C. MCLXXXVII Fuit autem Changuistus ille (quẽ Persæ Chinguyn vocant) homo cautus & prudens, & vitæ honestissimæ, conabaturq; omnibus modis Idolorum cultum è suo regno eliminare. Edicto igitur vetuit coli statuas, jubens vnum solumq; adorari Deum, cuius beneficio, ipse ad eam se dignitatem perveniſſe aiebat. Postremo cum satis sibi videret esse virium Canguistus, irruit super Scytharum vicinorum populos, tam cis quam vltra Imaum montem, eosque sibi fecit tributarios, fuitque primus, qui Tartaris audaciam dedit, eosque formidabiles fecit, cum prius pastores essent atque armentarii.

MORES TARTARORVM NOSTRI TEMPORIS.

Sunt Tartari statura mediocri, robusti, pectus & 14
humeros lati, Oculis magnis & extra caput protuberantibus, tectis densis hispidisque superciliis. Facies iis est lata & plana, rarum in mento barbitium, mystace tamen prolixiore. Solent occipitium radere, in anteriore parte alentes comam, quam tęniis implicitam retro aures colligant. Neque vero soli Tartari ad hunc modum tonsi sunt, sed omnes, quotquot inter ipsos vivunt habitantq; Equites sunt expediti, sed pedites nullius precii: Neque vero pedib. ingredi valde solent, sed semper vehũtur equis, ẽtsi per exĩguũ sit conficiendũ iter. Honestũ habẽt, & signũ magnificentię, si campanula à collo equi pendeat clarũ tinniens. Clamosi admodum sunt & voce Stentorea, etiam cum familiariter colloquuntur: Cantantes vero si audias, lupos

Digitized by Google

vlulare dicas. Bibentes ignominiosum sibi putant, si cessent nisi ebrii facti. Multi inter eos neque in pagis neque oppidis habitant, sed ruri degunt sub tentoriis vel papilionibus. Hyemis tempore in planitie agunt, æstate vero montes petunt, pabuli sectantes bonitatem. Panis vsum multi ignorant, quem ne pinsunt quidem: Capientes cibum neque mappis vtuntur neque alio linteamine. Cæteras gentes omnes præ se contemnunt Tartari, vt Christianos etiam Canes appellent & Idololatras. Magicis artibus & interpretationi somniorum sunt apprime dediti, quidam etiam Idola & statuas in secreto consulunt. Desideriis suis modum ponere adeo non noverunt, vt rem placitam vi rapiant, modo is non sit Tartarus, qui eam habet: putantque ita licitum esse. Si quis Tartarus alium quempiam in via offendat, non habentem litteras salvi commeatus, eum captum pro mancipio sibi vendicat. In commodando argento gravem exercent vsuram neque vnquam erogant egenis eleemosynas. Si quis tamen cænantibus aut compotantibus superveniat, hunc cibi potusque sui liberaliter participem faciunt. In capiendo cibo potuque valde immundi sunt, cum neque linteamina habeant neque manus lavent. Oleribus leguminibusque non vescuntur, sed fere carnibus animalium, ne à canibus quidem felibusque abstinentes.

Refert Polonus quidam de se ipso, quod aliquot ipsos prandentes cum horrore aspexerit. Vidisse enim quod carnes equinas ac semicoctas avidissimè devorarint: Cutes equorum jam tum fumantes & recens bestiæ detractas pro camis consessuri consternebant.

Lac equarium tanquam vivum Cretense admirabantur & epotabant. Vsque adeò equinam amant pro cibo, vt Moschus etiam Legatis inter alia eduliorum genera ipsis mittat equos pingues jam mactatos, quod Fletcherus narrat se oculis suis vidisse factum Kiriaco Morsey Precopensium legato nepoti illius Chani, qui tunc imperabat Cremensibus, anno MDLXXXVIII. Alias certè Principes eorum in publica populorum suorum frugalitate cò lautius interim vivunt. Delicias Precopensis Cæsaris in suo viridario juxta topiaria mulierum suarum non potest satis exprimere, Michalon Lithuanus: quo in paradiso suo excipiat etiam hospites suos opiparis conviviis, in mensa argentea onerata aureis & gemmatis phialis, variis Lascivientem dapibus inter sonitus fidium, cymbalorum, crotalorum &c.

Non habent tot pecora quot mancipia; quoniam plagii scelus inter genera facultatum suarum ponunt. Mercatum exercent hos modos dum exteris ex vlteriori Ponto; & Asia arma, vestes, equos &c. advehentibus vicissim onerant naves mancipiis. Emporia ipsorum & telonia hoc mercium genere scatent.

Suffurantur autem homines, Russos, Polonos, Moldavos, Walachos & vndecunque possunt, solis parcentes Tartaris sui sanguinis. Vnde Iudæus quidam ad portam illam vnicam Tauricæ telonio præsidens & innumeram hominum multitudinem importari illuc cernens quærebat ex Polonis, vtrum adhuc homines in regionibus ipsorum superessent.

Obtinuit apud quosdam barbaricus mos, vt captum aliquem ex hostibus ad ignem assent, vindictæque nimia cupiditate magno numero conveniant & assatum hominem dentibus lanient devorentque haud secus ac famelici lupi. Potus eorum consuetus est Lac jumentorum. Nefas habetur apud ipsos, si quidpiam ex cibo potuque pereat, vnde ossa canibus non proiiciunt, nisi prius medullam curiose extraxerint. Adeo autem sordide sunt avari, vt raro sanum aliquod animal mactent comedantque sed expectent, donec vel claudum fiat, vel debile, vel denique morbo in senectute confectum.

Vno fere vestimento contenti sunt singuli, tam viri quam fœminæ. Viri propileis in capite gestant mitras, non admodum profundas, cum apice longo ab tergo dependente: quæ ne à capite defluant aut vento deiiciantur, infra mentum lemniscis alligant.

Mulieres tegunt caput mitella rotunda, instar fiscellæ vimineæ, sesqui pedem longa, filis sericis & plumis pavonum exornata, aliquando etiam margaritis, gemmis & auro. Diiores vestiuntur serica materia vel coccinea. Tunicæ earum sunt ab dextro latere apertæ, qua parte induuntur & exuuntur, hiatum quatuor aut V. vinculis constringentes. Vestitu per æstatem fere vtuntur nigro, per hyemem, cum crebrio pluit, albo, sago infra genua non descendente. Frequens est mos Tartaris, vt pellibus animalium vestes subducant: Qui ditiores sunt, partem glabram ad cutem, pilos exterius vertunt, ad ostentandam pellium pulchritudinem.

Sagittandi peritia excellunt, ex equo optime pugnant, armis scite vtuntur, faciuntque suum in bello officium. Vxores liberosque secum ducunt, aliquando simulacra hominum equis imponentes, vt majorem mentiantur equitum numerum. Fugere turpe non ducunt, cum necesse est, & cum periculum est si consistant. Pugnant per manipulos sive turmas, & ita quoque fugiunt.

Si hostis insequatur, retroemissis sagittis eum petunt: Si pauci sequantur, servatis convertuntur ordinibus, & tunc fere potiuntur victoria, cum victi profligatique videntur. Invasuri regionem aliquam, partiuntur copias suas, vt eam à pluribus partibus simul adoriri possint, ne quis evadere possit, & hoc modo multoties victores evaserunt.

Victoria insolentissime abutuntur, nulli parcentes mortalium, ne mulieribus quidem aut pueris senibusque: Opifices tamen aliquanco conservant, vt eorum vtantur opera. Captivos jugulaturi, denos fere tradunt singulis servis, vt eos vel clava, vel se curi aut dolabra occidant, veluti pecora, vt spectatoribus hoc modo metus incutiatur. Semper è millenis vnum ab longa pertica humi defixa suspendunt, capite

deor-

Digitized by Google

deorsum pendente, vt interfectos humi stratos intueatur. Multi inter eos procumbentes humi, exsorbent cruorem morientium, dum vulnus recens est.

Promissorum apud Tartaros nulla constantia nec veritas. Quin sub hoc velut vmbraculo maximam erga dedititios exercent crudelitatem. Scortationi vix vlla gens sub Sole adeo dedita est, ac Tartarorum natio: Etsi enim singuli tot habeant vxores quot alere possunt, nec vllis consanguinitatis gradibus matrimonia inter illos prohibeantur: Flagitiose tamen inquinantur execrabili Sodomiæ crimine. Coniugem nemo appellat nisi eam, quæ viro sobolem peperit, neque vero donationem propter nuptias accipiunt, antequam pepérerint: Vnde viris licet steriles repudiare, & alias in earum locum adsciscere. Adulteria tamen certa & constituta ex lege puniuntur. Habet autem in domo vnaquæque vxor suum peculiare cænaculum, famulitium, & velut parvam quandam familiam, vivuntque singulæ caste atque temperanter.

Reversi à bello viri, gerunt curam gregum suorũ in campis, exercentes se subinde venatione & lucta: Cætera fæminis curæ sunt, parare cibum, potum, vestimenta. Sunt Tartari omnium superstitiosissimi. Vrinam facere in publico nefas putant, quod si quis obstinate faceret, sine dubio interficeretur. Quod si quem mingendi necessitas cogat, sub tentorium se recipit abditque: Deinde purgantur & expiantur omnia quæ in eo sunt. Fit autem expiatio in hunc modum. Duos ignes excitant, in quorum medio infigunt humi duas perticas: pertingente funiculo ab vna ad alteram; inter has duas perticas traducunt omnia quæ purgare vel expiare cupiunt. Adstant duæ mulieres; vtrimque vna, quæ aqua lustrali transeuntes adspergunt, admurmurantes nescio quæ carmina. In conspectum Regis nemo admittitur, cujuscunque is sit dignitatis, nisi prius ad hunc modum purgatus. Qui non vocatus ingrediatur tentorium Regis vel magni Principis, mortem non effugiet. Multa sunt, quæ Tartari pro piacularibus habent criminibus, quanquam leviora sint: Verum hominem vulnerare vel occidere, alienas invadere terras, rapere vicini bona, contemnere mandata Dei, & his graviora, apud eos Peccatilla habentur.

Si quem vsque ad mortem ægrotare contingat, ante ejus januam defigitur hasta cum laciniola nigra, ne quis incautus ingrediatur. Defuncto ægro, tota familia convenit, efferturque corpus extra papilionem, cumque fossam satis amplam depressérunt, erigitur parvum tentorium, in quo super mensa aliquid eduliorum deponitur. Deinde conlicitur corpus indutum optimis vestibus in fossam, & iniecta terra sepelitur. Defoditur etiam cum eo jumentum vnum, & equus ad pompam instructus. Qui inter eos, ditiores sunt, vnum aliquem ex servis notant, impresso in cutem cauterio, vt cum defuncto hero sepultus, in altera ei serviat vita. Peractis exsequiis propinqui defuncti alium equum mactant, institutoque convivio vna comedunt. Potus eorum præstantissimus ex Oriza & Oxyacantho coquitur, qui non minus inebriat quam vinum. Amant etiam lac acidum, vt Arabes, & lac per Alembicum (vt vocant) distillatum, quod ita excoctum colorem vini albi acquirit, & prope pares ad inebriandum vires. A porcina penitus abstinent. Facientes iter in longissimis campis, stellam Polarem ducem sequuntur; sunt enim in Astrorum cognitione satis exercitati. Artifices apud eos pauci sunt, & rarus monetæ vsus præterquam inter Mercatores: Cæteri permutationibus rerum vtuntur. Equi eorum sunt humiles & fere castrati, sed robusti. Pro calcaribus vtuntur flagellis, estque omnis equorum ornatus levissimus. Deiecti ab equo, & inermes humi prostrati, defendunt se manibus pedibusque, etiam, si possunt, dentibus, vsque ad extremum spiritum. Laboris & inediæ Tartari sunt patientissimi, cupediarum & deliciarum ignari. Sepulcra regum Tartaricorum sunt, vt refert Haytonus Armenus, in montibus Altaiis sive Belgianis, & qui funus regium efferunt, quoscunque in via obvios habent, trucidant, cum his mandatis: Ite & servite regi nostro in altero seculo. Ad comprobandam huius rei veritatem narrat Paulus Venetus, mortuo Mongule Chamo (qui obiit tunc cum Paulus iste in Tartaria esset) vltra decem millia hominum trucidata fuisse à militibus, qui funus comitabantur, ob eam quam diximus causam. Qui provinciam Camul inhabitant, dediti sunt ludis & saltationib. humani tamen & hospitales adeo, vt peregrinos non tantum comiter accipiant, sed iis etiam, si petant, vxores suas prostituant.

OPES ET DIVITIAE TARTARORVM.

Stultum erit & absurdum, me iudice, negare, 15
Tartaros abundare divitiis, qui tot in Europam Asiamque fecerunt excursiones, qui tantas prædas ex Moscovia vicinisque regnis domum retulerunt, qui omnium regnorum nobilissimum Chinense tam multis annis possederunt: cum constet, gentem illam quicquid in vnaquaque regione præstantissimum fuit, secum asportasse, & ita hactenus conservasse, vt nulla gens extera Tartaros armis lacessere ausa fuerit. Adde quod ingens regnum istud ratione situs ad commercia agitanda aptissimum est, partim quod magna ex parte planum est, partim quod ingentes in eo lacus (vt Cazayensis, aquas salsas habens, Guiamensis, Danguensis, Catacorensis, Xanduensis) & flumina navigabilia non pauca. Accedit quod terra multas variasque merces gignit. Orizam, materiam sericam, lanam, cannabin, rhabarbarum, muscum, & pannos è Camelorum pilis præstantissimos. Ait Marcus Paulus, Provinciam Chaindu etiam gignere multum gingiberis, cinnamomi, & caryophyllorum: Quæ quidem nemo ei facile credet. In quibusdam fluviis inveniuntur ramenta auri inter arenas.

Porro moneta qua populi in tam diversis hu- 16
jus imperii regnis vtuntur, non est vniusmodi.

In re-

Digitized by Google

In regno Cataiensi certa quædam moneta nigra in vsu est, quæ conficitur ex delicata pellicula sive membrana, quæ est inter corticem & stirpem arboris cuiusdam, quæ membrana complicata glutine densatur, & signo ac nomine Magni Chami insignitur. At in Regnis Gaiacano & Corasano certæ quædam Cochleæ marinæ in vsu sunt. Rex omne aurum argentumque colligit, illudque in massas fundit, inque munitissimis locis conservat, vnde sunt qui credant, inæstimabiles eum possidere thesauros. Eodem artificio vtitur Prete-Iamus, Abyssinorum Rex, in cuius regno salis micæ & piperis grana pro nummis serviunt.

Cum autem Cambalu Metropolis vmbilicum regni Cataiensis obtineat, deferuntur eo merces exoticæ ab India, China, aliisque Orientis partibus, inprimis gemmæ, margaritæ, sericum, aromata, & si quid præterea precio sum est. Potissimũ Rhabarbarum, cuius vsus in toto prope orbe est, ex regno Tangut petitur. In Tenducensi provincia lapis Lasurius effoditur, sunt & ibi auri venæ subterraneæ, vnde multum lucri accipitur. At Thebetensibus mercimonia multas divitias conciliant, puta Coralia, Muscus, Cinnamomum, & alia aromata. Si quid incommodi est in hoc Imperio, in illos incumbit, qui septentrionales partes inhabitant, quibus infinitæ res desunt, etiam ad victum necessariæ, quas aliunde & à vicinis petant oportet.

ROBVR ET POTENTIA.

17 Facit hoc Imperium firmum & invictum, primo, ipsa situs ratio, quæ qualis sit, supra à nobis ostensum est, deinde amplitudo ejus, firmitas & magnitudo vrbium, puta Succuir & Campion, quæ duæ nostro modo munitæ sunt: Præterea Ergimul, Corazam, Thebet, Caindu, quæ omnes diversorum regnorum huius Imperii sunt Metropoles: Tertio abundantia rerum ad victum necessariarum & magnitudo mercimoniorum, è quibus Magnus Cham decimas accipit. Præcipuus tamen nervus regni atque robur consistit in magno militum numero, quos perpetuo sub signis habet. Hi stativa sua habent ad quartum milliare ab vnaquaque vrbe, percipiuntque præter stipendium militare, quod ipsis ab Rege persolvitur, plurimum lucri ex armentis gregibusque quos alunt, & eorum lacte ac lana. Si vsus ferat, vt magno exercitu opus sit, colligit Magnus Chamus ex omnibus suis regnis quantum opus est hominum, vt olim Romani Legiones conscribebant per provincias. Non consueverunt Tartari pedites militare, præter Vacenses, qui non sunt sub Magni Chami imperio Arma eorum præcipua sunt, Arcus & sagittæ, quibus vtuntur cum pugnando tum fugiendo. Non gravant exercitum multis impedimentis, cum fere nihil post se trahant quam tentoria, sub quæ se recipiant à vi tempestatis. Lacte & butyro vivunt fere, & sic necessitas vrgeat, etiam sanguine ex venis equorum extracto. Raro ad statarium pugnæ genus accedunt, omnia sagittis efficientes vt olim Parthi. Qui fortiter in bello fecerunt, pulchris afficiuntur præmiis, admittuntur ad præcipuos honores, & suis fruuntur immunitatibus.

Stipatores corporis Magni huius Monarchæ ajunt esse XII. millia equitum, putatur Chamus si velit, majorem posse expedire equitatum, quàm vllus Princeps totius Orbis. In vniversum reputanti planum fiet, in duabus rebus invictum ejus robur consistere: Primo, in immani hominum vi, cum tot possideat regna affluentia omnibus rebus, eoque populosissima. Deinde & omnes militaturi præsto sunt, vt ad primum mandatum expediti in bellum progredi possint, quæ profecto res est maximi momenti. Notum enim est, quid expeditus promptusque miles, nullisque tardatus impedimentis præstare queat, si cætera constent, Tales enim copiæ comparantur non immerito cum Aquilis, Tygribus aut Leonibus, qui cum agilitate corporis robur membrorum conjunxerunt.

Dicuntur Tartari vel omnino non vti scutis clypeisque, vel raro admodum, pauci etiam lanceis in hostem pugnare, sed nec gladiis longioribus Ensibus vtuntur, quibus magna est similitudo cum Acinace Persico vel Turcico, ad humani brachii longitudinem, quibus prope subeuntes ferire possunt. Is optimus miles habetur, qui ducis sui imperiis est audientissimus.

RATIO GVBERNATIONIS.

Hunc Monarcham Turcæ *Vlucamum* vocant, 18 id est, Magnum Principem, at Moscovitæ *Czar Cataiski*. id est *Cæsarem Cataiensem*, cuius nomen tabulæ rubeæ litteris aureis inscriptum, & summitatibus templorum in Vrbibus affixum est. In iis appellatur Filius Dei, Vmbra Dei & Anima Dei. Tanta autem per omnes suas provincias colitur obedientia, vt verba ejus rigidissimæ legis vim habeant. Est autem absoluta illa & summa potentia profecta à Canguisto sive Chingui-Chano, qui cum esset electus Rex Tartarorum, volens experimentum capere promptitudinis suorum, imperavit VII. Principibus, qui ante ipsum totum regnum gubernaverant, vt singuli suos liberos suis interficerent manibus. Et si autem patribus acerbum & atrox videbatur hoc imperium, quia tamen verebantur insaniam populi, qui virum istum ceu cælitus lapsum venerabatur, fecerunt quod jussierant, suosque quisque strangulavit liberos. Ab eo tempore omne jus vitæ ac necis Tartarorum fuit penes Regem, nec quisquam ausus est voluntati ejus contravenire.

Voluit idem Canguistus sive Chinguis-Chan, 19 vt omnes qui per ætatem arma ferre possent, in certum quendam convenirent locum, quem ipse nominaturus esset, vbi eos in signa & ordines distribuit hoc modo: vt Decuriones subessent Centurionibus, & hi rursus Chiliarchis: Postremo hi Ducibus Legionum. Idem quoque legem tulit, vt si quis Tartarus in via offende-

Digitized by Google

fenderet virum, vel fæminam, aut equum, non inſtructum litteris ſalvi conductus, vt hominem illum vel jumentum manucaptum ſuis addiceret ſervitiis, haberetque ſibi proprium, quaſi ſuo peculio acquiſiviſſet. Sunt & decimæ, portoria, vectigalia, aliæque exactiones in hoc regno tam immanes, vt nulla gens ſub ſole majoribus quam hæc premi oneribus credatur.

20 De coronatione regum Tartaricorum ſic accepimus. Si quis ad regnum pervenit, ſive id fiat ſucceſſione hæreditaria, cum filius patrem ſequitur, ſive defectu hæredis legitimi aliquis eligatur, qui putatur eſſe capax tanti Imperii: adſunt Principes VII. tribuum ſive Generationũ, albis induti veſtibus (quo genere amictus etiam vtuntur in luctu publico, ſimiles in eo Iaponibus) novumque principem deſidere jubent in panno ſpiſſo nigro humi extenſo, & intueri in cœlum ac Solem, erecto ad Deum immortalem animo, inde enim & non à terra ipſi eventura omnia proſpera: quod niſi faciat, ad eam redactum eum iri egeſtatem, vt nihil ei ſuperfuturum ſit, quam pannus iſte vilis craſſuſque quo ſe humi dormiens involvat, breviter, vitam omnem eum acturum miſeram & infelicem. His actis adſunt alii cum Diademate, illudq; imponunt capiti ejus, accedentibus reliquis, & pedes novo regi oſculantibus, præſtantibus juramentum fidelitatis, & munera atque dona ſine numero offerentibus. Ad extremum inſcribitur nomen ejus litteris aureis in tabula, & imponitur omnibus templis in præcipuis Vrbibus totius regni Tartarici. Alii ad hunc modum referunt. Si novus Tartarorum Rex diademate cingendus eſt, conveniunt Principes Procereſque Tartarorum, ſequente infinito populo, in certo quodam campo ei rei deſtituto, vbi novi reges de more inaugurari ſolent. Stat ibi Cathedra inaurata, in quam conſidet novus rex futurus: ibi omnes, quotquot adſunt proſtrati in faciem eum adorant, & his verbis compellant. Nos te rogamus, volumus, mandamus, vt nobis imperes. His reſpondet novus Princeps. Quando ita vultis jubetisque, par eſt vt vobis obediam. Accingite igitur vos, vt parati ſitis ad faciendum quæ vobis præcepero, vt adſitis cum juſſero, vt me ſequamini quo duxero, gnari, penes me fore impoſterum jus vobis imperandi prolubitu meo. Vbi omnes qui adſunt, condixerunt, ait rex porro: Erit igitur vobis vox mea inſtar gladii, quo percutiam rebelles & inobedientes. Ad hoc verbum applaudit populus manibus, oſtendens placere ſibi conditionem.

His actis Principes eum detractum de throno regio, imponunt panno illi vili craſſoque, de quo ſupra diximus, hortantes eum, vt ſurſum adſpiciat in cælum, & humilitatem ſuam agnoſcat humi deſidens, addentes hæc verba. Si bene præfuturus es Imperio tuo, omnia tibi ex animi ſententia evenient: ſi vero male, jam hoc certum fixumque teneo, ad eas te deventurum miſerias, vt nihil tibi omnibus bonis divitiiſque deſtituto ſuperfuturum ſit, præter abjectum illum, cui nunc inſides, pannum. His dictis collocant juxta eum vnam ex vxoribus ejus, quam plus cæteris diligere creditur, ſublatoſque è terra vtroſque in altum oſtentant populo, novum regem & Imperatorem conſalutantes, vxorem vero ejus reginam Tartarorum: & cum dicto Principes Procereſque offerunt ei dona atque munera in ſignum devotionis & obedientiæ. Comportantur etiam in eundem locum cimelia & res precioſæ omnes, quæ defuncti regis fuerunt, ex quibus quædam novus rex diſtribuit illuſtrioribus, ſervata ſibi meliore parte: cumque ad hunc modum finis factus eſt ceremoniarum recipit ſe quiſque domum.

Sunt autem omnia in hujus regis ſiue imperatoris poteſtate, etiam privatorum bona, neque quiſquam eſt ex omni Tartarorum populo, qui poſſit dicere, rem aliquam proprie ſuam eſſe. Alibi habitare quam in ea terra, quæ cuivis à rege aſſignata eſt, nulli mortalium licet: idem ſolus habet jus conſtituendi Proreges & Rectores Provinciarum, Duceſque militiæ, & hi rurſum legunt Chiliarchas, Tribunos, Centuriones ex militibus, ſuppletis è veſtigio ſignis atque cohortibus. 21

Sigillo magno, quod appendit Magnus Chamus diplomatibus edictiſque ſuis, hæc inſcripta ſunt verba: Deus in Cælis, & Chamus Imperator in terris, qui eſt robur & fortitudo Dei & hominum.

Extero Legato ſive Oratori rex Tartarus nunquam loquitur, neque eos ad conſpectum ſuum admittit, niſi tam ipſi quam dona eorum, (neque enim fas eſt, ſine muneribus eum adire) antea per fæminas ei rei deſtinatas aqua luſtrali conſperſi & expiati fuerint. Tunc reſpondet eis per interpretem, qui dum loquitur, peregrinos, cujuſcunque ſint conditionis & dignitatis, oportet inſidere genibus, & attentiſſime auſcultare, ne illos vel minimum verbulum, quod interpres regis nomine profert, effugiat. Neque enim vlli mortalium licet quicquam in verbis huius Principis mutare, aut non exequi ſtrictiſſime quæ jubet. Eſt enim adeo tenax Iuſtitiæ obſervator, vt ſi quis pro primo delicto flagris cæſus in idem denuo crimen incidat, ſine mora per medium diſſecetur. Qua quidem in re videntur ſequi doctrinam Stoicorum, de peccatorum æqualitate.

Conſilia ſive Senatus in vniverſum duo ſunt. 22
Primum eſt belli, conſtans hominibus prudentibus & in re militari verſatiſſimis: Poſterius & Conſilium Regni, in quo ſunt Senatores in rebus Patriæ & boni publici exercitatiſſimi. Penes hos ſunt pleraque regni negocia, in eorum manu eſt punire delinquentes, & bene meritos præmiis afficere. Sunt inſuper hi intentiſſimi in eos, qui de republica aut rege bene merentur, ſive bellum ſit ſive pax, vt eos novis cumulent honoribus, contra vero ignavos & nullius frugis homines ſeveris coherceant ſuppliciis. Et ſane ſi verum fateri volumus conſiſtit magna pars incolumitatis reipublicæ in his duabus rebus: in præmiis & pœnis: his enim duobus mediis etiam barbariſſimi Principes in officio continent populos ſuos, & regnum ſuum fulciunt. Quid enim aliud facit Magnus Turca, Xerifus, Mogul & Sophus? Inprimis autem vtuntur præmiis pœniſque in bello;

omne

Digitized by Google

omne enim eorũ imperium rei militari velut fundamento innititur, cum parum curiosi sint de pace aut tranquillitate publica, sed in victoria de hostibus omne momentum amplitudinis suæ collocent. Hinc fit, vt nihil moderati apud ipsos videatur, cum modum non servent in puniendis malis ignaviisque, vt neque in ornandis augendisque viris fortibus & strenuis. Neque profecto vllum regnum est, aut Principatus, vel Respublica, in quibus tam luculenta strenuis & bellicosis hominibus proposita sint præmia, quam in regnis eorum quos nominavimus, Monarcharum, etsi à nobis Barbari habeantur. Apud Turcas tamen validitas & fortitudo maximis afficitur præmiis, quod apud hos nullus sit honor nobilitatis, cujus tamen aliquis respectus est apud Tartaros, Arabes & Persas. At Turcæ vnice studeant funditus & ab stirpe tollere illustres familias, humili vero & plebeio genere natos, dummodo se dignos majore fortuna ostendant, extollere, summisque præficere officiis. Idem & Mammalucqui fecerunt, dum Syriam, Ægyptum, aliasque regiones obtinuerunt.

Illud quoque à nonnullis observatum est, plurimi apud Tartaros fieri eos, qui ex Astrorum positu de rebus futuris vaticinantur & penes hoc genus esse de omnibus rebus, quæ per vniversum regnum occurrunt, judicium ferre. Refert Marcus Paulus Venetus, eo quo ipse fuit in his oris tempore, in vrbe Cambalu fuisse circiter V. millia Astrologorum, cumque hi Cublai Chamo prædixissent, rebellaturam aliquando hanc vrbem, illum cæpisse extruere aliam, nomine Taidu, haud longe ab altera illa.

23 In fures ex lege patria severe animadvertitur. Nam si quis quam rem furatus fuerit, quæ supplicio capitis furem alligare non potest, septies percutitur sive fusticatur, singulis vicibus receptis plagis XVII. vel XXVII. pro magnitudine delicti: adscenditque nonnunquam ictuum numerus ad C. Multi autem inter ipsa flagra & plagas animam exhalant. Si quis equum aut aliam rem majoris precij furto abstulerit, vt capitali supplicio affici dignus sit, gladio percutitur, si vero redimere vitam velit, potest id, dum novies tantum reddat quantum furatus est.

24 Cum autem in superioribus, vbi de amplitudine & limitibus Imperii Tartarici disseruimus, aliquoties mentionem fecerimus Hordarum cis & vltra Imaum Montem, non erit absre, vt opinamur, si vocabulum istud explicemus. Est igitur Horda conventus multorum hominum, qui vna habitant, & quasi parvam quandam Rempublicam constituunt, ita tamen inter se distributorum, vt decuriones aliis quidem imperent, ipsi pareant Centurionibus, & hi Chiliarchis. Sunt autem quædam Hordæ, quæ suos Duces singulares agnoscunt vti dictum: quædam parent Moscouitis, iisque persolvunt tributum annuum: maxima tamen earum pars Magno Chamo subsunt, ejusque venerantur Imperium.

RELIGIO TARTARORVM.

Magna inter Tartaros est Religionum diversitas. Plurimi sequuntur Mahometismum, quem receperunt AN. C. MCCXLVI. Observant libros Mosis, retinentque quædam Veteris Legis Præcepta, clamantes quotidie, *Iahi Illo Illoloth*, quæ verba sonant: *Non est nisi DEVS, DEVS vnus.* Permixti sunt Cataiensibus quidam Mahometistæ, multo autem plures Idololatræ, quorum de supremi numinis cultu hæc est sententia. Duos opinantur esse Deos, alterum quidem Cæli, alterum terræ. A priore, cui singulis diebus adolent, aliud nihil petunt, quam vt sit Mens sana in corpore sano. Ab altero, cæteras res, ab indantiam terra nascentium, multiplicationem pecudis, divitias. Quin & posteriorem hunc vxorem & liberos habere asserunt, curamque gerere sementis & negociorum domesticorum. Quoties cibum capiunt, pinguissimam carnis partem accipientes, oblinunt ea os Idoli, vt & vxoris liberorumque ejus, quorum minores statuas magno numero habent in domibus suis, decoctum carnium effundunt foras extra domum, vt illo odore nutriantur Spiritus nescio qui. Et Cælestem quidem loca summa, Terrestrem vero infima incolere arbitrantur. Animas quidem hominum immortales esse credunt, sed easdem ex vno corpore in aliud migrare, & domicilium quidem alias commodum alias malum nancisci, pro ratione actorum in præcedente vita: quam quidem opinionem hausisse videntur ex Metempsychosi Pythagorica. In cæteris divino honore afficiunt Solem, Lunam, quatuor Elementa, hisce omnibus sacrificia offerunt. Papam Romanum cum omnibus Christianis ipsi vocant Dsinthies, quod significat Paganos, & Chauros, id est, Infideles sive Canes. Cum enim invitati fuissent ab Innocentio IV. Pontif. Maxim. ad amplectendam Fidem Christianam, eodem fere tempore ab Turcis venerunt Legati afferentes Legem Mahometi, & hi quidem facile in suam sententiam pertraxerunt Tartaros, cum dicerent, Mahometistas non nisi vnum Deum invocare, Christianos vero multos adorare, & colere statuas: præterea in Alcorano non permitti duntaxat, sed & tradi hominibus polygamiam, & arma; Christianorum lege prohiberi vindictam & vsum armorum: vnde effæminatis competere, non bellicosis hominibus. Faciunt autem hi Tartari sibi Idola sua ex panno spisso aut tomentis, eaque induunt vestibus sericis, multum iis deferentes honoris. Diem vnum altero sanctiorem non putant, neque vnquam jejunant, quod tamen Mahometistæ faciunt, sed omnium temporum dierumque apud eos est par ratio.

Qui inter Tartaros habitant Iudæi, ajunt se ori- 26
ginem ducere à Tribubus Israëliticis, deportatis jussu Salmanassaris regis Assyriorum in terram Arzareth, temporibus Oseæ Regis. Quæ autem sit terra illa Arzareth, non est eadem interpretum sententia. Quibusdam videtur Colchorum esse regio, quæ hodie vocatur Mengrelia, persuasis verbo Herodoti, qui Colchos ait vti circum-

Digitized by Google

Circumcisione. Alii & quidem plures censent esse Provinciam Belgianam, unde Iudæi sub nomine Tartarorum egressi sunt anno A. N. C.M.CC. secuti dictum Chinguis-Chami, qui primus fuit auctor Imperii Catajensis, cumq; jam ante uterentur circumcisione, & alia quædam legis Mosaicæ observarent, facile degeneraverunt in Mahometistas. Sunt tamen Catajenses maxima ex parte Mahometistæ, & Christiani & Judæi, sed hi posteriores numero non magno.

27 Porro Christianismus in hoc regno in multis mutatus corruptusque est. Videntes enim parentes suos jam senio affectos, ut citius è medio tollantur, nutriunt eos pinguedine præter modum & rationem: ex quo victu cum languidi facti sunt & vivendi finem fecerunt, Comburunt totum corpus, colligētes magna cum cura cineres, quos velut rem magni precii custodiunt, aliquid de iis cibis miscentes quoties prandent cœnantque. In cæteris sequuntur Nestorii hæresin, quæ usque ad urbem Campion se extendit, suntque ea infecti multi in urbibus Tangui, Sucuir, Cambalu aliisque. Etsi autem hi Nestoriani non unam loquuntur linguam, divina tamen Officia Chaldaico sermone peragunt. Præcipuus horum est error, quod in Christo duas Personas statuunt. Beatem Virginem θεοτόκον sive Matrem Dei appellare nolunt, quod dicant, vocabulo DEI totam Triadem comprehendi, unde sequeretur (ut ipsis quidem videtur) eam esse Matrem Patris quoque & Spiritus S. neque tamen negant esse Matrem Filii DEI. Inter Sanctos venerantur Nestorium, Theodorum Mopsvestiæ, Diodorum Tarsensem & Paulum Samosatenum: damnantes Cyrillum Alexandrinum. Aliud esse dicunt Deum verbum, aliud Christum. Concilium primum Ephesinum non recipiunt, ut nec sequentia. Patriarchæ apud eos non eliguntur, sed succedit filius patri in dignitate. Hunc primum creant Archiepiscopum, deinde, Patriarcha mortuo, succedit is, sine ulterioribus ceremoniis.

Anno A. N. C. MCC. IX. Johannes, qui dominabatur in Provincia Hatay, sive, ut aliis placet, Tenduc, recepit hæresim Nestorianam. Sed hic XL. annis post eversus est regno per Magnum Chinguin Chamum, ut exiguæ partis dominium ei remanserit, intercessione Dominicanorum Monachorum, qui eum Magno Chamo commendaverant, sic jubente Innocentio IV. Papa. Referunt Angli, qui in illis partibus vixere, solere Archiepiscopum Cambalensem Diadema regium imponere Magno Chamo, cum is primum adit regni possessionem.

SERIES ET ORDO REGVM TARTARICORUM.

28 Eum qui velit enumerare Tartarorum sive Regum sive Imperatorum successiones, & quis quem in ordine secutus fuerit: eum, inquam, oportet aliis instructum ad hoc opus accedere historiis, quam quæ in nostras inciderunt manus, aut saltem in vicinis huic tam vasto imperio aliquandiu commoratum fuisse regionibus. Nos vero, quibus ad tam exactam hujus rei cognitionem penetrare non licuit, contentos esse necesse est iis scriptoribus, qui plus aliis in hac materia præstitisse iudicantur, quorum non est nostrum aspernari auctoritatem. Quis autem tam accuratus poterit esse inquisitor, utut velit, qui omnes Chanorum & Myrsarum apud singulas Hordas peculiarem suum Czar agnoscentes, dominantium catalogum contexere audeat? Nec mundus dimovebitur de loco suo, si lateant ipsorum nomina. De Magno Chamo dicemus quæ poterimus pauca.

Igitur Marcus Paulus Venetus Tartarorum reges hoc ordine recenset. Primo loco collocat Canguistum sive Chinguys-Chamum, secundo Chinyn: tertio Barchimum, quarto Allaum, hinc Mongulem, postea Cublaium, in cujus aula M. Paulus aliquandiu vixit. At Haytonus Armenus & post eum Sabellicus his eos recenset nominibus. Primo loco ponit Chinguin Chamum, cui subjicit Hocorā, huic Ginonem, Mangum, Cobillam, quem facit auctorem urbis Cambalu: post hunc ponit Tamorem, quo imperante vixit Haytonus anno M. CCCVIII. His omnibus singulisque tribuit cognomen Chami. Hocoram ait multos habuisse liberos, & Ginonem quidem patri successisse, fratrem vero ejus Iochyum Persiam occupasse cum Turquestania aliisque regnis Occidentalioribus. Baydonem vero, alium Ginonis fratrem, Septentrionis partem petivisse, instituta via versus Hungariam, & ab hoc quidem Tamerlanum natum, qui tot malis affecit Europam Asiamque. Ginone Chamo mortuo in Oriente, successit proximus agnatus Mango in Imperio, qui Insulas quasdam Orientales perdomuit. At urinatores quidam ex Insulanis, clam subter mare accedentes Mangonis triremem, perforatam illam demerserunt cum omnibus qui in ea erant. Ibi Cobila, quem M. Paulus Cublaium vocat, creatus rex, Christianam Fidem amplexus est, quam tamen successores ejus iterum abiecerunt. At interpres & abbreviator Atlantis Majoris hoc ordine enumerat. Primum ex Tartarorum gente Imperatorem, qui regnum acquisivit, & Legibus constituit atque judiciis fatetur fuisse Chinguin Chan, sive Camum, qui Paulo Veneto Cinchis dicitur, aitque ætatem illius incidere in annum M.CCII. Ferus ante hunc gentis cultus, sine legibus, sine civili consuetudine. Ab hoc Chingi cæterorum Principum origo est: propagavit enim Imperium incredibili celeritate à Sinarum regione & Oceano usque Mare Caspium. Hujus filius fuit Iocucham, qui genuit Zain-Chamum, tertium Imperatorem, qui ab aliis Bathy nominatur. Hic devastavit Russiam, Poloniam, Silesiam, Moraviam & Hungariam. Hujus Bathy filius, IV. Rex, fuit Temir Cutlu, qui est Tamerlanus, ob sævitiam in Historiis notus, qui pervastata tota Asia in Ægyptum usque penetravit, & Turcarum regem Baiazethem vivum captum, aureisque compedibus vinctum in cavea per Asiæ urbes circumduxit. Hujus Temir Cutlu nepos fuit in Ordine quintus Imp. nomine Temir Czar, qui adversus Ordinis Teutonici Equites in Prussia fortiter pugnans occubuit. Sextus fuit Macmetzar, Temiro Czare genitus, cujus filius Armet-Czar denuit Sciachmetum, octavum Tartarorum Regem sive Imperatorem. Qui observat, facile conciliabit differentias; quoniam uno numerante alium Canguisti filium ex illis XII. in diversis locis regnantibus, alius ex alio deducit seriem; proxime autem accedunt, qui omissis

Digitized by Google

aliis retinent illas, qui in ipsa Scythia seu Tartaria sedem tenuere. Salvo aliorum judicio collatis sententiis hic mihi ordo constitui posse videtur.

I. GIHAN-CHAM Anno M.CLXXX.

II. CHINGVIN-CHAM

Anno Christi M.CC.XIX. cujus familiam lege supra in rebus Persicis in Catalogo Mogulum.

III. HOCCOTA-CHAM

Frater Jocuchami, filius Canguistæ anno M.CC.LIII.

IV. GINO-CHAM

Seu Chinys, frater Baydonis, seu Bathi patris Tamerlanis, Anno M.CC.LXI.

V. MANCHV-CHAM

Seu Mongul, Anno M.CC.LXXVIII.

VI. COBILLA-CHAM. Anno M.CCXC.

VII. TAMOR-CHAM anno MCCCVIII.

VIII. TEMIR-CHAM.

Alias Temir Cutlu, dictus historicis nostris *Tamerlanes* anno M.CCC.LXIX. Hic ut fulmen excitatus contra Bajezetem, eundem an. M.CCCXCVII. aggressus exercitu quater centenis equitum millibus & peditum millibus sexies centenis vicit, cæsis Turcarum CC. millibus, & ipso, uti modo dictum, tractato, etiam usurpato sæpius vice scabelli, cum victor equum conscenderet. Succedit

IX. TEMIR-CZAR anno M.CD.VI.

X. MACMET-ZAR anno M.CDLXII.

XI. ARMET-ZAR anno M.D.I.

XII. SCHIACHMET-ZAR

Anno M.DXXVIII. Hic si vis propter defectum, supple reliquum tempus, aliquot ex Precopensibus, ubi Cæsarem agebat Tartaricum

XIII. MENDLIKERI-CHAN an. MD.XL.

XIV. SAPKERI-CHAN an. M.DXCIV.

XV. SADETKERICHAN an. M.DXC.

XVI. CHASKERI-CHAN

Anno M.DC.XXVII. Hic fortassis adhuc sedet. Latet nos, cum non potuerimus indagare. Tempus plura docebit.

Nolim autem quenquam putare, hos quatuor esse Magnos Tartarorum CHAMOS, qui Cambalu habitant; sunt enim solum Principes Tartarici, à nobis substituti loco illorum, qui post Schiachmetum Imperitarunt, quia non habemus nomina.


REGNVM CHINENSE, SIVE SINARVM REGIO

(De Chinensibus scripsere post Cosmographos Generales etiam in specie plures inter supra Citatos in rebus Tartaricis, Marcus Paulus Venetus, Texeira, Joh. Petrus Maffeus, Acosta, Miræus, Maginus, Nicolaus Trigautius &c.)

SVMMA CAPITA.

1. *Variæ appellationes hujus Regni, tam veteres quam novæ.*
2. *Ambitus eius, situs, amplitudo.*
3. *Partitio huius Regni in XV. Provincias. Quæ in unaquaque præcipuæ urbes & oppida. Horum Architectura ratio; viæ latissimæ saxo stratæ, pertingentes usque ad montes.*
4. *Murus incredibilis longitudinis, qui Chinenses à Tartaris separat.*
5. *Palatium & Regia huius Monarchæ.*
6. *Habitus corporum & Ingenia Sinarum. Facunditas terræ incredibilis, quæ alicubi ter aut quater per annum fructus fert. Fructus arborei maxime differentes à nostris. Copia ibi mellis, Saccari, melopeponum, prunorum, pomorum, auratorum triplicium: abundantia serici, lini, cannabis, gossypii, farris, arborum variarum, musci odorati. Animalia & pisces omnis generis, herba medicatæ, metallifodinæ auri & argenti, piscatio unionum.*
7. *Chinenses industrii, apti & ingenioſi, laborum patientes, conviviis & genio dediti, splendidarum vestium amantes, qua sint facie & statura corporis.*
8. *Ratio parandi Moschi odorati apud Chinenses.*
9. *Vestitus Nobilium, quo modo à plebeio differat. Aliter vestiuntur viri aliter fœminæ. Quo pacto mulieres ornent capillos, & qua cerussa pingant faciem.*
10. *Chinensium mos gestandi angustos calceos, & constringendi crura fasciis.*
11. *Chinenses in arte sculpendi & pingendi artifices præstantes: Currus eorum velis instructi ut agitentur vento.*
12. *Quas merces indigenæ peregrinis mercatoribus vendere soleant.*
13. *Quo modo fiant apud hos populos vasa fictilia exquisitæ pulchritudinis, quæ vulgo Porcellana vocantur.*
14. *Res ad matrimonium spectantes. Dos, donatio propter nuptias, festa & epulæ nuptiales. Polygamia apud Chinenses. Leges eorum de Successionibus & Hæreditate.*
15. *Consuetudo Chinensium, quæ eos cogit intra certum tempus vel nubere, vel perpetuum profiteri cælibatum.*
16. *Matrimonia Regum, horumque liberorum: quæ in his nuptiis celebrentur convivia, ludi, solennitates.*
17. *Iusta & exsequiæ in funeribus: convivia funebria & luctus.*
18. *Potus eorum ex herba Chiná, quo loco vini utuntur: Quibus potissimum cibis onerent mensas in suis conviviis.*
19. *Rei Tormentariæ & Typographiæ apud illos usus. Litteræ eorum Hieroglyphicæ: ratio scribendi aliis gentibus inusitata.*
20. *Currus & Pilenta eorũ: apparatus nauticus & triremes.*
21. *Artificium eorum piscandi per alites quosdam.*
22. *Lectia-*

Digitized by Google



LYON
1981

Digitized by Google

LYON

Digitized by Google

22. *Loytiarum, id est, Doctorum apud eos summus honor. Quo pacto peregrinos excipere, visitare, & cum iis versari soleat.*

23. *Opes Chinensium in quibus rebus consistant: in auro & argento quod terra effodiunt, aliis metallis, unionibus, vasis fictilibus Porcellanis, pellibus preciosis, lino, lana, Xylino, serico, saccaro, melle, Rhabarbaro, camphora, moscho, rubea tinctoria, aliis:*

24. *Proventus regii quo usque adscendant: & quantum ex unoquoq; mercimonii genere tributum exigat.*

25. *Robur Chinensium & vires bellicæ quantæ. Ordo eorum instruenda acie & conserenda pugna. Consilium bellicum in unaquaque provincia.*

26. *Peditatus & Equitatus Chinensium: arma eorum, apparatus bellicus & confligendi ratio.*

24. *Quantum Chinenses classe valeant.*

28. *Exactior consideratio militum præsidiariorum, quibus in unaquaq; provincia numerantur stipendia.*

29. *Academiæ sive Studia universalia Chinensium; Visitatores earundem Regii. Promotiones solennes tertio quoq; anno.*

30. *Iuramentum quod præstant visitatoribus Regiis ii, qui ad Gradum Doctoratus adspirant.*

31. *Consilium auditorum XII. in urbe Thebain.*

32. *Proreges & Gubernatores Provinciarum qui.*

33. *Ministri regii alii. Iudices quomodo exerceant Iudicia & administrent Iustitiam.*

34. *Quibus in facinorosos animadvertant supplicijs.*

35. *Lex eorum adversus errones & validos mendicantes.*

36. *Idololatria Chinensium, & quæ adorare soleant Idola. Sacrificia quæ offerunt Diabolo. Quid sentiant de Cœlo & rebus cœlestibus.*

37. *Sortes apud eos variæ, & earum usus.*

38. *Quid sentiant de creatione Mundi, & à quo fabricatum eum putent. Quæ in cœlo Numina agnoscant.*

39. *Sententia eorum de animabus à corporibus digressis. Preces eorum pro defunctis.*

40. *Monasteria quæ apud Chinenses. Quatuor apud eos Ordines Religiosorum, quorum quivis suum habet Generalem.*

41. *Genealogia Regum Chinensium.*

1 AMplissimum illud potentissimumque Chinensium Regnum, cujus Ptolemæus nomen novit, potentiam non item, est illud ipsum, quod Marcus Paulus Venetus *Provinciam Mangi* nominat: nos vulgo ~~vocamus~~ CHINAM, quanquam ignari plane simus, cui fundamẽto innixus fuerit is, qui ei Orientis parti hoc nomen imposuit, nisi forte ex corruptione vocabuli ortum fuit, ut mutatis primis litteris pro *Sina China* dicatur: quod si factum est, prævaluit consuetudo antiquitati, accedente nostri seculi assensu, quod posteriorem appellationem mordicus retinet, à qua nos quoque non discedemus.

Est igitur vastum illud regnum Chinense totum situm cis Tropicum Cancri versus Septentrionem, extenditurq; littus ejus secundum Oceanum Eoum, ut ab ortu Solis terrarum extima putetur. Fines eius ab Oriente Oceanus Orientalis: à Meridie Cauchinchinæ regnum: qua Occidens est, Brachmanæ Indi: qua Septentrio Tartari Catajenses sunt, inter quos multos habitare Christianos, ipsam autẽ Tartariam Persico conterminam regno esse diximus.

Possederunt olim Tartari hoc Chinense regnum, ut ipsorum Annales referunt, idq; totis annis XCIII. crudeli dominatione oppresserunt, quib. cujusdam Regis indigenæ prudentia expulsis, murum struxere incolæ, ut incursiones eorũ arcerent, sibiq; caverent.

Vicini Chinensium eos vulgo *Sangley* vocant ipsi vero Chinenses, si Magino & Mercatori credimus, regionem suam *Tame*, seipso Tangis appellant: vel potius, ut Auctori Historiæ Generalis Chinæ videtur, Taybinco, quæ vox cum Regnum tum ejus incolas denotat.

Extenditur autem ferme à Tropico Cancri, usq; ad LIII. gradum latitudinis, complectiturque longitudine sua omnes Meridianos intra CXXX. & CLX. gradum. Vt autem exactius cognoscamus ejus amplitudinem, referemus ea, quæ ipsi Chinenses in suis libris scripta reliquerunt.

Sic igitur illi censent, ambitum universi hujus regni constituere LXIX. millia DXVI. Diætas, quæ ratio est apud illos metiendi terras, quæ si ad Hispanorum metiendi calculum reducantur, facient in peridromo III. millia milliarium, & in longitudine M. D. CCC. Invenimus in eodem libro, unde hæc metiendi ratio desumta est, Chinenses triplici mensuræ genere uti in Geometricis, ipsi vocant *Lii, Pu & Icham*, quæ voces prope nostris respondent: Stadio, quod continet passus CXXV. Milliario, & Diætæ, sive unius diei itineri. Lii vocant tantum terræ spacium, ad cujus extremum vox hominis valide clamantis pervenire possit, cum aer tranquillus est, & locus planus. Decem hujusmodi Lii conficiunt unum Pu, id est, magnum milliare Hispanicum, sive commune Germanicum. Decem Pu constituunt XII. milliaria Hispanica, sive X. Germanica, quod spacium ipsi vocant Icham. Et secundum hanc metiendi rationem colligitur totius regni amplitudo, quam in superioribus adduximus. Etsi autem ex aliis Chinensium scriptis major amplitudo colligi potest, Martinus tamen Herrada, Provincialis Augustinorum in Philippinis Insulis, Cosmographus magnæ experientiæ, vidit ipse cognovitque, eorum sententiam quam nos secuti fuimus, esse veriorem, statuitque illam Peripheriam & Diametron, quam nos superius assignavimus, facto metiendi initio à provincia Olam, quæ est Meridionalior, & in Malacam vergit.

Dividitur autem regnum istud, sumta simul Insula Anaione, in XV. provincias, quarum unaquæque suam habet Metropolim, & æquare vastitate sua potest quodvis magnum Europæ regnum. Quędam illarum Provinciarum denominatura prę cipuis Civitatibus, in quibus residen Prorex & Senatores. In his autẽ duæ sunt, Paguia & Tolanchia, quas rex ipse suo regit imperio, per Consiliũ sanctius quod consueverit ipse in alterutra harum suum habere domicilium: accedente etiam hoc, quod sint omnium maximæ & populosissimæ. Nec tamen hæ solæ causæ eum invitant, ut in harum altera habitet, sed potiùs vicinia Tartarorum, quibuscum Chinenses perpetuum bellum gerunt. Postremo, ut facilius obviam ire possit tumultibus turbisque, quæ in illis partibus sunt crebriores, simulque plus incommodi creare hostibus suis, ideo in his oris statuit Rex domicilium suum.

Est in medio hujus Monarchiæ Lacus ingens, ẽ quo plurimi prosiliunt fluvii & torrentes, quorum illi quidem adeo abundant aquis, ut inde variis navigiis in diversas regni partes navigari possit, qui fluvii amnesque insuper tam fæcundum humiditate sua

Digitized by Google

te ſua reddunt ſolum, ut omnes res bonas in copia gignat, unde & ripæ fluviorum illorum ſcatent oppidis villisque. Referunt autem Annales Chinenſium, quod in XV. illis provinciis ſint magnæ Vrbes CXV. oppida M.DXCIII. non connumeratis vicis oppidulisque.

Porro totius hujus Imperii ſive Monarchiæ caput appellatur vulgo *Xuntien* ſive *Tabiin*, à noſtris *Quinzaii*: ſignificat autem Xuntien lingua Chinenſium urbem Cæli, cujus tanta eſſe perhibetur magnitudo, ut homo expeditus in equo unius diei ſpacio eam circum equitare vix poſſit. Sunt autem nomina XV. provinciarum hæc: *Paſquia, Canton, Foquien, Olam, Cincay, Suſnam, Tolanchia, Canſay, Oquiam, Auccho, Honam, Xanton, Quicheu, Chequeam, & Saxii ſive Sanci.* Omnes hæ, inprimis maritimæ, ſeparatæ ſunt ab invicem eximiis fluviis aquæ dulcis, profundis & navigabilibus, altis utrimque ripis, in quibus tot aſſurgunt urbes & oppida, ut ne numerati quidem poſſint, nedum nominari, cum Chinenſes tam ſint curioſi, ut in libris ſuis referant, non oppida ſolum, ſed & palatia ac vivaria procerum delectationis ergo in ripis excitata. Nobis ſufficiet numerum duntaxat indicare Vrbium oppidorumque, in unaquaque provincia, ne vel barbarorum nominum aſperitas vel prolixitas lectorem offendant.

Habet igitur Provincia Paquia, in qua domicilium regis & ſummus Senatus, Vrbes quidem XLVII. oppida CL.

Provincia Cantonenſis, Vrbes XXXVI. oppida CXC.

Foquienſis habet Vrbes XXXIII. oppida CXCI.

Olamenſis Provincia, habet Vrbes XC. oppida CXXX.

Provincia Cinſaiana, Vrbes XXXVIII. oppida CXXVIII.

Suſnanenſis habet Vrbes XLIV. oppida CL.

Tolanchiana provincia habet Urbes LI. oppida LXIII.

Canſaiana Vrbes habet XXIV. oppida CXII.

Oquiamenſis habet Vrbes XIX. oppida LXXIV.

Ancheonenſis Vrbes XXV. oppida XXIX.

Honamenſis habet Vrbes XX. oppida CII.

Xantonenſis habet Vrbes XXXVII. oppida LXXVIII.

Quichevanæ Provinciæ ſunt Vrbes XLV. oppida CXIII.

Chequeamenſis ſunt Vrbes XXXIX. oppida XCV.

Sancienſis ſive Saxienſis Vrbes XLII. oppida CV.

Solent autem Chinenſes fere terminare Civitatum nomina in Syllabam Fu, quæ urbem ſignificat, cujuſmodi ſunt Tabinfu, Cantonfu, Quelinfu: oppidorum vero vocabula exeunt in Cheu. Ajunt autem in ſolo fluvio Canton plures reperiri celoces, aphracta & alia navigiola, quam in tota ſint Hiſpania. Regio ipſa Cæli ac Soli temperie, & aeris bonitate omnium rerum bonarum eſt ferax, abundans tritico, oriza, leguminibus, nec ullum eſt anni tempus tam intemperatum, ut non vel ſeminetur, vel metatur aliquid atque colligatur. In omnibus urbibus, ubi Proreges & Gubernatores commorantur, erecta eſt imago Regis opere Phrygio aulæo vel periſtromati intexta, cum inſcriptione, *Mundi Dominus ac Cæli Filius.* In univerſo regno Chinenſi nulli cum telo ambulare fas eſt, niſi illis, quibus hoc peculiari privilegio à rege permiſſum eſt, transeunte jure illo portandi arma velut hæreditate etiam ad liberos eorum.

Sunt autem in tanto Vrbium numero fere CC. eminentiores cæteris, quæ pleræq; extructæ ſunt in ripis fluminum navigabilium, foſſis cinctæ latis profundisque, incluſæ muris è lapide quadrato, quibus incumbit aliud ſtructuræ genus è latere cocto, non ex argilla aut fragili luto, ſed eadem materia, unde vaſa Porcellana (ſic appellantur) conficiuntur, cujus materiæ ea eſt ſoliditas, ut ſucceſſu temporis coaleſcat inque unam denſetur maſſam, ut partes ne validiſſimis quidem ferramentorum ictibus diſiungi poſſint. Murorum ea eſt craſſities, ut in iis quaterni homines ſimul ingredi poſſint, alicubi etiam ſex, præter projecturas & exedras crebro intercurrentes, in quibus ſæpe proceres animi gratia deambulant. Ad defenſionem murorum multa addita ſunt propugnacula, & turres, & loca conſtituendis tormentis æneis apta, invicem ſibi reſpondentia, cum exeubiis idoneis locis diſpoſitis, ut nihil ad ſummam muniendi cuſtodiendique diligentiam ſtructoribus defuiſſe videatur. Horum murorum quidam perhibentur erecti ſtetiſſe ad II. millia annorum, nec tamen ullam præ ſe ferre vetuſtatem aut agere rimam videntur. Plerarumque illarum urbium, quas cæteris eminentiores eſſe diximus, ſtructura talis eſt. Duas habent ſingulæ præcipuas & quaſi regias plateas, longas latasque valde, in crucis formam diviſas, ut inde directus pateat proſpectus ad quatuor urbis portas, quæ inter ſe æquis diſtant ſpaciis, quæ quidem eſt res miræ amœnitatis. 20

Interſecantur autem duæ illæ plateæ cruciformes aliis minoribus, in quibus multa inter plebeias domos exſurgunt ædificia magnifica tam publica quam privata, quæ velut indicium præbent atque notas viarum & regionum. Viſuntur in compitis Arcus quidam velut Triumphales, ubi convenire ſolent tam cives quam peregrini. Et porticus ibi ſunt crebræ, procurrentes in publicum, quibus ut & tabernis opificum & inſtitorum, arcentur à commeantibus pluviæ aliæque aëris incommoditates.

Vix autem quisquam Prorex aut Gubernator elapſo tempore præfecturæ ſuæ abit provincia, quin arcum aliquem aut opus laqueatum è polito lapide, cum variis inſcriptionibus, in ſui poſt ſe relinquat memoriam.

Loco urbis commodiſſimo frequentiſſimoque aſſurgit ſuperbum Palatium, habitatio Proregis, cum adjunctis hortis, viridariis, fontibus ſalientis aquæ & inde profluentibus rivulis, omnia facta ad delectationem horũ Dynaſtarum, qui inſuper eo loco habẽt ſua nemora, cum vivariis, leporariis & Ornithonibus, ut hæc palatia cum mediocribus oppidis comparari queant. Domus privatorũ maritimæ ferme humiles ſunt: at interiores & à littore remotiores plura habent tabulata, pictæ intus & foris vel candidiſſimæ illitæ tectorio. Ad introitum huius Palatii Atrium eſt amplum & capax, perpictũ variis armis nobilium, exornatumq; Idolorũ ſtatuis. In ipſo veſtibulo occurrũt piſcinæ plenæ piſcibus, & horti pẽſiles,

etiam

Digitized by Google

dine, VII. in alti-
umunt à Mari in
eum per Pasquiã
ex hoc opus mo-
orum regni ad id
ant, vel difficul-
eris. Sic opus hoc
ausa fuit, ut totũ
ret, factoque im-
i regnavisset an-
tzius.

ujus Monarchæ
etur eorum quæ
sunt. Est ea in
diximus, ob vici-
ovincia *Pasquia*,
illa perflatur, pu-
ne Vrbis tale ali-
em cœlestem so-
litudine superius
mentionem nul-
bitus non existi-
a tantus putatur
erant, CC. millia
orum pars media
itas regnum pre-
sus Orientem of-
am Palatium Re-
m etiam duo alia
in extremo latere
Palatio narrant,
& tam plenum
us, ut quatridui
it.

uris, tanto spacio
ulis intermænia-
orporis regii, ver-
alatia sive Cæna-
n quibus magnus
servitium regis,
nuis adolescenti-
admiratione sunt
uevit audire Rex
ut & respondere
m suorum, quan-
nquam in populi
archa. Omnium
itia, tanta artifi-
argenteę, aureę,
igne exprimi non
æ tres anteriores
& Palatium The-
e dignum nomi-
s suis vix ullus rex
isuntur.

ter Cimelia hujus
plane inæstima-
, in quo Monar-
jestatem ostentat
e præstantissimo,
precii, inprimis
plendoris, ut vel
ajuntque tantam
: Cathedra gem-
mata

Digitized by Google

te ſua reddunt ſol
gignat, unde & r
pidis villisque.
ſium, quod in X
CXV. oppida M
oppidulisque.
Porro totius I
appellatur vulg
zaii: ſignificat a
urbem Cæli, cuj
ut homo expe
circum equitar
provinciarum I
Cincay, *Suſnam*, T
nam, *Xanton*, *Qu*
mnes hæ, inpri
vicem éximiis fl
vigabilibus, alt
gunt urbes & c
ſint, nedum nc
rioſi, ut in libri
& palatia ac vi
ripis excitata.
indicare Vrbiu
provincia, ne
vel prolixitas lé
Habet igit
ſium regis & ſu
VII. oppida CI
Provincia C
CXC.
Foquienſis h
Olamenſi
CXXX.
Provincia
CXXVIII.
Suſnanenſi
Tolanchia
LXIII.
Canſaiana
Oquiamen
Ancheone
Honamenſ
Xanton
LXXVIII.
Quichevar
CXIII.
Cheque
XCV.
Sancienſi
CV.
Solent aut
tum nomina i
cuiuſmodi ſur
pidorum ver
autem in ſolo
aphracta & al
ſpania. Re
bonitate omn
dans tritico,
ni tempus tan
tur, vel metat
bus urbibus,
morantur,
aulæo vel per



Digitized by Google

etiam in tectis ædium. Tota structura est ex lapide cæso & affabre polito, ut splendore suo colorem auri mentiatur. Tecto singularis firmitas, ut omnes facile respuat imbres, compertumque est hujusmodi tecta ad ducentesimum durasse annum. Colliquiæ & suggrundia è puro marmore sunt facta. Ante portas stant arbores patulæ & virides, pulchro ordine & ad lineam plantatæ, tanta amœnitate, ut debiles lassosque recreare ac reficere possint oculos. Etsi autem multæ harum urbium satis amplis intersecentur fluviis, canales tamen atque fossæ hinc inde naves mercatorias in ipsas urbes & fora usque inducunt, magna commoditate, ut in quibusdam inferioris Germaniæ urbibus videmus, nusquam deficientibus aggeribus pontibusque, quibus flumina vel cohercentur vel sternuntur, ad commoditatem viatorum. Si qui fluvii ob vastitatem aut inundationes pontes ligneos lapideosque non admittunt, eorum ripæ jungiuntur pontibus è scaphis lenunculisque factis. Extra urbes, inprimis maritimas, visuntur suburbia magnificis structuris plena, cum vicis plateisq; satis elegantibus, & diversoriis ad excipiendos hospites, in quibus præter potum sapidissimum omnis generis cibaria & cupediæ reperiuntur.

Minorum oppidorum, quorum quædam III. millibus familiarum constant, ita tamen ut proximi pagi & velut cohærentes simul sumãtur, tanta est multitudo, ut numerus iniri non possit. Situs eorum fere amœnus, aquarum lignorumque copia, domus altæ etiam ruri, in quibus crebri degunt agricolæ, opulenti sane & omnibus rebus affluentes. Habent autem singulæ fere domus portas ternas, quarum quæ medium obtinet major est cæteris, observata proportione in ædificando.

Negari autem nullo modo potest, Architectos fabrosque regnum habere præstantissimos, nec ullibi per Orbem materiam ad ædificandum haberi meliorẽ, cũ, ut diximus, terra alba sit, è qua simul lateres coquũtur tantę duritiei, ut malleo vix frangi possint. Viæ per regnum præcipuæ lapide cæso stratæ sunt, planæ rectissimæque, usque ad Montes, pavimento aptissimo, ut ii, qui viderunt, inter res, quæ in hoc regno admiratione dignæ sunt, vias illas referant. Narrant Lusitani, vidisse se in urbe Fucheo Turrim, XL. innitentem columnis ex solido marmore, quarũ altitudo fuerit quadraginta palmorũ, latitudo XII. Hoc opus esse tantæ magnitudinis, tam insignis splendoris atq; sumtus, ut omnes totius Europæ superbas & magnificas structuras longo post relinquat intervallo. Assurgere autem hoc tantum opus ante Palatium Præfecti Ærario Regio.

Cum autem in superioribus Muri illius mentionem fecerimus, qui Chinenses à Tartaris dispescit, hic quædam magis exacta de eo referenda sunt. Longitudo ejus cum interjectis montibus D. milliaria constituere (vel potius Leucas) creditur: incipitque ab urbe Ochioio, quæ sita est inter duos prærultos montes, porrigiturque ab occidente in Orientem, structo ipso muro à Rege quodam Tzinzone adversus irruptiones Tartarorum. Quod autem de D. Leucis diximus ita capiendum est, ut CCCC. Leucæ occupentur montibus, & spacia intercurrentia, quæ muro obstructa sunt, reliqua centum conficiant. Ipse porro murus è saxis quadratis ingentibus fabricatus est, quorum plerorumque tanta est magnitudo, ut quinque Orgyias habeant in latitudine, VII. in altitudine. Initium hujus nonnulli sumunt à Mari in Provincia Cantonensi, deducuntq; eum per Pasquiã & Cansaiam, finiuntq; in Susana. Rex hoc opus moliri volens, tertiam partem habitatorum regni ad id admovit, qui prope omnes interierunt, vel difficultate viæ & laboris, vel mutatione aeris. Sic opus hoc tam sumptuosum & operosum in causa fuit, ut totũ regnum concitata seditione rebellaret, factoque impetu in regem eum trucidaret, cum regnavisset annis XL. & totidem filius ejus Aguntzius.

Nunc deinceps videnda est ipsa hujus Monarchæ habitatio & regia, ne quid desideretur eorum quæ in hoc regno consideratione digna sunt. Est ea in urbe *Tabyn* sive *Xantien*, ut superius diximus, ob viciniam Tartarorum, in regione vel provincia *Pasquia*, sive etiam ob aeris, quo provincia illa perflatur, puritatem & salubritatem, ipso nomine Vrbis tale aliquid innuente, cum *Xuntien* civitatem cœlestem sonet. De hujus urbis incredibili amplitudine superius diximus, ubi tamen suburbiorum mentionem nullam fecimus, quorum omnium ambitus non existimatur minor ipsa urbe. Populi in ea tantus putatur esse numerus, ut ipsi Chinenses asserant, CC. millia ad militiam apta inde legi posse, quorum pars media equites sint, si urgens aliqua necessitas regnum premat. Ad introitum hujus Vrbis versus Orientem offert se oculis ingens illud & superbum Palatium Regis, usitata ejus habitatio, quanquam etiam duo alia sint; unum in media urbe: alterum in extremo latere Occidentali. De Primo illo Magno Palatio narrant, id tam amplum ac spacioſum esse, & tam plenum singulari consideratione dignis rebus, ut quatridui spacio perlustrari omnia non possint.

Iam primum septem cingitur muris, tanto spacio ab invicem dissidentibus, ut in singulis intermæniatis X. millia militum, custodum corporis regii, versari possint. Intus sunt LXXIX. Palatia sive Cænacula magnifica, artificii stupendi, in quibus magnus numerus fœminarum versatur, ad servitium regis, quod alibi à Nobilibus viris & ingenuis adolescentibus præstatur. In præcipua autem admiratione sunt quatuor Basilicæ, in quibus consuevit audire Rex Oratores exterorum Principum, ut & respondere Principibus Proregibusq; regnorum suorum, quanquam hoc rarius accidat, cum vix unquam in populi conspectum prodire soleat hic Monarcha. Omnium harum Basilicarum tanta est elegantia, tanta artificii præstantia, tanta materiæ æneæ, argenteę, aureę, gemmeæ precia, ut calamo satis digne exprimi non possint, inprimis vero quartæ, quæ tres anteriores multis parasangis superat, unde & Palatium Thesauri regii à populo appellatur, vere dignum nomine isto, cum tantas opes in thesauris suis vix ullus rex possideat, quantæ in illa Basilica visuntur.

Porro præter hos thesauros inter Cimelia hujus regis infinitæ res stupendi precii & plane inæstimabilis, interque eas Thronus regius, in quo Monarcha ille considere solet, quoties Majestatem ostentat suam, factus quidem ex Marmore præstantissimo, exornatus autem gemmis infiniti precii, inprimis Pyropis tantæ magnitudinis & splendoris, ut vel atram noctem illustrare possint, ajuntque tantam illi parti Basilicæ affundi ab hac Cathedra gem-

Digitized by Google

mata claritatem, quanta ab incensis cereis funalibus afferri possit. Pariter structi exornatique sunt hujus Palatii parietes, ubi cum præstantia materiæ certat artificum peritia, ut omnes, qui de eo scripserunt, uno fateantur ore, nihil preciosius aut magis absolutum in ullo totius Orbis regno inveniri posse, cum nihil uspiam sit pulchri aut speciosi, quod hic non exquisitum conspiciatur.

6 *Qualitas & Natura soli Chinensis.*

Postquam vidimus vasti hujus regni amplitudinem, & numerum urbium oppidorumq; in eo recensuimus, & ædificiorum in eo magnificentiam consideravimus: consequens est, ut videamus, an ipsum solum tanto splendore dignum sit, & an possit ædificantibus ex sese suppeditare tam insanarum substructionum sumtus & materiam.

Primum igitur sciendum est temperamentum aeris & soli in tanta provinciarum hujus Monarchiæ varietate, longe diversissimum esse, in tanto præsertim terrarum spacio, quarum aliæ in Septentrionem aliæ in meridiem vergunt, ita ut quamvis quædam hujus regni partes, interque eas Insula Aynan, tantum XIX. gradibus ab Æquatore absint, aliæ tamen ultra quinquagesimum latitudinis gradum extendãtur, ut in descriptione Situs hujus regni ostendimus. Facit eadem magnitudo & provinciarum distantia magnam coloris diversitatem in corporibus incolarum. Lusitani enim, qui apud Vrbem Canton cum Chinensibus negociantur (non longe enim abest ab Macaone) narrant Chinensium ibi mercaturam exercentium facies colore valde dissimiles esse. Qui enim in Provincia Cantonensi nascuntur, inque toto eo tractu, fusci sunt, sicut Numidæ & Mauri in regno Fezzano Africæ, cum hæc regio Cantonensis iisdem sit subjecta Parallelis, quibus Numidia. Qui vero interiora regni incolunt, facie sunt alba, magis minusq;, prout prope vel procul à frigidioribus Septentrionis partibus absunt. Videas ergo quosdam capillitio nigro referre Hispanos, alios rursum flavos rufosque esse, ut Germani sunt. Sic igitur est: Calidum an frigidum sit hoc ingens regnum, generatim dici non potest, cum sit comprehensium in Zona temperata: unde & fertilitas ejus cognosci potest, quæ sine dubio maxima est, etiam si cum ea comparare velis Novam Hispaniam vel Regnum Peruanum.

Est enim extra controversiam, solum ibi terque quaterque fœtificare per annum, unde & aeris clementia colligi potest. Infantibus puerisque hic omnia plena esse videas, instar formicarum, ob fœcunditatem mulierum, suntque hi pueri grati admodum & venusti, dum pusilli sunt.

Si vero de fructibus arboreis quæstio est, nullum hic genus desiderare possis eorum, qui alibi præsertim in Hispania proveniunt, sed & multi peregrini ibi visuntur, nostroque Orbi incogniti, qui tamen omnes sunt sapore præstantissimo. Aureorum malorum genera hic tria, quorum unum tam dulcem fundit succum, ut suavitate vincat saccarum: cætera sunt cum quodam acore permixta.

Prunorum hic quædam species, quam ipsi Lechiam vocant, cujus tanta est suavitas, ut satiari ea comedentes non possint, accedere alia quoque virtute, quod nec stomacho nec intestinis noxia sint. Melopeponũ magna hic abundãtia, qui magni sunt, nec minus sapidi, ut alia quædam hujus generis, quibus omnibus sapor gratissimus.

Saccari ob nimiam copiam vile precium per universum regnum, ut centenæ libræ, etiam cum augescit precium ejus, non pluribus quam VI. Regalibus nummis vendi soleant. Idem de melle sentiendum 14
est & cera, quibus integræ naves onerariæ impleri possunt. Serici hic & multitudo ingens & bonitas perfecta. Lini plurimum, unde parantur vestes plebeiorum, sparti autem cannabisque tantum, ut exiguo precio carbasa rudentesque, pro navibus haberi possint.

In locis sterilibus, ubi terra asperior est & petrosa multum crescit gossypii, cumque cultus est ager ille, profert siliginem, avenam, aliasque frumenti species, non sine fœnore. Sed revera irrigantur agri hinc inde per totũ regnum incredibili multitudine fluviorum & rivorum, ut Orizam magna gignat abundantia, qui usitatus est horum populorum cibus, colligiturque tanta copia, ut viliore quam credi possit precio vendatur. Neque vero vel hoc vel cætera frumenti genera semel in anno, sed fere bis, alicubi etiam ter metuntur, ut supra diximus. In locis editis montosisque, quæ culturam non admittunt, pulchræ pinus assurgunt, strobilos magnos & palato gratos proferentes, intercurrentibus crebris castaneis, neque tamen solum inter has arbores feriari sinunt, sed serunt ibi frumẽtum Indicum, quod vulgo *Maiz* vocant, estque usitatissimus populorum in Peruana & Mexicana cibus. Est autem pratorum ibi totiusque adeo planitiei mira amœnitas, omniaque variis perpicta sunt floribus, quibus à nostris cum ratione odoris tum speciei magna est diversitas; accedentibus variis arboribus, ordine & velut de industria dispositis, quibus fere fluviorum ripæ prætexuntur.

Loytiæ, quos Chinensium Doctores & Jureconsultos esse diximus, habent fere vivaria & nemora arte consita, in quibus multi oberrant capri, damæ, cuniculi, lepores aliæque feræ diversi generis, sed & mures Pontici, viverræ aliæque bestiolæ, quarum 15
pelles in magno sunt precio. Moschi odorati hic magna copia, qui colligitur ab animalculo quodam, quod vescitur odorata quadam radice, quem illi *Camatuam* vocant, ad digiti unius magnitudinem. Boum vaccarumque hic tot & tanta armenta, ut singulis binisve ad summum coronatis vendantur: Bubalis majus & ferme duplex precium. Porcorum hic greges innumeri, quorum carnibus nihil ineat noxii, ut de salubritate cum vervecina per Galliam Hispaniamq; certare possint. Aligeri generis incredibilis copia, præsertim aquatilis, cujus tanta multitudo, & præcipue Anatum, ut in Vrbe Canton, quæ una est ex minoribus hujus regni, decem vel duodecim millia una septimana comedantur.

Pullorum Gallinaceorum & caponum tantum ibi, ut eorum carnes mundatæ ad libram appensæ vendantur, velut apud nos bubulæ, nec precio multo majore.

Herbarum radicumque ad Medicinam utilium fœcũda mater est hoc regnum, inprimis Rhabarbari optimæ notæ, gignit & Radicem *Chinam* dictam,

cujus

cujus efficax usus ad multos morbos curandos, inprimis Apostemata, Paralysin & Morbum Venereum. Cætera Aromata, etsi à mercatoribus ab Indiis Moluccisque Insulis huc afferuntur, vili tamen precio emi possunt, inprimis Caryophylli & Nuces Myristicæ. Piscium hic major copia, quam ad fidem dici possit, neque in regionibus duntaxat mari vicinis, sed in remotissimis ab Oceano regni partibus, ob fluviorum lacuumque multitudinem.

Eruuntur terra omnis generis metalla, interque ea aurum & argentum, quanquam regni legibus prohibeantur cives, ea curiosius in terræ visceribus perquirere, ita ut multum metallorũ ab exteris importetur. Neque tamen propterea locupletiorum domus eo minus plenæ sunt vasis aureis argenteisque, aliaque preciosa suppellectile, quanquam nonnulli affirment, argento apud Chinenses esse quam auro majus precium, quod pluris fiat ab illis. Margaritas hic copiose reperiri superius diximus. Inter metalla, quæ Chinense solum producit, refertur etiam argentum vivum, ut & æs, ferrum nucleusque ferri, stannum album nigrumque: præterea sulphur, Cadmia & alia ejus generis. Vni incommodo & prope soli Chinenses obnoxii sunt, quod crebris regiones illæ concutiantur terræmotibus, quibus aliquando non ædes tantum sed & oppida & urbes everruntur.

MORES SINARVM SIVE CHInensium.

7 Cum apud nos fere usu veniat, ut in magnis urbibus locupletibusque provinciis multi reperiantur errones, desidiosi multi, & inutilia terræ ponderа; apud Chinenses tamen, quamvis regnum omnibus rebus abundet, nullos fere invenias, qui ocio & inertia torpescunt, sed omnes labori alicui addicti, inprimis illud operam dant, ut terram suapte sponte liberalem, cura & solertia meliorem reddant, nihilque ociari permittant, quicquid ad culturam perduci possit, usque ad latum pedem. Hos autem labores facile ferunt, studiosi rerum suarum, & grauri, planetas & vagabundos non infamiæ nota duntaxat inuri, sed & gravibus puniri suppliciis. Accedit, quod civis Chinensis, sive in Vrbe sive in agro natus sit, pedem provincia sua efferre prohibetur, necesse igitur est, ut augescente civium numero agrum colant, si vivere commode velint.

Cum insuper Chinenses naturę quadam inclinatione indulgere genio & cuticulam beare soleant, vestiumque munditiei studeant, & nitori domiciliorum suorum, necesse habent, ut attenti sint ad ad rem familiarem, & cultura diligentiaque fundos suos reddant fructuosiores. In emendo vendendoque nihil metiuntur ulna, ne telas quidem lineas, sed omnia ponderant, quod minus in trutinando quam mensurando fraudis intervenire possit. Neque tamen ipsi à circumscribendis decipiendisque peregrinis abstinent, quibuscum negociantur, inprimis in vendendo Musco sive Mosco odorato, quem hunc in modum conficere solent.

8 Animalia illa, à quibus hoc odoramentum colligere solent, fustibus baculisque cædunt, usque ad mortem: cumque probe obturaverunt omnes meatus corporis, per quos sanguis extillare potest, deponunt occisam bestiolam in locum quendam, in quo celerius putrescat. Sic ossa verberibus confracta, & & carnes contũsæ sanguine suo mixtæ, ubi putredine velut fermentatæ sunt, odorem illum prorsus concipiunt imbibuntque. Vbi satis computruisse visum est totum animalculi corpus, dissecatur cum ipsa pelle in minutas partes, indeque conficiuntur parvi sacculi quos Lusitani *Papos* vocant: & hic est optimus Moschus præstantissimusque, qui ab Orientibus partibus ad nos adfertur, quamvis multiplices deceptelæ ad augendum pondus intervenire soleant.

Sunt autem maxima ex parte Chinenses temperamento corporis bono præditi, pulchra membrorum compage, agiles, hilaresque, pluresque inter eos proceri quam humiles brevesque. Facies iis vulgo lata, oculi parvi angustique, suntque fere Camuti sive Simi. Barbam, ut Europæi, non habent, sed pauci quidam rariq; admodum erumpunt ex mento capilli. Non quidem negaverim, esse inter eos quosdam, quibus oculi patentiores, barba commoda, & facies non deformis: sed hi cum cæteris collati, oppido quã pauci sunt, putanturque genus ducere ab exteris nationibus, quæ se olim cum Chinensibus miscuerunt, dum adhuc integrum fuit exire regno. Vngues in digitis sinistræ manus crescere sinunt, in dextra vero abscindunt. Comam ab occipitio promittunt, neque caret illa circa ungues & capillos cura superstitione, cum illis se arreptos ad cœlum elevatum iri putent.

Vestitus quo viri Principes Nobilesque utuntur, versicolor est, è lana serica purissima, quam exquisite parare ac tingere noverunt, ut splendore quodam oculos feriat. Vulgus & qui cum re sunt tenuiori, & ipsi serico vestiuntur, sed velut excrementitio, atque ob id minoris precii, vel etiam amictu utuntur è lino vel Xylino. Estque hoc amictus genus habile & leve, pro qualitate regionis, quæ temperata est, unde panni lanei hic nullus usus. Sagis operiuntur antiquo more sinuosis, & in plicas minutas collectis, dependente sacculo à sinistro latere: manicæ in iis sunt amplæ & capaces. His sagis superinjiciunt amplas tunicas sive togas nostro modo, nisi quod illorum togæ manicatæ sunt, ut pallæ lucubratoriæ.

Qui è sanguine regio orti sunt Principes, aut dignitate inter cæteros eminent, in eo differunt ab Equestri Ordine, quod virorum Principum saga in medio, qua cingulo locus est, aureis, argenteisque lemniscis circumdãtur, cum cæteri ea ornamenta duntaxat in fimbriis gestent. Caligas (sive femoralia) gestãt valde conveniẽtes, & ocreis calceisq; utuntur holosericis: quamvis autem hyems apud eos sit usitato more clemens & benigna, solent tamen per id tempus vestibuti pelliceis, è pellibus preciosissimis, quibus cum reliquum corpus tum inprimis collum muniunt. Sed & qui cælibes sunt, ab uxoratis differunt in eo, quod illi comam supra frontem nutriunt, & pileis caput tegunt altioribus. 9

Mulierum circa amictum magna est curiositas, differtque earum vestitus nõ multum ab Hispanico. Gemmis unionibusque velut obsitæ incedunt, aliisque quæ mundum muliebrem exquisitiorem faciũt, utentes semisagulis, cum amplis manicis, quas infra mammillas colligunt. Materia vestis est vel preciosa vel vilis pro modo facultatum. In exornãdis crinibus 10

Digitized by Google

bus suis multum ponunt studii, quos variis cincinnis circa tempora torquent colligantque longa vitta velut tænia, unionibus gemmisque gravi. Faciem cerussa pingunt, inque prima pulchritudinis parte ponunt, si quam minimos habeant pedes: qua de causa puellarum pedes à prima infantia adstringunt cohercentque, etiam cum dolore, ne nimis excrescere possint. Quanquam huic rei etiam alia causa assignari soleat, nempe zelotypia maritorum, ut compressis ad hunc modum cruribus pedibusque, discurrere facile non possint, imo non nisi magno labore domo exire. Induit autem antiquissima hæc consuetudo propemodum legis naturam, ut si qua mulier, vel puella eam violaret, infamiæ notam non effugeret. Sed & in aliis rebus honestati student, deguntque fere intra septa domus, ut vix de fenestra aut janua prospiciant. Si quem maritus ad cœnam invitavit, uxor ad mensam minime accedit, nec in conspectum hospitis prodit, nisi propinquus sit aut sanguine junctus. Si quæ patrem, vel matrem, vel agnatum invisere cupit, portatur insidens sellæ gestatili à quatuor servis, sic cooperta cathedra, ut ipsa quidem videri à nemine possit, probe tamen conspiciat omnes, quacunque transit. Sequuntur eam servi ancillæque magno numero. Sic fit, ut rarissime occurrat tibi in platea mulier aliqua è nobilioribus aut dignioribus, sitque monstro simile, aliquam videre etiam in amplis urbibus.

11 Sunt autem Chinenses fere ingenio acri & subtili, sculpturæ & picturæ admodum periti, ut apparet ex tabulis, arculis & lecticis, quæ ab illis ad nos adferuntur. In campestribus planisque regionibus utuntur miro genere curruum, quod velis instructum à ventis agitur, non jumentis, navigii instar, quibus curribus vias satis longas per planiciem emetiuntur. Imitati sunt Hollandi hoc artificium, non omnino infeliciter, neque tamen pari cum successu. In emendo vendendoq; astuti sunt & versipelles, ut qui cum illis negociantur, ab eorum fraudibus sibi cavere necesse habeant.

12 Extra domus mercatorum & institorum, qui infiniti sunt in hoc regno, propendet tabula, continens synopsin earum mercium, quæ ibi prostant: venduntur autem fere in illis tabernis institoriis telæ aureæ, argenteæ, sericæ, varii coloris & artificii, ut & materia Xylina, linea, aliaque vestiaria. Idem faciunt, qui aromata & res medicas vendunt. Alibi sunt officinæ figulorum, in quibus vasa porcellana prostant, quæ quamvis varii coloris & pulchritudinis exquisitæ sint, mediocri tamen veneunt precio, ut visa sint quinquaginta vasa vendi quatuor nummis regalibus. 13 Fiunt autem figulina illa opera sive vasa hoc modo. Cochleas quasdam marinas ovorum testis miscent, aliaque quædam addentes subigunt & massam conficiunt. Hanc sub terra condunt, ibique eam macerari ad octuagesimum vel centesimum usque annum sinunt, hæredibusque suis thesauri loco relinquunt: & hæc quidem est sententia Eduardi Barbosæ: cui alii accedere se posse negant, quod fieri ex tantilla materia tantum horum vasorum non possit, quæ incredibili copia in Lusitaniam Hispaniamque, ut & cæteras Europæ partes, adde etiam in Novam Hispaniam & regnum Peruanum deportantur. Fiunt autem optima vasa Porcellana in Provincia Saxiensi, quæ regno exportari fas non est, cum omnis ea supellex figulina cedat usibus regis & Gubernatorum, ob pulchritudinem, quod ea non minus quam Crystallus pellucida sit. Habitant autem figuli isti in certis urbium plateis, nec quisquam inter eos commoratur, qui non idem tractet opificium. Qui ea vendunt, indicem proponunt, quantum hujus testaceæ materiæ apud ipsos prostet. 14

Est autem summa ac prope unica Chinensium cura, qua liberis suis maturè de futuro matrimonio dispiciunt, ne in transversum rapiantur: unde videas patres infantes liberos vix dum natos futuri matrimonii pactionibus reciproce obligare, concepta etiam ejus rei formula litteris publicis solemnibusque. Jubet autem mos patrius, maritum dotem ad uxorem adferre. Cum sponsa viri potens est & nuptiarum dies advenit, pater ejus solenne instituit convivium, vocatis in domum suam patre, matre & propinquis generi sui. Sequenti die idem facit pater sponsi, aut si patrem non habeat, proximus ejus agnatus. Finito epulo dat sponsus sponsæ dotem, spectantibus universis, hæc vero acceptam eam rursum dat parentibus, si adsint, in precium educationis. Hinc scilicet fit, ut ille, qui plurimas habet filias, vir opulentus judicetur. Potest autem pater ea quam à filia accepit, pecunia uti tanquam sua, si indigeat: verum eo mortuo, omnis redit ad filiam eiusque liberos.

Licet autem viro tot ducere uxores, quod alere commode potest, dummodo à sorore & consobrina abstineat: nam hæ nuptiæ incestæ habentur & puniuntur. Primam quam quisque duxit, uxorem legitimam putat, cæteras amicas & concubinas. Cum prima vir habitat & commoratur; reliquas hinc inde in diversa domus conclavia partitur, quæ si cum illa conferantur, ancillarum rationem habere possunt. Patri mortuo succedit filius natu maximus è prima uxore in maxima paternæ hæreditatis portione: eum cæteri fratres sequuntur, sive è prima uxore sive è posterioribus nati sint. Si filius ex prima nullus sit, transfertur id juris in filium natu maximum ex concubinis: hinc fit ut rarissime quis moriatur, non relicto hærede masculo.

Ajunt in regni hujus provinciis iis, quæ Tartarico regno viciniores sunt, mirum hunc observari morem, ut prorex sive gubernator adolescentibus virginibusq; certum constituat tempus, intra quod vel matrimonium contrahant, vel vitam profiteantur Monasticam. Qui nubere volunt, veniunt ad præfixum diem in constitutam ei rei civitatem, sistuntque se coram duodecimviris, quos rex isti negocio præfecit, qui utriusque nomen & vivendi genus scripto concipiunt, & de dote percontantur, quam vir mulieri daturus est. 15

Cum autem plures simul tam viri quam fœminæ dare soleant nomina sua, numerantur utraque, & si plura sint nomina virilia quam muliebria, mittuntur sortes, jubenturque ii qui extra sortem paris ceciderunt, in futurum annum expectare. Idem fit de puellis, si quæ sint superfluæ. Exæquato ad hunc modum numero, sex è Duodecemviris istis, futuros sponsos in tres partiuntur ordines. In primo collocant ditiores, non habita ratione nobilitatis vel formæ: in secundo, qui cum mediocribus sunt facultatibus: in tertio vero pauperes: idem faciunt sex

reliqui

Digitized by Google

reliqui in puellarum nupturientium grege: ita tamen, ut in primo agmine formosissimas, in secundo mediocriter pulchras, in tertio deformes statuant. His factis dantur formosæ divitibus, qui singuli certum auri modũ, quantus visus est judicibus, persolvunt. Mediocres accipiunt mediocriter formosas, sed pro illis nihil numerant. Deformes elocantur pauperibus, addita dotis nomine omni illa pecunia, quam divites solverunt, quæ inter egenos istos æqualiter dividitur. Peractis ad hunc modum sponsalibus ingens celebratur festum nuptiale, paraturque convivium in Domo Regia, quæ illis servit usibus in quo magnus lectorum numerus & abaci mensæque plurimæ, aliæque res necessariæ, quibus nubentes interim uti possint, donec post elapsum quinquagesimum diem quisque in suam domum revertatur. Quæ autem hoc loco diximus de plebe intelligenda sunt; magnates enim, & qui dignitate cæteros è vulgo antecellunt, his legibus subjecti non sunt, sed suo quisque nuptias celebrat arbitrio.

16 Ipse porro Sinarum Monarcha, cum uxorem duxit, eligit sibi XXX. Concubinas, lectissimas primas ex universo regno, quæ in regia commorantur donec ipse in vivis est. Defuncto autem eo successor ejus sumtuosissime vestitas eas in magnificum introducit palatium, de quo in superioribus diximus, coopertis omnes faciebus ne agnosci queant. Et cum dicto ingrediuntur XXX. Viri Nobiles, quos Rex testamento nominavit, eo ordine quo conscripti sunt: horum quilibet apprehendit manu unam ex XXX. illis concubinis regiis, eamque abducit, ita velatam, ut diximus, in domum suam, habetque eam deinceps pro uxore sua, percipitque quotannis magnam vim munerum donorumque, ut eam habere possit magnificentius. Solebant autem antiquitus Reges Chinenssium, quoties vel liberis suis vel agnatis necessariisque nuptias facerent, solenne in Palatio regio instituere convivium, vocato universo Equestri Ordine & Aulæ Comitivis, jussisque iis, ut omnes suos secum adducerent liberos, splendido, ut quisque posset, exornatos, quod patres libenter faciebant. Finito convivio, surgebant Equites, ibantque in aliud Palatium, ubi assidebant virgines pro ætatis prærogativa, ibi quisque seligebat sibi unam, quæ magis placuisset, uxorem. Sed hic mos penitus exolevit, cum Principes Nobilesque non nisi agnatas necessariasque suas uxores ducant, exceptis duobus primis consanguinitatis gradibus: quanquam ne in hoc ipso quidem adeo sunt observantes legum.

17 In persolvendis justis exequiisque defunctorum his utuntur ritibus. Cum quisquam expiravit, continuo lavant corpus, illique induunt vestes, quas homo vivus habuit optimas, grato perfusas odore. Hinc in perpulcra eum collocant sede, accedentesque omnes propinqui & domestici ejus, coram eo in genua desident, faciuntq; id non consanguinei tantum, sed omnes noti ejus & amici, ne servis quidem exclusis, lugentes excessum defuncti. Postea reponunt cadaver in loculum ex odorato ligno factum, clauduntque eum exacte, ne quis malignus odor exhalare possit. Deinde inferunt loculum in cubiculum propinquum, aulæis & picturis exornatum, deponuntque eum in mensa, & tegunt linteamine candidissimo, in quo imago mortui graphice expressa est. Ad ingressum hujus conclavis mensa posita est cum cereis ardentibus, inque ea multi panes cum variis fructibus: fitque hoc per continuos dies XV. quo toto tempore singulis noctibus adsunt Sacerdotes eorum & Religiosi, cantillantes & demurmurantes preculas suas & offerentes sacrificia, omnia more Gentili. Afferunt etiam multas chartas, variis imaginibus depictas, easque coram cadavere comburunt, addentes horrendos inconditosque clamores, quibus se animam defuncti ad cœlum mittere opinantur. Finitis XV. illis diebus, quibus mensæ cibis onustæ sunt, ut tam Sacrifici quam qui cadaver honoris ergo invisunt, habeant quod libant comedantque, effertur funus in campum, deducentibus id propinquis & magno sacerdotum numero cum ardentibus candelis. Sepelitur autem ferè super exiguum collem, ubi sepulcrum ejus est jam antea factum ex quadrato lapide. Juxta sepulchrum defigunt erectam pinum arborem, quæ si forte collapsa jacet humi, non aufertur inde, sed relinquitur ibi donec vetustate consumatur; habent enim pro re consecrata. Qui funus sequuntur, ducunt secum Musicos & Cantores, qui sine intermissione ludunt canuntque, donec cadaver in conditorio positum sit. Est autem magnificum præ cæteris sepulturæ genus, cui quam plurimi sacrificuli intersunt, & libitinarii & præficæ. Dum enim illi ludunt, canunt hi lessus næniasque suas, intermiscentes preces, quibus Idola sua deprecantur. Postremo comburunt plurimas chartas, in quibus depicta sunt mancipia, equi, vasa aurea argenteaq;, preciosæ vestes, & alia multa, quæ mortuum in altera vita habiturum omnia nugantur. Propinqui ejus toto illo tempore lugubri utuntur veste, sago videlicet laneo crassiore, tecti caput pileo grandi, cujus margo latior in oculos usque dependet. Patrem vel matrem per biennium lugere iis mos est; quod si filius defuncti Præfecturam alicujus provinciæ obtineat, non raro ab ea discedit, imperata à rege abeundi licentia. Qui remotiori gradu defunctum contingunt, paucis mensibus lugubri utuntur, nonnulli etiam statim ponunt pullam vestem, cum à sepultura domum venerunt. Hæc de eorum sepeliendi ratione dicere habuimus.

18 Etsi in hoc regno vites sunt, præsertim in montibus collibusque, vinum tamen ex uvis non exprimunt, ut apud nos fit, sed noverunt artem recondendi uvas, ut eæ in hybernum usque tempus serventur. In hujus vini vicem exprimunt succum longe optimum ex herba quadam nomine *Chiná*, quem calide bibunt, sicut & japonenses faciunt. Hic potus expurgat plegma, medetur gravedini capitis & lippitudini oculorum ex catarrhis: breviter, hujus potus beneficio plerique ad longævam senectutem pervenire solent, à morbis corporis fere immunes.

Nimium Æstatis fervorem miro artificio mitigare noverunt. Deprimunt in terram fossas cavernasque satis profundas, ex quibus receptum desuper & in partibus subterraneis refrigeratum aerem, in quamcunq; domus partem velint, emittere possunt. Annos suos numerant per duodecim menses lunares, ut post exactum tertium annum addant men-

sem

sem unum, incipientes annum à Novilunio Mensis Martii. Ibi vulgo hilaria agitant, quod & quisque in Natali suo die facit, invitantes se ad lætitiam, & offerentes alii aliis Strenas atque Xenia. In conviviis magnifici sunt, nullis parcentes sumtibus, comicos tragicosque ludos de nocte ad cereorum lucem peragentes. Horum ludorum materiæ sunt vel fictiones Poeticæ, vel historiæ de antiquorum rebus præclare gestis. Post histriones ingrediuntur Mimi, Saltatores, Petauristæ, & tota Gesticulatorum levis natio, plateæ fragantibus herbis sparsæ sunt, & odoribus aromaticis perfumatæ: parietes vero, & fenestræ auleis peristromatisque vestiti, vici vero civitatis symphoniacis aulædorum citharædorumque perstrepunt concentibus.

In conviviis vero hunc servant ordinem, quivis invitatorum suam peculiarem habet mensam, raro duo una sedent, nunquam plures, ipsa mensa facta est è ligno nitidissimo, quale est Hebenum, perpicta variis bestiarum figuris, non tam coloribus quam lineamentis aureis, velut encausto: quod quidem peculiare Chinensium est artificium: de mensa dependent laciniæ sericæ preciosæ usque ad terram. Assident convivæ singuli in singulis sedilibus, suis instructis pulvinis, ut quies in iis commode capi possit. Vbi stratis ad hunc modum mensis convivæ consederunt, afferuntur cibi in sportulis, variis floribus fructibusque viridibus coronatis. Et quamvis Chinenses abundent volatilibus, ferina, piscibus ostreisque, adeoque omni cupediarum genere: in primis tamen deliciis apud eos est caro porcina. Illos qui digitis apprehensum cibum ori inserunt, rusticitatis accusant, ipsi stilis vel furcillis ad eam rem utentes aureis argenteisve, ut buccellas digito non contingant. Crebrius bibunt ex poculis minutis, quod sic melius restingui sitim credant. Adstant interea carptores & Pincernæ, ministrantque mensæ magno silentio, tenaces ordinis. Viri separatim cibum capiunt, fœminis alibi prandentibus, ob ingentem virorum Zelotypiam.

In salutationibus utuntur inferiores erga superiores his ritibus. Manum sinistram arcte comprimunt, dextram vero sæpius admovent pectori, verbis utentes modestissimis, & ad testandum affectum compositis. Divites Magnatesque inter se profunda (ut loquuntur) se invicem salutant reverentia, extendentes & incurvantes brachium in modum arcus, deinde pectinatim implicatis utriusque manus digitis, verbis ad adulandum factis, alteri alteros urbanitate superare nituntur.

19 Sed jam de eorum ingeniosis inventis aliquid dicendum est. Primum illud non est aspernandum, quod ustrinæ in fabricis eorum follibus non indigeant, cum aptissime dispositis tubis quibusdam aerem perpetua quadam reciprocatione ita attrahant, ut nunquam vento destituantur. Artem Typographicam, Tormenta ignivoma, Pulverem Nitratum Pyriumque jactant se aliquot seculis ante Germanorum inventionem habuisse, vel potius alii de illis ita narrant. Aiunt enim regem quendam apud eos fuisse, Magicæ rei peritum, qui pulverem & tormenta illa cum instrumentis aliis bellicis excogitaverit: nos de eo cum nemine litigabimus. Illud sane constat, Persas, Chinensium vicinos, ante conflictum in Armenia cum Selimo Turcarum Imperatore habitum, de tormentis æneis nihil vel fando accepisse, quæ ignorantia in causa fuit, quod Ismaelis Sophi exercitus à Turcis, qui in imperitos hujus rei fulminabant, victus fuerit. Narrant quidam inveniisse eos singulare artificium fundendi machinas æneas, ita, ut in partes dividi & velut resolvi queant, atque ita jumentorum dorsis, sive etiam à bajulis facile de loco in locum deportari.

In scribendo foliis chartaceis utuntur longis admodum, ducuntque lineas litteratas non à sinistra manu versus dextram, ut omnes populi Europæi: neque à dextra versus sinistram ut Hebræi & Arabes aliique Orientales: sed à summa paginæ parte incipiunt usque ad infimam. Litteræ eorum Hieroglyphicis Ægyptiorum Notis non absimiles sunt: unaquæque enim vocabulum significat præstatque; interdum etiam sententiam aliquam aut totam Periodum. Hæc nimirum est causa, ut hujus regni cives, etsi longissimis terrarum inter se dissiti spaciis, ut hi illorum linguam intelligere non possint, scriptas tamen litteras librosque impressos omnes facile assequantur. Est autem præter vulgatum uniuscujusque Provinciæ Idioma, alia quædam & peculiaris lingua, propria Doctorum hominum, quæ appellatur Lingua Mandarinorum, non ignota Magistratibus, Iureconsultis, Iudicibus, Scribis & iis qui Aulam Regis sequuntur.

Facientes iter non tantum utuntur jumentis va- 20
riis, sed & lecticis & pilentis, à bigis quadrigisve tractis, aliquando etiam curribus velivolis, de quibus superius locuti fuimus. Nutriunt etiam magnaque cura instituunt aves, ut humana imitari verba & saltare discant, pingentes illas ornantesque ludicrum in modum. Navigatio & Remigium eorum omnem prope fidem superat. Onerariæ eorum, quæ valde magnæ sunt, & *longue* appellantur, solo vento agitantur, quædam etiam militariter instructæ sunt, habentes duo castella, unum in puppi, alterum in prora: quibus autem utuntur ad transportandas merces & gravia onera, humiles sunt & latæ velut corbitæ. Habent præter hæc etiam alia navium genera, ab iis *Lantes*, *Banconas* & *Longas* vocitata. *Lante* una duodecim prægrandibus agitur remis, qui sex in unoquoque latere, quaternis senisque hominibus ad quemque remum admotis, *Banco* dimidium numerum remorum habet & remigum. *Longæ* in multis respondent nostris triremibus, nisi quod tantum in fluviis earum usus est. Infinitæ etiam sunt naviculæ hinc inde ad ripas, quibus ditiores animi gratia per mare & fluvios discurrunt, habentes in puppibus ædiculas cum fenestris cancellatis, & ambitu ad instar porticus deambulatoriæ, omnia auro, argento & aulæis exornata, cum hortulis pensilibus in summa navium parte, ut prope mari illudere videantur.

Picis & Bituminis loco illinunt carinas navium 21
suarum lenta quadam materia, propria ad necandas teredines in ligno nascentes. Sentinam è navibus majoribus scite exhaurire norunt, majore commoditate, quam haustra sunt Hydraulica in nostris navigiis. Habitant autem integrę eæque numerosæ familiæ in navibus, non tantū in iis coquentes, & victitantes, sed & cauponiā exercentes, negociantes, suaq; tractantes opificia: utque uno verbo dicamus,

Digitized by Google

mus, sunt domus hæ mobiles atque fluctuantes instructæ omni supellectilis & deliciarum genere, ut vix in urbe aliqua excipi possis lautius. Alunt hi Pandochei navales magnum alitum aquatilium numerum, qui interdiu in mari nutrimentum quærunt, vespere ad navim redeunt, ibiq; pernoctant. Aliud genus est earum avium, quæ ex more volare & revolare didicerunt ad naves, sed diversimode: in campos enim oriza consitos evolant, ibique pascuntur, absumentes simul herbas & semina frumento noxia, magno agricolarum bono. Vbi vespera adest, ad sonum tintinnabuli, qui avibus notus est, repetunt naves, in quibus sua habent aviaria. Lembi ac scaphæ piscatoriæ magnum civibus urbanis subvehunt piscium numerum. Primo vere, cum flumina colliquatis nivibus & pluviis intumuerunt, adsunt pisces marini magna copia, & ostia fluviorũ adscendunt, allecti dulcedine aquę pluvialis: nec minor hominum multitudo è vicinis partibus concurrit ad capiendos hamo pisces, estq; quæstuosum illud tempus ob felicem capturam piscium.

Vtuntur autem præter usitatas piscandi rationes alio quodam modo admodum jucundo. Alunt enim domi corvos marinos, vel mergos mansuefactos, è majore genere, qui non aliunde quam esu piscium vivunt. His imum collum vinculo intercipiunt, laxiore tamen, ut piscem quidem deglutire, in imum tamen ventrem demittere non possint. Hæ aves ad eum ornatæ modum, ubi emissæ sunt, statim ima vivariorum lacuumque petunt, captaque præda domum revolant, quæ iis è gutture salva eximi potest.

Hoc genus piscationis per aves marinas multum affert magnatibus jucunditatis, per totum annum id exercentibus. Vidimus superioribus annis tale aliquid in Gallia apud Fontibellaquam, cum Angli quidam ejusmodi Phalacrocoraces adsuefactos haberent, quibuscum piscabantur, inspectante tota Aula Gallicana.

Non pauci sunt inter Chinenses, qui se studiis litterarum addicunt, rariores tamen ad Medicinam & Philosophiam Astrologiamque animum applicant. Fidem promissorum tamdiu præstant, donec necessarium & quæstuosum est. Peregrinos oderunt & suspectos habent, ut eos hospitio non accipiant, neque multum cum ipsis versentur. Oppressi ære alieno vendunt liberos suos, ut se onere illo explicent, aut alia ratione infamiâ se liberant. In cæteris inventionibus suis videntur sibi omnium mortalium esse ingeniosissimi, multumque & crebris industriam suam jactant sermonibus dicentes, Chinenses solos habere duos oculos, Europæos unum, alios cæcos esse.

22 Aditurus plebejus aliquis Loytiam sive Doctorem Promotum, eique locuturus, demittit se in genua, antequam ad eum perveniat, & sic genibus innitens ingreditur palatium ejus, demisso capite oculisque ad terram. Vbi in medium cœnaculi pervenit, subsistit, exponitque desiderium suum voce humili & submissa, vel etiam libello conceptum exhibet. Adeptus responsum eodem modo genibus humi positis exit palatio, sed præpostere, ita ne unquam dorsum obvertat Loytiæ, donec ab eo conspici potest. Si quis è vulgo in platea offendat aliquem illustri loco natum, aut dignitate eminentem, consistit immobilis, demisso capite taciturnus, donec alter præterierit: quod nisi faciat, fustibus sine dubio contundetur. Qui ab altero visitatur, deducit eum abiturientem non usque ad januam duntaxat, sed per aliquam plateæ partem, honoris id habens amico. Quod sequitur, absurditatem potius aliquam quam civilitatem præ se fert. Si quis ex agro vel urbe aliquem convenire vult, eumque vel in limine ostii, vel in platea offendit, si is qui adeundus est, non satis comtus ornatusque sit, aut paratus ad excipiendum alterum: etiam compellatus ab hoc salutatusq; nihil respondet, sed concitato gradu eum præterit, quasi eum non viderit. Domum ubi pervenit, induit vestes mundiores, atque ita pexus ornatusque prodit ad excipiendum alterum, læta facie, quasi eum adventantem jam primum, antea non viderit: quæ quidem vera mihi videtur & mera stoliditas. Hospites sive peregrinos comiter accipiunt, apponentes iis 23
ad primum adventum fructus arborum & condita quædam aromatica, apposito simul potu per totum regnum usitato, qui conficitur ex herbis quibusdam medicatis ad confortandum cor. Si quis peregrinum aliquem, vel etiam civem diu non visum in via offendat, statim scisciatur ex eo, an jentaverit pransusque fuerit? negantem deducit sine mora in proximum diversorium, solvitque pro eo Symbolum: quod quidem facile est factu per totũ hoc regnum, cum hinc inde in vicis compitisque multæ sint Tabernæ, in quibus indulgere genio cuticulamq; beare possunt, exiguo sane sumptu, cum omnia vili vendantur precio.

Si alter respondeat, pransum jam se saturumque esse, tum hic deducit eum in officinam quandam, ubi Salgama, Melimela, aliæque id genus cupediæ venduntur atque conditurę: & his velut bellariis mensisque secundis eum excipit. Mulieribus in universum, sive eæ peregrinæ sint, sive cives, plurimum honoris deferunt, easque per plateas incedentes officiose salutant, cavente ne vel verbo eas offendant. Sunt autem capitales inimicitiæ inter Japonenses & Chinenses, quarum hæc putatur esse origo. Cum ante multos annos conjuratio quædam in regem Chinensium detecta fuisset, statuit is atroci vindicta de conjuratis supplicium sumere: sic interfectis quam plurimis, cum eadem capitis sententia in cæteros omnes lata fuisset, intercedentes damnatorum amici apud regem obtinuerunt ut supplicium capitis in exilium mutaretur, morte non futurum mitius: deportandos igitur eos esse in vicinas Insulas, desertas eas quidem & inhospitas: addentes, magnam hac mutatione pœnæ laudem clementiæ regem acquisiturum, si in liberos, uxoresque conjuratorum non animadverteret acerbius. Motus horum oratione rex, quotquot conspirationi illi affines fuerant, navibus impositos in Japoniam Insulam deportari jussit, qui injuriarum illatarum & odii semina secum ferentes, ea subinde auxerunt: nam & nostro ævo Japones excursiones faciunt in Chinenses, iisque damna inferunt ubicunque possunt: sed ne cum Chinensibus quidem mercimonia exercent, nisi interventu Lusitanorum.

Ostendit se autem hujus odii magnitudo ex ingentimorum utriusque gentis, non dico diversitate, sed contrarietate, quam hic aliquo modo attingemus tantum. Pro eo quod Chinenses iis manus

porri-

Digitized by Google

porrigunt quos salutant; laponenses exutis calceis pedes nudant in signum honoris. Chinenses hospites peregrinosque stantes excipiunt: at lapones sedentes, incivilitatis nomine eos arguentes, qui aliquem stando excipiant. Exeuntes domo ipsi pallia deponunt sive togas, contra quam aliæ gentes, quæ palliatæ foras prodeunt. Dentes nigredine inficere studeut, albos contra damnant, ut & capillitium flavum. Lugentes mortuos albo utuntur amictu, euntes ad convivia & hilaritatem, nigram sumunt vestem. Facientes iter in equis, domini præcedunt, servi sequuntur; contra quam apud alios moris est. Mulieres quæ uterum ferunt, corpus ære incingunt, reliquo tempore fere discinctæ: quod dicant hanc rem ad partus facilitatem conducere. Puerum in lucem editum frigida abluunt, puerperam vilibus cibis & parce quidem nutrientes: cum apud nos contrarium fiat.

Cibum capientes his utuntur moribus. Ponitur cuiq; sigillatim sua mensa, sine strophiolo aut mappa. Cibum non digitis, sed duobus specillis ligneis capiunt, & ori inserunt. Potum ex oriza factum usque ad ebrietatem ingerunt. Post prandium porrigitur cuiq; poculum aquæ calidæ, quam ita feruentem ab igne bibunt, sive sit hyems sive æstas. Eundem prope morem observant Turcæ in sumendo potu suo Chaone, quem conficiunt è certis fructibus, baccis lauri valde similibus, quod genus potus ab Ægyptiis appellatur *Bon* sive *Ban*. Sumunt autem illius fructus sequilibram, siccatamque coquunt in viginti libris aquæ, unde singulis diebus mane sumunt poculum unum calidæ, sicut apud Europæos moris est, Aquã Vitæ sive Vinum Distillatum sumere. Ajunt autem Turcę, illa decoctione excalefieri & corroborari ventriculum, profligari ventos atque cruditates, & aperiri obstructiones.

OPES ET DIVITIAE SINARVM.

Qui amplissimum hoc regnum inter opulentissima retulerit, imo qui omnium regnorum longe ditissimum locupletissimumque dixerit, nostro judicio nequaquam erraverit: cum omnibus rebus adeo abundet, ut non incolis duntaxat largiter sufficiat, sed & magnam partem vicinis exterisque subministret. Et littus quidem maris, quod ad incredibilẽ longitudinem porrigitur, portus habet multos commodosque, ad recipiendam quantumvis magnam classem. Ipsi Chinenses magnam vim aur argentique eruunt è terra, ut jam de reliquis taceamus metallis. Exportantur China multæ merces pretiosæ, margaritæ, vasa porcellana, pelles expetitæ, plurimum materiæ sericæ, ut & lini, Xylini, Cannabis, cum incredibili omnis generis telarum copia. Accedit saccarum, mel, cera, rhabarbarum, radix China, Camphora, colores & pigmenta, rubea tinctoria, Isatis herba, Moschusque odoratissimus.

23

De proventibus ipsis hujus Monarchæ diversissimode sentiunt. Sunt qui eos ad XXVI. Milliones Auri quotannis extendant, quæ quidem auri vis tanta est, quantam ne tenacissimus quidem Romanorum Imperatorum Vespasianus toto vitæ suæ tempore colligere potuit. Non me fugit, multos de hoc dubitare: sed tamen constat, ex solo portu Cantonensi, qui non est inter quæstuosissimos hujus regni, regem ex vectigali salis percipere CLXXX. millia coronatorum, & ex vicinia ex decimis ad eum redire ultra C. millia. Hinc judicium fieri potest, quantæ auri argentique massæ quotannis in ærarium ejus inferantur, si consideremus multitudinem & magnitudinem Provinciarum hujus regni, cum infinito populo, censu singulorum capitum domuumque, contributionibus oppidorum, vectigalibus & decimis mercimoniorum fructuumque terræ: adde his metallifodinas, subsidia pecuniaria, tributa, exactiones accidentarias, & quicquid in hunc indicem præterea referri debet. Vt autem lectori dubitationem eximamus, operę precium arbitramur, exactius omnia considerare.

24

Primo loco occurrit nobis numerus tributariorum, qui in unaquaque sunt provincia, quorum catalogus est penes Præfectos Quæstoresque regios, ut tributa ab iis exigere possint: ubi notandum est, tantum prope eorum numerum esse qui nihil pendunt, quam qui pendunt: cum Loytiæ ipsorumque domestici nihil solvant, ut nec qui in judiciis vel officiis publicis: postremo quicquid est usquam militum tam terra quam mari, ab hoc tributo immune est.

Sed ad Provincias ipsas veniamus, secuti eos, qui de his rebus scripserunt diligentius. Sunt in Provincia Pasquiensi hominum qui tributum regi solvunt Milliones duo, præterea DCCIV. millia. In Cantonensi Milliones tres, & DC. millia. In Foquiensi Milliones duo, & CCCCVII. millia. In Olamensi Milliones II. cum CCXL. millibus. In Cinsaiana, Milliones tres cum CCC.LXXX. millibus. In Susuana Milliones II. & L. millia. In Tolanchiana Provincia, ubi rex habitare solet, Milliones VI. & LXXXX. millia. In Casaiana Milliones duo cum CCC. L. millibus. In Oquiamensi milliones III. & DCCC. millia. In Auccheonensi Milliones II. DCCC.XL. mill. In Honamensi Millio unus cum CC. millibus. In Xantonensi, Millio unus, CM. XLIIII. millia. In Quichevana Milliones II. & XXXIIII millia. In Chequeamensi Milliones II. cum CC.XLIIII. millibus. In Sanciensi, quæ provinciarum minima est, Millio unus DC. LXXII. millia. Est autem hoc tributum, quod unusquisque, qui domicilium & focum habet, solvit quotannis duas Masas, quæ species est monetæ, valens duos Regales Hispanicos. Etsi autem hoc tributum videtur exiguum, & ab eo multi, de quibus supra diximus, exempti sunt, tanta tamen est populi multitudo, ut detractis omnibus expensis, in Personam aulamque regis, stipendia militum præsidiariorum, in salaria ministrorum regni, in classes, in conservandos portus marinos, in ædificia publica: tantum tamen regi superstt, quantum ex libro rationum regni Chinensis hic subjiciemus: quanquam Chinenses dicant, illas esse rationes priscorum temporum, & hodie in tanta regum opulentia multo minus pendi.

Auri puri sive Obryzi dantur ei Milliones II. & CC. LVI. millia & CM. Tahæ: Valet autem Taha decem regales nummos & XXIV. Maravedas Hispanicas: Argenti vero defæcati, Milliones III. cum CLIII. millibus, & CCXIX. Tahis. Ex Margaritis, etsi non exacte rotundæ sint, redeunt ad eum

Mil-

Digitized by Google

Milliones duo DCXXX. millia Taharum. Ex Gemmis & Metallifodinis Millio unus, & XXXV. millia Taharum. Ex vasis Porcellanis XC. millia Taharum. Ex Moscho & Ambra Millio unus cum XXXV. millibus. Habet præter has divitias hinc inde rex Agros decumates, ex quibus infinita vis frugum ad ipsius quotannis redit granarium. Oriżæ quidem modiorum Milliones LX. cum C. LXXI. millibus DCCC. XXXVIII. modiis. Ordei Modiorum Milliones XXIX. CCCXCI. millia, DCCC. LXXXII. Modiorum tritici percipit Milliones XXXIII. cum XXVI. millibus & CC. Salis Modiorum XXV. Milliones, cum CCCXL. millib. & CCCC. reconditur autem sal iste in horrea sive Apothecas regias, donec tempestive vendatur, unde ingens lucrū accedit Ærario regio. Frumenti Indici, quod Mayż appellatur, cedunt regi quotannis Milliones XX. & Modiorum CCL. millia. Milii Modiorum Milliones XXIV. Panici Milliones XIV. & CC. modii. Avenæ & Leguminum junctim Milliones XL. & CC. millia modiūm.

Materiæ sericæ factæ infectæque, ut & gossipii, atque inde confectarum telarum tantum est, ut nec satis iniri ratio, nec numerus latinis verbis commode exprimi possit. Hæc autem omnia colliguntur pro rege Sinarum, qui omne, quod non impendit in magnificentiam splendoremque aulicum, in suum infert Ærarium atque Gazam, in quo ærario, quanti insint thesauri, ex supra dictis colligi potest, si modo tantæ divitiæ ab humana mente cogitari colligique possunt.

ROBVR ET POTENTIA.

26 Qui non ignorat, in multitudine hominum alicujus regni vires omnes & potentiam consistere: qui item cogitat, infinitum hominum numerum in hujus Monarchiæ provinciis contineri: dubitare non potest, quin regnum Chinense sit validissimum potentissimumque. Vt autem exacti aliquid de hoc regno dicamus, apparet majores eius vires ad defendendum quam ad acquirendum: & ipse quidem Monarcha hic magis intentus est, ut sua conservet, quam ut aliena acquirat: cujus rei sufficiens est testimonium Murus ille longissimus irruptioni Tartarorum oppositus. Et potest sane is bona ratione contentus esse, cum vix ullus per totum terrarum orbem Princeps cum eo conferri possit. Quod si vel maxime exterum aliquem Regem bello aggrediatur, vix tamen sperandum est, ut id prospero cum successu fiat: quamvis enim multitudine hominum abunder, plerique tamen dissoluti sunt & imbelles, ob voluptates quibus immersi sunt, ob servilem regnandi modum, quo oppressi sunt; & timorem perpetuum in quo continentur.

Ad perfectiorem autem cognitionem potentiæ Chinensis, considerandus est huius regis apparatus bellicus, genus militum, & ordo quem observat in defendendo regno suo. Etsi enim iam ab aliquot Monarcha iste pace fruitur annis, nunquam tamen futuri belli cogitationem ex animo deponit, inprimis Tartarici.

Habet igitur in unaquaque provincia Senatum Militarem, Præfectum copiarum, & certum quendam præsidiariorum numerum, ut si se occasio vel necessitas offerat, brevi tempore magnus conscribi queat exercitus, vel terra vel mari militaturus. Sunt enim nō in Provinciis duntaxat, sed & in singulis urbibus præsidiarii cum tribunis suis, qui de die stationes habent ad portas, de nocte excubias magna diligentia obeunt, non secus ac si Hannibal ad muros esset. His invitis ingredi urbem nemo potest, sed nec egredi, nisi de voluntate Iudicis Vrbani vel Tribuni militaris: in hac enim parte omne robur civitatis situm putant, hic collocant tormenta, huc intenti sunt omnes. Cum nocte claudunt portas, charta glutine illita inducunt iuncturas valuarum, easque sigillo Gubernatoris vel Iudicis annulo signant, fiuntque tam mane quam vesperi omnia per homines fidos. Cum autem portæ civitatis non nisi orto Sole aperiantur, oportet viatores, qui altero die mane proficisci volunt, in suburbiis pernoctare. Vigiles nocturnos singulis horis mutant, semper tribunis ordinumque ductoribus excubias obeuntibus. Vt autem quies in civitate conservetur, nulli licet armato obambulare, nisi sit miles stipendio regis addictus: sed nec arma domi habere, aut cum telo ruri ambulare licet ulli. In Vrbe vero Xuntien sive Quinzay & oppidis vicinis habet rex perpetuo magnum equitum peditumque numerum, qui in omnes futuros casus expediti sunt: utque custodiam agant corporis Regii.

Cæterum militum huius regni duo sunt genera. Primum est eorum qui in Vrbibus nati, præsidiariis velut hæreditario iure adscribuntur, & hos ipsi sua lingua *Cumos* appellant: succedit enim filius patri, qui si decedens filium non relinquat, mittitur alius à Rege. Reliqui mercenarii, vel in mensem unum, vel in annum stipendiis addicti, suntque hi ipsi, qui excubias obeūt, & qui Tribunos lustrantes vigilias comitantur, quorum sequuntur imperia, quocunque ire iussi fuerint, & hi à Chinensibus *Poni* vocantur.

Habent autem milleni quique singulos signiferos Chiliarchas, qui à supremo copiarum duce dependent: unde illi, qui velit inire numerum exercitus, sufficerit numerasse signa, unde tot Chiliadas colligunt. Habet autem quisque tam Chiliarcha quam Centurio domicilium, in ipsis structum mœnibus, ipsius inscriptum nomine, in quo tantisper commoratur donec bellum est. Exercent autem Tribuni & centuriones, milites singulis mensibus in armis, sive bellum sit, ut dextri sint in tractandis sclopetis, hastis longis, gladiis variis, clavis, & scutis clypeisve prætendendis, ut & acinacibus, crescentis Lunæ faciem referentibus, aliisque armis prophylacticis. Equites quaternos gladios, à sella equi dependentes in aciem ferunt, sed binis tantum semel rem gerunt mira dexteritate. Bellum sive aciem intrant cinctu numero servorum & domesticorum, qui equites dominos sequuntur pedites, probe armati. Peditum Equitumq; par est in bello experientia & callidtas, utriq; enim variis noverunt uti stratagematibus, non solum ferro in hostem, sed & artificiosis ignibus dimicantes. Arma Equitum sunt præter duos illos, de quibus diximus, gladios, arcus cum sagittis, & lancea: quidam etiam sclopetos ferunt manuarios.

In regendis equis parum ostendunt scientiæ, quod pro frenis lupatisque ori eorum rude quoddam ferrum iniiciant, clamoribus potius & flagris quam freno habenisque utentes. Ephippia eorum rudi-

Digitized by Google

ter admodum facta sunt, armatura & ornatus equorum omnis levis: & ut verbo dicam, sunt equites non magnæ efficaciæ.

Nec minor rei marinæ cura huic regi quam militiæ terrestris: unde semper in promtu habet instructas classes cum Navarchis ducibusque suis, qui obeunt littora maris totius regni. Solvuntur autem bona fide, & multo maiore, quam apud nos, sua militibus stipendia, iique qui fortiter fecerunt, honestis afficiuntur præmiis. Captos in bello necare non solent, sed eos velut æterno exilio damnatos, mittunt in longinquas regiones, ut ibi in præsidiis stativis ætatem exigant, ubi tamen non minora quam cæteris solvuntur iis stipendia. Distinguuntur proscriptitii hi milites à cæteris pileo rubro, in cætero nihil à reliquis differentes amictu.

Restat, ut deinceps videamus, quantum militum sit cum in toto regno generatim, tum in unaquaque provincia. Et de Senatu quidem bellico in quaque urbe diximus, qui constat Senatoribus quatuor & Præside uno, quibus incumbit cura defendendæ provinciæ. Mittunt hi ab Metropoli in cætera loca omnia quæ sunt ad gerendum bellum necessaria. Imperatum autem est Quæstoribus, ut sine mora iis pecuniam depromant, neve sint in damno. Fuit autem numerus militum in unaquaque provincia anno A.N.C. MD. LXXVII. quo anno alta pax erat, & Martinus Herradus in hoc regno fuit, talis.

In Provincia Pasquiensi sive Paguiensi, in qua ipse Monarcha suam habet regiam, erant Peditum quidem Milliones II. & CL. millia. Equitum CCCC. millia.

In Provincia Cantonensi peditum CXXVI. millia, equitum XL. millia.

In Foquensi LVIII. millia, CM. peditum, equitum MMCCCC.

In Olamansi LXXVI. millia peditum & CCC. equitum XXV. millia.

In Cinsaiana LXXX. mill. & CCC. peditum, equites prope nulli, quod tota provincia montibus asperetur.

In Oquianensi pedites sunt XXVI. mille, & DC. equites tantum mille, ob eandem rationem.

In Susana peditum LXXXVI. millia, equitum millia XXXIV. & D.

In Tolanchiana, quæ Tartarorum fines attingit, Milliones sunt peditum duo & DCCC. millia, equitum CCLXXX. millia. Putanturque hi totius regni longe optimi, celeberrimique, quod inter arma nati, & à puero bellis Tartaricis exercitati habeantur.

In Cansaiana numerantur peditum L. millia, & XX. millia CCXXV. equitum.

In Honanensi sunt peditum XLIIII. millia, equit. XVIII. millia.

In Quichevensi pedit. LVIII. millia & DCC. equitum vero XV. millia & CCC.

In Chequeamensi pedites sunt XXXIIII. mille, equitum XIII. millia.

In Sanctiensi peditum millia XL. equitum millia VI.

Hanc computationem Martini si sequamur, conficient milites harum XV. Provinciarum in universum, Milliones quinque peditum, cum DCCCXLVI. millibus & quingentis peditum. Equitum vero, CMXLVIII. millia, cum CCCL.

Sunt autem equi eorum apti ad conficienda itinera, parvi tamen maxima ex parte: quanquam non desint, qui in interioribus regni satis grandes & validos reperiri affirment.

In finibus hujus regni crebra assurgunt castella & propugnacula: sed ubi Tartari confines sunt, prælongus iste structus est Murus, qui instar valli fortissimi huic regno prætenditur. Quod si quæ ab illis partibus immineat belli tempestas, ad primum signum, quod custodes illius muri proposuerunt, concurritur ad turres & propugnacula, estque tota vicinia in armis. Et ut uno verbo multa dicam, custoditur hoc regnum summa diligentia, tam à mari quam terra, ut vix fieri posse videatur, ut ab ullo Principe bello impune tentetur aut invadatur.

Sed videamus porro, quos potentissimus hic rex vicinos habeat, à quibus aliquid periculi metuere possit. In continente quidem non est, cur ullum formidet regem, præter Magnum Chamum Tartarorum. Verum ab altero latere, qua Orientem respicit, Iapones habet objectos, & Hispanos sive Lusitanos. Et distantia quidem Iaponiæ Insulæ ab China multum variat. Nam à Gotæa Insula Iaponiæ usque ad urbē Liampon numerantur milliaria LX. ad Vrbem Vero Cantonensem millia CCXCVII. Sunt autem Iapones veteri quodam instituto Chinensibus molesti, piraticam exercentes, & obiecta Sinarum littora infestantes, latrociniis rapinisque magis quam aperto bello rem gerunt, quod Iaponia in plures sit divisa principatus, quibus omnibus inter se parum convenit, unde non iunctim, sed exiguo militum numero Chinenses invadunt. Sunt tamen Chinensibus animosiores & bello meliores. Alia ex parte Philippinas Insulas, quæ Hispanorum Regi parent, obiectas habent Chinenses, quæ Insulæ his non sine causa suspectæ sunt, cum is sit earum situs, ut non parum possint Chinensibus creare incommodi, quod & Lusitani fabere possunt, suo nunc Regi parentes. Permisit tamen his Monarcha Sinarum, ut in parva Insula Macaone sua exerceant cum Chinensibus mercimonia, ubi fundaverunt Lusitani coloniam, sed imbecillam, quod coloni illi nimis premantur à Chinensibus, parum fidentibus Lusitanico nomini, ob amicitiam quæ his est cum Hispanis, Manillam & Philippinas incolentibus. Vnde singulis annis Lusitanorum deteriorem reddunt conditionem, imminuentes eorum privilegia, & id agentes, ut eos sponte cogant Insula decedere & repetere Indiam.

Modus Gubernationis.

Omnes illæ tam vastæ & populosæ provinciæ, 29
quas supra non semel recensuimus, omnes inquam uni parent Regi sive Monarchæ, neque hic noti sunt Duces, Marchiones, Comites, aut alia nomina, quibus pendantur præter regem tributa & exactiones. Solus Rex distribuit Officia, solus creat Nobiles, unde non solum colitur à suis, ut Rex, sed adoratur ut Deus. Est enim in unaquaque Provincia statua regis aurea, velo tecta, nisi cum Nova Luna est, tunc enim adsunt Magistratus coram imagine illa in genua

Digitized by Google

nua procumbentes, nec minorem quam ipsi regi præsenti simulacro honorem exhibentes. Hac re penitus deiiciuntur animi multitudinis, ut se potius mancipia aut servos quam cives regni intelligant.

Leges suas ante bis mille annos scriptas esse aiunt, in quibus nihil ad hunc diem mutatum sit. Cumque Iurisprudentia sit porta & aditus ad honores & officia publica, complures illi scientiæ operam dant, semper disputantes de rebus politicis & rationibus bene administrandi Rempublicam. Iidem magna cum cura inquirunt in peregrinos, qui portus marinos intrant, quid rerum gerant.

Professores bonarum litterarum in omnibus urbibus, Regiis aluntur stipendiis. Ad scholas mittuntur pueri à prima infantia, facti adultiores & doctiores, ad Academias transscribuntur, ubi accurate observantur à Præceptoribus. Ignavi aut petulantes prima vice verbis reprehenduntur: secunda verberibus increpantur: tertia relegantur atq; proscribuntur. Strenui industriiq; convenientibus afficiuntur laudibus & præmiis.

Visitator Regius provinciam ingressus, præconis voce proclamari publice jubet: si quis Scholasticus adspiret ad gradum Loytiarum (qui iidem sunt qui apud nos Doctores) ut is in præcipuam provinciæ Vrbem se conferat. Vbi ad dictum diem omnes convenere, & coram Visitatore comparuerunt, conscribit hic eorum nomina, constituitq; diem, quo subituri sint examen: qui dies ubi adest, invitat Visitator quotquot in urbe sunt Loytiæ atque viri litterati ad convivium, quo finito examinantur Candidati summo rigore, propositis quæstionibus de Legibus & Statutis regni.

Quos aptos & sufficientes probæque insuper vitæ agnoscit, ad certum diem adesse jubet, ut Doctoratus insignia illis conferantur. Sunt autem hæc: cingulum fibulis clausurisque aureis, & pileus, à cuius posteriore parte duo lemnisci dependent. Significat autem vox Loytias non tantum Doctorem, sed & Equestris Ordinis virum: unde duplices sunt Loytiæ: quibus litterarum scientia gradum contulit: & quibus gratia Regis, quasi Doctores Bullatos dicas. Differunt hi tamen inter se dignatione, etsi eodem utantur titulo. Consiliarii enim regii, Proreges Rectoresque Provinciarum, & Visitatores Regii, omnes per examen Loytiæ facti sunt: at Præfecti copiarum, Quæstores, Iudices, eo velut beneficio ob merita à Rege affecti sunt: & horum quidem magnus est numerus.

Sunt & alii, quorum non exigua est auctoritas, sed hi in secundo gradu dignitatis constituti sunt, qui in bello fortiter fecerunt, Equestri cingulo per eos donati, qui regem in militia repræsentant, adhibitis oculatis testibus fortitudinis virtutisque eorum. His præter titulum dantur facultates, quibus se honeste alere possint, ut eorum exemplo allecti milites, & ipsi in strenuitatis virtutisque studia incumbant. Creatus Loytias sive Doctor ad hunc modum per civitatem incedit: Die constituto, quo insignia & dignitas Loytiarum conferri debet, conveniunt rursus omnes Loytiæ cum Visitatore in domo Regia.

Ibi ingrediuntur ordine candidati, splendidissime vestiti omnes, habens quisque Patrinum suum secum. Ibi desidentes in genua, supplice voce petunt à Visitatore dignitatis insignia. At hic eos præstare Sacramentum iubet, quod tale est. Iurat futurus Loytias, facturum se in commisso officio & Magistratu, quod virum bonum deceat, dicturum jus æqualiter omnibus, neque se accepturum munera. Regi se ante omnes fore fidum, non venturum in partem conspirationis aut proditionis adversus eum: à boni civis officio nunquam discessurum: & alia, quæ commemorare longum foret. Iuramento ad hunc modum præstito, visitator illos regis nomine alloquitur, iisque confert Titulos & Insignia novæ dignitatis, eosq; amplexatur, quod & idem faciunt reliqui quotquot adsunt Loytiæ.

Peractis his ceremoniis egrediuntur domo Regia pulchro ordine, sonantibus campanis per Vrbem, quarum magnus est in toto regno numerus, eodemque momento exploduntur tormenta ænea in muris disposita. Inde deducuntur novi illi sive Doctores sive Equites per totam urbem, magna cum pompa, & ad hunc fere modum.

Totum agmen præeunt milites præsidiarii, cumque iis tubicines, tympanistæ & Musici magno numero, & caduceatores. Hinc sequuntur Loytiæ equis vecti & coopertis curribus, suo quisque ordine. Post hos videas incedere primo Patrinos, deinde novellos illos Graduatos caligis indutos & thoracibus, insidentes Asturconibus albis, phaleratis & sumptuose exornatis, cum insignibus Doctoratus & pileis, qui non multum differunt à mitris Episcoporum, à quibus itidem leminisci illi dependent. Pileis illis sive mitris affixæ sunt binæ corollæ, ex auro vel argento deaurato, factæ in modum rami ab arbore palma defracti. Vnumquemque eorum præeunt sex arculæ ligneæ, singulæ à quaternis viris gestatæ, in quibus asseruatur tela serica, inscripta nomine titulis & armis novi promoti. Ab eo die (ut jam cætera, quæ nimis operosa sunt, omittamus) novellus Loytias creditur capax esse Præfecturæ cujuscunque, quam ut obtineat, è vestigio Regiam petit, ubi ei honor habetur ab omnibus Aulicis, assignaturque locus in aliquo Palatio Regio, quæ his usibus destinata per civitates sunt. Ipse vicissim multum exhibet reverentiæ Præsidi, Auditoribus, Consiliisque universo regis, quorum nemo non suam ei defert operam, & in promovendo suffragium favoremque.

Est in urbe Xuntien Senatus sive Curia, constans 31
Præside uno, & Auditoribus XII. hominibus usu & experientia rerum versatissimis. Qui Senatorium affectat gradum, præterquam quod in Philosophia morali & naturali eum versatum esse oportet, & Legum Regni expertissimum, necesse est, ut etiam sit peritus rei Astrologicæ, quam scientiam Rectoribus tanti Imperii necessariam esse affirmant. Convenit autem hic Duodecemviralis Senatus in Palatio Regis, ubi in cœnaculo amplissimo XIII. posita sunt tribunalia: sex inaurata, sex deargentata, decimum tertium autem cætera ob gemmarum & margaritarum copiam multis modis vincit. Consistit hoc tribunal sub umbone serico vel è panno aureo, in quo depicta sunt arma Regis, quæ sunt, intexti serpentes filis aureis. In hoc throno assidet Præses Senatus, nisi Rex ipse in Senatum veniat, quod tamen raro contingit. Si tamen is adsit, Præses

Digitized by Google

ei cedit, proximumque locum ad manum dextram occupat. Si quam sedem vacare contingat, eligitur à Præside & Auditoribus novus Senator, quem absentem in provincia, ad Regem deducunt, reddentes rationem electionis: hunc deinceps rex vel approbat vel reiicit. Si approbet, præstat Electus regi iuramentum, in eandem prope sententiam, ut supra narravimus. His actis deducitur in tribunal ad sinistram manum positum, inque numerum Senatorum recipitur. Cum rege nemo loquitur, nisi præses, aut eo mortuo, maximus natu è Senatoribus. Noverunt autem hi Senatores singulis mensibus quid in quaque provincia memoria dignum accidat, perscribentibus ad summam hanc Curiam omnia Præfectis Rectoribusque regionum, nihil impediente provinciarum distantia, quarum quædam ad quingentesimum milliare à Curia absunt. Hæc ubi exacte intellexit Præses, refert ad regem, & si res aliqua remedio indigeat, dant operam Senatores, ne quid detrimenti Respublica capiat. Si quis judex in provinciam mittatur, ut res inspiciat, secretissime proficiscitur, ne adventus eius provincialibus innotescat.

82 Etsi autem magna est primariis Ministris Regis auctoritas, nemo tamen vel Prorex, vel Gubernator, vel Iudex supplicio capitis quenquam afficere potest, nisi capitalis sententia à Rege confirmetur, excepto cum bellum est, ibi enim licet summo copiarum præfecto aut Legato eius militem nocentem interficere, non consulto rege vel summo Senatu: sufficit enim si Præfecto Ærarii & Magistro Castrorum id innotescat, quorum in hoc puncto summa est auctoritas.

Reguntur vero Provinciæ Paquiensis & Tolanchiensis à Summæ Curiæ Regiæ assessoribus, interventu Ministrorum vel Præfectorum inferiorum; at reliquæ XIII. Provinciæ singulos suos habent Proreges, quos ipsi *Insuantos* vocant, qui semper in primaria civitate habitant. Etsi autem Gubernatores omnes communi nomine sese Loytias appellant, aliud tamen semper cognomen addunt, pro ratione Præfecturæ aut Officii quo funguntur.

Summum Magistratum in Provincia gerit Vicerex, qui ab incolis *Comon* vocatur: proximus ab eo dicitur *Insuantus*. Rector Civitatis, in qua non est Gubernator, appellatur *Tutanus*. Hic ea quæ maioris momenti sunt, ad Insuantum refert, Insuantus ad Comonem, hic ad Auditores Summæ Curiæ, & hi porro ad Regem.

Quartus Magistratus dicitur *Ponchasis*, estque supremus Quæstor in Provincia, sive, ut nostro more loquamur, Præses Consilii Financiarum. Habet hic sub se Quæstores inferiores, Ministros Rationales & Exactores Tributorum. Collectas pecunias Ponchasis ad Tutanum defert, qui velut supremus est regiorum Computorum Magister. Quintus appellatur *Anchasis*, estque Præses Iustitiæ in causis criminalibus & civilibus. Hic cum collegis suis Iudicibus decidit omnes litigantium controversias, inprimis cum ab inferioribus tribunalibus ad eum provocatio facta est. Sextus vocatur *Aytao*, estque Præses Consilii Bellici, penes quem est conscribere milites, si opus sit, & instruere naves, & expedire commeatus, & præsidiis munire fines regni. Hic rationem reposcit à peregrinis, qui veniunt in provinciam, quæ causa sit adventus eorum. Horum autem sex Magistratuum quivis habet suos assessores & Consiliarios, numero X. quorum de sententia res omnes expedit.

Cum in Prætorium hi convenere, sex considunt ad dextram Præsidis, sex ad sinistram: qui ad dextram considunt, eorum cingula aureis fibulis bullisque ornantur: qui ad sinistram argenteis. Illorum operimenta capitis sunt coloris flavi, horum verò cærulei. Gestant autem tam Præsides quam Senatores in pectoribus humerisque suis arma Regis, opere phrygio vestibus intexta, neque sine hoc amictu ullum actum solennem exercere possunt: quod si negligant pœnas graves non evitabunt.

Præter Iudices superiores sunt etiam alii velut subalterni, inter quos est qui *Cantoc* vocatur, Vexillifer Regius: & *Pochinus*, Subpræfectus Ærarii: & *Pochinsius*, custos sigilli regii: & *Auzatzius* Præpositus civium. Super hos sunt alii tres, velut Alcades, Præpositi aut Iudices in Hispania, qui ius dicunt in suis domibus, quavis septimana semel: cumque tempus est audiendi litigantes, dant signum explosis quattuor tormentis minoribus, ut omnes adesse & sententiam audire possint. Quod si quis reus vadimonium deferat, vocatur per apparitorem, proposita tabella, qua pœna perscripta est, quæ contumaci sit irroganda. Habet autem quivis ex his iudicibus mille habitatores sub sua iurisdictione, quæ non extenditur latius, quam districtus eius patet. Hi & noctu per vicos urbis obambulant, curantes ut omnia etiam in privatorum ædibus tranquilla sint, utque focus diligenti cura custodiatur, cum magnum sit à fortuito incendio periculum, domibus fere contiguis & è ligno fabricatis, quales in Cantabrorum regione videmus. Si quis ultra præfixum tempus domi lumen habeat, mulctam incurrit. Datur autem ab his provocatio ad Præpositum vel Iudices Curiæ non vero ad alios, excepto Visitatore Generali, qui cæterorum omnium errores & delicta corripit, ideoque dicitur Chinensium lingua *Hondin*, id est, Reparator Mali.

Præfectus Annonæ Chinensibus *Tompo* dicitur: at 83
qui in errones & ociosos Planetas animadvertit, *Tribuc* vocatur. *Quincheus* est Commentariensis, qui curam gerit captivorum: & hic quidem stans erectus cum Iudicibus loquitur, cum cæteros genibus innixos loqui oporteat.

Cæterum id unice operam dant, ne Prorex aut Gubernator, qui in Provinciam mittendus est, ut & Auditor vel Iudex, in ea natus sit, vel ex ea urbe, cui præfuturus est, genus ducat, gnari, multa sæpe à Iudicibus dari gratiæ consanguineorum, & ex altera parte odia partium sæpe corrumpere iudicia. Ne autem paupertate coacti munera accipiant à litigantibus, Rex iis opima præstat salaria, contra autem capitale est Iudicibus, si se muneribus donisque corrumpi sinant. Quod si qui aliorsum ad exercenda iudicia mittantur, iniungitur iis severissime à summa Curia, ne quem litigatorem aut actorem causarum domi audiant, neve sententiam pronuncient, nisi in pleno iudicum auditorumque consessu.

Iudex,

Digitized by Google

Iudex, ubi consedit, adsunt ad fores Ostiarii & Apparitores, citantque nomine eum, qui jus sibi dici cupit. Ingressus cliens in genua subsidet, longius tamen à Iudice, exponitque vel voce viva vel scripto suum desiderium. Si scripto: accipit illud tabellio, legitque coram Iudice: qui audita querela supplicis, decernit quæ justa videntur, subscribitque decreto sua manu, non atramento sed succo rubicundo.

Iubet autem Lex regia Iudices ieiunos audire litigantes, quæ quidem lex strictissime apud eos observatur, punitis secus facientibus. Muneribus ad pervertendum jus corrumpi nemo potest, ut non resciscant reliqui in judicio, ob causas quas supra adduximus. Si quis in hoc genere damnas fuerit, usque adeo castigatur, ut etiam à carnifice aliquot ictus, ampiat ob quãcausam ipse tamen infamis non fit, quod crebro ita usu venire soleat.

Aguntur autem omnia, tam in civilibus quam criminalibus Iudiciis, scripto, unde acta litis emergunt, & examinantur testes coram Magistratu, ne quod crimen aut falsitas concurrat. Auditur vero quivis testis separatim, qui si diversa aut contraria deponant, omnes in eundem locum juxta sistuntur, ut alii alios confutent, donec pateat veritas: quæ si elici à tergiversantibus non possit, adhibentur quæstiones & fidiculæ: non tamen hæ locum habent in viris honestis gravibusque, quorum assertioni fides habetur. In causis magni momenti, vel quæ viros in dignitate constitutos contingunt, non fidunt judices scribis aut tabellionibus, sed ipsi suis scribunt acta manibus, ne quæ fraus aut oscitantia interveniat: unde fit ut nemo de judicibus conquerendi causam habeat. Numerant autem Iudices omnibus jurisdictionis suæ locis domos civium, consignantque eorum dena nomina in tabella, quam appendunt ad ultimam illius decuriæ domum. Quod si quis ex hac decuria in aliud oppidum sive aliam plateam in eadem urbe migrare velit, aut iter longum atque periculosum suscipere, oportet eum cum tintinnabulo sive ærea pelui, quam increpat, per totam illam circumire plateam, decem diebus antequam emigret aut proficiscatur, ut tota vicinia intelligat de discessu ejus, & si quid cuiquam debeat argenti, ut id prius dissoluat, aut si quam rem commodato accepit, ut ab eo repeti possit. quod si quis negligat, & tamen emigret, cogunt iudices reliquos novem, quorum nomina in tabella perscripta sunt, æs eius alienum dissolvere, quod gnari eum mutaturum domicilium, id creditoribus eius sive iustitiæ non indicaverint.

Debitor, qui luere in ære vel bonis non potest, corpore luit, coniectus in carcerem constituto ad solutionem termino, intra quem si non satisfaciat creditori, prima vice modice flagris cæditur, præfigiturque secundus terminus. quem si is non observet, flagellatur iterum, sed asperius: & sic tertio quartoque cæditur, semper crescente plagarum numero. Facit hæc severitas, ut debitores magna cura cum creditoribus de solutione agant: captivi vero & verberati, si frustra amicorum & propinquorum opem imploraverunt, metu tormentorum ultro addicant se creditoribus in servitutem. Fidicularum sive Tormentorum, quibus iudices ad exprimendam veritatem utuntur duum generum, ea est acerbitas, ut rei ad conspectum eorum, vel etiam antequam in medium proferantur, vera proloquantur. Carcerum is est squalor & atrocitas, ut pœnæ potius quam custodiæ rationem habeant, & horrorem cogitantibus incutiant.

Etsi autem Iudicum officium non nisi per triennium durat, quo elapso reddere tenentur rationem omnium actorum: Rex tamen singulis annis mittit in provincias Visitatores, viros Iustitiæ & prudentiæ laude claros, qui in iudicum acta inquirant: hos ipsi Chinenses *Leüchiæ* vocant. Hi si iudices in crimine deprehendant, possunt eos pro auctoritate punire, vel ad tempus ab officio suspendere, vel eo in integrũ privare: sententiam tamen capitis in eos ferre inscio Rege non possunt. Afficiunt etiam iidem Visitatores condignis præmiis, quos cum laude & fide in officio versatos comperiunt: ut tam metu pœnæ quam spe prçmiorum recte faciant. Ex his omnibus colligi potest, regnum hoc optimo iure, æquissimisque regi legibus.

Supplicioru apud eos varia genera in usu sunt: 34
Laqueus, Ignis, Scolopismus; quanquam Igne soli proditores regis puniantur. Adulteria capitalia omnino sunt, & qui his scientes connivent, ad exemplum aliorum certis pœnis afficiuntur. Belli serere materiam, aut tumultus concitare nulli fas est: neq; nisi de consensu regis navigare Oceanum licet. qui negociandi causa è regno abit, cogitur vades sistere, se intra definitum diem reversurum: id ni faciat aqua & igni ei interdicitur. Extraneus in regnum sive mari sive terra intrare non potest, nisi permittente Rege: omnia enim itinera & portus marini studiose observantur à viarum littorumq; præfectis. Nostra tamen tempestate connivent Portuum Præfecti exire è regno volentibus, interventu munerum, quæ iis Mercatores offerunt, quibus illi secreto licentiam dant, navigandi in vicinas Insulas, puta Philippinas, aut ad littora Indiæ, factumque est anno A.N.C.M. DLXXXV. ut tres naves Mercatoriæ Chinenses ad littus usque regni Mexicani accesserint. Tempus autem quod profecturis ad reditum constituitur, est XII. mensium.

Iidem Iudices & Gubernatores multoties permittunt, mediante donativo, peregrinis, ut portus Chinenses ingrediantur, ibique vendant emantque, ita tamẽ ne per urbes vagẽtur, aut curiosius, perlustrent res civitatis. Datur autem eis hæc licentia inscripta tabellæ ligneæ, quam exotici mercatores in prora navis sui erigunt, cum appellere volunt, ne à præsidiariis arceantur, sed exercere mercimonia cum indigenis possint, si Regi consuetum persolverint tributum & vectigal.

Estque in unoquoque portu scriba, qui annotat, quo die & hora quævis navis sit ingressa portum, ut quæque noverit, quando exonerari debeat.

Hinc fit, ut quamvis non semel duo millia navigiorum in uno portu stent, non maiore tamen tumultu & clamore onerentur, quam si duæ vel tres essent.

Pauperes in regno Chinensi non colligunt ostiatim stipem, neque in Templis Idolorum suorum, sed interdicta est lege omnis mendicatio, cæteriq; prohibitum, ne mendicantibus quicquam dent, sed eos ad Curatorem Pauperum deferant, qui horum ne-

Digitized by Google

ceſſitatib. ex officio proſpicere debet. Hic ad certũ diẽ per præconem proclamari iubet, ſi quis habeat liberos ita corruptis membris, ut laborare non poſſint, uti ad ſe deferat nomen eorum, quo eis ex proventibus regiis proſpici poſſit. Eſt autem lex, quæ iubet oſtendi infantem, ut iudicari poſſit, ſitne ad artem aliquam vel opificium admoveri idoneus. Si talis deprehendatur, præſtituitur patri certum tempus, intra quod filium alicui opificio adhibeat, ad quod videtur aptiſſimus. Si vero mancus adeoque debilis ſit, ut laborare omnino non poſſit, iudex ſuppeditari jubet patri eius tantum ſumtuum, quibus filium ocioſum alere poſſit. Si puer patrem non habeat, commendatur proximo agnato, præſertim ſi cum re ſit ampliore.

Si pauperior ſit, oportet cæteros omnes conferre ad pupilli nutritionem.

Si agnatis propinquiſque penitus deſtituatur, recipitur in Orphanotropheium Regium, ſive Domum Hoſpitalem, in qua aluntur etiam capti membris & decrepiti ſenes, ut & emeriti vulneribuſque debilitati milites. Qui ad hunc modum aluntur, exire Xenodochio niſi de conſenſu Magiſtri non poſſunt: neque datur eis exeundi licentia, niſi cum neceſſitas ſic exigit. Ne autem plane ocioſi ſint Hoſpitalarii illi, incumbit eis cura nutriendarum gallinarum, anſerum, porcellorum aliarumque pecudum minorum. Iudici ſubeſt Adminiſtrator, & utrique imperat Viſitator, qui ſæpius inſpicit eiuſmodi domus Hoſpitales per provinciam. Cæci non reputantur inter eos, quos vel propinqui vel rex alere tenetur, cum molere poſſint frumentum, & folles ducere in fabricis, & eiuſmodi perficere opera, ad quæ oculorum uſus non eſt neceſſarius. Puellæ deſtitutæ luminibus, ad nocturna gaudia in Lupanar includuntur, ubi omnes meretrices à Lenis & proſtibulis exoletis in arte meretricia inſtituuntur. Relegatur autem omne hoc genus meritorium ab urbibus in ſuburbia, habentque in his peculiares ſuos vicos, extra quos illis pedem efferre non licet, donec hoc quæſtus genus exercent. Pauperculæ viduæ ad egeſtatem redactæ, poſſunt vendere liberos ſuos, ut ſe alant, & ſunt quidem mercatores, qui magnum ex ea re lucrum percipiunt; cum teneras puellas emunt, eaſque docent cantillare, ludere fidibus, ſaltare, & id genus artes leves: cumque adoleverunt, deducunt eas in ſuburbia, ut corpore quæſtum faciant. Addicturi puellam quæſtibus meretriciis, antequam eam proſtituant, deducunt ad Iudicem, cui harum mulierum cura incumbit. Iudex acceptam eam manu, illi rei velut initiatam adducit, & ex eo tempore nihil in eam poteſtatis habet nutricius eius, ſed venit ſingulis ad Iudicem menſibus, ut accipiat è quæſtu meretricio, quantum ei à Iudice aſſignatur. Refunditur eidem & educationis precium, & quantum pro ea expoſuit, cum eam emit, poſtremo didactrum, quod eam in artibus illis ludendi ſaltandique eruditi curavit. Quod ſupereſt, Iudici cedit, qui curam earum gerit, eiuſque nomine rationem quotannis reddit Viſitatori. Vbi ſenectus eas deformes lippasque effecit, proſpicitur iis alia ratione, ne egeant, eſuriantve.

Pueri à pauperculis matribus venditi, ad opificia admoventur, quæ ubi didicerunt, ſerviunt emptori nutricioque ſuo ad certum tempus; quo elapſo, manumittuntur, ut uxorem ducere & ſe alere poſſint. Viciſſim iuvenes illi, ut grati ſint pro beneficiis oblata ſtrena ſingulis annis patronos nutricioſque ſuos honorant.

In emendis mercibus non utuntur argento ſignato, ſed ad cavendam omnem fraudem vendunt, emuntq; appenſis ad bilancem particulis argenti, in quem uſum ſecum ferunt forficem cum trutina in theca lignea. Si ponderoſius aliquid examinandum eſt, habent Mercatores in domibus ſuis grandiores libras cum ponderibus ſigno regio notatis; neque cudunt monetam niſi cupream, valoris unius Liardi, cuius ſinguli nummi perforati traiectique filo lineo cohærent: ſupplent autem hoc numiſmatis genere, quod maioribus nummis argenteis ſuperaddendum eſt, aut utuntur eo, cum res viliores emunt. Fœneratores, Peſtis Reipublicæ, ſi uſuras ultra fas extendant, gravi multa afficiuntur. Claudis tamen, mutilis cæſisque in hoc genere aliquid amplius licet.

RELIGIO VEL POTIVS SVPERſtitio Chinenſium.

36

Sunt in univerſum omnes Chineſes Idololatræ, exceptis oppido quam paucis, qui à Ieſuitis ad Fidem Chriſti converſi ſunt. Habent autem Idola eorum nihil non horrendum & deteſtabile aſpectu, quibus tamen infelices plurimum deferunt honoris. Tribuunt autem Idolo corpus propemodum humanum, à quo ſummo inter humeros prodeunt tria capita, ſe invicem intuentia, quibus una omnium voluntas, & ſenſus, ut ipſi quidem aiunt, intelligitur: unde quis ſuſpicari poſſit, percepiſſe illos aliquid de fundamentis Religionis Chriſtianæ. Inveniuntur & apud ipſos picturæ XII. Virorum, ea prope facie ac habitu, quo apud nos XII. Apoſtoli pinguntur.

Si vero quis ex ipſis percunctetur, quinam Duodecemviri illi fuerint? reſpondent, fuiſſe eximios Philoſophos, & qui in laude & virtute vixerint, ideoque in cœlum tranſlati fuerint. Conſpicitur etiam apud eos imago mulieris ſupra modum pulchræ, quæ infantem ulnis complectitur, quam aiunt virginem peperiſſe, fuiſſeque filiam præpotentis regis.

Res omnes, ſive cerni conſpicique poſſint, ſive non, ab ipſo *Cælo* creatas fuiſſe aſſerunt, ideoque id prima littera Alphabeti exprimunt, non ſcribendo ſed ſonando: aiuntque Cœli Legatum ſummum appellari *Lacon Tzautei*, id eſt, Gubernatorem Dei; cui & ſummum honorem deferunt poſt Solem. Hunc Gubernatorem cum cæteris creatum negant, ſed ab omni ævo fuiſſe, neque eum habere corpus, ſed eſſe ſpiritum. Tertium quoque aiunt eiuſdem eſſe Naturæ, quem *Canſaium* vocant, cui tribuunt curam rerum ſublunarium, aiuntque in eius manu eſſe vitam & mortem hominis. Hunc porro Canſaium tres alios ſub ſe Spiritus habere autumant, quorum ipſe opera in officio ſuo utatur. Nomina horum Spirituum ſic exprimunt: *Tancam, Teiquã & Zuiquã*, quorum ſingulis ſingula adſcribunt offi-

cia.

Digitized by Google

tia, *Tancamo* dant præfectura pluviarum & omnium aquarum, quibus irriganda est terra. *Tequamum* præsidem statuunt nativitatis hominis, aiuntque ipsum authorem esse bellorum, & segetum fructuumque. *Zuiquamus* est eorum Neptunus, qui regit mare & navigantes in eo. His variis Idolis repræsentatis nuncupant vota sua; dedicant ludos scenicos, quos & coram eorum statuis peragunt.

In numerum Sanctorum referunt ingentem mortalium numerum, breviter quotquot aliis antecelluerunt robore & fortitudine in bello, scientia & industria, austeriore genere vitæ: ut & eos, qui vitam innoxiam vixerunt, aut multis aliis profuerunt, quos omnes vocant *Pausaos*, id est, Felices sive Beatos. Diabolo, cuius statuas detestandas & horribiles habent, sacrificia offerunt, improbum illum noxiumque non negantes, sed ne lædantur ab eo cum corpora tum bona eorum. Reliquorum Idolorum, cum non sit numerus, nos de præcipuis tantum mentionem faciemus.

Primus Heroum sive Sanctorum inter eos appellatur *Sichia*, quem dicunt venisse ab Regno Tranheyco, quod in occidentalibus sit partibus. Hanc autumant fuisse inventorem vitæ religiosæ atq; monasticæ in regno, qui una viventes, à matrimonio abstinent, & in cœnobiis clausi ætatem agunt; cum Sichia ille caput calvum habuerit, abradunt capillos quotquot ejus sequuntur instituta.

Deam sive Sanctam quam colunt, vocant *Quaninam*, ajuntq; fuisse filiam Tzontonis regis, cui tres fuere filiæ, ex quibus duæ nupserunt: tertia Quanina elocari nouit, dicens se cœlo voluisse perpetuam virginitatem. Patet indignatus filiæ, inclusit eam in locum similem monasterio, ubi aquam hauriret, ligna portaret; & prægrande terræ spacium, quod sentibus & dumetis horrebat, perpurgaret. Narrant Chinenses, Simias ultro venisse, eamque iuvisse, Sanctos vero cœlestes hausisse aquam, & bestias sylvestres ligna è vicinis nemoribus supportasse. Pater hæc omnia Magicis artibus tribuens, iniici iussit loco ignem, ubi commorabatur. Sed effusis largiter imbribus ignis extinctus fuit. Vt igitur paternas effugeret insidias, aufugit oculuitque se in spelunca vicini montis, ubi sanctam sed acerbam egit vitam. At Pater à vermibus & lepra immedicabili consumtus, nequitiæ pœnas dedit. Huius morbo cognito filia, quæ divinitus erudita fuerat, accurrit, ut ei sanitatem restitueret, qua visa æger cum convaluisset, ignovit filiæ eamque adoravit. Volente autem filia ab adoratione patrem deterrere, & super ea re cum eo litigante, interceffit Sanctus quidam, dixitque; sibi non filiæ cultum illum exhiberi.

At illa confestim se in solitudinem recepit, ibique magna sanctitate reliquum vitæ exegit. Hanc adorant Chinenses, ut apud cœlum pro se intercedat & gratiam impetret.

Tertio loco ponunt aliam Divam, nomine *Neomam*, ex urbe Cochi in provincia Oquiamensi oriundam. Aiunt hanc fuisse viri Principis filiam, quæ cum fugeret nuptias, se receperit in exiguam quandam Insulam, ex adverso Ingoæ, ubi cum austeram vixisset vitam, post mortem multis claruerit miraculis. Ferunt autem Naotæ statuam eius in puppi navium suarum erectam; eique vota & sacrificia offerunt. Ex his exemplis videmus, in quanto honore sint apud has gentes Monachi & Moniales.

Sortium genera apud eos plura in usu sunt, præ- 37
cipue autem duo, quorum prius est huiusmodi: Duas particulas ligni teretis filo colligant, quæ tamen ab una parte planæ sunt. Has proiiciunt ante statuas Idolorum suorum, alloquentes prius Deastrum suum certis conceptis precibus; orantesque, ut bonum aliquid portendant Sortes, pollicentes vicissim grata sacrificia. Si proiectæ Sortes ita cadant, ut pars plana se ostendat, aut unum quidem lignum partem teretem, alterum planam humi obvertat, obscœnum interpretantur signum; conversique ad Idolum, plausitra conviciorum in illud despuunt. Satiati probris iniuriisque, ad blanditias & palpos convertuntur, onerantes Deastrum promissis opimorum munerum & sacrificiorum, si Sortes ex sententia cadant. Si aliquoties abnuant proiectæ sortes, irati, corripiunt statuas sive Idola sua, eaq; humo affligunt pedibusq; calcant, vel in mare demergunt, aut igni admovent, ut amburantur paulum: aliquando cædunt ea virgis, flagrisque, idq; tamdiu, donec Sortes illæ ligneæ ceciderint, ut ipsi optaverunt, id est, pars teres & rotunda sursum vertatur. Si vero Sortes mature arrideant, & bonum polliceantur eventum, instituunt festum in honorem Idolorum suorum, cantantes hymnos in eorum laudes, offerentes rostrum porcinum coctum, quem cibum existimant delicatissimum.

Vtuntur præterea & alio genere Sortium, quod tale est. Multa folia singulis litteris inscripta in vas quoddam coniiciunt, eaque inter se confundunt, versantes subinde. Post puerulum admovent, qui immissa in orificium vasis manu, folium aliquod extrahit, cuius conspecta littera, quærunt in libro, qui ad manus est, paginam, quæ ab illa littera vel nota incipit, postea interpretantur, quod in ea pagina scriptum est, ut videant, respondeatne votis suis an non.

Omnibus hic mos est Chinensibus, ut in gravi aliquo morbo vel damno ad Diaboli opem confugiant, in quo invocando his utuntur ceremoniis. Extendit se vir quidam humi, ita ut ore terram contingat, at alius incipit è libro incantationes legere, cui pars adstantium cantillando respondet, reliquis impulsu tympanorum & tintinnabulorum sonum cientibus. Paulo post is, qui corpus ita humi extenderat, frendere dentibus, distorquere os, & horrendos ciere gestus incipit, unde colligunt, Cacodæmonem iam in corpus eius ingressum. Tunc ii, qui consulunt oraculum, scisitantur de dubiis eventibus ex obsesso, qui plerumque ambigue respondet, ita ut in utrumque sensum responsum torqueri possit. Si Diabolo patum placeat verbis respondere, tunc obtinent ab eo responsum per litteras in hunc modum. Linteamen aut simile quid humi extendunt, sparguntque æqualiter super istud Chœnicem Orizæ, & continuo admovent hominem qui nescit litteras, cum bacillo in manu, adstantes autem sonare atque cantare incipiunt, ut infra attingemus.

Paulo post intrat Malignus Spiritus in corpus illius, qui baculum tenet, incipitq; dæmoniacus inscri-

Digitized by Google

bere in orizam litteras ſive notas, quas colligunt formantque in vocabula, ut inde reſponſum eliciant, quod tamen plerumque vanum eſt & mendax.

In cæteris ita ſentiunt: ab omni retro tempore Cœlum, Terram & Aquam unum permiſtumq; Chaos fuiſſe: ibi quendam nomine *Tayn*, ſummæ ſcientiæ & ſapientiæ, Terram è Cœlo ſeparaviſſe, & cœlum quidem ſummas partes petiviſſe, Terram vero imas, pondere ſuo depreſſam. Eundem Taynum ex nihilo creaviſſe virum *Panſonem* nomine, & fœminam *Panſonam*. Hunc rurſum Panſonem acceptra à Tayno poteſtate creaviſſe alium nomine *Tanomum* cum XIII. aliis, fratribus ejus. Tanomum fuiſſe virum multiplici ſcientia, ut potuerit imponere nomina omnibus rebus creatis, cognita earum virtute & uſu præcipue in morbis.

Porro Tanomum & fratres ejus numeroſam habuiſſe ſobolem, & primogenitum quidem *Teiencomum* genuiſſe XII. alium *Tuhucomum* IX. cæteros vero nō pauciores. Horum poſteritatem nugantur duraviſſe X. millibus annorum, quibus elapſis deſiiſſe genus humanum. Taynum enim neſcio qtiibus affectum iniuriis, ſimul & invidia, quod videret homines ſe contemto nimis ſapere velle, feciſſe, ut cœlum in illos rueret, omneſque opprimeret: Hoc vero in altum ſublato, Taynum creaviſſe alium hominem, nomine *Lotzizanum*, bicornem, qui ubi diſparuiſſet, reliquerit poſt ſe plurimos utriuſque ſexus homines, à quibus orti fuerint ii, quibus etiamnum mundus repletus eſt. Primum, qui ex Lotzizamo natus fuerit, appellant *Azalamum*, quem vixiſſe perhibent annis CM. ſecundum *Atzionem* à cœlo, qui matrem eius *Lutinam* impleverit, generatum, vixiſſe annis DCCC. Ab hoc procreatum *Vſaonem*, & huius quidem temporibus multos fuiſſe in Mundo homines, qui non niſi rebus crudis victitaverint. At Vſaonem eos docuiſſe in excavatis arboribus habitare, ut tuti eſſent à noxiis beſtiis: ſimulque corpus veſtimentis munire.

Poſt Vſaonem prodiiſſe quendam nomine *Huntzuium*, qui invento igne docuerit mortales coquere cibaria, & mutare rem pro re, loco emtionis & venditionis. Poſt hunc aiunt fœminam quandam *Hautſibonam* peperiſſe filium *Ocheuteium*, qui multas variaſque res invenerit, inque primis auctor fuerit Matrimonii. Hunc aiunt miraculoſe de cœlo deſcendiſſe bono generis humani hoc modo. Matrem eius incedentem per viam incidiſſe in veſtigium pedis humani, cui cum ſuum ipſa pedem impreſſiſſet, repente lucem delapſam cælitus eam circumfulſiſſe, unde è veſtigio gravida facta diſceſſerit. Ocheteii huius filium *Etzomlonem*, inventorem Medicinæ & Aſtrologiæ Iudiciariæ, hominibus colendi agri rationem oſtendiſſe. Solitum hunc fuiſſe memorant veſci herbis venenatis, citra tamen noxam, adeo ut CCCC. annis vixerit. Filium poſtremo huius *Viteium* Chinam in regni formam reduxiſſe. Et hæc eorum eſt ſententia de creatione Mundi & propagatione generis humani.

39 Animas hominum immortales eſſe credunt, eaſque percipere vel pœnas vel præmia, pro ratione eorum, quæ cum corporibus coniunctæ patraverunt. Animam porro aiunt è cœlo originem ſuam ducere, à quo ſubſtantiam acceperit immortalem. Eorum animas, qui ſecundum Leges Patrias vixerunt, neminem iniuria affecerunt, ſcelera nulla deſignaverunt, recta in cœlum elevari, ubi æternis perfruatur gaudiis: qui autem turpiter & ſcelerate vixerunt, in obſcuro carcere & perpetuis tormentis ſine fine cruciari. Locum quendam eſſe opinantur, in quo Animæ; quæ in beatorum Geniorum numerum recipi debent, purgandæ ſint ab inquinamentis corporis, & ſuffragia atq; bene acta propinquorum multum iuvare purgationem iſtam.

Oraturi pro mortuis ita faciunt. Vnus inter eos, qui Sacrificii partes obit, geſtat exiguum manu tympanum: quidam ex novitiis crepitaculum tenet, alius tintinnabulum: ſic accedunt ad Aram eorum Sanctorum, quos defunctorum Advocatos arbitrantur, faciuntque ſuffitum ex Styrace, Thure aliiſque odoramentis. Poſtea ponunt aliquot menſas cibis oneratas pro mortuis & Sanctis, continuoque ad ſonum crepitaculorum, nolarum & tintinnabulorum incipiunt cantilenas hymnoſque quoſdam, diſcurrentibus noviciis, & certas quaſdam preculas pro defunctis chartaceis foliis inſcriptas aræ imponentibus. His aliiſque ceremoniis totam noctem exigunt, & ſub diluculi tempus, invadunt comeduntque cibos menſis illis impoſitos, de quibus paulo ante diximus.

Vulgi error hic eſt, quod putant animas maleficorum, antequam in æternum demergantur carcerem, quem poſt interitum mundi creandum arbitrantur, migrare in corpora bubalorum aliarumque beſtiarum: qui vero in virtute vixerunt, in Regum Principumque corpora.

Inveniuntur hinc inde per regnum hoc loca quæ- 40
dam clauſa, Monaſteriis noſtris ſimilima, non in urbibus tantum oppidisq; ſed etiam in agro, ubi multi viri fœminæq; vivunt communiter, velut in Cœnobiis more Religioſorum noſtrorum. Sunt autem horum Monachorum Ordines quatuor, quorum quiſque habet ſuum præfectum Generalem, habitantem in Vrbe Xuntien. Appellatur autem Generalis iſte *Tricon*, qui ſub ſe habet Provinciales ſuos, qui hinc inde obeunt Monaſteria, & in delinquentes à regula animadvertunt. Hinc Provincialis in unoquoq; Cōventu conſtituit alium, velut Abbatem aut Priorem, cui cęteri obedire tenentur. Generalem Ordinis non creāt capitulares (ut vocantur) ſed rex ipſe, nomināte eum ſummo Senatu. Incedit hic veſtitus toga holoſerica, eius coloris quem Ordo illius geſtare ſolet, puto nigri, vel flavi, vel albi, vel deniq; ſubfuſci: his enim quatuor coloribus totidem Ordines iſti diſtingui ſolent. Neq; vero unquam domo prodit, niſi inſidens cathedræ marmoreæ vel inauratæ, geſtatus à VI. viris eodem colore veſtitis. Quidam inter eos mendicando per plateas urbium victum quæritant, ſonum cientes crepitaculis ſuis, inſtar ſacerdotum Cybeles. Caput mentumq; omnino radunt, oranteſque Cœlum invocant, quem ſummum Deorum ſtatuunt, & poſt hunc quendam Sinchiam inventorem auctoremq; Ordinis Monaſtici. Filius primogenitus, prohibentibus legibus patriis, Monachus fieri non poteſt, cum obligatus ſit patrem & matrem in ſenecta alere. Idolis ſuis mane & veſperi offerunt thymiamata è thure Benzoino, ligno Aloes & Caiolaco, ut & paſtillis quibuſdam odoratiſſimis. Si quæ navis primum Mare intrat, adſunt Religioſi iſti, proq; eius ſalute ſacrificant in puppi, offerentes depictas chartulas, quas coram Idolo diſcerpunt, non ſine canticis & ſono tintinnabulorum, atq; ita honorem habentes Cacodæmoni, quem depictum habent in navi-

giis

Digitized by Google

giis suis. Hoc facto comedunt bibuntque ad nauseam usque, credentes hoc pacto navem sanctificatam esse, & omnes qui ea vehuntur, prospera usuros fortuna.

Academiarum magnus splendor & solemnitas est per universum hoc regnum, florentibus studiis Philosophiæ & Legum, neque hic ulla est prærogativa nobilitatis, sed tantum eruditionis & doctrinæ: hinc fit, ut accessus ad Magistratus & honores doctis hominibus pateat, quibus ii magna solennitate conferuntur. Omnis virorum doctorum vita in deliciis & magnifice peragitur, vocanturq; Loytiæ & Mandarini, gestatique sedilibus opertis, semper ocio & suavitati vitæ student.

GENEALOGIA REGVM CHINENSIUM.

Cum primus Vitay sive *Viteius*, (uti quidem Chinenses dicunt, qua veritate id ipsis relinquendum,) Provincias Chinenses in unum corpus unumque regnum reduxerit, non absurde faciemus, si ab illo incipiemus, deducto successionis filo usque ad eum, qui nostra memoria regnavit Sinarum Regem. Igitur *Viteius* iste primus rex inter Monarchas Chinenses ponitur. Narrant de eo Chinensium annales inter alia, quod proceritate corporis VII. mensuras Chinenses exæquaverit, quarum unaquæq; constituit duas tertias unius Vlnæ Hispanicæ, ita ut alius fuerit quatuor Vlnas & duas tertias. Addunt eum tam latum fuisse ab humeris, ut latitudo spacii inter utramque scapulam fuerit Spithamarum VI. & robur membrorum omnino respondisse vastitati corporis. Legatum eius in bello fuisse *Lincheonem*, qui cum fortitudine & magnitudine animi prudentiam conjunxerit, ut facile subjecerit Viteio tam amplum istud terrarum spacium, eumque formidabilem fecerit toti Asiæ. Tribuunt Viteio regi inventionem longioris togæ, tincturæ, navium & asciæ sive securis ad findenda ligna.

Narrant & summum Architectum fuisse, & multa extruxisse egregia ædificia. Primus hic in regnum invexit usum auri & argenti in vestibus, ut & Margaritas atque gemmas. Partitus insuper cives suos in urbes, oppida & pagos, instituit opificia, lata lege, ne quis aliam addisceret artem, quam pater eius exercuerat, nisi de consensu regis aut Præfecti Provinciæ. Qui ejusdem artis & conditionis erant, iis in eadem platea assignavit domicilia, vetuitque, ne qua mulier ociaretur à labore, sed ut vel iuvaret virum, vel ut neret, texeretque, fuitque hæc lex adeo omnibus mulieribus communis, ut nec uxor eius feriata fuerit. Fuerunt Regi huic uxores IV. è quibus sustulit liberos XXV. regnavitq; annis C. & post eum reges CXVI. usq; ad eum qui longum struxit murum, omnes è prosapia Viteii, qui simul regnaverunt annis MM.CCLVII. Hos omnes numerare & longum foret & tædiosum Lectori: contenti ergo erimus, eos solum retulisse, in quibus aliquid momenti est ad ostendendam successionem in hac corona, post CXVI. illos reges usq; ad eum qui nostra memoria rebus præfuit. Verum cum Dynastia ista Vitejana longe antevertat ipsum diluvium, dum ponunt, Viteium primum Sinarum Regem in annum Mundi M. C. LX. à quo adhuc quinque secula effluxere, usque ad Cataclysmum istum Vniversalem, proculdubio ista fabulosa sunt, quæ Sinenses de suo Viteio & successoribus dicunt, prout ex superiori etiam constat eorundem figmento & prosapia illius Viteii. Quanquam post diluvium rursus multiplicata Noæ posteritate credibile est, huc etiam pervenisse colonias satis maturè & constitutis domiciliis Reipublicæ formam aliquam posuisse.

Vltimus ex posteritate Viteii fuit *Tzinzonus*, cui debetur longus ille murus, quem struxit immenso labore, cum tot Tartarorum incursionibus vexari videret regnum suum. Cum autem in tam insana structura infiniti perirēt mortales, ab omnibus odio habitus, & à suis interfectus est cum regnasset annis XL. relicto hærede filio suo *Aguntzio*, qui iam ante aliquandiu cum patre regnaverat. Sed & hoc occiso, elegerunt Proceres Chinensium quendam *Anchosavum*, hominem alti spiritus & bellicosum, qui regnavit annis XII.

Successit huic filius *Futeius*, qui adolescens obiit eum regnasset annis VII. Huius morte mater eius, regio orta sanguine, regni gubernacula per annos XVIII. tenuit, magno regni bono: quæ cum filium non haberet, Anchosavi filius ex alia muliere regnum adeptus est, qui regnavit annis XXIII. successorem habens *Cunteium* filium, qui regnavit an. XVI. mens. VIII. *Hunteius* Cunteii filius præfuit regno LIV. annis relicto successore

Chanteio, qui	regnavit annis	XIII. *Post hunc.*
Chanteius II.		XXV. *mensibus III.*
Chanteius III.		XVI. *mens. II.*
Tzentzeius.		XXVI. *mens. IV.*
Pintareius.		V.
Tzinzunius Pintareii frater		III. *mens. VII.*
Huyhannon.		VI.
Cubuum.		XXXII.
Beutheius.		XXVIII.
Vutheius.		XIII.
Otheius.		XVII. *mens. V.*
Iautheius.		*mens. VIII.*
Antheius.		XIX.
Tanteius.		*mens. III.*
Chuteius.		I.
Quanteius frater superioris		XXI.
Linthesius.		XXII.

Digitized by Google

Hujus filius *Iantheius* regno præfuit annis XXXI. Cum autem parum compos esset bonæ mentis, in odium Chinensium incurrit, unde quidam ex nepotibus ejus *Laupius* seditionem contra eum movit, conspirantibus cum eo duobus Equitibus in Regia, viris fortibus, quorum uni Quateio nomen erat, alteri Trunteio, qui studebant Laupium regem facere. Etsi autem hoc non fugiebat Iantheium, adeo tamen dissolutus & iners fuit, ut quid faceret, non inveniret. Causa hæc fuit, ut plures in regno reguli Tyrannidem affectarent, inprimis vero quatuor, quorum hæc sunt nomina: *Cincoam*, *Sosoc*, *Guanfiar* & *Guanser*. His intulit bellum Laupius, sub prætextu juvandi regem, cumque aliquandiu inter ipsos disceptatum fuisset, fecit Laupius cum Cincoamo pacem, ducta hujus filia in uxorem, continuoque bello appetivit tres reliquos Tyrannos, de consensu Regis.

Fuit tunc regnum istud divisum in tres factiones, quarum præcipua sequebatur Laupium, defuncto Iantheio rege, altera Sosocum, tertia Cincoamum, Laupii socerum: duravitque hæc divisio donec *Cuitheius* Laupii filius post patrem regnare cœpit. Contra hunc insurrexit Tyrannus quidam, nomine *Ciambuteius*: sed Cuitheius interfecit eum, univitque denuo totum regnum, quod scissum laceratumque fuerat annis XLI. Cuitheius regnavit solus annis XXV.

Hujus filius *Fonteius* regnavit post patrem annis XVII. & ut tam tædiosæ enumerationis compendiũ faciamus, præfuerunt regno Chinensi ex hac familia regia XV. qui regnaverunt per annos C.LXXXVI. Vltimus horum fuit *Quienteius*, ex cuius sanguine prodierunt reges VIII. qui regnaverunt annis LXII. Adversus ultimum horum *Siteium* insurrexit quidam nomine *Coteius*, pater quinque regum, qui potiti sunt regnum per annos XXIV.

Horum ultimus *Otheius* trucidatus est per quendam Dianum, ex cuius posteris quinque Reges fuerunt, qui regnaverunt annis XXXI. ultimum ex his sustulit *Tzuius* quidam, cuius posteri tenuerunt regnum per annos XXXVII. Vltimo sublato, *Tonco*, qui magna cum laude Reipublicæ præfuit, habuit successores ex sua posteritate reges XXI. qui regnaverunt annis CXCIV.

Vltimus nomine *Tronco* despondit sibi Novercam suam *Bausam*, exquisitæ pulchritudinis, utque ea potiretur, extraxit eam è Monasterio, quod mortuo marito intraverat. Postremo fecit Bausa, ut Privignus occideretur, & sic ipsa regnum sola per XL. annos gubernavit. Aiunt Historiæ Chinensium, mulierem hanc valde luxuriosam fuisse, quæ contemtis Nobilibus regni nupserit homini vilis conditionis, cuius ipsa non cogeretur sequi arbitrium. Antequam autem in manum huius conveniret, interfecit omnes liberos masculos, quos ex priore marito susceperat. At proceres regni, pertæsi muliebris dominii cum turpitudine & crudelitate coniuncti vocaverunt *Tronconis* filium nothum, eumque creaverunt regem. *Tautzoni* huic nomen fuit, qui severam sumsit vindictam de Bausa, crudeli & libidinosa fœmina. Pater hic fuit VII. regum, qui regnaverunt annis XXVI.

Postremus horum fuit *Cuchamus*, quem solio regio deiecit *Dianus* quidam, reliquitque post se hæredes duos reges, qui præfuerunt annis XVIII. Contra posteriorem insurrexit *Vtonus*, factusque rex, reliquit tres è posteritate sua reges, qui regnaverunt XV. duntaxat annis.

Vltimum è medio sustulit *Vtzinus*, qui cum filiis suis regnavit annis IX. mensibus III. Post hos regnavit *Tozo* cum filio annis IV. Huic intulit bellum *Auchius*, eumque occidit, factus hac cæde eius in regno successor.

Vltimum è posteritate Auchii è medio sustulit *Zaitzonus*, factus pater XVII. regum, qui omnes tranquille regnaverunt per spacium annorum CC. C. Horum extremo *Tepino* nomen fuit, quem bello devicit Magnus Cham Tartarorum, *Vzous* nomine, qui Chinam ingressus, totum sibi subiecit regnum, adeoque illud sibi stabilivit, ut post eum novem reges Tartarici imperitaverint per annos XC. III.

Horum ultimus *Tzinzous* tam flagitiosus fuit, ut totum ab eo defecerit regnum, vocato secreta quadam electione ad regnum *Hombuo*, qui genus ad priscos reges referebat, vir bellicosus & animi intrepidi, qui magnis viribus aggressus Tartaros, omni eos regno eiecit. Ex huius Hombui prosapia prodierunt duodecim reges, simul numerato eo, qui nostra memoria rerum potitus est: & undecim quidem superiores per CC. annos regnaverunt. Duodecimo nomen fuit *Bonogo*, qui à Christo nato Anno M.D. LXXX. ad Imperii fasces pervenit. Successit fratri maiori sine liberis mortuo, cum ex equo lapsus cervices fregisset: fuit autem Bonogus vir iustitiæ amans, prudens, comis & humanus, qui ex uxore consanguinea sua unum suscepit filium, regni aviti hæredem. Hic filius fortassis adhuc sedet, cum nos lateat eius rei historia, neque vel nomen explorare potuimus hactenus.

***

REGNVM

Digitized by Google

REGNUM IAPONIÆ SIVE IAPAN INSULÆ.

[De Iaponibus ſcribas habemus, præter Coſmographos univerſales, etiam Americi Veſpurii aliaſque conſcriptas Luſitanorum & Belgarum Navigationes, Maffæum, Acoſtam, Marc. Paulum Venetum, Maginum, Miræum &c.]

Svmma Capita.

1 *Longitudo Latitudo, amplitudo, & vicina ſive oppoſita regna Iaponiæ Inſulæ: ipſa dividitur in membra ſive partes tres. quot in unaquaque contineantur Regna ſive Principatus,*

2 *Olim ſub unius Regis conſtituta potentia, non plures, ut nunc, agnoſcebat Dominos. Rex ille Vo ſive* Dair *antiquis appellatus.*

3 *Iaponiæ Vrbs primaria Meacum. Poſt hanc Oſſacaia, Bungum, aliaque urbes celebriores: plerarumque magnitudo & ſitus.*

4 *Bonitas aeris in hac Inſula: abundantia Orizæ, metallorum, auri. Cedri in illa proceritatis incredibilis & craſſitiei. Animalia terreſtria & volatilia. Duo montes admirandi, quorum alter perpetuos ignes evomit, alter ſupra nubes verticem ſuum attollit.*

5 *Iapones quo ſit ingenio praditi, & quo temperamento corporis. Modus eorum radendi caput, comedendi, bibendi, dormiendi: color faciei, lingua, littera, arma, Academiæ & ſchola minores.*

6 *Opes eorum conſiſtunt in negociatione, copia Orizæ, Margaritarum & gemmarum pretioſiſſimarum.*

7 *Proventus annui Regis Iaponiæ.*

8 *Vires marinæ huius regis: adminiſtratio regni, crebra mutatio proregum, principum & gubernatorum in provinciis.*

9 *Tres præcipui Magiſtratus, Zaco, Vco, Cubacama. Populus Iaponenſium in tres ordines diviſus.*

10 *Supplicia maleficis & ſceleratis quæ irrogari ſolita.*

11 *Impietas Iaponum, providentiam Divinam & Animæ Immortalitatem negantium. Sacerdotes eorum Bonzi dicti: diviſi in ſectas non ſolum diverſas ſed & adverſas & contrarias.*

12 *Templa eorum & Pſeudothei: Fotoques & Cames. Variæ apparitiones Diabolorum in diverſis formis. eorundem verſipellis vafrities, qua cultum adorationemque ſui ſibi ſtabiliverunt.*

13 *Iuſta, Exſequiæ, pompa Funebres Iaponenſium.*

14 *Ieſuitæ in Iaponia. multorum hominum ad Chriſtianiſmum converſio per Franciſci Xaverii aliorumque conciones.*

15 *Catalogus Regum Iaponenſium.*

1 IAPONIÆ ſive *Iapania* nomine magnum numerum Inſularum & velut concurſum intelligimus, quæ inter ſe alicubi tam prope cohærent, ut cum magna illa & proprie ſic dicta cohærere videantur. Omnes autem inter curſu Euriporũ & exiguorũ fretorum à ſe invicem dividuntur. Maxima earum Magino aliiſque quibuſdam *Chryſe*, Marco Paulo *Zipangri* Mercatori *aurea Cherſoneſus* dicitur. Extenditur autem totus ille Inſularum confluxus & ſyndrome ab altitudinis gradu XXXI. uſque ad XXXVIII. Tota hæc longitudo in ducentas ferme, ut aiunt, Leucas procurrit: cui nequaquam reſpondet Latitudo Iaponiæ, quæ aljcubi in decem: ubi latiſſima eſt, in XXX. leucas patet. De ambitu ejus dici certi nihil poteſt. Ab Oriente obvertuntur hæ Inſulæ Novæ Hiſpaniæ: ab Aquilone Tartaros alioſque habent notæ feritatis populos: ab Occidente ſpectat Chinam: à Meridie vaſto Mari interfuſo, inexploratæ obvertuntur terræ. Complectitur hoc quicquid eſt Terrarum, LXV. parva regna ſive principatus potius, dividiturque in tria membra. Maximum atque præcipuum conſtituit Iapan Inſula, aliis dicta *Niphon*, aſſerentibus hoc eſſe montem genuinum, unde Europæi paululum mutata voce deduxerint ſuum *Iapon*: regna habens LIII. inter quæ *Machaus*, ſive *Meacum* potentiſſimum eſt, in quo Luſitani negociantur: & proximum ab eo *Amaguncium*. Habet Rex Meaci ſibi ſubjectos XXIIII. vel XXVI. Regulos, & Amaguntinus XII. ſive XIII. Secunda Inſula præcipua ſive membrum dicitur *Ximo*, Dynaſtias comprehendens IX. inter quas præcipuæ ſunt *Bungo* & *Figen*. Tertium vocatur *Xicoum*, principatus ſive dominia complectens quatuor. Illuſtriſſima omnium provinciarum eſt *Coquinaia*, in qua eſt celeberrima & ob mercimonia notiſſima Vrbs Machaus ſive Meacum.

Paruit olim omne nomen Iaponium uni regi, qui 2
patria lingua *Vo*, ſive *Vau*, aut *Dair* vocabatur, donec is diuturna pace in delitias & ſocordiam reſolutus, Præfectis ac Satrapis ſuis, ac præcipue *Cubis* (ſic enim duo primarii vocabantur, quorum alter alterum extinxit) contemtui eſſe cœpit, adeo, ut *Cubi* illi duo *Dairum* regno denique everterint. Creſcente autem dominandi libidine, nunc hic nunc ille à Regis obedientia ſe ſubtraxit, ſibiq; ſinguli Regulorum nomen vendicaverunt.

Manſit tamen Dairo nomen ſupremi regis Iaponiæ, ſed ſine imperio vel potentia, ut vix à cæteris, qui circa Meacum dominabantur, neceſſaria ad victum & amictum acciperet, & nil niſi umbra Imperii

Iaponici.

Digitized by Google

laponici. A quingentis autem annis à Dairo, Coquinaiæ Dominus & Princeps Tenſæ (ſic appellantur quinquerilla regna circa Meacum) adeoque ſummus Laponiæ Monarcha fuit *Nobunungæ* Tyrannus, cui *Faxiba* ſucceſſit, præcipuus eius belli dux, qui ſibi celeriter L. regna ſubjecit. Et talis fuit noſtro ęvo *Taicoſama* Monarcha laponiæ.

3 Totius laponiæ urbs primaria eſt *Meacum*, ſive *Machaus*, Civitas maxima; cujus ambitus olim in X-XI. milliaria patuit, ſed nunc bellis Inſulanorum inteſtinis pluſquam tertia ſui parte imminuta eſt.

In hac ſedem ſuam habet Summus Magiſtratus Laponiæ, tribus Viris conſtans. Poſt hanc ſequitur *Oſſacaia*, civitas potens & libera, & ut quidam putant, omnium Orientalium locupletiſſima. Magna hic Mercatorum undique concurrentium frequentia eſt, quorum qui mediocres facultates habent, X-XX. aureorum millia poſſidere creduntur: qui divites judicantur, incredibiles opes poſſident. *Bungum* ſui tractus Vrbs præcipua, loco ſita eſt peropportuno. *Coia* civitas cuidam Bonſio ſacra eſt, qui Combodaſſi vocatur. Eſt autem hæc commune ſepulchrum omnium principum: aut ſi alibi ſepeliantur, mittitur tamen huc dens aliquis cadaveris, tanta eſt loci veneratio. *Fiongo* Vrbs XVIII. Leucis à Machaunte diſtat, Nobunungæ tempore magna ex parte devaſtata, & anno MDXCVI. terræ motu graviſſimo valide concuſſa, ut magna pars everſa collapſaq; fuerit, quod reſiduum fuit, igne conſumtum eſt. Huc etiam referenda eſt *Amangaſaqui*, in cujus Portu Luſitani negociantur, Vrbs ſatis elegans, quinque leucis à mari diſiuncta, & Sacaio oppoſita. Cæteræ ſunt *Voſuquin*, *Funaiam*, *Toſam*, aliæque non contemnendæ.

Qualitas & natura ſoli.

4 Cœli aeriſque in laponia ſalubris eſt temperies, quanquam frigori & nivibus terra pluſculum obnoxia ſit, & humidior ob frequentes qui hic cadunt imbres: ſolum autem ſterilius, quia fere montibus rupibuſque aſperatur.

Orizam metunt Septembri menſe, nonnullis vero in locis Triticum menſe Maio. E terræ viſceribus incolæ varia metalla eruunt, & exteras nationes ea merce ad ſe pelliciunt. Quantum autem hæc inſula ſit ferax auri, teſtatur M. Paulus Venetus, qui ait ſuo tempore Palatium Regis aureis laminis tectum fuiſſe, haud aliter quam apud nos magnatum domus Cupro vel plumbo cooperiuntur. Arbores hic fructiferæ, noſtriſque ſimiles, plurimæ reperiuntur: Cedrus vero alicubi tantæ proceritatis & craſſitiei aſſurgit, ut inde Fabri Templorum columnas fabricent, & quantumvis magnæ navis onerariæ malos; Campi & prata boum equorumque armentis: ſaltus & dumeta lupis, apris, ceruis cuniculiſque ſcatent. Ex avibus frequentiſſimæ hic anates, palumbes, turtures, coturnices, gallinæ ſylveſtres & phaſiani reperiuntur. Butyro deſtituuntur, ut & oleo olivæ, pro quo utuntur abdomine Balænarum. Animalia, quæ apud nos domeſtica ſunt, & ipſi habent affatim. Inter montes totius Inſulę ſatis editos præruptoſque duo præcipui viſuntur, quorum alter aſſidue flammas evomit: alter Figenoiama dictus tantæ altitudinis eſt, ut etiam ipſas nubes altiſſimo intervallo ſuperet. Vulgus agreſte laponenſium fere è ferarum carnibus vivit, unde crebra apud eos venatio.

Mores & conſuetudines.

Eſt in univerſum gens laponum acuta, ſagax, vafra, docilis, & acri præ aliis mortalibus memoria. Nulli hic paupertas ſua probro eſt; maledicentiam, furtum, periurium, aleandique libidinem oderunt atque deteſtantur omnes. Vivaces plerique ſunt, ſenibusq; viridis ac cruda ſenectus, ut in ſexageſimum annum militaris ætas extendatur. 5

Barbam alunt modicam, in capillo varius mos eſt: pueris raditur ſinciput, plebeiis ruſticisque dimidium caput: nobilibus caput totum, relictis paucis in occipitio capillis, quos attingi à quoquam, maximæ contumeliæ loco habetur. Pavimentum ſtoreis tumentibus nitidisque conſternunt, iisq; indormiunt velut culcitris. Munditiei apud eos non minus ſtudium quam apud Chinenſes. Capientes enim cibum duobus paxillis ligneis utuntur, tanta dexteritate, ut nihil decidat, nec opus ſit extergere mappa digitos. Capturi cibum calceos exuunt, ne cataſtromata coinquinent. Pauperiores, præſertim qui maritima loca incolunt, herbis, oriza & piſcibus victitant: ditiores ornant ſplendide & opipare convivium: in ſingula fercula, ſine linteis aut mappis mutatur ſua cuiq; convivæ menſa è cedro pinuve facta, alta pedem unum aut paulo plus. Cibi præſtantiores in pyramidalem formam aſſurgunt, ſcobe aurea conſperſi, prominentibus ad gratiam Cupreſſi arboris viridibus ramuſculis. Inferuntur & aliquando patinis argenteis aves integræ, deauratis pedibus & roſtro. Colore potius ſunt oleaginoſo quam albo, laborum tolerantiſſimi, avidi gloriæ, offenſarum impatientes, diſſimulatores ſtudii vindictæ, & pro proditoribus vulgo habiti. Quidam inter eos liberos recens natos ſuffocant, odio educationis.

Lingua apud eos una duntaxat, ita tamen variantibus idiotiſmis, ut aliæ atq; aliæ linguæ videantur. Litteræ eorum, ut & Chinenſium, notæ ſunt & ſigna, integra verba & res ſignificantia.

Armis fere utuntur his: Sclopeto manuario, gladio lato, pugione, clava, aliiſque ob levitatem habilibus. Capite fere ſemper ſunt aperto, præterquam cum lugent, tunc enim & hoc & totum corpus albo involuunt velo. Aquæ ſimplici admiſcent aliquantum Chii pulveris, atque inde delicatum potum cõficiunt: ditiores etiam bibunt vinum ab Hiſpanis importatum. Caro venatione capta illis potior eſt animalium domeſticorum. Gymnaſium præcipuum habent, ſive, ut nos dicimus, Academiam in oppido Banoum, ubi Bõſii docent. In Bungo vero oppido Seminarium eſt Ieſuitarum, ubi Iapones addiſcunt linguam Luſitanicam, & Europæi laponicam. Vtuntur lapones arte imprimendi libros ſicut & Chinenſes.

Si quis ex Nobilitate gravius aliquod crimen deſignavit, obſidetur domus eius à numeroſa manu militum, jubeturque ſibi ipſi manus inferre: quod ſi cunctetur, irrumpentes trucidant eum cum omnibus, quotquot in domo ejus offendunt. Carceres ſive ergaſtula facinoroſorum non habent, ſed puniunt maleficos in aperto cãpo, aut eos perpetuo damnant exilio. Si quis ob delictum aliquod capiendus eſt,

oportet

Digitized by Google

oportet ut per insidias & nihil tale metuens intercipiatur: alias enim usque ad mortem acerrime se defendet.

DIVITIÆ IAPONENSIVM.

6 Est negociatio frequens variarumque mercium in Iaponia, cum præter Orizam, qua peregrini multas quotannis naves onerant, incolæ mercatoribus exteris magnam vim vendant margaritarum, quæ magnæ sunt & rotundæ, & rubicundæ, nec tamen in minore precio quam albæ. Multum hic etiam est gemmarum, nec parum auri, unde facile colligi potest, harum rerum copia hoc regnum ditissimum judicari debere. De proventibus Regis ita habet.

7 Præter tributa & donativa, quæ ei Reguli Insulæ ex debito offerunt, putantur ad eum redire quotannis duo auri milliones ex oriza, quæ in prædiis regiis colligitur, unde de cæteris facilis est conjectura. Nemo enim harum rerum, quod sciam, subduxit calculum.

ROBVR MILITARE ET MODVS *Gubernationis.*

8 Quantæ sint huius Regis vires militares, facile ex eo cognosci potest, quod Faxiba, qui regnavit ante Taycosamam, cujus ultimi in hoc scripto mentionem facimus cum totam sibi Insulam, inque ea quinquaginta regna subjecisset, omnino statuerit, collecto ingenti exercitu, traiicere in Chinam, eique regno bellum inferre, in quem finem tantum jussit cædi lignorum, ut inde classis bis mille navium confici posset, ad transportandas suas copias. Et sunt quidem Iapones viri fortes atq; animosi, ut vel paucæ eorum cohortes justum Chinensium exercitum profligare atque delere possint.

Differt autem modus Gubernationis hujus regni multum ab eo, qui nobis per Europam notus est. Neque enim potentia & magnitudo hujus Principis consistit in proventibus ejus annuis neque in amicitia vicinorum populorum: sed in mera auctoritate & imperio. Quicquid enim capit agri ab hoste, dividit inter amicos clientesq; suos, quorum perspectam habet fidem, hac dicta lege, ut sibi regi serviant suis propriis impensis, sive pax sit sive bellum, adducto certo militum numero. Et hi rursum partiuntur suas possessiones fiduciariis clientibusque suis, ut eos hoc modo sibi devinciant. Sic fit, ut quicquid est bonorum in tota Iaponia, dependeat à paucis, & hi rursum ab uno atque solo, qui est Dominus Tensæ, qui in momento dat aufertque, quid & quibus vult, attollit & deprimit, locupletat, & ad inopiam redigit Principes. Si ergo vel aufert vel mutat Principatum aliquem, mutat simul nobiles & milites in eo, relictis duntaxat opificibus & agricolis. Hæc autem ratio perpetuarum seditionum causa existit. Sic enim fit, ut Principes Tensæ aliique videantur Tyranni & usurpatores alienorum bonorum, destructores Monarchiæ & hostes magnitudinis Iaponicæ: unde à populo, aliquando etiam à sociis odio habiti, perpetuo in armis vivere coguntur.

Accedit, quod Principes, cum subinde mutentur, nõ ita amentur à populo ut naturales domini: & ipsi Principes metu repentinæ mutationis, nullo vicissim constanti amore populum complectuntur, certi, eadem facilitate, qua hunc obtinuere principatum, se obtenturos alium, & fortasse meliorem: hinc vel ipsi soli, vel conjuncta cum aliis opera semper rebus novis student, & perpetuis Insulam bellis implicant.

Hinc Faxiba, ut absolutum sibi stabiliret imperium, solebat subinde de alia in aliam regionem transferre principes, ut præfecti novis populis rebellare sibi facile non possent. Præterea, ut eorum frangeret potentiam, divisit Regna singula in plures Præfecturas minores, ut in tanta provinciarum angustia non modo nihil contra se possent, sed & ipsi inter se de finibus litigarent. Voluit insuper, ut in omnibus mutationibus tam is qui meliorem nanciscereturconditionem, quam qui deteriorem, quotannis ad Regiam suam venirent, ibique præstarent fidelitatis juramentum, & offerrent regia dona atque munera: quo quidem invento potissimas totius Insulæ opes ad se pertraxit. Idem populum distinuit contrivitque in structuris variorum ædificiorum, puta Palatiorum, Templorum, Munimentorum, Arcium & Castrorum, in quibus molibus suscitandis quotidie habuit ultra C. operariorum millia. Inprimis ortus est ædificare Templum, in quod dixit insumendum esse omne per Iaponiam ferrum. Iussit igitur ut plebs cum mercatoribus omnia sua arma & setramenta in unum aliquem locum conferrent, ut in usum Templi converteretur. Hoc astu & spoliavit populum armis, & perfecit ædificia maxima admiranda.

9 Nunc videndum est, à quibus Magistratibus hoc regnum administretur. Residentes Meaci Triumviri, penes quos summa est rerum constituendarum potestas: Primus qui *Zazo* dicitur, Pontificis Maximi instar præest sacris. Secundus *Voo*, dignitatibus & honoribus. Tertius *Cubacama* dictus, tractat res pacis & belli. Gens tota in quinque diversa est Ordines. Primus est eorum, qui cum aliquo imperio sunt, & rerum potiuntur: hos omnes communi nomine *Tonos* nuncupant, quanquam inter ipsos quoque certi dignitatis gradus sint, ut apud nos Ducum, Marchionum, Comitum. Alter ordo eorum est, qui sacra gentis & rem divinam procurant, capite ac mento prorsus abraso. Perpetuum hi vovent cælibatum, suntque in diversas scissi Sectas, quamvis in universum omnes *Bonsii* vocitentur. Tertius Nobilitatis & Civium est. In quarto sunt institores, sellularii & varii opifices: quintus & ultimus locus est Agricolarum. Sontibus omnibus vel capitis supplicium constitutum est, vel proscriptio, si benigno utantur Iudice. Gladio fere trucidantur omnes: etsi quibusdam in locis latrones furesque convicti, certo ad ignominiam vehiculi genere, per civitatem raptati, extra urbem de patibulo suspenduntur. 10

Religio Iaponensium.

In Idololatria atque superstitionibus non multum diversi Iapones à Chinensibus, immersi omni impietati & erroribus horrendis, habentes tam absurdas de supremo Numine opiniones, ut nemo ra- 11

Digitized by Google

tionis compos hanc insaniam satis mirari possit. Loco Sacerdotum Doctorumque suorum habent Bonsios, in undecim sectas, non diversas modo sed & adversas contrariasque divisos, qui tamen in uno hoc consentiunt, quod Divinam negant Providentiam & immortalitatem animarum. Hanc tamen impietatem non communicant cuivis, sed nobilibus duntaxat; ad populum enim multa de pœnis inferni deque futura vita sermocinantur. Domos incolunt magnifice structas, multique una habitant, neque unquam matrimonium contrahere possunt. Academias diversas cum habeant, præcipua tamen est Frenoiamensis, novem milliaribus à Machaunte urbe distans. Extruxit ante annos CCC. Rex quidam Iaponiæ hinc inde per regnum M.DCCC. Templa additis conventibus Bonsiorum, per diversas valles, ut vacare studiis suis commodius possent. Ad radicem montis Frenoiama ædificavit duos Pagos, ut Monasterio illi necessaria suppeditarent. Hoc Gymnasium deinde acquisivit tantum dignitatis, ut supra cætera omnia conscenderit, & filii ac propinqui regum in eo educati fuerint, percipientibus Bonsiis ejus loci tertiam prope partem reditum Regni Vomensis. Inclinantibus vero postea rebus Templa illa ad DCCC. redacta sunt relinquentibus Bonsiis studia, ut sequerentur arma: adeo, ut Anno A.N.C. M.DXXXV. post perpetrata multa homicidia & latrocinia, ingressi fuerint Meacum urbem, eamque spoliatam incenderint. Cum autem anno A.N.C.M. DLI. Bonsii nescio quo modo offendissent Nobunangam Regem, iratus hic armis expugnavit Montem eorum, interfectisque quam plurimis evertit XL. Templa.

12 In numero Deastrorum suorum maxime colunt Iapones eos, quos ipsi *Fotoques* & *Cames* appellant, quorum illi quidem ob eximiam doctrinam & austeram vitam in cœlum assumti putantur: hi vero ob merita de patria & multarum rerum inventionem. Illi fere fuerunt Bonsii & Sacerdotes; hi Principes & Optimates: unde fit, ut à Fotoquibus petant res & bona futuræ vitæ, à Camibus præsentis. Neque tamen in his consistit Idololatria Iaponensium, cum insuper & Solem, Lunam & Stellas adorent, alii vero Cœlum ipsum: nonnulli divinitatis aliquid tribuunt cervis aliisque per nemora errantibus feris. Apud Machauntem Templum cernitur, quod dedicatum est Deo Artium & Scientiarum. Vtitur autem Cacodæmon partim astu partim vi, ad perpellendos miseros hos, ut se adorent in forma diversarum bestiarum. Ingreditur enim eorum corpora, eosque exagitat crudelibus modis, cumque interrogatur quis sit, respondet (exempli gratia) se esse Regem Boum, neque egressurum ex obsesso, nisi sibi extruatur Templum. Accepta promissione, simulat se discedere: si non sequatur effectus reversus multo acerbius quam antea excarnificat miserum hominem, donec satisfiat promissis. Cernitur etiam hic Plutonis infernalis horrenda statua, iuxtaque eam duo Dæmones minores, quorum alter conscribit peccata hominum, alter ea perlegit. Parietes illius Templi undique perpicti sunt, pœnis suppliciisque, quæ Cacodæmones damnatis inferunt. Ostendit autem se Diabolus his hominibus variis figuris & modis, iisque persuadet, bonum malumque successum in rebus à se uno dependere, prout colatur & honore afficiatur. Consuevit autem potissimum hoc modo se exhibere.

Is qui ardebat desiderio futuræ beatitudinis, cõscendo monte expectabat donec se Diabolus ei offerret. Visebatur ibi Phantasma, quod comparebat in locis solitariis, & postremo percunctatorem illum in profundum quendam locum præcipitem dabat, in quo ei erat pereundum. Tandem hæc fraus detecta fuit per iuvenem quendam. Hic cum Patrem suum à simili stoliditate deterrere non posset, secutus est periturum clam cum arcu & sagittis in manibus. Statim adfuit Cacodæmõ circumfusus lumine quodam, quem dum senex humi prostratus adorat, iuvenis sagittam mittit in corpus illud luminosum: paulo post videt se vulpem traiecisse: secutus igitur vulpem, quæ sanguine suo vestigia notabat, venit ad præcipitium illud de quo diximus, invenitque ibi magnam struem ex ossibus humanis: & sic quidem patri servavit vitam, aliis vero diabolicas fraudes patefecit.

13 Addendum his est aliquid de Exequiis eorum & Funerationibus, in quas Iapones ingentes sumptus facere solent, Bonsiis plurimum argenti inde corradentibus. Quorum hæredes his tantis impensis non sufficiunt, ii vel de nocte secreto sepeliuntur, vel in foricas abiiciuntur. Qui maiore devotione colunt Amidam (est hic unus è præcipuis Diis) ii affecti tædio vivendi, intrant speluncam subterraneam, quæ aliud suspiraculum non habet, nisi per cannam oblongam. hic commorantur sine omni cibo, sine intermissione invocantes Amidam, donec moriuntur. In locis maritimis mortem sibi hoc pacto consciscunt. Primum plurimum colligunt argenti, ex eleemosynis locupletiorum, significantes clara voce populo, constituisse se exire ex hac vita, & ad Amidam proficisci. Laudatur hoc eorum propositum ab omnibus. Postea ingressi novum navigium, lapidibus onerant collum, brachia, femora & pedes, & ita gravati in mare evoluuntur, continuo hausti profundo. Præter falsos, quos commemoravimus Deos etiam venerantur Xaquum inter deos maiorum gentium. Est inter eos Secta quædam Ianuanorum, qui nihil credunt, nisi quod vident tanguntque.

14 Est autem inter fœdissimos hos Idololatras etiam bonus Christianorum numerus, qui multo maiore zelo circa religionem ardent quam nostri homines, ut quanquam Tensæ Reges multos variis supplicis è medio sustulerint, & Christiani multa tormenta & cruciatus pertulerint, multi tamen ibi sint, qui à semel concepta fide non defecerunt. Multum hic laboris atque studii impenderunt Patres Xaverius & Turianus Iesuitæ, multosque ad Fidem Christi converterunt, ut anno A. N. C.MDLVI. Apud Amaguntiam bis mille Christiani numerati fuerint, totidem anno M.D.LVI. apud Funiam. Anno A.N. C.M.D.LIX. numerus Neophytorum adscendit ad M.CCC. Firandæ anno Salutis M.DLXII. baptizati fuerunt duo fratres Regis Cangoximæ. An. A.N.C. M. D. LXIII. factus est Christianus Sumiranclus Rex Omurensis, fuitque ei impositum in S. Baptismate nomen Bartholomæi. Idem paulo post fecit Princeps Samabarensis, fueruntque in regione Imoriana Baptismatis fonte tincta V. hominum millia. Intra quinquagesimum autem circa urbem

Macha-

Digitized by Google

Machauntem milliare extructa sunt L. Templa Christianorum, è quibus præcipua fuerunt in his locis: Imori, Aye, Tochy, Save & Caquinoqui in regno Arimensi, ubi Iesuitæ tunc habebant collegium, & ad CDL. Neophytos, circa annum S. M.DLXIII. Interea propagata fuit Religio Christiana in Insulâ Amacusa, Fundo, & Xiqui. Anno A.N.C.M.D.LXIX. Rex Bungensis Christianus factus est, & Franciscus appellatus. Regi vero Arimensi baptizato Protasii nomen impositum est: ut ita fuerint in Iaponiâ circiter CXL. millia Christianorum; oratoria autem CC. Iesuitæ erant CXIII. inque eo numero Sacerdotes XL. Laici vero LXXIII. rursus ex hoc omni numero erant XLVI. Iaponenses, cæteri omnes Europæi. Anno A.N.C. M.D.LXXXVII. conversa sunt ad Christum ultra sexies mille capita, & prope par numerus anno sequente. Idem fecerunt Rex Bugiensis, & Hæres regnorum Cicungo & Cicuge, & Dynastæ Insularum, Ojanæ, Gomettæ, Censuræ & Xiquinæ, quæ pars est Amacusæ. Et hoc quidem loco fuit Christianismus anno à nato Bono Publico M.DXC. referentibus ipsis Iesuitis. Ab eo tempore, cum Iaponia Insula gravibus concuteretur bellis civilibus, Christiani quoque dira & atrocia perpessi sunt, neque tamen desit florere Fides Salvifica in multis locis amplissimi regni Iaponensis.

Catalogum si quis scire desideret, eum adhuc à 15
nobis nõ expectet: cum mercatores potius in eo sint ut opes, quam nomina ex Iaponia afferant in Europam. Tres soli nominatos legi *Nobunungam, Faxibam, Saccosamam.*

Reliquos, qui dabit, magnam deportabit à Curiosis gratiam. Quis autem & alios Insularum, Philippinarum &c. in vasto Oceani illius pelago enarrabit Dominos? Esse enim præter eos, quos novimus, dubium est nullum. Videsis hac de re ad finem Epidromum.

REGNUM BRACHMANORUM, SIVE PEGUANUM.

[De Bracmanis sive Braminis & Peguanis scripsere iidem, qui de aliis rebus Indicis, ad Chinensium & Iaponensium titulos notati autores, M. Paulus Venetus, Maffæus, Miræus &c. ut de Bracmanibus Bardesanes Babylonicus, Heurnius, Strabo, Plinius &c.]

SUMMA CAPITA.

1 *Legatus quidam sive Prorex Regis Peguani, concitatâ contra Regem suum seditione, & hoc & alia regna atq; provincias armis subiicit.*

2 *Qua ratione fiat, quod tanta facilitate tanti exercitus colligantur cum in his regionibus, tum in Africa & toto Oriente, unde tanta hominum multitudo, & quomodo ali conservariq; possit.*

3 *Exercitus duodecies centum millium hominum Æthiopum profligatus per Paulum Diazium, Ducem Lusitanorum.*

4 *Quæ regna quasque provincias nostra tempestate possideat Rex Peguanus. Situs & amplitudo huius regni eiusque Portus.*

5 *Regni Sian descriptio; ejus situs atq; limites, provinciæ & urbes præcipuæ.*

6 *Muantaia, sive Odia.*

7 *Cambota.*

8 *Campa, Synca pura, Quedoa, Ave, Vermea.*

9 *Abundantia Orizæ in regno Peguano. Equi ibi multi; sed parui, Elephanti, Feles Civettæ, Psittaci canna doliolum magnitudine æquantes Pyropi gemmæ, resinæ variæ, piper, Laserpitium, moschus, Aloe, Aurum, Tygrides, Leones.*

10 *Ingenium & Mores Peguanor: sunt effœminati & deliciis dediti; studiosi Musicæ & variarum scientiarum.*

11 *Barbari Mores Cambiensium, apud quos mulieres se iniiciunt in ardentes rogos maritorum suorum, & Nobiles insiliunt Pyras regum principumque.*

12 *Arma prophylactica Tarnasserienſium, vestis è gossypio crasso, clypei è corticibus arborum. Potus eorum aqua saccaro edulcata, lecti è stragulis Xylinis.*

13 *Exequiæ & funerationes sacrificiorumque caremoniæ.*

14 *Divitiæ eorum consistentes in mercimoniis, Orizæ, equis, elephantis, auro, argento, moscho odorato, gemmis, butyro, oleo, pipere aliisq; rebus multis.*

15 *Custodia corporis regii constans XXX. millibus hominum & VI. millibus Elephantorum. Timari sive Beneficiarii. Magnus numerus militum in regno Peguano.*

16 *Principatus huius regni dantur beneficii feudiq; nomine, non in perpetuum sed ad dies vitæ. Quæ usitato more à debitoribus obæratis & homicidis sumi soleant supplicia.*

17 *Modus colendi Numinis in hoc regno; quid sentiant de Deo & spiritibus, quos attribuunt homini. Statuæ Communis Patris hominum, L. pedes longæ. Aliæ Simulacra in Templis eorum, quos habeant Sacerdotes & Sacrificos.*

18 *Quæ sit eorum opinio de creatione & duratione Mundi. Quæ Idola præcipuè venerari soleant. quem putent esse statum animæ à corpore separatæ.*

19 *De Conventibus Sacerdotum eorum, quibus caput & barba rasa. Pars eorum vivit ex assignatis proventibus, pars ex Eleemosynis.*

20 *Bracmanes & Bramini qui fuerint & sint etiammum-*

Digitized by Google

1 ANTEQUAM ulterius pergamus in enarratione hujus regni, sciendum est, regna Brachmannorum sive Braminorum (variatur enim in hoc nomine) subjecta fuisse regi Pegu, quatenus illa extenduntur secundum littus & versus Lacum Chianæum, eumque regem in his Brachmanum regnis provinciisq; suos habuisse præfectos. Accidit autem ante an. LXX. & quod excurrit, ut Prorex regni Tangut, fretus multitudine hominum qui eum sequebantur, & auctoritate armis parta, rebellione sibi regnum id vendicaverit proprium, interfectis proceribus in eo, occupatisque insuper regnis sive provinciis Promensi, Melintæo, Calamensi, Bacamensi, Miranduensi & Avensi, quas omnes regiones in Septentrionem conversas, & in CL. milliarium spacium excurrentes, Brachmani habitabant. His effectis adjecit etiam spem desideriumque suum ad Regnum Sian, pervenitque usque ad Odiam, caput regni Muantæi: sed nihil efficere potuit. Habuit autem in hac expeditione hominum CCC. millia, insumsitque tres menses in complanandas vias & itinera per asperrimos montes & loca inaccessa, quo in labore amisit hominum millia XXVI. Vicissim ipse secum abduxit Sianensium captivorum CC. millia. Reversus autem domum, aggressus est Regnum Peguanum, illudque sibi subjecit. Quo successu elatus anno A.N.C. MDLXVII. iterum invasit Regnum Sian, regemque victum cepit, qui hausto veneno vivendi fecit finem, liberi vero eius captivi manserunt; & sic victor magnam partem regni illius suo subiecit dominio. Hic Conquæstor cum successoribus suis, appellantur apud Historicos Reges Bramenses. Lusitani autem nobilius eis imponunt nomen à nobiliore regno desumptum, eosque vocant Reges de Pegu. Cæterum Conquæstor ille multoties conatus est subiicere sibi urbem Odiam, ad cuius obsidionem adduxit decies centum millia hominum. Ne autem hæc res videatur fabulosa, cum de tanta hominum multitudine, etiam supra fidem magna, loquimur: non absurdum erit ostendere, quo pacto fiat, ut in his aliisque locis Orientalibus, ut & per Africam, tanta facilitate tam immensi exercitus colligi conservariq; possint.

2 Iam primum igitur sic habet. Bella vel geruntur in finibus patriæ, vel procul à patria: deinde certum est, eum, qui non habeat numerosos proventus & uberes thesauros, neque diu bellum gerere posse, neque magnum exercitum sub signis alere. Sicut enim corporis humani membra sine nervis moveri non possunt; sic exercitus sine argento exigui est usus. Vnde enim militi victus, arma, instrumenta? unde res tormentaria expedietur sine præsenti pecunia? Cumque proventus Principum certis sint circumscripti limitibus, necessarium est, eum, qui anno uno vel altero magnam pecuniæ vim impendat, pauperem fieri, eiusque thesauros exhauriri. Vnde bella longinqua neque suscipi neque diu geri possunt, nisi à Principibus, quibus intacta domi & à multis annis coadunata Gaza arcas rumpit strangulatque, vel qui argenti fodinas habent prægnantes admodum, cum constet, quantumvis magnum thesaurum exhauriri, nec vacuata redivivum pullulare arca, cum id quod tempore pacifico paulatim & per partes colligitur, bello gliscente pleno sinu effundatur. Hinc quidam Tribunus militum non male respondit Sebastiano Lusitanorum Regi, agitanti expeditionem adversus Afros: *Tribus, inquit, ad id bellum opus esse torrentibus, quorum primus fluat exundetque militibus: secundus, alimonia: tertius auro argentoque.* Et alius interrogatus, quanta pecunia ad bellum requireretur? respondit, *quæ finem non haberet*: & hoc quidem in bellis, quæ in longinquis oris geruntur, verissimum est.

Expertus id est Turcarum Monarcha in bello adversus Persas, in quo potentissimus ille Principum adeo exhausit prodegitque thesauros suos, ut coactus fuerit deteriorem cudere monetam, & auri argentique precium in duplum augere, qua re in furorem acti Prætoriani, Constantinopolim aliquoties spoliaverunt, postremo incenderunt. Intellexit hanc pecuniæ ad gerendum bellum necessitatem Iohannes Iacobus Trivultius, dux belli clarissimus, qui interrogatus, quibus rebus ipse gesturus bellum opus habiturus esset, respondit: *primo Pecunia, secundo Pecunia, tertio Pecunia*: quo tam ridiculo responso quid voluerit, satis clarum est.

Hæc tamen ita demum vera sunt, si Princeps qui bellum gerit, è suo dominio sumtus petat militares: quod nihil novi sit, exercitum aliquem progrediendo vincendoque sibi necessaria parare, & ex hostico tantum acquirere virium, ut continuando bello sufficiat. Sic olim Hunni, Vandali, Gothi, & Arabes, sic ante hos Alexander Macedo, & proavorum memoria Tamerlanes Tartarus in longinquis regionibus bella gesserunt, sine ullis prope suis impensis, cuius postremi, ut & priorum vim cum nemo ferret, secure progressi, occupaverunt urbes & oppida, agentes atque ferentes regiones, postremo tota regna devastaverunt, viventes ipsi ex rapto & internecione populorum. Idem accidit Lusitanis per Indiæ Orientalis provincias grassantibus, idem Castellanis, Novum sive Adversum Orbem pervastantibus. Neque enim ulla unquam gens minoribus suis impensis plura acquisivit, quam Hispani in Antipodum orbe, inque primis Nova Hispania & regno Peruano.

Hoc tamen non tam facile fit nostro tempore quam præterito, nec tam expedita res est in nostra Europa quam in Asia, Africa & America, ob magnum numerum munitissimorum locorum, quæ apud nos passim occurrunt, quæque possunt non per aliquot menses, sed annos properantis ad victoriam remorari cursum. Sic quædam exiguæ Arces Turcis remoram obiecerunt, ut patuit apud Zigethum, quod propugnaculum orbis Christiani, cum Solimannus anno A.N.C.MD.LXVI. cum CCCL. millibus hominum obsedisset, postremo quidem expugnavit, sed tanta virium suarum iactura, ut vix tertiam exercitus sui partem domum in hyberna reduxerit. Sed & Lusitani, qui ab initio cum exigua manu res stupendas apud Indos patraverunt, parum admodum deinde effecerunt, postquam populi illi usum rei tormentariæ, & artem muniendi habitationes suas apprehenderunt. Accidit idem Hispanis, qui cum ab initio inermes Indos instar pecudum mactavissent, postremo inciderunt in bellicosos quosdam populos, in vicinia Novæ Hispaniæ & Peruani regni habitantes, quibus ne latum pedem quidem terræ eripere potuerunt; exempli gratia, in

valle

Digitized by Google

valle Arauquensi, apud Tucapellanos & Chilcas, qui populi, cum experientia didicissent, sagittis trajectos Hispanos mori solere, non amplius eos pro immortalibus habuerunt, aut filiis cœli, sed audacter in eos iuerunt, contemptis sclopetis equisque eorum.

Si vero bellum haud procul à patria gerendum sit, non erit adeo difficile, exiguo temporis spacio magnum colligere exercitum. Hujus rei ut antiqua exempla jam prætereamus; ostendunt nobis historiæ, solos Gandavenses in Flandria cum LXXX. millibus hominum se opposuisse Regibus Galliæ, quod provincia eorum esset valde populosa, & bellum esset in eorum finibus, unde omnes in militiam ruebant, ferentes secum aliquot dierum cibaria. Neque tamen diu sub signis contineri potuerunt, deficiente pecunia rebusque omnibus necessariis, unde paulatim diffluxit tanta hominum colluvies, aliis ad agriculturam, aliis ad opificium suum digredientibus. Sic Scoti, qui ob defectum pecuniæ nihil unquam memorabile extra Insulam designaverunt, collegerunt sæpe exigentibus necessitatibus Patriæ, paruo tempore maximum hominum numerum, eoque vel hostes oppugnaverunt, vel fines suos defenderunt: non secus ac Romani, qui in bellis contra vicinos populos, multis annis suis sumtibus militaverunt. Egressi enim aliquot dierum cibaria secum ferebant, imponebantque fere bello finem uno aliquo paucarum horarum prælio. Cum autem adversus Veientes, qui longius ab Roma aberant, bellum gereretur, oportuit Senatum militibus persolvere stipendia.

In Africa tamen regnisque Orientalibus multo facilius est, quam per Europam nostram, ad oppugnandos vicinos sine magno sumtu exercitus conducere, idque his rationibus. Primum, quod in universum regna illa magis abundent rebus necessariis ad vitam humanam. Deinde quod Meridionales & Orientales populi paucioribus contenti sint, quam nostri, parce comedentes & bibentes, & simplici utentes victu: cum nostri in utroque modum servare nesciant, deliciis cupediisque etiam inter arma studentes: accedentibus necessariis vestibus ad muniendum adversus frigora corpus. Vini, quod apud nos maximæ dividiæ est, populi illi usum ignorant, nam aquæ eorum salubriores fere sunt nostris. Culinariam & Apicianam condiendi cibaria artem illæ gentes, ne fando quidem acceperunt.

In Oriza & Veruecina carne apud Turcas omnes constant delitiæ: Vestes eorum & omnium Orientalium, sunt minoris quam nostræ precii. Quidam seminudi ad bellum proficiscuntur, supparo leviori tecti verenda; unde nec impedimentorum nec opificum in castris eorum tantum, vestium enim apparatus apud eos est levissimus. Hinc planum fit, apud illos minoribus impensis XL. millia militum ali, quam apud nos X. Adde molestissimum rei tormentariæ tractum, & quicquid ad eam rem pertinet, quo gentes illæ levis armaturæ vel omnino, vel bona ex parte carere possunt, inprimis illæ quæ longius à mari remotæ, interiora regionum incolunt.

Neque parum ad rem facit, quod populi illi fere militatum eunt sine armis defensivis, puta Thorace ferreo, galea, lorica, in quæ nos plurimum impendimus: qua quidem in re multum dissimiles sunt priscis Romanis, qui ingredientes non tantum arma secum ferebant Prophylactica & Amynteria, sed & aliquot dierum cibaria.

Tot igitur commoditatibus adiuti populi isti; bonitate soli, simplicitate victus, vestiendi armandique facilitate: multo minoribus impensis & labore quam nos possunt quantumvis magnum colligere exercitum. Sic legimus stupenda effecta exercituum Assyriorum, Æthiopicorum, Beli, Nini, Semiramidis, Cyri, Cambysis, Darii, Sesostris & aliorum: & temporibus recentioribus, Arabum, Tartarorum, Turcarum. Ne quis autem nobis paruam antiquorum ad persuadendum efficaciam obiiciat, videamus, quid Angolæ acciderit anno A.N.C.M.D.LXXXIIII.

Est autem Angola opulenta provincia Æthiopiæ 3
occidentalis, vicina Regno Congo. In hac habuit Paulus Diazius dux Lusitanorum adversus se exercitum Æthiopum, in quo erant duodecies centum millia hominum. Commisso a.d. 11. Februarii mensis prælio, tanta Æthiopum multitudo à modicis Pauli copiis fusa atque profligata est.

Enimvero ita est, tam immanes exercitus diu durare non possunt, suntque magis similes impetuoso torrenti quam perenni fluvio, quod facile quidem contrahi possunt, retineri autem non diutius, quam id durat, quod secum attulerunt. Vnde videmus eos brevi fere tempore dilabi, omissa, quam susceperant, expeditione, cum non habeant quo ad se allicere possint mercatores, aut frumentarios, aut eos qui exercitui necessaria subvehunt. Adde quod prope par numerus requiritur lixarum, calonum, mulionum, aurigarum, servorum, aliorumque impedimentorum, cumque nimis numerosæ sunt copiæ, idem accidit quod Xerxi, cuius hominibus & iumentis vix integra flumina sufficerunt ad aquationem. Soliti autem sunt reges Orientis; antequam in longinquam irent expeditionem, sibi primum omnium de argento, victu aliisq; rebus ad tantum exercitum conservandum necessariis prospicere, constatque Xerxem bellum Græcum meditantem, in eo apparatu totum septennium insumsisse. Sed ut ad regem Braminorum revertamur, occupavit is postremis regni sui annis duos portus marinos celebertimos, Martabanensem & Tarnasserinum: hinc victricia signa nunc in Aquilonem vertens; nunc in Occidentem, bello afflixit principes Caorensem & Tipurensem, occupatisque regnis Marcino & Aracano, abduxit inde hominum captivorum CCC. millia, & multa millia Elephantorum.

Possidet igitur rex iste nostro tempore hæc regna. Pegu, Tangut, Prom, Melinta, Calom, Bacam, Mirandu, Ave, & Bramam, quæ omnia Septentrioni obversa sunt: præterea Sian, Aracan & Marcin cum portubus marinis ad Martabanam & Tarnasserim.

Porro situs regni Pegu refert crescentem Lunam, 4
inter Montes, quos Brachmani habitant, extenditurque in longitudinem secundum littus maris ab Vrbe Rei quæ sub decimo quarto gradu sita est, usque ad Sedoc sub gradu decimo septimo, quod omne spacium est milliarium prope nonaginta in longitudinem, latitudine alicubi prope æquali. Alii dicunt

Digitized by Google

regnum Peguanum ab littore maris, qua Sinus est Bengalensis CCC. millia complecti, facto initio ab urbe Tavaia usque ad Promontorium Nigraense. Perluit hoc medium Pegu fluvius, totiq; regno suum impertit nomen. Portus ejus præcipui sunt Pegu, ad ostium fluvii ejusdem nominis: Martabana: Tavay, & Losmin.

Regnum *Sian* sive *Siam* latissime patet, utrimque tam ab oriente quam Occidente habens Mare. Situm est inter Cauchinchinam & Regnum Termense, quatenus in continentem porrigitur. Si vero littus legamus, extenderetur ab Vrbe Campaë usque ad Tavaiam, quod spacium efficit circiter CCC. leucas. Obtinent autem Mauri & Arabes jam à ducentis prope annis has Vrbes: *Patanam, Paamam, Ioram, & Peream*: Lusitani vero vendicaverunt sibi *Malacam*. Complectitur autem hoc regnum intra se alia quædam minora: Siam proprie sic dictum, & Muantay, cujus caput est Odia Vrbs, & Bramense, Caipumo, Cheneram, Camboiam & Campaën, prætereaque Iangomen, Cucray, & Lancaam, quæ tres provinciæ habitantur à Laiis Præcipuę totius regni Vrbes sunt hæ: *Sian, Odia, Camboia, Campae, Syncapura, Quadoa & Malaca.*

Est autem *Sian* Vrbs ampla atque populosa, apta ad negociationem, sita in ripa lati profundique fluvii Menam, frequens habitatoribus, cum in ea præter cives & indigenas numerentur prope tricies mille familiæ Æthiopum mercatorum.

6 *Odia* sive Muantaia Metropolis regni Muntæi major etiam est quam Sian, cum in ea numerentur C. CCC. millia domuum. Est autem hæc Vrbs Venetiarum instar in aquis structa, ut per omnes plateas eatur minoribus navigiis, quorum ultra CC. millia ibi sunt.

7 *Camboia* sita est in ripa Menonis fluvii, qui à China prodiens, antequam Mare Indicum irrumpat, receptis multis fluviis minoribus, lacum efformat, cujus ambitus ducentarum creditur Leucarum: estque hæc urbs caput regni Cambojensis.

8 Maritima urbs est *Campae*, unde tota provincia denominationem trahit. *Syncapura* in extremo angulo Meridionali sita, in Promontorio, quod appellatur Grande, Ptolemæus putatur hic ponere oppidum Zaben, Maginus tamen magis existimat Paluren Ptolomæi esse, unde proficiscantur qui Chrysen petunt sive Iaponiam. Vrbem *Malacam* descripsimus, ubi de provinciis Regis Hispani disseruimus. *Quadoa* celebritatem peperit ingens piperis in agro eius proventus. *Ave* regnum est affluens, à Brachmanis habitatum antequam id Rex Peguanus occuparet. Caput eius est Ave civitas, structa in ripa fluvii ejusdem nominis. *Vermiense* regnum paruum est, vicinum Bengalæ, nec ullum habens portum. *Aracanum* finitimum est regno Bengalensi, iuxta fluvium Chaberium. Vrbs eius principalis, quæ toti regno nomen communicat, supra eundem fluvium est, XLV. mill. à mari.

NATVRA ET QVALITAS TERRÆ.

9 Mira est agrorum in regno *Pegu* fertilitas, præcipue generando frumento. Colligitur hic incredibilis vis Orizæ, quæ quidem res Pegu fluvii inundationi tribuenda est, qui per totum labens regnum magnam ejus partem pinguibus suis aquis inebriat. Animalium omnis generis hic magna copia, inprimis equorum numerosa armenta, quamvis minorum, qui tamen ad portandum apti equitem: itemq; Elephantorum qui in certis montibus capiuntur, & ad usus belli servantur. Psittaci hic numero maximo volitant, quorum & vox est suavior & pulchritudo major quam alibi. Feles Civettæ hic reperiuntur, & arundines sive cannæ tanta vastitate, ut capacitatem dolii æmulentur. Inveniuntur & hic Pyropi sive Rubini gemmæ, & Laccor, quam quidam putant esse resinam arboris, alii succum, qui colligatur in foliis arborum instar Mannæ.

Territorium *Sianense* altis undique cingitur montibus, intus planum, herbidum, pingue ac fertile, abundans Oriza, farre aliisque rebus ad vitam necessariis. Multum hic crescit Piperis & Laserpitii (vulgo Benioin) terræ viscera suppeditant Aurum, Argentum, Stannum aliaque Metalla. Moschi insuper odorati hic copia, plurimique equi & Elephanti. Visitur in hac regione *Lacus Chianceius*, è quo prodeunt fluvii, Ave, Caipuno, Menam, Menon cum aliis, qui regiones, quas pererrant, sua inundatione pingues faciunt, ut Nilus Ægyptum. Versus ortum, qua regnum hoc est confine Cochinchinæ, Sylvæ ac nemora ingentia sunt, in quibus crebri versantur Leones, Tygrides aliæque bestiæ noxiæ.

Ager provinciæ *Camboia* affluit oriza, carnibus piscibusque, abundatque equis & elephantis, nec destituitur prorsus Auro.

Regnum *Campaense* uberes auri fodinas habet, & res omnes ad vitæ sustentationem necessarias. Lignum Aloes, quod hic crescit, cæteris in hoc genere præfertur, Inprimis id quod in montibus nascitur, cuius precium apud orientales populos non est inferius ipso argento. In regno *Avensi* gemmæ, inprimis Pyropi reperiuntur, & animalia è quibus Muscus odoratus colligitur. Elephantorum vero magnus hic est numerus, ut & equorum, terra & his & hominibus omnia necessaria suppeditante.

MORES ANTIQVI.

Ne Lectori ingrata repetitio legendi pariat tædium, remitto eum ad id, quod in descriptione regni Narsingæ dicturus sum, ubi primum agam in commune de moribus & ritibus priscorum Indorum, deinde sigillatim de regno Brachmanorum aliisq; populis, qui regi Peguano subiecti sunt.

Ingenium & Mores horum populorum nostri temporis.

Qui regnum *Peguanum* incolunt, sunt statura mediocri, obesi tamen magis quam graciles. Membra iis sunt robusta & agilia, neque tamen ipsi propterea bello utiles. Incedunt toto corpore nudo, velati tantum partes verendas. Caput tegunt panno laneo albo, in mitræ speciem fastigiato. Mulierum amori deditissima gens est, suntque multi inter eos, qui in harum gratiam tintinnabulum argenteum vel aureum de membro virili dependens gestent, ut Ingredientes 10

Digitized by Google

dientes per civitatem audiantur. Quidam Hebræi scriptores sentiunt, aurum Ophir, cujus in sacris litteris mentio fit, è Sumatra Insula petitum fuisse, & quod incolæ Peguani originem suam traxerint à Iudæis, quos Salomon Rex huc miserit. Ipsi tamen Peguani tam stolidi sunt, ut dicant se è cane & muliere Chinensi ortos: & sunt sane in cæteris quoque rebus hi homines mille superstitiosis & ridiculis opinionibus imbuti; & nulli rei nisi voluptatibus dediti.

Quibus nihil cedunt habitatores regni *Sian*, immersi omnibus deliciis, toti rebus venereis mancipati, & lurcones graphici. Musico concentu valde delectantur, & à canentium dependent ore. Artes mechanicas ipsi non tractant, sed omnia opificia servis suis delegant: laboribus tamen rusticis non omnino abstinent. Gymnasia habent publica, in quibus instituitur juventus in religione & legibus patriis, lingua vulgari: nam ad docendas artes scientiasque alia utuntur, multum à vernacula differente. Erat olim apud Sianenses Lex, ut novus rex, antequam diadema sumeret, auspicaretur Templum aliquod, illiudque exornaret variis ædificiis, pyramidibus & statuis Idolorum.

11 Regni *Camboiensis* incolæ robusti validique sunt, exercitati in navigationibus & mercimoniis, moribus tamen fœdis barbarisque, ut qui existiment, hominum brutorumque eandem esse conditionem. Defunctis & rogo impositis maritis addunt se uxores eorum socias, in ignem insilientes, ut simul comburantur. Regibus vero defunctis idem præstant officium, non conjuges eorum duntaxat, sed & Nobiles quidam, idque sponte & nullo cogente.

Apud *Campaenses* frequens est usus Aloes, tam in quotidianis balneis eorum, quam in funerationibus virorum principum.

12 *Tarnasserini* pro armis defensivis muniunt corpus spissa veste è gossypio, utentes gladiis brevibus & incuruis: clypei eorum facti sunt è corticibus arborum. Ipsis omne animantis genus in cibum venit, excepta vacca. Cibum capiunt humi sedentes sine mappa vel linteamine: potus est aqua saccaro edulcata. Lecti eorum à terra elevati, & stromatibus xylinis instrati sunt, amictus pariter è gossypio, aliquando etiam è serico. Terram nostro more colunt fodiuntque, & nobis in multis rebus similem degunt vitam. Virginitatem mulieribus suis ipsi non adimunt, neque cum iis consuescunt, nisi prius vir coloris albi, sive sit Christianus sive Mahometanus illas iniverit. Si vero post id tempus maritus uxorem cum alio congredientem deprehendat, licet ei occidere mœcham.

13 Mortui Sacerdotis corpus comburitur, fitque solenne sacrificium Diabolo: cineres collectos in urnam recondunt bene clausam & obturatam, eosque humi defodiunt. Dum ignis ardet, coniiciunt in rogum multum aloes, myrrhæ, Laserpitii, Coraliorum, thuris, santali, aliarumque rerum aromaticarum, ad ciendam fragrantiam: perstrepentibus interim tubis lituisque.

Interea adsunt viginti vel triginta, in Dæmonum habitum deformati (ut quidem pinguntur) qui saltando circum pyram, miram ostentant lætitiam, persuadere volentes circumstantibus eo tripudio, defunctum perpetuis frui bonis: Sola uxor eius percutit pectus suum, plorans gemensque, fiuntq; hæc omnia circa Mesonyctium. Quinto decimo die post defuncti vidua invitat propinquos agnatosque suos & mariti mortui, iisque exhibet epulum solenne, eo ipso in loco, ubi vir exustus fuit. Ipsa induta preciosis vestibus, ornata gemmis & unionibus adest, materia futurae tragœdiæ. Ibi deprimitur fossa profunda, in modum putei impletur que lignis siccis odoratis, cinguntque labrum putei rosis aliisque floribus, tegentes id panno serico, ne compareat. Finito convivio circustantes fossam Musici concinunt, & postquam Diabolo perlitatum est, adest mulier, saltansque ac plaudens pedibus accedit fossam, quæ iam tota intus ardet, ut multas flammas eructet, cumque se commendavit precibus eorum, qui diabolicis induti adstant vestibus, accedit propius ad puteum, involutaque panno illo serico coniicit se mediam in ardentem flammam. At propinqui eius iniicientes in eam ligna arida, picem atque resinam, augentesque flammam, mortem eius celerius procurant. Si qua uxor hoc officium defuncto marito non præstaret, per omnem vitam haberetur infamis. Notandum tamen est, hanc consuetudinem à Nobilibus tantum, & qui cum præcipua dignitate sunt, observari, neque quenquam è plebe, sed plerosque viros Illustribus Nobilibusque ortos familiis huic ceremoniæ interesse.

Qui *Vermense* regnum incolunt, colore nigro tincti, prorsusque nudi incedunt, nisi quod exigua lacinia pudenda cooperiunt.

OPES ET DIVITIÆ.

De facultatibus divitiisque horum regnorum facilis coniectura sumi potest ex soli fertilitate: quod cũ plurimis irrigetur magnisq; pulcherrimis fluviis, quib. impinguatur, velut Ægyptus à Nilo, dici non potest, quantopere provinciæ illæ omnibus rebus abundent. Magna hic copia Orizæ, Auri, Argenti, Stanni: plurimi Equi & Elephanti: & hæc omnia exteris vendunt. Huc igitur veniunt Mercatores ab omnibus partibus, auferentes secum Orizam, Laccam, Laserpitium, Moschum, Gemmas, Argentum, Butyrum, Oleum, Salem & multa terra nascentia. Soluunt enim quotannis ultra XL. magnæ naves onustæ Oriza pro sola Insula Sumatra, ex portu Pegu urbis. 14

Regnum Sian submittit exteris Piper, Moschum, Laserpitium, Aurum, Argentum, Stannum, & infinitum numerum Equorum, præter Elephantos. Campaense vero multum ex Aloe percipit lucri. Quedoæ piper præ cæteris commendatur, unde magnus ad hanc urbem à mercatoribus est concursus. In regno Avensi multi comorantur mercatores gemmarii, quanquam ibi etiam multum vendatur Moschi, & Equi atque Elephanti magno numero. Ex his omnibus colligi potest, Regem Peguanum, cuius terræ adeo omnibus rebus affluunt, longe maximas possidere divitias.

Potentia & Robur Militare.

Sed nec de potentia huius Monarchæ dubitari 15

Digitized by Google

debet, quin maxima sit. Solus enim Rex Siamensis, ab illo omnibus fortunis ipsoque regno spoliatus, & cujus regnum vix quartam quintamve partem potentiæ Peguanæ constituit, solebat habere triginta millia militum, & VI. Elephantorum millia, è quibus III. millia ad bellum adsuefacta fuerunt: qui profecto numerus non contemnendus est, nec paruas impensas exigit.

Habet insuper rex hic in suis Regnis Timariothas, sive Vasallos & Beneficiarios, quorum ope facile colligere potest XXX. millia Equitum & CCL. millia Peditum, qui semper præsto sint ad militiam ita ut regnorum incolas fatigare nihil sit necesse. Quod si urgentior aliquis casus maiores copias exigat, potest ad decies centena millia hominum cogere, cum Regnum hoc sit amplissimum, provinciæ urbibus plenæ, populosæ, cultissimæque. Sola enim urbs Odia putatur emittere posse L. millia hominum, si opus sit. Neque solum abundant hujus Magni Regis regna & provinciæ omnibus ad usus vitæ & divitias, sed etiam hominum multitudine.

Modus Gubernationis.

16 Habet Rex Peguanus merum atque absolutum imperium in omnia sua regna & provincias, soletque agros per Præfectos suos partiri atque elocare aratoribus pro certo frumenti modo. Eosdem tamen aliquando permittit proceribus regni, ut inde vivant, sive id fiat ad certum tempus, sive ad dies vitæ, nunquam autem jure perpetuo, ut hæreditate transeant ad beneficiariorum posteros. Conditiones legesque iis has dicit, uti sibi serviant in omnibus belli occasionibus, cum tanto numero peditum, equitum, vel elephantorum. Illustrioribus etiam Provincias & urbes cum Iurisdictione ad aliquod tempus conferre solet, iisdem conditionibus. Solebat Rex Peguanus etiam inter Prætorianos Custodesque corporis sui habere mille Christianos, quibus plurimum fidebat, & præcipua aulæ suæ negocia committebat. Putatur autem hic Princeps eos gravibus oneribus premere.

Apud Tarnasserenses homicida morte punitur, nec ulla spes est veniæ. Debitor condemnatur ad solutionem præstandam, si creditor professionem debiti membranæ inscriptam ostendere possit: Calecuthenses enim in corticibus arborum & tabellis ligneis scribunt. Si quis peregrinus sine hærede moriatur, succedit ei Fiscus, ita, ut ne testari quidem illi liceat, rege se asserente Dominum omnium.

RELIGIO HORVM POPVLORVM.

17 Etsi Sianenses omnis superstitionis in his oris auctores putantur, credunt tamen Deum creasse cœlum & Terram, eundemque præmiis afficere bonos, & pœnis malos. Cuivis homini duos adesse spiritus ajunt, quorum ille quidem custodiat & ad bonum ducat, hic vero ad malum impellat divexetque. Multi sunt in extruendis Templis, eriguntque iis multas statuas, quos ob virtutem in Cœlum adscendisse opinantur. Inter alias videtur una statua, quam Patris Generis Humani esse asserunt, longa pedes XXX. Hunc de Cœlo fuisse missum autumant, exque eo natos quosdam, qui atrocia pro amore Dei sustinuerint supplicia. Sacerdotes, qui in maximo apud hos sunt honore, vestiuntur panno flavo, quod omne flavum propter similitudinem cum Sole sacrum & Deo dicatum putent: in eorum domos mulierem ingredi fas non est, nec quicquam fœmineum, ne gallinas quidem. Sacerdos convictus bibisse vinum, lapidibus obruitur. Crebra apud illos ieiunia, unum tamen solenne, cuius tempore populus ad templa confluit, ut audiat perorantes Sacrificos. Observant hi certas horas rei divinæ constitutas, partim interdiu, partim de nocte. Mundum hunc aliquando initium sumsisse noverunt, putantque eum VIII. millibus annorum duraturum, & ex his jam VI. millia effluxisse. Sentiunt finem Mundi futurum per ignem, & tunc apparituros in Cœlo VII. Soles, qui exsiccaturi sint fluvios ipsumque oceanum, & combusturi terram: è cineribus autem emersura duo ova, ex altero prodituram virum, ex altero fœminam, & hos quidem propagaturos novam posteritatem hominum. Tunc nullum amplius superfore Mare aquas salsas habens, sed amænos lacus, stagna, rivos atque flumina, quibus terra affatim irrigata, productura sit omnes res bonas citra laborem hominum. 18

Idolorum falsorumque Numinum apud eos modus non est: adorant enim & quatuor Elementa sive Principia Rerum, eligitque quisque sibi moriens sepulturæ genus conforme elemento quod coluit. Qui Terram venerati sunt, defodiuntur; qui honorem detulerunt igni, comburuntur; qui coluerunt aquâ, demerguntur: qui aerem, suspenduntur, ut à volucribus absumi possint.

Philosophi Peguani statuunt innumeros Mundos, qui sibi in infinitum succedant, tribuuntque cuique suos deos, sine numero. Mundum per ignem destruendum & ipsi credunt, sed paulo post instauratum iri cum suis Diis. Referunt & in numerum Deorum certos quosdam homines, sed hac conditione, ut prius transeant in pisces, quadrupedes & volatilia. Tria loca post hanc vitam fore opinantur: unum lætitiæ, alterum tormentorum, tertium annihilationis, & hunc postremum vocant *Mibam*. Quantum ex his principiis nascatur vanitatum, quantum stolidissimarum superstitionum, quantum inanium ceremoniarum, facilius ex cogitatione assequi quam scriptione. Sunt & in veneratione apud eos certæ quædam strues sive moles terreæ, inauratæ, forma pyramidali, tantæ altitudinis, ut minima ex iis XL. Orgyas superet. Editissima est in urbe Degum, tantæ proceritatis, ut ex eius summitate totum regnum oculis comprehendi possit: vocant autem has pyramides *Vareles*. Dedicatæ sunt hæ diis, quorum magnitudinem (ut Indi aiunt) exprimunt sua altitudine.

Domicilia, sive, ut vocant, Conventus Sacerdotum vicini sunt Templis Idolorum, ubi fere CCC. simul habitant. Caput his & mentum rasum, vestis toga prolixa, ad talos demissa, manicata. Nulla his penitus cum mulieribus conversatio, cum viris autem perexigua, quamquam peregrinos satis comiter excipiant. In quibusdam ex his Conventibus vivitur ex assignatis proventibus, in aliis ex eleemosynis & beneficentia 19

Digitized by Google



LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

neficentia opulentiorum. Sunt & pro mulieribus certa quædam loca & receſſus, in ſolitudinem ſe recipere deſiderantibus. Sunt & quædam ſecretiora receptacula, Adytis Sacelliſq; veterum ſimilia, in quibus ipſi aſſervant Idola ſua, quæ magna colunt veneratione, ſuntque qui ſcribant, huiuſmodi ædicularum aliquot millia apud eos reperiri.

Ieiunium ſtatum anniverſariumque apud eos durat diebus XXX. quibus ab omni cibo abſtinent uſque ad veſperam. Furem in altera vita illius ſervum fore credunt, cuius res furto abſtulit. Interficere quicquam, quod vitam habet, nefas iudicant: unde Rex ſubinde propoſitis edictis monet eos, ut à tã gravi peccato abſtineant, neu quod corpus vivum interimant. Noſtro tamen ævo hoc parum obſervatur, cum Magiſtratus & Iudices corrupti argento & hoc & aliud quidvis ſolita conniventia permittant.

Non autem putandum omnes Peguanos, Sianenſes, Tarnaſſerenſes & alios harum provinciarum Incolas apud Indos eſſe propterea ſapientes, quia notum illud *Brachmanum* geſtant nomen. Proculdubio nomen ab his accepit totum regnum; eo quod in his oris celebres Scholas habuerint olim, atq; ex iis ipſis Proceres antiquitus & Reges deſignati ſint ob virtutis & ſapientiæ laudes, quod rudi plebi eſſent quaſi miraculo. Siquidem beatus Hieronymus teſtatur Apollonium Thyaneum ad Brachmanes profectum eſſe in Indiam, ut Iarcham in ſolio aureo ſedentem audiret diſſerentem de Syderum motu. Nempe prout Perſæ ferme audiunt hodie *Sophiani*, Abyſſinorum Reges *Preteiani*, id eſt, Apoſtolici &c. Sic his hæreditarium quaſi obtigit hoc nomen & emanavit ad totum populum, quod paucorum erat. Brachmanes autem dicuntur eſſe *Abrahamida* (unde & nomen quidam derivant) Patriarchæ apud Moſen nobiliſſimi ex Concubinis natorum filiorum poſteri; qui Aſtrologiæ, Phyſicæ atque etiam Sanioris Theologiæ principia ex domo Abrahæ ad ſe derivata in has oras ſecum attulerant. Retentis Philoſophicis à pura Petrucii ſui Abrahami Theologia paulatim degeneravere ad ſuperſtitiones & Idololatriam. Strabo ex Oneſicrati ſententia duo facit genera Philoſophorum Indorum alios *Brachmannos*, alios *Germannos* appellans. Illi hæreditate, hi electione Philoſophiam profitebantur. Qui honoratiſſimi erant, *Hylobii* erant (quaſi Eremitæ in ſylvis tenuiſſimè viventes & ieiunantes ob theoriam &c.) poſtea *Gymnoſophiſtæ* communi nomine omnes appellati. Hodie diviſi ſunt in duas quaſi ſectas, *Baneanes* & *Bramanes*. Vide Strabonem, Plinium, Alſtedium, & alios. De his etiam aliquid infra in Narſinga & Biſnagar.

* * *

INDIA INTRA GANGEM, SIVE REGNVM MAGNI MOGOR.

(De Mogulis ſive Mogoris Indi rebus præter Geographos Strabonem, Ptolemæum, Munſterum, Mercatorem & Hondium, legi poſſunt D. Garcias, Eduardus Therryus, Texeira, Rodolphus Fitchius, Thomas Roeus & inprimis Iohannes de Laet in tractatu ſpeciali de Imperio Magni Mogolis &c.)

Summa Capita.

1 *Vaſtitas & magnitudo huius imperii, in quo nonnulli numerant quadraginta ſeptem regna. Duo novi principatus in eo.*

2 *Exegeſis Regnorum quæ Monarcha ille poſſidet: & primo quidem de regno Cambaiæ. huius longitudo, limites, præcipuæ urbes & Emporia.*

3 *Regnum Bengalæ.*

4 *Sanca.*

5 *Delli.*

6 *Origo & Fons Indi fluvii celeberrimi. Abundat regnum Cambaiæ Oriza, cera, ſaccaro, thure fructibus, aromatibus, goſſypio, ſerica lana, gemmis, ut & Elephantis, Dromadibus, Equis. Ingentes in eo Arundines.*

7 *Divitiæ & arma veterum Indorum, coniunctio libera, impudici congreſſus cum fœminis in publico.*

8 *Sævus mos olim & pluſquam belluinus, ſenum mactatorum veſci corporibus.*

9 *Quæ ſint eorum Numina, quæ ſacrificia.*

10 *Ingenium & Natura harum gentium noſtro tempore. Color & conſtitutio corporis, veſtes, matrimoniorum contrahendorum ratio, incantationes.*

11 *Opes eorum conſiſtunt in negociatione ſerici, goſſypii, aromatum, gemmarum. Theſaurorum regiorum magnitudo.*

12 *Vires militares, conſiſtentes in equitatu potiſſimum, tormentis æneis, Elephantis & variis armis.*

13 *Quantum numerum equitum, quantum peditum, quãtum elephantorum Monarcha hic in bellum producere poſſit.*

14 *Quibus rebus incrementum huius Monarchiæ hactenus impeditum ſit.*

15 *Tres Sectæ Religioſorum in hoc regno, Paganiſmus, Mahometiſmus, Iudaiſmus.*

COMPREHENDITUR hoc imperio maxima 1
pars veteris Indiæ, & prope omne iſtud terra-
rum

rum ſpacium, intra Caucaſum Montem & Sinum Gangeticum atque Mare Arabicum, itemque intra Gangem & Indum fluvios. Dicitur autem Caucaſus Mons noſtra ætate *Dalánguer* & *Naugrocot*. Multa regna intra hoc tam vaſtum Orientis ſpacium continentur, ſuntque qui ad XLVII. numerent. Non eſt tamen diſſimulandum, duos magnos Principes, *Nizzamalucum* & *Idelcanum*, quorum principatus noſtra memoria ſtabiliti ſunt, amplam in hoc Regno poſſidere regionem, quæ *Decania* nominatur, porrigiturque ſecundum longitudinem in littore maris ad CCL. millia. Et Nizzamalucus quidem regiam ſuam habet in oppido *Tanagro*: Idelcanus vero in urbe *Viſapora*, quanquam præcipua Vrbs Principatus illius ſit *Bider*, quam ſequitur in ordine *Decan*, unde toti regioni nomen. Hæc dicimus, ut vel aliquam duntaxat de his Principibus habeamus notitiam, cum plura de illis diſcere non potuerimus. Sed ut ad ipſum hujus tam magnæ partis Indiæ Monarcham revertamur; præcipuorum regnorum quæ ipſe poſſidet, hæc ſunt nomina. *Cambaia*, *Delli*, *Sanca*, *Mandro*, *Bengala*, præter alia multa minora. Regia autem ejus eſt in urbe Delli, quæ toti illi regno nomen ſuum tribuit.

2 *Cambaia* alio nomine regnum Guzaratarum porrigitur in longitudinem ſecundum littus Maris in D. millia, à Bataeo fluvio qui juxta Caulum urbem in Oceanum præcipitatur, uſque ad *Circamam*, regionem Perſici regni. At aliis ex partibus attingit regna *Dulcindæ & Mandaco*. Erunt ergo limites ejus; ab oriente Mandaco: ab occidente Nautaces ſive Gedroſii: ab Aquilone eſt Sanca & Dulcinda: à meridie Oceanus & collimitia regni Decanenſis. Vnde conſtat, regnum hoc ampliſſimum eſſe, urbibus & oppidis, caſtris pagiſque & hominibus frequentiſſimum, ut in eo numerentur LX. millia locorum habitatorum. Vrbes eius celebriores ſecundum littus hæ ſunt: *Daman*, *Bandora*, *Curat*, *Ravet & Bazuin*, ex quibus duæ primæ aliquando everſæ ſunt per Luſitanos. In mediterraneis regnis eſt *Madavar*, vel *Amodabar* ut & *Cumbaia* urbs, unde cognomen toti regno eſt impoſitum. Putatur autem hæc urbs habere CXXX. millia familiarum, eſtque pulcherrima in illis partibus, adeo ut dicatur Cayrum Indorum. Sequitur *Campanela*, antiquum regum Palatium, in ſummo monte ſita, ſeptemplicique muro cincta. Deinde eſt *Tanae*, & *Dius* aliquandiu poſſeſſa à Luſitanis; ut & *Daman*, cuius iam ante fecimus mentionem.

Regnum *Bengalenſe* valde amplum eſt, multiſque
3 urbibus frequens tam maritimis quam mediterraneis, extenditurque in longitudinem millibus C.X.X. *Guro* civitas habitatio regum aliquando fuit, deinde *Bengala*, unde totum regnum & Sinus propinquus nomen trahit. Putatur autem hæc urbs omnium prope Indicarum pulcherrima.

4 Regni *Sanquenſis* caput eſt urbs *Citor*, ſita loco commodiſſimo, habens XII. millia in circuitu, ædibus exculta publicis privatiſque pulcherrimis, muris non tantum cincta firmiſſimis, ſed & vallo & foſſa munita. Fuit hæc regio noſtra memoria ſub poteſtate fœminæ, nomine *Crementina*, quę tam magnanima fuit, ut auderet regi Baduriæ negare tributum, ſed ad extremum Citore urbe ſpoliata fuit, in quam ſe abdiderat cum XXX. millibus peditum, & duobus millibus equitum. Cæterum & urbem & regnum hoc Rex Cambaiæ poſtea ſibi ſubiecit.

Delli regnum ſitum eſt intra regna Narſinganum, 5
Decanenſe, Orixanum, & Cambaienſe, à quo poſtremo montibus ſeparatur. Aiunt hoc olim ab Amazonibus habitatum fuiſſe, & ſuperſunt etiam aliquæ earum reliquiæ, quæ equis inſident ut viri. Nondum adeo multi anni ſunt, cum rex quidam Mahometanus hic regnavit, cuius uxor fere ingredi ſolebat comitata equitatu muliebri bis mille fœminarum: ſed ad extremum & hoc regnum Mogor ſibi vendicavit, qui Regiam ſuam habet in urbe Delli, totius regni Metropoli.

Qualitas & Natura huius partis Indiæ.

Cum Regnum Cambaiæ multis irrigetur fluviis, 6
Indus tamen facile primus eſt omnium, qui medium id interluit. Oritur hic in Monte Caucaſo, qui hodie à Barbaris Naugrocot appellatur, cumque longiſſimum curſum circiter CM. millium paſſ. confecit, præcipitatur in Oceanum, duobus hauſtus oſtiis ampliſſimis. Abundat autem tota regio oriza, cera, ſaccaro, thure, fructibus arboreis aromatibuſque, tantaque inſuper copia ſerici & goſſypii, ut aliquando XL. vel L. naves eo oneratæ in exteras mittantur regiones. Reperiuntur hic plurimi Equi, & Elephanti, & Abades, qui corporis dupla magnitudine tauros vincunt, habentes in promuſcide ſive roſtro cornu, totumque tecti corpus tam duro cortice, ut ferro nullo perfodi poſſint. Sed hi veri ſunt Rhinocerotes. In montibus vero reperiuntur variæ gemmæ, Onyx, Adamas, Calcedonius, aliæque. Styracis liquidæ hic plus quam alibi.

Regnum *Bengalenſe* humectat Chaberis fluvius, quem quidam putant eſſe veterum Gangem: quanquam aliis videtur eſſe is fluvius, qui progreſſus à Gata monte exonerat aquas ſuas in Sinum Bengalenſem (qui veterum fuit Gangeticus,) haud procul ab oſtio Chaberis fluvii. Omnia hic largiter proveniunt, quę ad vitam humanã ſunt neceſſaria, frumẽtũ ſom nis generis, Oriza, Saccarũ Gingiber laudatiſſimũ, Piper longum. Xylini vero & ſerici copia omnes alias vincit regiones, & carnium piſciumque abundantia univerſam ſuperat Indiam. Adde quod totum regnum aere perflatur ſuavi & temperato, quæ ſalubritas etiam extraneos huc allicit. Inveniuntur ibi Arbores, Moſes appellatæ, quarum fructus tam grati ſunt palato, ut Iudæi & Mahometiſtæ ſentiant, hunc eſſe fructum, in quo prævaricatus fuerit Adamus Protoplaſtes. Arundinum ſive Cannarum ea eſt amplitudo, ut doliorum vicem præſtent ſingula internodia, cum ea ſint craſſitudine, ut ab homine ulnis vix comprehendi poſſint. Regnum Delli ſuppeditat præter cęteras res, quas in aliis provinciis inveniri diximus, plurimos Equos, Elephantes & Dromades è Camelorum genere.

MORES ANTIQVI.

Certum eſt, eos qui hanc Indiæ partem occupave- 7
runt, adeoque ipſum Mogor (& hæc videtur eſſe ratio nominis) à Zagathæis Tartaris prodiiſſe, unde & Princeps iſte è Tamerlanis poſteritate ſe ortum gloriatur:

Digitized by Google

gloriatur : sed & olim Massagetas partem regni hujus habitavisse. Quicquid sit, non erit alienum à nostra ratione, aliquid de huius gentis priscis moribus dicere.

Solebant igitur hi populi balteos suos, & Cassides galeasque, & humeralia, & thoraces, adeoque omnia arma, sed & ornamenta equorum suorum, frenos, habenas, postilenas aliaque purgatissimo ornare auro. Cuspides hastarum erant ex ære, cum neque haberent usum ferri neque argenti. Singuli singulis uxoribus contenti erant, quanquam passim miscerentur mulieribus in propatulo, sine verecundia. Si quem libido venerea invasisset, appensa ad currum tuum pharetra, cum uxore sua palam congrediebatur, nihil pensi faciens, sive videretur sive non.

8 Hoc quoque de hac gente annotaverunt prisci, si quis inter eos ad extremam senectam devenisset, conveniebant propinqui & amici eius, eumque instar pecudis mactabant, addita ove vel veruece pro victima succedanea : his immolatis miscebant carnes humanas cum veruecinis, & ita in convivio publico absumebant utrasque. Eos, qui languore aut morbo moriebantur, non comedebant, sed humi defodiebant, deplorantes infelicitatem eorum, quod carnes eorum ab hominibus absumtæ non fuissent. Rus neque arabant neque sementem proiiciebant, contenti lacte gregum armentorumve & piscibus.

9 Solé ante omnes deos suos unice colebant, cuius honori solebant immolare equum, optimo Astrorum optimum celeberrimumque animalium sacrificantes.

Mores eorum nostri temporis.

10 Incolis regni Cambaiæ propemodum omnes addicti sunt mercaturæ, ad bellum ferme inutiles. Colore sunt subfusco, ingrediunturque omnino nudi, nisi quod pudenda velant. Caput tegunt purpureo pileolo, aliquando, sed raro, utentes indusio lineo. A carnium esu abstinent, victitantes lacte, oriza, ordeo, aliisque terra nascenbus & inanimatis. Barbam pectunt nutriuntque, demittentes etiam capillos instar mulierum, eos torquis instar plectentes. Singuli viri singulis fœminis contenti sunt, & fœminæ pariter, viventes caste in viduitate. Auguriis & futurarum rerum prænotioni usque ad Magiæ insaniam dediti sunt. Principes suos vel vecti Elephantis vel equis mane salutatum veniunt ante Palatium, ad sonum strepitumve tubarum atque lituorum : Eundem observantes morem, quoties Rex ad prandendum discumbit.

Habitatur autem regnum Bengalense à multis nationibus, ob salubritatem aeris & affluentiam omnium bonorum. Indigenæ plerique colore albo sunt, ingenio acri, moribus commodis, attenti in negociis, nec omnino alieni à fraudibus. In mercatura sunt versatissimi, nec facile circumscribuntur. Nudi non incedunt, ut reliqui solent Indi, sed tegunt corpus indusio candidissimo, ad talos usque demisso, iniicientes huic etiam togam sericam. Caput Turpane operiunt, imitatione Turcarum Persarumque. Magnifici sunt & molles atque delicati, tam in vestibus quam reliqua vita. Bonarum artium scientiarumque rudes sunt, nisi quod quidam Astrologiæ & Medicinæ studeant. Gangem fluvium in magno habent honore, existimantes, si in eo laventur, omnia sua simul ablui delicta atque scelera. Sed avaritia Principum factum est, ut nemo in fluvio lavare corpus possit, nisi numerata certa pecunia.

OPES ET DIVITIÆ.

Præter ingentem vim gossypii & serici, quo utroque quotannis innumeras onerari naves, ut ad exteros devehantur, diximus: Præterque aromata & gemmas, quæ incolæ solent vendere peregrinis, & ex quibus ingentes divitiæ huius regni colligi possunt: Præter hæc inquam omnia dignum est consideratione, quod Maphæus de Badurio refert, qui tamen præter Cambaiense regnum nihil terrarum possidebat. De hoc igitur Badurio narrat is scriptor, eum, cum adversus Mogorem suppetias ferret Regi Mandaonis, traxisse secum D. doliola plena auro & argento, ad persolvenda militibus suis stipendia, idque factum fuisse anno A Nato Christo M.DXXXVI. Cumque duobus victus præliis, castris omnibusque impedimentis exutus fuisset, misisse ad Solymannum Turcarum Monarcham Legatos cum dono DC. millium coronatorum, uti sibi suppetias ferret. Sed paulo post factum pœnitentia, quod à tam longinquo Principe petiisset auxilia, ad amicitiam Lusitanorum confugisse, iisque non solum permisisse, ut munimentum excitarent in Insula Dio, sed & ingentia misisse munera. Hinc fieri potest coniectura, quantas esse par sit divitias Monarchæ illius, quē Mogor vocari diximus, cum non solum huius Badurii regnum obtineat, sed & multas alias provincias, illo nulla ex parte minores aut deteriores. Ex solo regno Guzeratensi quotannis vectigalia ad Regis thesauros afferunt CL. tonnas auri. Vix credi potest, quantam summam, Tomas Roëus anno M.D C.XVI. oculatus testis nomine Regis Magnæ Britanniæ legatus ad Mogolem recenseat, quantos itidem apparatus bellicos, ex quibus opes eius principis colligi facile possunt. Ludicra sunt, quæ nostri possident Imperatores, si ad hunc comparentur. 11

ROBVR ET POTENTIA MILITARIS.

De huius tam magni principis potentia pariter iudicium ferre possumus ex eiusdem Badurii exercitu, quem aiunt constitisse equitibus centies quinquagies mille, in quo numero fuerint equorum loricatorum XXXV. millia : peditatum vero eius fuisse ampliorem D. millibus hominum. Addit Maphæus, tantum eum post se traxisse curruū, instrumentorum & impedimentorum, ut difficile sit, ad fidem dicere, si quis ad Europæorum principum rationes æstimare velit. Habuisse eum ait tormentorum æneorum II. millia, interq; ea quatuor, quæ singula fuerint à CCCC. bobus tracta, quingentos insuper currus, nitrato pulvere & globis ferreis oneratos, & Elephantos militariter instructos CC. Si igitur hoc loco pari modo, ut de divitiis, ratiocinari volumus, dicemus; cum Magnus ille Mogor præter Badurii regnū, quod sibi subiecit, tot regnorum provinciarumque sit do- 12

Digitized by Google

sit dominus, eum posse colligere exercitum, cujus vel solum nomen omnibus vicinis regibus terrorem incutere possit. Quid enim prohibebit, eum tantas conducere copias, quantas vix quisquam cogitatione assequi possit? Quid impediet, quo minus eas alat, armet, instruat, omnibus his rebus affluentissimus? Nihil invenies in eius impedimentis, nisi quod ad gerendum bellum necessarium est. Abundantia vini, varietas cibariorum, lecti & stragula, calonum lixarumque instrumenta, & his similia onera ab ejus castris longissime absunt. Abundat hic princeps omni materia metallica ad fundendas machinas ignivomas; satis hic plumbi ad globos, satis ferri ad fabricanda arma: boum, equorum, elephantorum copia. Accedit tyrannicum horum principum dominium, qui consueverunt opprimere cives, ut eorum facultatibus ditent milites, eosque magis sibi ad fidelitatem obligent. Inprimis hoc Principibus Mahometanis non est infrequens, uti se suaque omnia committant servis, qui sæpius captata occasione, excussis Dominis arripiunt imperium, quod ut obtineant, populum prædæ exponunt: neque enim vanum est, quod ille dixit: *quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit.* Sic Turcici Imperii firmamentum sunt Ianitsari, quos ut Princeps habeat benevolos, necesse est ut omnia illis, quæ concupiscunt, permittat. Eodem modo multi Indorum Principes, populum non pluris faciunt quam iumenta, omne suum robur in Nayris collocantes. Huc referendi sunt reges, Armusius, Cambajensis, Decanensis & Acensis: Quorum omnium unica fiducia cum sit in militibus, sive ii ingenui sint sive servi; oportet ut nulli rei parcant quæ ad gerendum continuandumque bellum requiruntur.

13 Sed hæc velut in transitu. Putatur Monarcha noster, si opus fit, brevi tempore cogere posse Equitum CCC. millia, Elephantorum XL. millia, Peditum vero numerum infinitum. Anno MDCIX. cum filius Regis ad bellum Decanense proficisceretur, erant in ejus exercitu XX. millia equitum & CCC. Elephanti; præterea Asaph Caun adducebat III. millia Equitum, Emersee Rostein (qui fuerat Rex Candaharis) mille lectissimos milites; & Raia Manisengo X. mille equites omnes Raspotes & pene M. Elephantos. Anno sequente exercitus Regius constabat C. Millibus equitum; cum ingenti numero elephantorum & Camelorum, adeo ut in castris numerarentur ultra quinquies centena millia virorum.

14 Hic mihi obiiciet aliquis: Si Rex iste, ut ais, tam potens est, qui fit, quod non & reliquam Indiam totumque sibi subiicit Orientem? Huic ego respondebo, multa obstare. Primo, sicut ars & industria hominis perpetuum movens excogitare non potest, cum sit effectum solius Dei: Ita rerum & desideriorum humanorum cursum perpetuum esse non posse. Maxima enim Imperia non tam impulsu exterorum quam propria mole corruerunt. Accedit quod in tanta potentia & magnitudine virium æqualitas & aptitudo fere deest, ut immania corpora tarde atque ægre moventur, currere vero omnino non possunt. Est autē promptitudo omnium rerum in bello longe optima. Interea dum tantum corpus molitur & se expedit, lucrantur vicini tempus sibi suisque rebus quam optime prospiciendi.

Adde his, quod is, qui vicit hostes, fere sibi metuit à sociis, quos in pugnæ victoriæque partem venisse novit. At hic dum sibi consulit, sæpe amittuntur occasiones, aliquando & ipsæ amittuntur expeditiones. Quid quod aliquando milites facti insolentes, victores Principes sequi recusant? quod accidisse novimus Alexandro & Lucullo. Neque omittendum est, nimis magnum exercitum devastatis regionibus, per quas ducitur, sibi ipsi amputare media vivendi, ut fame concidere aut dilabi necesse sit copias, etiam nullo infestante hoste. Hinc optimum est ad frangendos tam immanes exercitus, ut mora debilitentur, donec vel defectu pecuniæ vel alimoniæ sponte diffluant atque evanescant. Colligi potest inde, quod Castra Regia (*Leskar* ipsi vocant) occupant magnum terrarum spatium in forma oppidi in varias plateas distincti. Anno M.DC.XVI. coram inspectante Anglo Equite Thoma Roëo, castra Regis occupabant in circuitu viginti milliaria Anglica. Quanta moles! Accedit, quod militari disciplina & Ordine, quo milites recte collocantur ad aciem per corpus & alas, per ignorantiam destituantur. Media adsunt omnia, tormenta & machinæ, alimenta, viri &c. Sed rite disponere necdum norunt hi populi. Hinc fit, ut Lusitani in ipsius Mogolis portubus sint Domini, exigentes vectigalia ab eius subditis mercaturam per mare & apud se exercentibus, ipsosque, ne magnatibus quidem atque adeo nec Regis filiis exceptis, cogant salvum conductum (vulgo Pasport) Regis Hispaniarum ingenti summa, putarim, quatuor, & interdum octo millium mamudeorum mercari. In mari enim aut perparum aut nihil possunt hi populi.

Vltimum quod huius Monarchæ imperium intra certos compingit limites, est natura locorū. Caucasus enim, qui in mille brachia & ramos discedit, quædam vicina regna tuta præstat ab invasione, quod ea velut nativo muro cingat, alicubi etiam omnes occludat aditus, præsertim equitatui, in quo maxima vis huius Principis consistit. Neque enim is, qui in planicie & patentibus campis bene pugnat, idem in montosis asperisque faciet locis. Ostendunt hoc exemplo suo Resbutenses, qui incolentes Montes Cambaiæ, nihil sibi ab huius Principis magnitudine metuunt. Sunt autem hi Resbutenses reliquiæ quædam priscæ nobilitatis in eo regno, qui primo Mahometistarum incursu pulsi suis sedibus, in montes illos se receperunt, qui sunt inter Cambaiam & Dium. Et nunc quidem sua fruuntur libertate, semper armati, aliquando etiam quæstuosas in loca campestria facientes excursiones.

His omnibus impedimentis adiungi potest, quod multæ regiones sint steriles, quædam etiam destitutæ aquis, sicut Dulcinda est in finibus Cambaiæ, ut hac exercitus traduci non possit. Iunge his, si placet, iacturam temporis, quod æstas fere prætereat, antequam ad destinatum locum duci tantæ copiæ possint: Interea moriuntur aut debilitantur saltim equi & homines, superveniente hyeme, fiuntque omnia hostibus magis opportuna. Hæc res coegit multos, ut copias suas navibus impositas in hostium deportarent, quod Germanicum fecisse constat bello contra Alemannos. Mogor autem non solum destituitur classe sed etiam commoditate portuum, cum Lusitani totum sinum Cambaiensem in

sua

Digitized by Google

sua habeant potestate, occlusis ejus faucibus beneficio duorum munimentorum, quorum alterum dicitur Dius, alterum Daman.

Postremum est, quod à propagandis imperii suo pomœriis hunc Principem cohibet, potentia vicinorum regum. Neque enim Rex Peguanus ei multum cedet potentia, tot regnorum provinciarumque dominus, ut non necesse habeat, à quoquam sibi metuere. Si enim ille regnum situm propagavit intra Gangem & Indum: Hic suum extendit intra Gangem & Malacam. Postremo, ea est propugnaculorum & munimentorum nostri temporis ratio, ut vel exiguum castellum fatigare atque debilitare possit, quantumvis magnum exercitum: sic enim pauci resistunt pluribus, quos cogunt, omnes suas vires & thesauros in vanum profundere.

Religio cultusque divini ratio.

Tam late per Europam, Africam & Asiam sparsa 15
disseminataque est infelix Mahometi superstitio, ut maxima regna & imperia prope tota infecerit corruperitque. Inter ea est & hæc pars Indiæ, quam modo descripsimus, in qua Mahometismus fere ubique obtinet. Sunt autem his immixti multi Idololatræ: de quibus fusius dicemus, cum ad regnum Narsingæ nos itineris ratio vocabit. Sed & non pauci Iudæi hic reperiuntur, negociationi præ cæteris dediti: Nec non quidam Christiani ex Abyssinorum sive Abexinorum gente, quos dulcedo lucri ex intima Aethiopia huc pellexit: præter Lusitanos, interdum etiam Anglos & Belgas, Christianos huc negotiationis ergo venientes. Hi sacra sua exercent, in templis, uti supra diximus in rebus Lusitaniæ

***

REGNUM CALECVTENSE.

[De Calecuto, eiusque Rege legi possunt præter Cosmographos universales etiam autores aliquoties citati in proxime antecedentibus rerum Indicarum titulis &c.]

Summa Capita.

1. *Longitudo & Latitudo huius regni, cum descriptione præcipuarum urbium, propugnaculorum, ædificiorum.*

2 *Ager Calecutensis uberrimus in gignendo pipere. Huius aromatis descriptio; arbuscula ferax piperis qualis? tempus & modus hæc grana colligendi.*

3 *Gingiber, Aloe, alii fructus huius regionis, & quomodo colligantur.*

4 *Animalia & Aves huius regionis. Saravus alescanor us.*

5 *Simiarum & Cercopithecorum copia. Arbor mirifica quæfert dactylos sive nuces, suppeditat filamenta, materiem faciendæ telæ simili sericæ: colligitur ab eadem saccarum & oleum.*

6 *Serpentum in hoc regno genera duo, quorum alterum non habet venenum.*

7 *Matrimoniorum contrahendorum ratio, regibus Calecutensibus usitata. Sponsæ eorum antequam concumbant regibus, defloruntur per summum Sacerdotem.*

8 *Populus Calecutensis in quinque Ordines divisus. Nobiles & Mercatores quomodo hic vivant.*

9 *Modus eorum scribendi cum stylis ferreis in foliis palmarum.*

10 *Divitiæ eorum consistunt in abundantiá piperis, gingiberis, cinnamomi, Caryophyllis, nuce myristica, moscho odorato, nardo & myrobalanis, thure, aloe, camphora, casia.*

11 *Robur regni Calecutensis consistit in peditatu & classibus. Ratio eorum pugnandi & quibus utantur armis.*

12 *Quantos exercitus Rex iste possit expedire ad militiam tam terrestrem quam marinam.*

13 *Regibus defunctis succedunt sororum filii, & qua de causa: quomodo creditor debitorem persequatur.*

14 *Idolomania Calecutensium horribilis, qui statuam Cacodæmonis adorant in delubro pleno picturis diabolicis.*

15 *Sacrificia qua Brachmani Diabolo offerant.*

16 *Indulgentiæ generales singulis annis per Brachmanos populo concessæ, in certo quodam huius regni Templo.*

17 *Quid Lusitani inter Calecutenses possideant.*

INter provincias Melabarenses Regnum Calecutense facile primas obtinet, etsi non ultra XXV. milliaria in longitudinem secundũ littus maris porrigatur. Regis hujus potentia contemnenda minime est, estque ipse maximæ dignitatis & auctoritatis in illis partibus orientis, cum appellatur *Zamorin*, id est, Imperator, ita volente Pereimalo omnium Malabarum rege, qui profecturus Mecham, ibique finem vitæ facturus, nomen suum, id est, appellationem Zamorini potissimum relinquere voluit regi Calecutensi. Habet igitur hoc regnum, ut diximus, in longitudine milliaria XXV. in latitudine vix X. Caput regionis est Vrbs Calecutum, communicans nomen suum toti regioni, sita in littore maris; tria millia ambitu suo complexa. Mœnibus cincta minime est, quanquam contineat VI. habitationum

TT millia,

Digitized by Google

millia, longis à se invicem disiunctarum spaciis. Miliari uno ab urbe distat portus, cui Capocatensi nomen est. Domus huius urbis fere sunt humiles, structura vili, quod, si fundamenta paulo deprimantur in terram profundius, aqua subsiliat, ut magna & ponderosa ædificia superstrui non possint. Quin & Mercatorum domus cæteris splendidiores vix XXV. coronatis æstimantur, cum pleræque aliæ vix quartam huius precii partem adæquent. Altitudo horum mapaliorum hominis equo insidentis altitudinem non multum superat.

Qualitas & Natura soli.

2 Gignit ager Calecutensis plurimum piperis, cum id etiam in ipsa urbe colligatur. Est autem arbuscula ferax piperis stirpe imbecilla, ut sua sponte erecta stare non possit, sed ridicis fulcrisque statuminanda sit, ut vites. Multum accedit ad similitudinem hederæ, quæ crescendo prorepit scanditq; in altum, si claviculis suis aliquid vicinum apprehendere possit. Habet autem frutex sive virgultum istud pluscula ramos, duas vel tres spithamas longos: Folia ei sunt qualia fere Malo Assyriaco, nisi quod hæc spissiora paulo sunt, & transversis Vineis distincta. Dependent à singulis plantis circiter VI. Botri, pedem unum longi, colore qualis est uvarum iam primum matureſcere incipientium. Colliguntur Octobri & Novembri mensibus, cum adhuc virides sunt, deponunturque in mappa, & Solis radiis exponuntur, vel etiam supra storeis iunceis, ubi granum intra tertium diem nigrescit, instar baccæ iuniperi. Non autem egent arbusculæ illæ incisione aut amputatione luxuriantium foliorum, sed terra tantum bonum sine humanæ manus cultura procreat. Putat Plinius frutices Piperis feraces, esse simillimas iunipero, nec crescere piper nisi ad radicem Caucasi Montis, qua parte is Soli Meridiano obversus est. Sed nos experientia diversum docuit.

Præter Piper gignit etiam Solum Calecutense radicem Gingiberis, quæ non infra tres pedes in terra occultatur, ut cannarum sive arundinum radices. Cum eruitur Gingiber, relinquitur internodium unum in fossa, & cooperitur terra, unde in futurum annum denuo tantundem Gingiberis inde depromi potest. Quod in terra plana colligitur speciem aliquam Myrobalanorum refert. Sed in agris humidis & rubescente solo quod reperitur, non unius est generis. De fructibus arboreis, qui huic regioni peculiares, & nostro orbi ignoti sunt, deque eorum barbaris nominibus, nihil opus est multa referre: id constat, quosdam inter eos prunorum Damascenorum, alios ficuum, alios peponum & melonum saporem repræsentare. Sed Aloe quoque hic colligitur, gummios species, quod colligitur ab arbuscula erecta, simplici radice, instar baculi in terram depacti. Stirpe est tenera, odore & gustu amaro.

Animalium in hoc regno varia reperiuntur genera: Leones, Apri, Cerui, Capreoli, Lupi, Boves, Bubali, Elephantes, Equi & alii. Sunt tamen qui affirment, pleraque horum non hic gigni, sed aliunde importari. Omne genus Psittacorum hic valde frequens est, virides, rubicundi, versicolores, quorum tanta hic copia, ut custodes ruri constituendi sint, qui Orizam & fruges ab iis defendant. Cornicantur autem atque garriunt mirum in modum, nec magno possunt etiam plures coemi precio. Saravus ibi est ales, minor Psittaco, sed voce multo suaviori. Diceres perpetuum hic esse ver, ita semper floret humus & virent arbores ob suavitatem aeris & temperamentum cœli.

Simiorum & Cercopithecorum nemora hic plena 5
sunt, qui agricolis non parum molesti sunt, cum conscensis arboribus, quæ nuces referunt, evertant vasa, quæ Indi ibi collocaverunt, ut excipiant humorem illarum arborum, quo incolæ utuntur loco vini aut coctæ potionis. Porro hæc arbor bonitate sua & usu videtur mihi cæteras omnes superare.

Fert enim dactylos instar Palmæ: gignit nuces suaves gustui: suppeditat ligna & focum, & filamenta quædam ac materiam faciendæ telæ quæ similis est hemisericæ: quin & vinum, & saccarum, & oleum ex ea colligitur. Sed & alia quædam arbor est, non multum specie ab illa differens, quæ Gossypium gignit & Byssi speciem. Ex foliis eius conficiunt telam quandam delicatam multitio purissimo similem. Sub ultimo fructus eius operimento latet nucula, minimi digiti crassitie. Tota vera nux dum crescit, repletur aqua, quæ simul cum nuce augetur, ut cum nux iam perfecta sit, colligatur inde aqua, claritate nihil cedens aquæ rosatæ, quæ densatur in oleum satis crassum. Mane ac vesperi inciso trunco, effluit liquor, qui illis suavissimi vini loco esse potest.

Serpentes huius regionis corpore sunt admodum 6
vasto, ut nonnulli conspecti fuerint, non minores mole porcellis. Capita illis vasta & deformia, pedes quaterni, habitatio in locis paludosis. Hos incolæ venenum habere negant. Alios vero tam præsenti veneno asserunt, ut si vel leviter saucient hominem, moriendum ei sit: & horum quidem in regno Calecutensi numerus non est exiguus.

Mores incolarum.

Narrant regem ducturum uxorem, non solere 7
cum ea (siquidem virgo sit) concumbere, nisi prius eam summus Sacerdotum defloraverit, pro quo tam laborioso officio Rex ei numerari iubet tantum auri, quantum apud nos D. Coronati constituunt. Capturus cibum rex humi decumbit, sine stragulo aut mappa. Circum eum considunt vel astant Sacerdotes, diligenter eius intenti verbis, nec ad quartum passum ad eum accedunt propius. Honoratissimus 8
post regem est Sacerdotum Ordo: quos sequuntur Naiiri, qui Nobilium nostrorum instar sunt. His licet gestare ensem, clypeum & bipennem, quoties foras prodeunt. Tertius Ordo est opificum & sellulariorum. Quartus piscatorum. Quintus eorum, qui piper, vinum & nuces colligunt. Ultimus (qui tamen etiam priori accensetur) est agricolarum, qui ex aruis Orizam & frumentum colligunt, & hi prope mancipiorum loco habentur.

Habitu sive amictu neque rex neque regina utuntur nimis magnifico: & habitatores urbium prope toti nudi incedunt, linteolo tantum verenda tecti. Egresso foras rege, vel ad venandum vel ad peregrinandum, Sacerdotes curam gerunt reginæ. Nobilium & Mercatorum ratio vivendi hæc fere est. Inter

amicos

Digitized by Google

amicos & sodales qui conjugati sunt, non est infrequens, ut inter se permutent uxores, roborandæ amicitiæ ergo: at pueri qui inde nascuntur, illius sunt, qui pater esse creditur. Conveniunt aliquando septeni inter se, ut unã aliquam fœminam uxoris loco habeant, & alternatim cum ea concumbant, quæ si infantem ex promiscuo illo concubitu peperit, dat ei qui ipsi placuerit, neque hic audet oblatum dõnum recusare. Pransuri cœnaturique humi discumbunt; & pro cochlearibus utuntur foliis arborum. Qui regem sequuuntur Aulici, caput tegunt fascia serica coccinei coloris. Comam omnes promittunt longissimam, quam tamen defuncto rege abradunt, uti & barbam, in signum luctus & tristitiæ. Mulieres eorum nulli omnino rei student, nisi ut se comant ornentque, ut speciosiores appareant, ita ut quamvis nudæ progrediantur in publicum, oneratæ tamen incedant auro gemmisque, quas in auriculis, collo, brachiis, cruribus & supra pectus ferunt. Scribentes solent pingere litteras stylo ferreo in foliis quarundam arborum.

Divitiæ Calecutensium.

10 Maximas opes acquirunt ex negociatione hujus regni incolæ, cum non solum vendant piper suum cum gingibere peregrinis, sed & aromata advectitia, quæ ipsi nullo negocio permutatione nanciscuntur. Cinnamomum enim ad eos adfertur ex Insula Zeylon, quæ L. milliaribus Germanicis ab Calecuto abest versus Orientem. Caryophyllos cum Nuce Myristica & floribus eius accipiunt ab Moluccis: Moscum ab Pegu: Margaritas ab Armusio: Nardum cum Myrobalanis ex Cambaia: Thus ex Arabia: Aloen & Camphoram ab China: Piper oblongum ex Sumatra Insula: postremo lignum Bresiliense ab Vrbe Tarnassori. Subministrat etiam Calecutum exteris magnam vim Casiæ, quæ in ejus crescit agro. Hæc mercium varietas facit, ut Vrbs ista sit velut Commune Emporium Mercatorum Arabum & aliorum, qui in Oriente negociantur, unde inter ditissimas Indiæ referri potest: unde etiam facilis conjectura fieri potest, quantæ sint opes regis & proventus.

Vere autem dicere possumus, negociationem rerum aromaticarum tam esse quæstuosam, ut vel sola Principem opulentum reddere possit, si portoriorum & vectigalium magnitudinem consideremus: accedentibus mercatorum divitiis, quæ tantæ sunt, ut cum nonnullis principibus Europæ Africæq; de pecuniarum multitudine certare queant.

Vires militares.

11 Rarissima est apud omnes Malabarum gentes militia equestris, non solum quod regiones istæ equos paucos gignant (qui enim ibi sunt, fere è Persida aut Arabia eo venerunt) sed &, quod ipse situs ac ingeniũ soli equites non ferat. Sicut enim in quibusdam Septẽtrionis locis apud pedites sariss æ illæ prælongæ in usu non sunt, neque apud equites lanceæ, quod subinde per sylvas incedendum sit: ita Malabares non multum equis vehuntur, quod crebræ apud eos sint angustiæ ac claustra viarum, interscis viis alicubi per fluvios, alicubi per Sinus Maris, alicubi per paludes, & angusta facientibus itinera. Omne igitur eorum robur militare consistit in peditatu & viribus navalibus. Et peditatus quidem hæc est ratio.

Primo milites omnes sunt nobiles, vocanturque Najiri. Hi cum septimum annum attigerunt, mittuntur ad Gymnasium, ut ibi usum armorum addiscant, instituti à Gymnasiarchis, qui eos non tantum in ea palæstra exercent, sed & membra iuncturasque eorum ungunt oleo sesamino, ut aptissimi evadant ad pugnandum & supra modum agiles, ut membra sua iactare atque flectere possint, tanquam destituerentur ossibus. Accedit ad hoc perpetua armorum tractatio, quod gnari, unum aliquem in multis rebus simul excellere non posse, toti se addicant gladiatoriæ scientiæ. Sunt arma eorum antiquitus usitata, hasta longa, arcus & sagittæ, gladius, cum clypeo. Post Lusitanorum vero adventum didicerunt artem fundendi machinas æneas & conficiendi bombardas minores, ut tractare ea omnia iam satis scite atque cominode norint: nam & pulvis eorum Pyrius multis modis nostro melior est. In aciem prodeunt toti nudi, præter umbilicum, neque thoracibus utentes neque galeis ferreis. Hinc fit, ut optime tractent arma, & ad quodvis pugnæ genus apti sint. Imminent enim hosti ex improviso, & rursus in momento oculi recipiunt se: ita, ut cum eos longe abesse putabis, à tergo tibi instent, ut neque insequi cedentes, neque fugere instantes recte possis. Neque enim tardior est eorum peditum cursus, quam expeditissimi equitis. Vbi ad manus ventum est, quod non nisi coacti faciunt aut invitati occasione, sæpius punctim feriunt. Alligant capulis gladiorum suorum certas laminas æreas vel argenteas, quarum concussarum strepitus illis est pro tubis tympanisve.

Est inter Naiiros quidam Ordo militum, qui Amoques vocantur, quorum hæc unica est professio, ut magna severitate & contemtu periculorum vindicent mortem interemtorum sociorum. Quod si regem interfici cõtingat, furiosorum instar in ultionem ejus currunt, ut nullo periculo retineri possint. Hæc est ratio, ut Indorum reges magis minusque æstimentur, prout plures vel pauciores Amoques habent. Horum exemplo cæteri Najiri animos sumunt, cum alioquin domi uxores non habeant, quarum amore à periculis avocentur. Multa enim sunt secula, cum Principis cuiusdam exemplo legibusque mulieres esse communes cœperunt. Addenda his est ingens horum Naiirorum licentia & arrogantia, ad quos nemo plebeius adire propius audet, nisi qui verberibus contundi optat. Transituri per plateas Vrbis, mittunt ante se servos suos, qui populum de via submoveant. Quod si lanitsaros nimia libertas audaces in bello facit, æquum est, ut Najiri animosiores sint, quorum vultum nemo plebeius impune adspicere potest. Vnde fere non in urbibus sed agro habitant, in domiciliis cinctis fossa & vallo, insuperque dumetis vepretibusque in sæpimenti speciem, ut difficilis sit ad eos accessus.

Si quis igitur scire velit exactius, quantum militum Rex Calecutanus possit in militiam educere, discet hoc ab expeditionib. quas contra Lusitanos fecit: inprimis anno M.D.III. cum LX. millia eduxit contra Eduardum Pachetum, Emanuelis regis copia-

Digitized by Google

rum ducem, qui tunc sibi defendendas sumserat partes Regis Cochinensis. Marina vero ejus Regis classis constitit CC. navibus, in qua expeditione per mēses V. perseveravit. An. A. N. C. MDXXIV. obsedit idem Rex propugnaculum, quod Lusitani struxerant non longe à Calecuto, exegitque in illa obsidione totam hyemem. Etsi autem Lusitani aliquandiu satis masculè defenderunt munimentum, postremo tamē ipſ dejecerunt & complanaverunt istud, cum tantam esſ regis illius viderent potentiam. An. A. N. C. M LX. obsedit idem rex Calecutanus Arcem Chialensem, eamque obtinuit, coacto Lusitanorum in ea præfecto facere deditionem. Nec semel ostendit idem rex quantum classe valeat. Cum enim aliquot obtineat portus marinos, ad quos crebri commeant mercatores, facile ei est, tantum armare navium numerum, quantus ipsi placuerit. Quanquam non negaverim, nostro tempore omnes Indorum vires maritimas plurimum cedere classibus Lusitanorum, sive ipsas naves sive milites classiarios consideres. Idem quoque si de militia terrestri dixero, non erravero. Quo pacto enim fieri potest, ut homo nudus non metuat ferrum aut quomodo armatus tectusque bonis ferramentis non erit audacior nudo? Nimirum hæc est causa, ob quam omnes populi, qui in bello armis defensivis non utuntur, multo plus collocent fiduciæ in agilitate, quam vi, & in celeritate quam robore: magis enim pugnant fugientes, quam comminus pugnantes, & in hominum multitudine, non virtute, proram puppimque victoriæ collocantes.

MODVS GVBERNATIONIS.

13 Defuncto regi apud Calecutenses filii minimè succedunt, sed Sororis filius ad Principatum conscendit. Causam hanc afferunt, quod uxorem regis non ipse rex, sed Brachmanorum supremus devirginaverit, (de quibus consuetudinibus ut & consimilibus legi potest Polydorus Virgilius &c.) accedente alia causa, quod semper aliquis ex Sacerdotibus in reginæ sit societate & velut contubernio. Iustitiæ tam rigida hic observatio, ut qui hominem data opera occidit, palo transfigatur: qui verò eum sauciavit; ad multam regi persolvendam damnatur.

Creditor videns se à debitore inanibus lactari verbis, infectum reddit contractum, sumtoque cortice viridi ab arbore aliqua, vel vimine persequitur debitorem, eumque assecutus ligat illo vimine vel subere adiurans per Brachmanos & Regem, ne inde discedat, donec æs alienum persolverit. Qui ad hunc modum constringitur, pedem loco non movet, nisi placato creditore. Si verò fugere conetur, è vestigio morte afficitur.

Religionis sive cultus ratio apud hos populos.

14 Aiunt Calecutenses se credere in Deum unum, qui Cœli atque terræ, adeoque totius huius universi prima sit causa. Et hunc tamen (ô miseros homines!) ociosum faciunt, dicentes eum, ut suaviter in utramque aurem dormire posset, gubernationem Mundi Diabolo commisisse, quem & ipsum ex cœlitibus unum faciunt, ut sit Iudex terræ, puniatque vel præmiis afficiat mortales pro eorum meritis. Diabolum ipsi appellant *Deumen*, Deum vero *Tameraium*.

Habet autem ipse Rex Lararium in suo Palatio, totum perpictum figuris Diabolicis, ea specie quæ fingi potuit tristissima. In medio thronus est æneus, inque eo Diaboli statua ex eodem metallo, sedens, habens in capite Coronam triplicem mitræ circumplexam, qualis Pontif. Maximorum pingitur. Ab ima Tiara prominent tria cornua prolixa, & à fronte *Miphlezethi* quatuor minora. Ore hiat patulo, à quo prominent dentes quatuor aprugni; nasus refert rostrum milui, oculi scintillant, tota facies est furiosa & ad terrorem composita. Digiti incurui sunt harpagonis instar, pedes & crura velut gallinacei. Ab imo rictu faucium prominet pars absumta pueri, in dextra habet alium infantem, eo habitu, ut iam ori inserat, quasi devoraturus. Hos infantes ipsi dicunt animas repræsentare humanas.

Hoc monstrum Sacrifici, qui apud barbaros hosce Bramini vocantur, singulis diebus lavant aquâ rosacea, aliisque liquoribus odoratis, adolentes thure aliisque suffumigiis fragrantibus. Dum perfumant statuam, prosternunt se ante eam in faciem, faciuntque id aliquoties singulis septimanis. Statuitur ibi Abatus instar Altaris, cuius pes sive fulcrum altum est pedem & dimidium: latitudo pedum duorum, longitudo trium: hunc abacum cooperiunt variis floribus, inspergentes pulverem odoratum. Post hæc effundunt ex vase argenteo in foculum ardentium carbonum sanguinem galli gallinacei, cum multis thymiamatis rebusque aromaticis, acceptoque thuribulo argenteo, Gallo gallinaceo ad sacrificium destinato collum incidunt cultro argenteo.

Dum autem Sacerdos hæc sacrificia peragit, crura eius atque brachia onerata sunt annulis frustillisque argenteis, ex quibus commotis exoritur sonus affinis tinnitui cymbalorum. A pectore eius dependet bulla gemmata, quæ Braminos à vulgo distinguit. Finito Sacrificio, replet utramque manum tritico, exitque præpostere è delubro, facie semper in Idolum conversa, donec ad arborem extra vestibulum perveniat, ibi dispergit triticum, reversusque in Fanum, aufert ornamenta ab Altari.

15 Rex cibum capere, nisi aliquo Braminorum præsente, & primum ferculum Cacodæmoni offerente, religioni sibi ducit. Vbi pransus est cœnavitque, Bramini reliquias cœnæ colligunt, & torniculis obiiciunt.

Nec rex nec illustrium quisquam in civitate carnes gustant, nisi permissu Sacerdotum; cum cæteris promiscue vescantur.

16 Non sunt autem prætereundæ silentio Indulgentiæ solennes, quibus populus quotannis donatur mense Decembri, concurrentibus hominibus ex omnibus totius regni provinciis & oppidis ad templum quoddam in medio Lacu extructum, cuius tectum innititur duobus columnarum ordinibus pulcherrimis, pendente ab laqueari prægrandi lampade, ad navigii instar formata, quæ toti ædificio lumen ministrat. Ipsum templum ab omni parte cingitur arboribus viridantibus, nullique fas est illud ingredi, nisi septius in stagno illo abluerit: ingredientes adspergunt Sacerdotes oleo ex ampulla depromto, postea se accingunt ad offerendum Diabolo sacri-

Digitized by Google

lo sacrificium], quem ubi adoraverũt, ad suam quisq; domum revertuntur. Interea Bramini pollicentur illis omnium delictorum veniam, estque per triduum Ædes illa velut Asylum commune, quo datur refugium omnibus, nec fas est cuiquam ultionem sumere de inimico suo, aut corripere fontes, sed ne ob crimen quidem capitale litem intendere.

17 Postquam Lusitani sedem suam posuere Ormusii & in vicino longi tractus marini littore ex adverso Persiæ & Indiæ; ædificatis hinc inde partim vi, partim consensu Regum, horum aut illorũ munimẽtis; etiam in Regno Calecutensi occuparunt locum qui vocatur *Canonor*, cũ quibusdã aliis, ubi stationes suas habent & mercimonia exercent. Hic repetere non est opus, cum supra libro primo in Regno Lusitaniæ hac de re dixerimus.

REGNVM BISNAGAR SIVE NARSINGA,

[Huius Regni scriptores sunt iidem qui priorum de rebus Indicis titulorum, quos vide, & adde eis, si lubet omnibus & singulis præmissis, Ortelium, Sanchesium, Linscotanum, Vardomannum, Mandevillium, Ludovicũ Romanum Patricium, Varrerium, Barrium, Corsalum, Bartosium &c.]

Summa Capita.

1 *Situs hujus regni, eius longitudo. præcipuæ Vrbes Narsinga & Bisnagar.*

2 *Provincia Canarensis, quæ & Concanensis, eiusq; primi nominis oppida maritima.*

3 *Magna agrorum in hoc regno fertilitas, in quibus abunde crescit frumentum, saccarum, gingiber, aliaque aromatica, nec non sericum, gossypium, ficus & nuces.*

4 *Mores & consuetudines horum populorum, & generatim omnium Indorum, eorumque divisio.*

5 *De Hylobiis sive Gymnosophistis quorum vestitus est è corticibus arborum vel lino incombustibili: Horum austera vita, cum abstinentia à vino & Venere. Exercitia eorum ad conservandas vires corporis ingeniiq;. eorundem doctrina, Philosophia, colloquia cum regibus de rebus divinis & humanis, de motibus cœlorum & Secretis Natura.*

6 *Germani, sive Carmani, diligentes in consideratione membrorum corporis humani, in curandis morbis, divinationibus, Necromantia.*

7 *Ex quot & quibus Ordinibus constet Populus Indorum. Aratores ab expeditionibus bellicis immunes. Pastores vitam degunt ruri in tentoriis extra urbes & pagos. Artifices & fabri cudentes instrumenta bellica & rustica. Quintus ordo est Militum: Sextus Magistratuum: Septimus Consiliariorum.*

8 *Vestitus Indorum nostro tempore. Quo pacto ornatus Rex in bellum eat.*

9 *Proventuum regiorum magnitudo, qui quotannis ad duodecim Milliones auri adscendere putantur.*

10 *Exercitus eius pedestris & equestris: arma, & instrumenta, machina.*

11 *Idololatriã Narsingensium, adorantium Diabolum, eique templa ædificantium.*

12 *Duæ in Religione apud hanc gentem Sectæ, Baneanorum & Braminorum. Vtrorumque doctrina & ratio vivendi: Quæ colere soleant Numina.*

13 *De Ceilan Regno, & Maldivis Insulis, aliisque in Asia & circa eam in mari Dynastiis.*

ACCENSETUR iure merito Rex hic potentissimis Indorum Principibus, qui intra Indum & Gangem fluvios dominantur, cum regnum eius longe extendatur inter Promontorium Comorinum & Guadaverinum, interque Montes Gatenses & Sinum Gangeticum sive Bengalensem, adeo ut in longitudine habeat CC. Leucas sive DC. millia passuum. Sunt qui dicant hoc regnum ob amplitudinem suam intra spacium VI. mensium vix perambulari posse. Sunt in eo duæ Vrbes Regiæ, *Narsinga* & *Bisnagar*, celeberrimæ ob mercimonia. Ab his duabus urbibus præcipuis rex iste modo Bisnagarensis, modo Narsingensis appellatur. Aiunt *Tarnasserin* urbem ad hoc regnum pertinere: sed eam Rex Peguanus occupavit. Præcipua est celebritas duarum urbium in hoc regno à Christianis habitatarum: quarum illa *Coromandel*, ab Hollandis: hæc, Malipur, ab Lusitanis incolitur. Regis Narsingensis dominio etiam subest Provincia *Canarensis* sive *Concanensis*, quæ aliquâ ex parte accensetur regno Decanensi. Præcipuæ huius provinciæ civitates maritimæ sunt *Onor*, *Batticala*, *Magindra* & *Mangalor*. Onor tamen hodie Lusitanis paret, quibus & Batticala solvit tributum. Subiectus præterea est Regi Narsingæ, Rex *Travancoris*, quæ est regio sive pars Malabarum. 1 2

Qualitas & Natura soli.

Abundat regnum hoc omnibus rebus ad usus vitæ humanæ necessariis: Multum enim gignunt agri tritici, saccari, gingiberis aliarumque specierum aromaticarum, accedente copia lanæ sericæ & gossypii, 3

Digitized by Google

quãtum vix alibi sis inventurus. Ager Bisnagarensis fertilissimus est, habens etiam sylvas & nemora amœnissima. Canarensis fert Orizam, saccarum, ficus & nuces, parum tamen aut nihil tritici, ordei aut leguminum. Travancorense solum exsuccum est & sterile, ineptum creando frumento fructibusque arboreis.

Mores Indorum antiqui.

4 Cum eorum populorum, qui olim hanc Indiæ partem, in qua est regnum Narsinganum, incoluerunt, consuetudines & ratio vivendi cum omnium cæterorum Indorum priscis moribus ritibusque in plerisque conveniant, de iis in præsenti loco iunctim dicere cõstituimus. Solebant igitur prisci Indi præ omnibus viciis fugere furti fœditatem, non quod haberent scriptas leges, ut qui non uterentur litteris, sed quod iis ita dictaret ratio. Vinum non bibebant nisi in sacrificiis, cum potus eorum usitatus factus esset ex ordeo & Oriza, è quibus & prisanaria coquebant. Lites atque controversiæ erant iis ignoræ, cum jus scriptum non haberent, unde neque testimoniis neque apographis opus erat, cum quisque alterius verbis fidem haberet. Digressi ab domo, ædes suas incustoditas relinquebant, quæ omnia signa sunt miræ bonitatis & innocentiæ. Vivebant fere solitarii, cœnæ tempus certum nullum erat, sed ut quisque esuriebat, ita capiebat cibum. Corpus sæpe ungebant, & hebeno ligno levigabant, ut splenderet cutis. In sepultura mortuorum & erigendis monumentis, minime erant sumptuosi: vivi tamen in splendore vestium nimii erant, onusti corpus auro gemmisque. Linteo delicatissimo tegebant faciem, à sole & vento, ne forma fieret deterior. Maxima virtutum apud eos erat veritas, nullusque erat senectuti honos, nisi coniunctæ simul cũ prudentia senili. Vxores singulis licitum erat habere plures, quas emebant à parentibus eorum, dantes precii loco par boum. E mulierum numero quasdam servitio domus destinabant; quasdam procreationi liberorum, tertias delitiis jocisque neque cogebant, has caste vivere, sed licitum erat vagæ veneri dare operam. Coronati caput floribus neque sacrificabant neque ad Aram accedebant: sed nec effundebant victimarum, ut cæteræ gentes, cruorem, sed eas suffocabant in suo sanguine. Falso testi extremi digitorum articuli amputabantur, & qui alteri præciderat membrum aut inutile reddiderat, non tantum idem patiebatur, sed & amittebat manum, qua facinus perpetraverat. At qui opifici alicui oculum excusserat, supplicium capitis subibat.

Regi non pueri erant à servitiis, aut adolescentes nobiles, sed mulieres conditione servę: prætoriani autem atque stipatores foris agebant sub tentoriis extra urbem. Mulier quæ regem ebrium interfecisset, id præmii ferebat, ut nuberet successori ejus, liberique inde nati succederent patri in regno. Regi interdiu dormire minime licebat, sed & de nocte sæpius mutabat is cubiculum, ne insidiis opprimi posset.

Cum bellum non esset, solebat rex audire litigantes, & iis qui petebant, jus dicere: quin & si eo tempore, quo ungebatur tergebaturque, essent qui cum de facienda iustitia appellarent, cogebatur iis dare. Ad sacrificium vel venationem cum ibat, multi eum sequebantur stipatores, qui & feras persequebantur. Locus ubi rex deliciis operam dabat, fune cinctus erat, extra quem stabant custodes corporis: quod si quis ingrederetur, dum rex cum aliqua concubinarum colluderet, statim privabatur vita. Faciente rege iter per regnum, qui eum præibant, ferentes tintinnabula & tympana sonum ciebant: qui si nemus aliquod intraret ad venandum habebat circum se tres quatuorve mulieres armatas: si vero per campestria ingrederetur, vectus Elephanto multas circum se habebat fœminas, in usu armorum exercitatas, quarum aliæ quidem gestabantur Elephantis, aliæ equis, postremo aliæ curribus.

Adorabant Indi Iovem pluvium, & Fluvium Gangem, & Genios, & eos quos vocabant Deos Tutelares. Fuerunt olim, divisi universi Indi in VII. Ordines. In primo erant Sapientes, sive Philosophi, qui & Gymnosophistæ & Brachmani, supra cæteros omnes honorati. Hi ab omni labore immunes erant, cum neque servirent cuiquam neque imperarent: accipientes duntaxat ea quæ à singulis offerebantur Diis. Gerebant hi curam mortuorum, ut qui plus reliquis à Diis amarentur, & scirent quid ageretur apud Inferos. Sapientes prædicebant sub initium novi anni futuras siccitates, ventos, pluvias, morbos & alia, quorum prænotionem habere utile est. Quod si quis horum vatum mendax deprehensus fuisset, perpetuo multabatur silentio. Gymnosophistas totos nudos incessisse nomen arguit: incolebant hi fere loca deserta & secessus, disputantes de causis naturalibus, intuentes Solem à matutino ad vespertinum tempus immoto oculo. Vt obfirmarent se in patientia totos dies nudis pedibus stabant in feruente arena. In Sapientum horum numero etiam erant Brachmani, quorum desideria intra naturæ requisita cohercebantur, quique nulla re quam sponte terra nascentibus vescebantur. Sunt qui hos ortos putent ex Abrahami filiis quos ex Concubinis genuit, quosque pater in Orientis partes misit, ut Sacræ Litteræ testantur, cum donis muneribusque. Hæc autem dona non tam constitisse in auro & preciosis vestibus, quam bonis Artibus, inprimis scientiis Astrologicis & Magia Naturali, quarum omnium perfectissimam habuerint notitiam. Strabo secutus Onesicritum dividit Gymnosophistas in Brachmanos & Carmanos. Brachmani tradebant aliis artes, quas ipsi à maioribus suis acceperant, & sequebantur studia Philosophiæ. Carmani erant alienigenæ, neque ex horum prosapia oriundi.

Honoratissimi omnium erant Gymnosophistæ, cooperti corticibus arborum vel tela linea subtilissima, quam non lavabant aqua, sed in ignem iectam purgabant à sordibus, & illæsam è flamma extrahebant. A vino & omni fœminarum usu abstinebant, donec septennium in illo vitę genere exegissent. Eorum cum regibus sermones erant De Republica, De Rebus Divinis & Humanis, De Cursu Astrorum & Motu Cœli, De Naturæ Secretis aliisque huiusmodi. Corpora sua indurabant perpetuis exercitiis, iisdemque acuebant ingenia, ut immoti essent in consultationibus iudiciisq; suis.

Finis

Digitized by Google

Finis atque Scopus universæ eorum Philosophiæ erat, ut bonam mortem sequeretur beata æternaque vita. Multum in pervestigandis inveniendisque his insumsit laboris Apollonius Tyanæus, ut audiret Iarcham Principem eorum differentem de Natura, Moribus Cœlestibus, & Mutatione dierum.

Hi nimirum fuerunt illi, qui reprehenderunt Alexandrum Magnum cum victor ad eos penetrasset, quod non contentus regno patrio totum armis inquietum redderet Orientem. Hæc quidem Strabo tradit, quem sequitur Plinius in Naturali Historia. Quantum hi auxerint scientiam Moralem, ex Apulei scriptis planius fit, ubi eos miris modis commendat, qui adeatur.

6 De Germanis (vel potius Carmanis) tradit supra memoratus auctor, eos potissimum occupari in cognitione corporum humanorum, vivere Oriza integra & in farinam redacta, mederi languidis, & inter medicandum potissimum uti unctionibus & cataplasmasi. 7 Quosdam studere divinationibus & incantamentis, itemque Necromantiæ, errareque per civitates de loco alio in alium. Has vanitates omnes oderant priores illi, eosque ubi poterant, reprehendebant.

In secundo Ordine erant Agricolæ & Aratores, quæ cæteros omnes numero superabant, exempti ab omnibus belli expeditionibus.

Hi gliscente bello ab hoste non affliguntur, sed omnes eos sinunt pace suisq; perfrui laboribus, quasi totius Orbis bono laborantes. Vnde mirandum non est, regiones has omnibus rebus necessariis abundare; & ipsi hac tranquillitate egregie perfruuntur, viventes ruri cum uxoribus & familia, securi ab omnibus, si regi censum pendant tributumque.

Tertius ordo erat Pastorum sive Pecuariorum, qui in oppidis pagisque non habitant, sed extra ea in tentoriis mapalibusque. His vita omnis (præter pecuariam) in venatione, struentibus pedicas noxiis animantibus, quarum ingens in his regionibus numerus, ut etiam fructus arborum segetesque lædant.

Quartum Ordinem obtinebant Opifices, interq; eos fabri armorum omnis generis, deinde fabri instrumentorum rusticorum aliorumq; quorum in vita communi usus est. Et hi non solum erant immunes à bello & exactionibus, sed & accipiebant viritim frumentum ex granariis Regiis.

Quintum locum obtinebant milites: hi à prima pueritia exercebantur in armis, ut ea dexterrime tractare nossent, quorum sane numerus magnus erat. Eorum vero Elephanti & Equi alebantur impensis Principis.

In quinto gradu constituuntur Magistratus, qui intento in omnes oculo observabant, quid ubiq; rerum gereretur, ut rex per eos de omnibus certior factus, mederi rebus laborantibus posset.

In septimo supremoque ordine collocabantur qui præerant consiliis publicis, numero sane exiguo, clarissimi tamen prudentia & nobilitate. Ex horum collegio legebantur consiliarii regii, & quibus gravissima regni negocia committebantur, unde & in omnibus controversiis judicium ferre poterant. Ex iisdem desumebantur Præfecti & Rectores Provinciarum.

Præter hos omnes erant constituti quidam viri illustres, qui darent operam, ne quid adversi paterentur hospites & peregrini, & si quem horum morbo affligi contingeret, adhibebant Medicum: si defungeretur æger, mandabant corpus terræ, reddito auro, argento bonisque eius proximis demortui agnatis. Erat autem penes iudices uniuscuiusque loci, punire eos, qui de perpetrato aliquo crimine convicti fuissent. In ea parte quæ Mare Australinum & Malacam contingit vivebant pastores carnibus crudis. Si quis enim sive vir sive mulier in morbum incidisset, aderant propinqui agnatique eius, languentemque neci dedebant, quod diutius ægrotando carnes faceret deteriores. Interfectum ergo comedebant, & ad eundem modum decrepitos senes tractabant.

Alibi neq; hominem neq; animal aliud ullum interficiebant: sed nec sementem proficiebant, neque domus ædificabant: viventes herbis fortuitis, & quadam milii specie temere nascente. His similibusque rebus vitam tolerabant. Si quis eorum in morbum incidisset, recipiebat se in desertum, certus, neminem posthac sui gesturum curam, quo pacto moreretur aut sepeliretur.

Mores recentiores.

Ditiores in regno Narsingensi sagum ferunt breve, vel potius amiculum, tegentes caput Tulipane; 8 more Turcarum, sed versicolore. Plebi nullus amictus, nisi quod partes genitales tegunt.

Exiturus rex in bellum, pro paludamento sumit togam xylinam, cui superinicit Chlamydem lamellis foliatis aureis plenam. pro lemniscis in fimbria ambeunt ordines aliquot margaritarum & gemmarum pretiosissimarum. Equus eius non minoribus divitiis coopertus est, ut earum vix iniri ratio queat. Cæterum incolę panem vulgo non comedunt, viventes potius Oriza, carnibus & piscibus, fructusque quos arbores proferunt.

Ii qui Choromandelam incolunt, in tantas adiguntur extremitates, ut liberos suos vendant, si uno anno pluviæ nullæ cadant, quanquam hoc per pleraſque Indiæ regiones non sit infrequens, quod patres vendant liberos suos, & ipsi adulti se ipsos aliquando, precio non ita magno. Principum huius regni mos est, ut valde sibi placeant, si adipiscantur servos nobili natos genere, quibus & aliquando filias elocant, ut hæredes fiant dominorum sive patronorum suorum.

Opes & divitiæ.

Sunt qui nequaquam dubitari volunt, quin Rex 9
Narsingæ percipiat quotannis XII. auri Milliones, ex quibus ille duos cum dimidio in Thesauros sive Ærarium suum recondat, reliquum omne impendat, vel in splendorem Aulæ suæ, vel sumtus Militares.

Sunt autem CC. velut summi militiæ duces, quibus distribuit regni sui agros, hac conditione ut quisque eorum regi in militiam proficiscenti adducat certum numerum Elephantorum, Equitum, & Peditum. Sunt autem Feudalia hæc bona tam quæstuosa, ut sint, qui ex iis annuatim colligere possint auri Millionẽ unum. Neq; incredibile hoc videri debet,

Digitized by Google

cum in hac parte, quæ prope maxima est totius Orientis, non agri tantum, sed & metalli fodinæ, sylvæ, ipsæque adeo aquæ his Principibus quæstum adferant. Neque enim cuiquam abluere corpus in Gange fluvio licet, nisi prius persoluto argento, estque in regno Narsingæ illa aqua emenda precio, si eam asportare quis velit, ad nescio quas expiationes vel superstitiones. Cum igitur rex sit dominus fontium in suo regno, nihil relinquitur populo præter labores: divisis igitur regni fundis prædiisq; inter Tribunos & Centuriones, verisimile est, quosdam ex iis incredibiles percipere redditus.

ROBVR MILITARE.

10 Communis fama est, Regem Bisnagaris & Narsingæ habere semper in armis XL. millia Najirorum sive Nobilium, qui omnes militiæ destinati sunt, addicti stipendiis regiis: præterea quie equorum XL. millia, qui partim à Perside veniunt, partim ex Arabia: Elephantos autem CC. Si vero vis hostilis patriæ ingruat, certum est, eum multo maiores copias in hostem ducere posse. Ostendit hoc Iohannes Bartosius, cum depingit exercitum, quem Chesnatus Rex Bisnagaris duxit adversus Idalcam in expeditione Rachiensi. Ait igitur exercitum illum in plures divisum acies, velut membra, sub certis militasse Tribunis Ductoribusque. Primum agmen duxisse Camaraicum, cum Equitibus M. Elephantis XVII. Peditum XXX. millibus. Hunc secutum Tierrabitarum habuisse Equitum II. millia, Elephantos XX. Peditum L. millia. Timanapaicum duxisse tertium agmen, in quo fuerint III. millia Equitum & D. Elephanti XXX. Pedites sexagies mille. Hadapanaicum secutum habuisse Equitum V. millia, Elephantos L. Peditum C. millia. Sub Condomaro militasse Equitum millia VI. Elephantos LX. Peditum CXX. millia. Comorum duxisse II, millia Equitum & D. Elephantos XL. Peditum vero LXXX. millia. Postremo Gendraium Equites M. Elephantos X. peditum millia XXX.

Post hunc exercitum processisse Eunuchos Regiæ cum M. Equitibus, Elephantis XV. & peditum millibus XL. Betelum Cubicularium duxisse Equites CC. Elephantos XX. peditum VIII. millia. Comarbecum duxisse Equites CD. Elephantos XX. peditum millia XV.

Hos omnes sequutum fuisse ipsum Regem cum Prætorianis Stipatoribusque, quorum hic fuerit numerus. Equitum millia VI. Elephanti CCC. Peditum millia XL. Ad latus ei adequitasse Præfectum Bengaporensem, cum aliis ductoribus Ordinum, qui & ipsi junctim sub signis habuerint IV. millia Equitum, Peditum LX. millia, Elephantos XXV. Præter has copias omnes adfuisse Equitum millia II. peditum C. qui omnes in paruas turmas & manipulos divisi fuerint, ut instar velitum ante aciem discurrerent, & pervestigarent, quonam loco hostes essent. Exercitum secuta fuisse Aquariolorum millia XII. Scortorum millia XX. Lixarum, Calonum, Mulionum, Opificum, Institorum, itemque iumentorum tantum, ut numerus comprehendi non possit. Quãta autem hæc in universum fuerit multitudo, vel inde colligi posse ait noster auctor, quod in transitu fluvius quidam, qui primorum coxas aquis suis prope attigerit, ultimis ad potum non suffecerit. In hanc expeditionem antequam iret Rex, narrat Bartosius, eum sacrificasse novem dierum spacio viginti millia animalium, prætereaque DCC. XXXVI. victimas; quarum omnium carnes distributæ fuerint pauperibus in honorem Idoli. Armatura prophylactica horum militum omnium (ut auctor refert) fuit è materia gossypina, contextura tam firma, ut velacutissimæ lanceæ ictum respuere posset: eodem modo & Equorum ac Elephantorum corpora munita fuerunt. Cuique Elephanto sua erat imposita turris, inq; ea quaterni milites armati, pugnantibus etiam bestiis promuscide, qua prælongos vibrabant gladios. Peditatus huius Regis divisus erat in sagittarios, doryphoros, gladiatores & Cetratos, extremis ferentibus tam latos clypeos, ut totum hominem occulere post se possent.

Est autem observatione dignum, Regem Narsingæ cum his tantis copiis propemodum ab Idalcano, qui re tormentaria optimè instructus fuit, ab initio fusum profligatumque fuisse. Videntem autem confusionem exercitus sui, hanc magno Principe dignam emisisse vocem: longe sibi optabilius fore, si Idalcanus gloriaretur, occisum ab sese Narsingæ Regem quam victum. Et cum dicto verbis efficacibus solatum suos, instaurasse prælium, atque hostes deviciisse. Interfuerunt huic conflictui XL. Lusitani, secuti partes Idalcani. Cepit Rex potitus victoria, equorum Arabici generis IV. millia, Elephantos C. Tormenta ænea maiora CCCC. & ingentem numerum minorum: de iumentis enim, tentoriis, impedimentis & captivis nihil certi dici scribique potest. Nostro tempore duo duces insurrexerunt in hunc regem, quorum prior Virapanæus nomine Negaparanæ habitat: alter, Vengapatir loca quædã circa Malipuram occupavit. Vt autem Rex Narsingæ promptioribus utatur militibus, singulis annis eorum lustrationem instituit, ubi tam ductores, quam milites comparere necesse est. Qui vel tardius comparent, vel minorem clientum, quam imperatus est, adducunt numerum, honore & officio deiiciuntur.

Quæ sit Narsingensium Religio.

Fatentur hi populi unum esse Deum, auctorem 11
& Dominum totius huius universi. Diabolum autem venerantur ut auctorem omnis mali, quem enixius colunt quam ipsum Creatorem, excitantes ei magnifica Templa, attributis opulentis proventibus.

Sunt atque assiduo versantur in his Templis certi quidam homines qui Idolo serviant: at alibi prostant meretrices, quæ corpore quæstum facientes, quidquid lucrantur, ad Idoli cultum conferunt, instituentes interim puellas in eodem artificio. Sunt autem in hac regione, ut in universa prope India, duo hominum genera, qui detestandis his sacris operantur: Baneani & Bramini, sive Brachmanes. Et illi quidem valde numerosi sunt in regno, quamvis in diversas divisi Sectas: in eo tamen omnes consentientes, quod nec ipsi animal vivum occidant ullum, nec ab aliis interemti vescantur carnibus. Quin & aviculas à pueris captas emunt, & liberas avolare sinunt.

Rapis

Digitized by Google

Rapis & allio non vescuntur, abstinentque à vino, aceto, ut & Nympa & Ortaco, quæ sunt genera potionis Indicæ. Macerant se crebris jejuniis, sub vesperam duntaxat parum sumentes saccari, vel lactis, qui vero superstitiosiores sunt, prorsus abstinent.

Aquam saccaro edulcatam & aviculis & formicis exhibere solent, quin & in Cambaia ajunt esse domum Hospitalem, curandis ægris avibus destinatam.

Quidam magis sobrii, cum se vicinos morti vident, bonorum suorum partem legant aliis, ut per loca deserta circumeant atque arentia, & aquam præstent viatoribus restinguendæ siti. Extenditur autem hæc misericordia usque ad papiliones, cum candelas lucernis apte contegant, ne insecta illa circumvolitantia exultis alis pereant.

In primo matrimonio acquiescunt, ad secunda vota non transeuntes: oportet enim uxorem cum defuncto marito simul sepeliri. Cæteri non sepeliuntur, sed exuruntur, tam viri quam fœminæ. Viduæ, quæ in ardentem mariti rogum insilire nolunt, toto vitæ tempore habentur infames, haud secus ac si de adulterio convictæ fuissent.

12 Baneanorum vestitus idem est qui veterum Brachmanorum: sed & credunt Metempsychosin Pythagoricam; de qua satis notum est.

His tamen multo in maiore existimatione sunt Brachmani, sive Bramini, divisi & ipsi in duas Sectas. Quidam enim uxores ducunt, habitantes in Vrbibus, & hi antiquo nomine Bramini dicuntur.

Qui vero in perpetuum à matrimonio abstinent, *Ioques* vocantur. Et hi quidem proventus annuos nullos habent, austeram viventes vitam, alentes se eleemosynis, vagantes per Indiæ Provincias, abstinentes ab omnibus voluptatibus, donec elapso certo tempore fiant *Abdus*, id est, Perfecti, & in quos peccatum amplius non cadat. Ibi incipiunt se immergere in omne genus turpitudinis & libidinis, nihil turpe aut illicitum iudicantes, quicquid in mentem venerit. Horum Magister colligit ingentes eorum redditus, eosque distribuit pro lubitu, mittitque certos discipulos, qui vanitatibus suis homines simpliciores inescent. Cæterum venerantur Bramini quendam *Parabramum*, eiusque tres filios, in cujus honorem gestant tres chordas de collo pendentes.

In numerum Deorum suorum referunt non solum bene meritos homines, sed & animalia quædam, quibus & magnifica Tepla erigunt. Colunt miserrimi etiam Simias, & Elephantos, & utrisque magis boves atque vaccas: adeo, ut Rex, cum novos Equites creat, iis commendet Braminos & Vaccas. Ratio superstitionis est, quod in hæc potissimum animalia defunctorum animas transire opinentur. Bramini qui littoralia loca incolunt, vescuntur animalium carnibus, exceptis bubulis & porcinis, demonstrantes has suas superstitiones ex certis nescio quorum Prophetarum libris. Deo colorem nigrum tribuunt, hunc esse pulcherrimum opinantes, unde fit, ut eorum Idola fumo ac fuligine lucernarum nigerrima sint, usque ad horrorem spectantium.

Deos suos insignes esse comedones, persuadent populo, ut eo plures his offerant epulas, & Sacerdotes habeant quod absumunt ut olim Beli Babylonici sacrificuli tempore Danielis, ut habet apocrypha veteris Canonis historia. Optandum esset consimile quid non reperiri inter quosdam de numero Christianorum, licet alio sub prætextu. Sunt inter eos quidam Astrologicæ artis peritissimi, vincente tamen malitia scientiam. Decalogum nostrum non ignorant; cujus & explicationem apprehenderunt. Quos sacris mysteriisque suis initiant, sub fide iuramenti ad silentii promissionem adigunt. Lingua præter Vernaculam utuntur peregrina, uti nos Latina, docentque discipulos suos in scholis Magiam & Incantationes. Diebus Dominicis vacant Doctores eorum rebus divinis, in precibus suis sæpe his utentes vocibus: *Imploro tuam, ô Deus, gratiam, & auxilium perpetuum.* Crines promittunt à prima fere infantia, habentque piaculi instar, è manu Christiani cibum capere.

Ad promontorium Narsingense in mare procurrens, quod Comorinum vocatur, eminus conspiciendam se exhibet in medio Neptuni Imperio Insula *Ceilon* sive *Zeilan*, quæ ab Indis creditur Paradisus terrestris, in quo Adam creatus sit, usque adeo viret, vigetque tellus omnibus præstantissimis, herbis, floribus, pomis, fructibus omnis generis, feris & alcuribus animalibus, aer temperatissimus licet sub Zona torrida &c. Aromata, gemmas lapillosque pretiosos varii generis hic invenire est. Ostendunt vestigia Adami in loco quodam. Qui vult, consulat scribas ad frontispicium nominatos, alioque. Novem Regulos habet cum Regiis sedibus non contemnendis, inter quos eminet Colmuchanus, cui cæteri tributum pendunt annuum. Propter mercaturam cõcessit Rex Lusitanis arcem condere ad portum quempiam Insulæ. Vocatur ab Arabibus Insula *Teinarim* & *Ternasseri*, id est, Terra deliciarum. Non procul inde ab altera Promontorii parte in Vasto Oceano dominatur Rex Maldivarum Insularum, qui Sultani titulo utitur, prout & Turca, Persa, Mogor & Rex Acheni sive Sumatræ. Habitat Maldivæ (vulgo *Male*) quæ Regni sedes. Dicunt Maldiviani Regem suum esse Dominum XIII. provinciarum (Atollons vocant) & XII. millium Insularum. Magno numero sparsæ in Oceano quasi in Ordine, Naturæ studio singulari, visuntur nautis prætereuntibus. Huc ascribo ad calcem Archontologiæ Asiaticæ ea fini, ut Lector agnoscat esse adhuc in Orbe Archontas, quorum nomina, Catalogum, terrasque & res gestas non possumus recensere. Præter hos enim sunt procul dubio & alii. Infra in Epidromo hanc rem tangemus. Nos his titulis hac vice contenti transibimus ex Asia rursus in Africam, enarraturi, post Regna Tunetanum & Tremisenum, Ægyptum &c. quæ subsunt Imperio Magni Turcæ, nunc reliqua suos agnoscentia Dominos.

***

IMPE-

Digitized by Google

IMPERIVM ABYSSINORVM SIVE PRETE-IANI.

[De rebus Æthiopicis in genere & inter illas Abyssinis in specie scripsere præter Cosmo-& Geographos universales, Ptolemæum, Strabonem, Origanum, Ortelium &c: Afrorum Scribæ Silius Italicus, Orosius, Iovius, Alvarezius, Leo Africanus, Iohannes Bohemus, Damianus à Goes, Boterus, Hugo Linscotanus &c.]

SUMMA CAPITA.

1 *Variæ Geographorum sententiæ in describendis hujus Imperii longitudine, latitudine, & limitibus.*

2 *Quibus Monarcha iste utatur Titulis & Nominibus.*

3 *Provinciæ Monarchæ illi subiectæ, Barnagassa, eius amplitudo atq; fines. Beroe sive Barua primaria eius urbs, huiusque situs. Aliæ urbes & oppida Insulæ, Lacus, Portus, Promontoria celebriora.*

4 *Descriptio plenior huius partis Æthiopiæ; Regia huius Monarchæ in civitate Beimalechi, ubi frequentius habitat.*

5 *Fertilitas soli Æthyopici, in proferendo ordeo, milio, pisis, ciceribus, fabis, aliisque leguminibus, nobis etiam incognitis. Saccarum, vinum, poma aurata, limonia, citria, oleum, mel, cera, linum, cotoneum: animalia quadrupedia in magna copia, aves omnis generis, cameli, leones, elephanti, tygres, simiæ, lepores, perdices, anseres: hæc omnia hic inveniuntur: nulli tamen Vrsi, Cuniculi & Cardueles aviculæ. Quotannis hic duæ hyemes & duæ æstates.*

6 *Vnde hi Æthiopes trahant originem: sunt inventores ceremoniarum in sacrificiis, & litterarum Hieroglyphicarum. Reges prisci Idololatriæ dediti. qui una cum aris cypri & argenti contemta aurum quoque parui æstimabant. adorabant Solem Orientem, conviciabantur Occidenti. Abyssini recondebant corpora mortuorum suorum in vasis vitreis. constituebant duo Numina: unum immortale, alterum mortale.*

7 *Describitur regia Prete Iani. Commoratio ejus frequens sub tentoriis: vestitus ejus, & quantum post se trahat curruum iumentorumque cum iter facit.*

8 *Natura & ingenium Abyssinorum, eorundem color, corporis habitus, cibi consueti, mos discumbendi in stromatibus humi stratis, sine mappis impositis. Qualis sit eorũ potus. qua utantur lingua, quibus characteribus litteriave. Modus eorum lugendi defunctos. Navigationes Æthiopum.*

9 *Opes & divitiæ eorum ex metallis: auro, argento, cupro, ferro. Copia saccari & gossypii. Proventus annui huius Monarchæ.*

10 *Quantum sit eiusdem Robur militare. quantos educere posset exercitus. Quos Reges Principesque vicinos habeat. Confœderati & inimici eius.*

11 *Rigidum & Imperiosum dominii genus, quod Princeps hic exercet in populum suum. Colitur à suis ut Deus. Refert originem generis sui ad Regem Salomonem & Reginam Saba. Successio in regno. Beneficia Ecclesiastica & Administratio Sacramentorum. Meretrices in eo regno. Officia Regia eorumque administri in triplici differentia. Pœna adulterii.*

12 *Duæ Religiones in hoc Imperio potissimum vigentes: Christianismus & Mahometismus. Quo pacto fides Christiana in has regiones introducta fuerit.*

13 *Error Abyssinorum retinentium Circumcisionem. Forma Templorũ apud eos, quæ calceatos ingredi nefas est, & in quibus spuere non licet. Cœmeteria eorundem, Sacramenta, Baptismus, Confessio, Matrimonium. Quã acrem agant pœnitentiam Religiosi Ordinis S. Antonii. Alius quidam Ordo Monasticus. Ceremoniæ usitatæ in Sancta, vt vocatur, Septimana. Duæ notatu dignæ Prophetiæ, ex quibus suã cum Frãcis unionẽ vaticinantur.*


14 *Legationes in causâ conciliationis Abyssinorum & Prete-Iani cum Ecclesia Romana; sed irrita.*

15 *Catalogus Prete Ianorum seu Asiclabassorum.*

PLeriq; omnes, qui ante nos ea, quæ potentissimus Monarcha iste possidet, attigerunt, ea potius persecuti sunt, quæ prisci Abyssinorum reges sub suo habuerunt imperio, quã quæ nostro tempore sub Prete-Iani dominio cẽsentur, unde & magna diversitas apparet in constituendis huius Imperii finibus. Sunt qui id ab uno Tropico ad alterũ extendant, tribuentes ei L. vel XLVII. gradus latitudinis, qui constituũt MCCCC. Leucas Gallicas: & hęc erit longitudo. latitudinẽ eius ab Oriente ad Occasum metiuntur à Mari Rubro usq; ad Oceanũ Æthiopicũ. Clarius autem describunt limites eius ad hunc modũ. Ab Aquilone ponunt Ægyptum; quã parte attingit Nubiam. Ad Orientẽ locant Sinum Arabicum sive Mare Erythræum, cum parte Indiæ & Sinus Barbarici, usq; ad Regnũ Melindæ. Ad Meridiẽ locant Montes Lunæ, qui ei velut nativus murus prætẽduntur. Occidẽtale latus eis alluit Niger sive Senega fluvius, accedentib. finib. regnorũ Nubiæ & Manicongi. Et hi quidẽ sunt fines, quos ei regno assignant post alios Geographos Belleforestius & Mercator. Alii, etsi non lõge abeũt, ita tamen finiunt, ut limitẽ Aquilonarẽ constituant, Nubiam Bugiãque, vicina Ægypto regna: Meridionalẽ Montes Lunæ: Orientalẽ, Mare Erythræũ cum Sinu Barbarico & regionib. Aiana & Dancala, quæ sunt partes Æthiopiæ exterioris: Occidentalem, Regnum Manicongi cum parte Nubiæ & fluminibus, Nilo & Senega. Hæc est sententia Magini & qui eũ sequuntur. Tertius est Hugo Linscotanus, qui in suis navigationibus hoc imperium extendit à faucibus Erythræi Maris usq; ad Syenen Insulam sub Tropico Cancri, excepta ea parte Sinus, quem Turcæ ei ademerunt intra proximos LXXX. annos: & sic illo dissignatore habebit Prete-Ianus ab Oriente Mare Rubrum, à Septentrione Ægyptum & deserta Nubiæ, ab Austro Regnum Manicongi, quibus spacium ultra CCCC. mill. comprehenditur.

Iohannes vero Berosus, quem Boterus sequitur, ait, nostro ævo Lacum Barcenum obtinere umbilicum huius Imperii, quod extendi dicit ab Oriente, à littore Rubri Maris usque ad Suaquenam per C. XXII. milliaria, intercedentibus tamen inter Mare

Digitized by Google



LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

Mare & dominium hoc longo ordine montibus, quos Mauri habitant, qui & possessionem Maris obtinent, excepto Portu Ercocano, qui ad Prete-Ianum spectat. Ab Occidente obiicitur alius ordo Montium, secundum Nili cursum, quem gentes Idololatræ incolunt, qui Monarchæ huic Tributum soluunt.

Ad constituendum igitur terminum Aquilonarem ducatur linea imaginaria ab Suaquena usque ad principium Meroes Insulæ, quam hodie Noben vocant, eritque hoc spacium CXXV. milliarium: Hinc ducendus est semicirculus, sed obtusus nec exacte rotundus, versus Meridiem usque ad regnum Adeæ (in cujus montibus nascitur fluvius, quem Ptolemæus Ratum appellat, qui infra Melindam Oceanum influit) per spacium mill. CCLIX. Hinc converso itinere, finit in Adelæ regno, cujus Caput est Alar Civitas, novem habens gradus altitudinis. Et sic quidem habebit totum hoc Imperium in sua Peripheria non nisi DCLXXII. miliaria

2 Dicitur ejus Imperium Æthiopia superior, quam occupat, licet non omnem, cum etiam Vicini quidam ejus hostes in hac Æthiopia habitent, olim Ætheria, deinde Atlantia dicta; cuius pars inferior ad montes Lunæ excurrit usq; ad Caput Bonæ spei X. diversis regnis, quæ ad Abyssinos non pertinent.

3 Cæterum iactat se Princeps hic ex stirpe Davidis oriundum, nominatque se Barbaro fastu Imperatorem utriusque Æthiopiæ, Regem Goæ, Caphetum, Fatigaris, Angolæ, Barni, Baliguazæ, Adeæ, Vangæ, Goiamæ, ubi est scaturigo Nili, Aumaræ, Bagomedri, Ambeæ, Vanguei, Tigremahonis, Sabaimi, Sabæ, Barnagassæ: breviter, Dominatorem Finium Nubiæ & Ægypti. Obtinuit nomen *Pretegani*, qui vocatur à nobis paulo *mutata* voce Priester Johan quasi *Presbyter Iohannes*, sed magno abusu, cum vox illa sit Persica & significet plurali numero *Apostolos*, quo fortassis à Persis appellata hæc regio, quod Christianam amplectatur religionem.

Cum autem nobis constitutum sit, ita eius describere Imperium, ut nunc est, optimum erit, singulas eius perlustrare provincias, in quo tamen ipso, quantum instituti nostri ratio fert, brevitatis erimus memores.

Notissima autem omnium huius regni provinciarum est *Barnagassa*, quod vicina sit Mari Erythræo, cui recta ex opposito extenditur *Suaquena*, ferme ad ipsius freti introitum usque. Nec tamen habet hæc provincia nisi unum portum, nempe Ercocanum. Primaria huius regionis Vrbs vocatur *Beroa*, structa super fluvium amœnissimum. Nondum adeo multi effluxere anni, cum Turcæ horribilem in modum eam regionem pervastaverunt, collectis ingentibus spoliis & abductis in servitutem multis hominum millibus, postremo pax facta est, cum Bassæ, qui Suaquenæ commoratur, persolutæ fuissent Mille Auri Vnciæ. In Occidentaliori huius provinciæ parte, mons spectatu dignus assurgit, qui ab ima basi satis spacioſis, paulatim in acumē aliquod se colligit: deinde iterum se dilatans Fungi vel Tuberis pingit figuram, unum ambitu suo complectens milliare.

Inter ædificia regia supra eum montem structa, Templum spectatur, & Monasterium, & cisternæ duæ prægrandes, cum tanto agri spacio, ut inde facile ali possint D. homines. Ascendi eo non nisi ab una parte potest, & quidem ad certum duntaxat præcipitium.

Hinc oportet altius adscendere volentes insidere corbibus, & funibus sursum attrahi. Talis igitur huius montis est natura, ut vi capi nequaquam possit, neque adscensu, quia nimis altus est; neque fame, quia quotannis ibi tantum crescit, quantum præsidio sufficiat.

Egredienti tibi Barnagassam occurrent editissimi Montes, Mandafenses, Ofalenses & Gratenses, quibus veluti muro intergerino separatur Imperium Abyssinorum ab Regno Adelensi.

Dasilaa Provincia, Regno Barnagassæ subiecta, habet præter *Erotum* urbem & Portum, has quoque urbes: *Santaram, Giabellam, Laccarin, Abdaracham*. Hic inflectit se Sinus Ercocanus usque ad locum, quem veteres *Aduliten* vocaverunt, qui locus sine dubio est prominentia illa apud Ercocum, ubi terra incuruatur apud Bebulum, faciente curuaturam illam versus Arabiam Erythræo Mari usque ad initium Freti sive fauces Sinus Arabici, quæ ibi sunt perangustæ, aquâ subsidente & insulas aliquot aperiente.

Vbi præterieris Ercocum oppidum, cui obiicitur *Mensuria* Insula, pervenies *Zanaguin* & *Zamam*, quæ sunt oppida Provinciæ Laccensis: deinde *Portum Velle*, quæ olim, *Antiphile*; postea invenies duos Lacus, qui Crocodilos alunt, velut Nilus; hinc venies ad Portum & Promontorium, veteribus *Massylon* dictum, nostris hominibus *Caput de Docono*, quod spectat ad regionem *Dangalin*; Inter duo hæc loca *Dangali* & *Docono* facit mare sinum, sed exiguum, in quo tamen V. vel VI. paruæ emergunt Insulæ, quæ impediunt introitum, faciuntque nautis formidabilem, metuentibus, ne in latentes sub aqua impingant scopulos. Post Dangalin occurrit Portus *Zeila*, deinde *Daphnæus*, ubi est *Barbara* oppidum iuxta *Bellaos* Montes: hinc celebre illud *Caput Guardafui*, iuxta quod est *Matreum*, olim *Accaneum* oppidum, ibi duplicatur Promontorium istud, & deserto Oriente in Meridiem flectitur versus Æthiopiam interiorem. In hoc latere primum occurrit *Carfu*, olim *Opene*, & Promontorium *Zingitanum*, ubi flectitur in semicirculum mare versus *Azunum* & *Zazellam*, quæ veterum fuerunt *Essina* & *Tonica*: post hæc *Magadazum*, ubi Lusitani sua exercent mercimonia: denique ultima provinciarum, quas titulo suo exprimit Monarcha iste, nempe *Barrii*, habens duo oppida maritima *Pateam* & *Bravam*, quorum territoriis separatur regnum magnæ Æthiopiæ à regno Melindæ. Lustratis ad hunc modum huius regni littoribus, videamus iam illius interiora.

Regnum *Tigremaonis* situm est inter *Marabum* & *Nilum* fluvios, & Mare Rubrum atque regnum Angotense. Numeratur autem regnum hoc inter provincias Prete-Iani, quod rex illius Abyssino sit tributarius.

In regno *Trigao* egregia civitas est *Caxumum*, quæ putatur fuisse Regia celeberrimæ illius Reginæ Sabæ, quam nomine vocatam fuisse *Maquedam* aiunt Æthiopes, & ex Salomone suscepisse filium, nomine *Meilechum*. In eadem urbe aiunt habitasse *Candacen*, cuius alibi in Sacris litteris fit mentio. Sed hoc regnum Turca occupavit, ut & magnam partem Barnagassæ, usque ad Suaquenam.

Regnum

Digitized by Google

Regnum *Angotense* medio situ est inter *Tigrimaonem & Amaranum*. Subsunt huic provinciæ Abugana, Iannamora, aliæque. Spectantur in hoc regno supra Sabelletam fluvium hæc oppida: *Angorinia, Bachle, Corcora, Beimaria*; ad flumen vero Anconem sita est regni Metropolis, *Angota*, à qua haud longe abest aliud oppidum, *S. Petri* nomen gerens. *Amarano* regno ab Aquilone finitimum est Angotense: ab Oriente Xoæ: à Meridie Damutense: ab Occidente extenditur usque ad Nilum.

Regnum *Xoa* est inter regna *Amara, Damut & Fatigar*.

Regnum *Sagamedræ* majus est cæteris per Æthiopiam, cum secundum Nili ripam & à regno Gaiamensi extendatur usque ad Insulam *Gueguerram*, quæ veterum *Meroe* est, quod quidem spacium DC. mill. pass. minus non est. *Meroe* autem sive *Gueguerra* Insula Prete-Iani subiecta dominio non est, ut quidam opinantur, sed habitatur à Mahometistis, qui iurati sunt Abyssinorum hostes.

Regnum *Fatigar* situm est inter Regna *Adelæ & Xoæ*: *Damutense* etiam est vicinum Xoæ, inclusum inter Lacum Barcenis & regionem Zanquabaram. Alii collocant regnum Damutense ultra Vanguense & Goiamense Occidentem versus, quorum conjectura videtur esse verisimilior.

4 Et hæc sunt ea, quæ de tam vasto Imperio dicere habuimus, in cujus descriptione plerique Geographorum balbutiunt, cum quæcunque scripserunt, ex Abyssinorum, qui ipsi peregrini sunt in sua patria, narrationibus, imperfectis illis quidem & male ordinatis, hauserint. Nam & illi, qui Regiam sive habitationem hujus Monarchæ *Cuzumum* constituerunt, errant, cum certum sit, referentibus ipsis Æthiopibus, illum sæpius diutiusque commorari in urbe *Beimalechi*, quam in ulla alia, teste Hugone Linscoto, qui omne littus navigando rasit Æthiopicum, & hæc ex ipsis Abyssinis didicit. Qui pluribus Imperium hoc describere voluerit, librum forte pluribus implebit verbis foliisque, sed fortassis etiam mendaciis. Sufficiat igitur nobis præcipua attigisse: cætera enim vel incerta sunt, vel indigna, in quibus & chartam & tempus consumamus.

Quale sit natura & ingenium Terræ.

5 In universum fertile est, feraxque omne solum Abyssinum. Etsi enim tritici non multum gignit, plurimum tamen dat hordei, milii, pisorum, ciceris, fabę aliorumque leguminum, quæ magna ex parte nobis ignota sunt. At saccarum, etsi humus largiter procreet, ignorantia tamen Abyssinorum defæcare & excoquere decenter non novit. Vineæ ibi permultæ sunt, & in hortis crescit incredibilis vis pomorum auratorum, citriorum, limoniorum. Ignorat Melones, Papas, olivas, quanquam incolæ oleum conficiant ex certo quodam fructu, quem ipsi *Goven* appellant. Mellis hic plus quam dici possit, cum apes etiam in ædibus, conclavibusq; hominum mellificent, unde tantum quoque ibi est ceræ, ut incolæ sævo animalium ad candelas non utantur, ob copiam ceræ. Linum etsi terra benigne gignat, tanta tamē est hominum ruditas, ut telas inde conficere non possint, utentes pro eo gossypio ad materiam vestiariam, cujus non minor ibi quam lini abundantia.

Vix est ullum genus quadrupedum aut volatilium, quod per Europam atque alibi visitur, quod non & apud Abyssinos reperiatur. Sunt enim hic oves, boves, asini, equi, cameli, cerui, prætereaq; Elephāti, leones, tygres, lupi cervarii &c. Vrsos, Cuniculos, & ex avium genere cardueles hic nō reperiri nonnulli observaverunt. Vni inprimis malo obnoxius est Abyssinorum ager, quod aliquando innumera locustarum agmina in segetes instar amplissimæ nubis se demittant, ut earum obiectu solis lumen obscuretur, ipsæ vero non fruges duntaxat & legumina absumant, sed & folia ac cortices arborum corrodant. Equi hic generantur non magni quidem, sed habent multos Arabici Ægyptiiq; generis. Simiæ hic maiores sunt, quam alibi, & ferociores.

Auri, Argenti, Ferri, Æris que venis regnum hoc non destituitur, sed incolarū ruditate de litescunt. In regno Sagamedræ Argentifodinę reperiuntur optimæ, & alicubi aurum, quod magna ruditate solius ignis ope extrahunt: Damutenses tamen in hoc genere aliquanto plus præstant scientiæ, inprimis in utroque defæcando.

Campi pleni sunt volatilibus, anseribus feris, perdicibusque, adde etiam leporibus, quod rarissimi inter Abyssinos venationem noverint: unde vix ullam generandis animalibus & procreandis plantis putem benigniorem reperiri matrem, hac ipsa terra. Sunt insuper hic quotannis æstates duæ & duæ hyemes, tempora hæc anni non distinguente calore vel frigore, sed pluviis & serennitate cœli.

Mores antiquorum Æthiopum.

Autochtonas esse Æthiopes, non aliunde in has 6
terras immigrasse, crediderunt antiqui: & hos ipsos primos fuisse, qui cultum divinum & sacrificiorum ceremonias instituerint. Litterarum apud eos genera erant duo: unum nulli erat notum præterquam sacerdotibus, unde & Sacrum appellabatur: alterum commune erat plebi. Figuræ tamen litterarum non erant tales, ut inde vocabula colligi possent, sed vel animalium, vel membrorum hominis, vel aliarum rerum rudes quædam formationes, vel instrumenta artificum, unaquaque pictura integrum verbum vel etiam sententiam exprimente. Velocitatem enim innuere volentes, pingebant Nisum avem: hostilitatem, crocodilum: vigilantiam, oculum apertum: quod quidem litterarum genus Hieroglyphicum dicitur.

Eum inter Sacerdotes cæteris sanctiorem habebant, qui instar Maniaci discurrens, nescio quem divinum furorem ostentabat, adeo, ut eum aliquando regem crearent, & nescio quid divini in illo latens adorarent: credebant enim Deūm providentia illa omnia fieri: qui autem ad eum modum supremum dignitatis fastigium conscenderat, eum apportebat omnia secundum leges & consuetudines patrias facere. Ipse neq; præmiis afficere neque morte quenquā solebat eorum quibus dominabatur, sed si quem capite plecti oportebat, mittebat ad eum Apparitorem cum signo mortis, quo viso, reus nihil cunctabatur, sibi ipsi mortem afferre.

In regem tam propenso erant omnes animo, ut si eum vel luscum, vel claudum, aut aliqua parte mutilum fieri contingeret, ipsi quoque sibi vel alterum cor-

Digitized by Google

corrumperent oculum, vel mutilarent aut distorquerent membrum corporis. Sed & ii, quos præcipue ab rege amatos constabat, defuncto eo, sæpe voluntariam subibant necem, honoratissimum hoc mortis genus existimantes, & veræ amicitiæ verum signum.

Fuit olim Meroe Insula habitatio regum Æthiopum: ipsam Insulam potissimum incolentibus pastoribus, venatoribus & aratoribus. De Æthiopibus Macrobiis narrat Herodotus, eos pluris fecisse æs quam aurum, quod inter ipsos vile fuerit. Cum Legati Cambysis regis ad hos veniissent, viderunt ibi fontes, quorum labra cincta fuerunt catenis aureis. Mulieres eorum nō minus quā viri exercebantur in armis, quæ etiam labia perforabant & per foramen æneum traiiciebant circulum. Quidam adorabant Solem Orientem, conviciis insectantes Occidentem. Erant qui mortuos suos in fluvios abiicerent; alii includebant vasis terreis, alii vitreis, quibus cadavera per integrum annum domi conservabant, divinos iis cultus atque sacrificia offerentes. Putant nonnulli, eum apud Æthiopes regem creatum fuisse, qui cæteros pulchritudine vicisset, abundaret pecore aliisque divitiis. Iactabant ipsi, colere se non nisi unum Deum, auctorem totius Universi: cui adiungebant alium incertum & mortalem. Post Deum rex colebatur, instar Dei: post regem is, qui meritis in patriam cæteros vincere credebatur.

Mores Abyssinorum nostri temporis.

7 Vocant Arabes hunc Monarcham *Anticlabassam* vel *Articlabaßim*; à suis ipse appellatur *Bel*, & *Bebul Gian*, quæ vox significat Æthiopibus Præpotentem Principem, unde corrupta quadam videtur orta appellatio Pretiosi Iohannis vel Prete-Iani. Afri vocant eum *Acequen* & *Neguz*, quæ voces Regem vel Imperatorem significant. Huic ex veteri consuetudine nullum fixum domicilium, nulla certa regia, cum modo hic modo alibi commoretur, potissimum anni tempus sub tentoriis exigens, quorum semper ad VI. millia ipsum sequuntur, ut aula illius aliquando X. vel XII. passuum millia occupet; cum in apertis campis castra metatus est. Vasorum aureorum & argenteorum, & preciosissimæ supellectilis incredibilem vim habet secum hic Princeps, quem negant esse coloris atri, ut cæteri sunt Æthiopes, sed ex albo & nigro mixti. Cum castra promovet, nunquam uno die ultra XII. millia passuum sive III. milliaria Germanica progreditur, coronam capite gestans auream, dextera Crucem præferens argenteam. Facies ejus cooperta est laciniola serica cærulei coloris, quam vel attollit vel demittit, pro ut illis favet, qui cum eo colloqui cupiunt.

8 Ipsi Abyssini toti nigri sunt, bonarum artium doctrinarumque penitus rudes, ut quidam volunt, quanquam Magnus ille Iosephus Scaliger, cuius eruditio nunquam satis laudari potest, in libro de Correctione sive Emendatione Temporum, non eam quam alii iis tribuat ignorantiam. Medicinæ apud illos usus est nullus. Vestitus eorum vel est ex ferarum pellibus, vel tela xylina: qui tamen honoratiores inter eos sunt, arietum pellibus teguntur: at viri Principes leonum, luporum cervariorum, aliarumq; noxiarum bestiarum.

Domicilia eorum humilia sunt & structuræ vilis, ex creta & culmis unius tabulati, ultra quod non adscendunt: portæ sive ianuæ eorum semper patent, cum nemo facile alterius domum ingrediatur. Mensarum mapparumque usus hic nullus, cum capientes cibum humi desidant super stoream aliquam aut vilem pannum. Multos inter eos constat crudam devorare bubulam, & recentem à cultro. Inter aromata primo loco sunt Sal & Piper. A venatione videntur studio abstinere, ignari etiam piscationis, estque magna inter eos artificum penuria. Omnes populos Europæ communi nomine Francos appellant, puto quod horum nomen ob capta Hierosolyma & Constantinopolin olim in Oriente celebrius fuit. Vulgo tamen omnes albos homines *Gliberos* vocant. Vineas cum habeant, vinum tamen non exprimunt, præterquam in Aula Regis, & domo Patriarchæ, quem ipsi *Abunam* vocant: ipsi vulgo loco vini utuntur potione quadam satis aspera ex fructibus Tamarindorum.

Ingenio plerique sunt lento & tardo, ac judicio hebeti, cum linum habeant, neque tamen inde telam conficere norint: & arundines saccari, neque tamen extrahere sciant: & ferrum, neque id in instrumenta cudere possint, sed fabros ferrarios veneficos putent & incantatores.

Nobiles, qui inter eos sunt, valde impotenter dominantur plebi, cum nihil iniustum putent, quod necessarium sit, ut nihil vereantur, omnes tenuioribus eripere facultates. Loquela eorum certis regulis comprehendi non potest, ut scripturi unam epistolam aliquot dies insumant.

Characteribus tamen utuntur multo pulchrioribus quam Turcæ aut Arabes, ut in libro Emendationis Temporum Scaligeri videre est, & in Onomastico Tuneri. Nobiles, cives & plebs separatim habitant alii ab aliis, possuntque posteriores hi ad Nobilitatis gradum adscendere virtute & factis.

Vrbs aliqua aut locus populo frequentior vix est per totam Abyssinorum regionem, ut ultra II. millia familiarum capiat, quanquam huius generis loca oppido quam pauca sint. In pagis villisque habitant, dispersisque mapalibus. Sal eis ad auri pondus appenditur. Vnum plebi est iuramentum, per vitam & salutem regis, qua quidem in re Hispanos sequi videntur.

Ad ferenda onera mulis utuntur, ut & ad faciendum iter, equos ad belli usus reservantes. A nigro colore in vestibus abstinent, præterquam cum in Luctu sunt, pullum amictum feralem existimantes. Defunctos suos lugent per dies XL. In magnis solennibusq; conviviis secundus missus fere est è carnibus crudis, quas comedunt aromatibus perspersas, habentque inter cibos delicatiores.

Navigationibus in Orientalem Indiam, quicunque liberæ conditionis sunt, fere addicti sunt, ambitiosi circa artem nauticam, nec negociationum rudes, cum ipsi distincti in certa mercatorum genera, alii quidem Goam, alii Chinam, & Bengalam, & alia loca adeant. Nautæ operam suam mercatoribus exiguo precio addicunt, prompti ad omne servitiorum genus, flagra insuper & omnes iniurias pa-

Digitized by Google

tienter ferentes, ut mercenarii patum à mancipiis differant. Habent hi omnem suam familiam secum navibus, natam ad serviendum. Si cui vel capitis tegumentum, vel aliaquæpiam res minoris precii inopinanti in mare excidat, etiamsi navis plenis velis feratur, erunt inter eos, qui in undas desiliant, & rem amissam recuperent. Laborantes semper cantillant, cumque ocioſi sunt, præsertim in navibus Lusitanorum, inebriant se cum uxoribus liberisque suis, cantantes vel clamitantes potius subinde. Vxores Æthiopicæ gestant oblongas caligas sive femoralia, ut vulgus nauticum, præsertim inter Arabes & Mahometistas.

Facultates opesque eorum.

9 Divites esse Abyssinos fateri nos cogit aurum & argentum, quod apud eos terra eruitur, ut & cætera metalla, inprimis æs & ferrum. Saccarum natura iis largiter dedit, non item artem extrahendi atque defæcandi: quæ eadem quoque ars eos in excoctione Metallorum deficit: quam insciti am si profligarent, multo maiores sine dubio opes habituri essent.

Proventus Regii in triplici sunt differentia: Vel enim consistunt in fundis regiis, quos vel boum vel mancipiorum opera colunt, crescente semper servorum multitudine, cum liberi sequantur parentis conditionem: vel in censu capitum, quem populus viritim solvit, & decimis metallorum: vel in tributis subjectorum Principum, quorum alii quidem equos mittunt, alii boves, alii materiam vestiariam, alii denique alias res imperatas, singuli pro facultatibus provinciæ suæ.

Thesauros non exiguos hunc Monarcham possidere credere par est, inque iis habere plurimum auri, gemmarum & pannorum, cum his totum prope regnum abunden. Intelleximus hoc ex Epistola quadam eius ad Lusitaniæ regem, in qua huic offert ad bellum contra infideles auri quidem C. millia drachmarum, hominum vero atque alimoniæ vim incredibilem. Putatur etiam quotannis in ærarium suum, quod est in Castello Amaræ, inferre tres Auri Milliones. Non negaverim, ante Alexandri regis tempora, tantum auri reges non habuisse: sed cautæ est, quod id excoquere atque defæcare non potuerunt, sed crudum recondiderunt cum magna vi gemmarum. Mittit autem Prorex Barnagassæ Monarchæ huic quotannis CL. equos præstantes cum magna vi telæ sericæ, gossypii, & auri infecti. Rex Tigremaonis loco tributi mittit CC. equos Arabicos, nec minus cæterarum rerum quam superior. Cæteri soluunt quod possunt, pro captu facultatum.

Vires & Robur Militare.

10 Quæ huic Monarchæ parent gentes, parum bello utiles sunt; partim quod nimis servili timore coherceantur, qui, si quid in iis est generosi, penitus extinguit, ut inepti sint ad arma velut ligatis manibus: partim quod armis prophylacticis fere destituantur, excepta galea nullius precii aut vili lorica ab Lusitanis precio accepta: partim denique, quod loca munita, arces atque propugnacula nulla habent, unde omnibus velut in prædam expositi sunt. Arma eorum Amynteria sunt, arcus cum sagittis & lancea armentata, sive Assagaya. Accedit ieiunium L. dierum, quo ita exhauriuntur atque eneruantur vires eorum, cum totos dies inedia transigant, ut vix ingredi recti possint, & his & aliquot sequentibus diebus. Hanc occasionem arripiunt Mauri & Arabes, eosque ita debilitatos, bello adoriuntur, certi prope de victoria. Et cum in toto hoc regno, ut diximus, locus aliquis præ cæteris munitus non reperiatur, ostenderunt Æthiopibus his Lusitani sæpius, quanto melius foret ad reprimendas Mahometistarum quotidianas irruptiones, si Rex Vrbes & Arces extrui juberet, vallo fossisque munitas, aliisq; insuper rebus instructas ad defensionem necessariis. Sed Abyssini responderunt, potentiam Principis sui non consistere in mœnibus & fossis, sed in manibus populi. Narrat Alvaresius, Regem hunc multa millia hominum in expeditionem belli ducere posse: cum tamen constet, etiam in necessitate constitutum tantum exercitum conflare non potuisse. Est inter eos Ordo militaris, sub instituto Antoninorum, cui omnes patres familias, qui nobili sunt nati genere, coguntur addicere è tribus filiis unum, non tamen natu maximum: unde excrescit numerus equitum duodecies mille, qui omnes dicuntur custodes corporis regii. Scopus huius Ordinis Equestris est, defendere fines Imperii adversus hostes Christianæ Fidei.

Vicini huius Monarchæ, à quorum potentia iure sibi metuere potest, hi sunt: Rex Burnæ, Magnus Turca, & Rex Adelæ. Regi Burnæo paret illud terræ spacium, quod extenditur à Guangala circiter L. mill. pass. in Orientem, inter deserta Seti & Barcæ. Ipsa regio est inæqualis, alicubi plana, alicubi montibus aspera. Rex abundat populo, cui nihil imperat præter fructuum decimas, horum præcipua ars est prædari & latrociniis affligere vicinas gentes, easque in servitutem abducere, postea in Numidia vel Mauritania pro equis aliisque mercibus permutare. Multum hi homines damni inferunt Abyssinis, rapientes eos liberosq; eorum, & interturbantes eos in effodiendis metallis. Pugnant autem Burnæi ex equo, Maurorũ more, utentes lanceis utrimque mucronatis, arcuq; insuper & sagittis, & sic armati modo hic modo illic in Abyssinorum Imperium irrumpunt. Cæterum hos potius latrones & grassatores, quam hostes aut bellatores appellaveris.

At Turca, qui ab Oriente Abyssino vicinus est, sicut & Adelæ Rex ab Oriente & Meridie: hi duo inquam graves Prete-Iano sunt hostes, qui multò angustioribus regnum eius circumscripserunt finibus, & ad extremas reduxerunt miserias. Præterquam enim quod Turcæ partem regni Barnagassani expoliaverunt, quod factum est anno A.N.C.M.DLVIII. & repulsi inde fuerunt: reversi iidem eripuerunt Abyssinis, quicquid in littore Rubri maris obtinuerunt, inprimis autem Portus, Suaquenam, & Ercocanum, inter quæ duo loca montes, qui intercedunt inter Abyssinam & Mare Rubrum se aperiunt, ut pateant ad negociationem Abyssinis & Arabibus. Neque adeo multi anni sunt, cum Prorex Barnagassæ coactus est à Turca pacem emere, tributo annuo mille unciarum auri.

Neque tamen, minus huic Imperio impendet

periculi

Digitized by Google

periculi ab Adelæ rege, qui confinis est regno Fatigar, & usque ad Mare Rubrum dominatur, in quo habet oppida Assam, Salir, Met, Barboram, Bidar & Zellam. Barboram appellunt plurimæ naves ab Adena Arabiæ & Cambaia, ut suas cum Æthiopibus permutent merces. Et Arabes quidem mercatores hinc auferunt magnam vim carnium, alimoniæ, mellis, saccari & ceræ. Cambaienses vero aurum, ebur, æs, & alia mercimoniorum genera. Ab Zella sive Zeila eadem petuntur, prætereaque fructus arborei & frumenta varia, & arietes, quibus caput & collum nigrescit, cætera albent; tanta pinguedine caudæ, ut ea sola XXV. libras pendat & amplius. Aliud genus est arietum, cui cauda in eam crescit longitudinem, ut unam exæquet orgyiam, & quibus obesa palearia de collo pendet, sicuti tauris. Vaccarum hic genera diversa sunt quibus cornua ab fronte extant instar ceruinorum; sunt quibus unum solum eminet, ab extremo incuruum; & aliæ quidem sunt nigræ, aliæ rubicundæ.

Primaria huius regni Vrbs dicitur *Arat*, ad trigesimum octavum milliare ab Zella versus Euronotum. Rex iste Mahometi amplexus sectam, æternum se profitetur hostem omnium Christianorum, unde nomen Sancti inter Barbaros suos acquisivit. Expectat igitur, donec Abyssini Ieiunio illo longo & acerbo debilitati fuerint, ut vix domestica possint obire munia. Ibi demum hostis ille irrumpit, mille damnis afficiens regionem, & innumera capita in tristem abripiens seruitutem.

Est autem magnus mancipiorum Abyssinensium usus apud Principes exteros, unde & magni fiunt, ob fidem & industriam, qua multi non solum libertatem, sed & opes divitiasque sibi pepererunt, inprimis in Arabia, Cambaia, Bengala & Sumatra. Plus enim tribuunt his Mahometani Principes, quam iis quos vi subegerunt, quorum male fida sunt obsequia, ut etiam servis emtitiis aliquando vitam & principatum committant. Horum autem omnium in præstanda fide & silentio Abyssini putantur primi. Hinc fit, ut Rex Adelæ tantum mancipiorum ex hac regione avehat, iisque Ægyptum & Arabiam impleat, ut pro iis accipiat milites, arma & instrumenta belli.

Cum anno A.N.C.M. DL. Claudio Abyssinorum regi admodum molestus esset Gradamelius Adelæ rex, & integris quatuordecim annis regnum eius perpetuis infestasset incursionibus; & iam in eo esset, ut desertis finibus Claudius in interiora regni se reciperet: imploravit de auxiliis Stephanum de Gama, Proregem Indiarum nomine Iohannis III. Lusitaniæ regis, qui tunc cum valida classe fauces Sinus Erythræi obtinebat. Misit petenti Claudio Stephanus fratrem suum cum CCCC. Lusitanis militibus, & bono numero sclopetorum aliorumque armorum. Tertio prælio, cum Adelæ Rex haberet M. sclopetarios Turcas à Præfecto Zebitensi, cum XII. tormentis æneis, Abyssini victi profligatique fuere, cum iam antea ope Lusitanorum hostem duabus pugnis vicissent. periere in hoc ultimo prælio multi Lusitani milites, cæsi à Turcis. Quos cum Adelæ rex ab se dimisisset, Claudius eum ex improviso adortus est apud Sanalem Montem cum LX. millibus peditum, & D. equitibus Abyssinis, ubi Lusitani, qui à nouissimo prælio superfuerant, tam fortiter fecerunt officium suum, ut Claudio victoriam pepererint, unus eorum etiam Grudamelio vulnus inflixerit. Postea cum Claudius acie confligeret cum Mauris, Arabibusque, occubuit in prælio, & rex hostis eius asino insidens triumphavit. Habuit successorem Claudius Adamum fratrem suum, in quem, quod videretur Mahometista potius esse quam Christianus, magna pars Nobilitatis seditionem concitavit, ut à Barnagassæ Prorege victus acie occubuerit anno A.N.C.M.DLXII.

Cum autem res Æthiopiæ ad hunc modum aliquandiu fluctuassent, summa earum tandem penes Alexandrum fuit, ope potissimum Lusitanorum, qui illatis in regnum omnis generis armis, excitaverunt languentes Abyssinorum animos suo exemplo ad capessendam militiam. Qui enim à cæde Christophori de Gama superfuerant, vocatis ad se pluribus è commilitio suo, cum laute apud Abyssinos haberentur, manserunt in regno, ductisque uxoribus instituerunt eam gerendi belli rationem, quæ apud nos in usu est, ita ut etiam cœperint Æthiopes hinc inde per regnum excitare propugnacula, & oppida vallo ac fossa munire. His accesserunt quidam Florentini, partim curiositate, partim spe lucri ex negociatione allecti.

Ab eo tempore cœpit Rex Abyssinus supra modum diligere Francos, id est, Europæos homines, quos cum semel nactus est, admodum gravatè ab se dimittit. Habet enim præter eos quos supra diximus, etiam alios hostes, inprimis regem Dancalitanum, ad quem spectat oppidum & portus Suela in littore Rubri Maris. Sed & Mahometistæ in Provincia Dobensi, diuisi in XIV. dynastias, non parum ei exhibent laboris. Habet hi atrocem inter se legem, ne quis uxorem ducere possit, nisi prius XII. homines Christianos interemerit.

Nostro tempore vicit hic Monarcha, cepitque vivum prælio Regem Mozambiquæ, profligavit copias Reginæ Bernafagæ, quæ circa Promontorium Bonæ Spei dominabatur: vicit insuper Termidam, Nigritarum principem, qui partem illius regni occidentalem obtinebat: nec non Manicongi regem, cuius regnum oppositum est S. Thomæ Insulæ, sub ipsa Æquinoctiali linea. Quidam præterea Ducum eius tribus præliis superior fuit Azamurio, Præfecto Turcico, apud Suaquenam, capto etiam eius filio, cui caput amputari iussit, cum patri aliquot tormenta bellica victor ademisset.

Ægyptios Arabasque, qui eas Africæ partes colunt; in perpetuo metu continet, non tam armis, quam quod possit eos privare aqua, ob quam tributum ipsi pendunt. Ægyptum insuper fame totam perdere potest, si alio derivet Nilum, ut Pius II. Pontifex aliique recte observaverunt. Et aiunt se id non ignorare Abyssini, neque tamen facere, ne Turca causam inveniat evertendi Sepulchrum Dominicum. Postremo dubitandum non est, si Monarcha iste haberet scitos ex Europa & ingeniosos Architectos Militares, qui vel nova excitarent propugnacula in finibus, vel quæ habet oppida, munirent, armorumque fabros, & peritos militiæ duces: quin non solum brevi temporis spacio posset Turcas eiicere terris dominiisque, quibus maiores suos, Abyssinorum reges vi spoliaverunt: sed & omnibus vicinis

Digitized by Google

Regibus ac populis formidini esse, abundans inprimis duabus rebus, videlicet Auro, & Multitudine Mortalium.

Modus Gubernationis.

11 Coherceet hic Monarcha deprimitque etiam infra mediocritatis conditionem non solum populum suum, sed etiam superioris ordinis viros, ut se potius servos eius esse quam regni cives meminerint. Hos, ut in ea servilitate contineat, ita se gerit adversum eos, quasi sacrum aliquid & divinum ei ineesset. Nam & audito nomine Principis, omnes se inflectunt, terram manu contingentes, & honorem summum deferunt tētorio eius, quāvis ipse in eo nō sit. Solebant in hunc finem Reges Abyssinorum se non nisi semel in anno ostendere populo: postea id ter quotannis fecerunt: Die Nativitatis Dominicæ: Festo Paschatis: postremo solenni die S. Crucis, Septembri Mense. Nostro autem ævo familiariores populo facti sunt.

Toparchias & dominia rex auferre vel donare potest quibus vult, nec fas est ei, qui dignitate privatus fuerit, vel contra mutire. Penes eundem est arbitrium disponendi de Sacris Ordinibus, de Administris Sacramentorum, aliisque rebus Ecclesiasticis, & Clericorum bonis. Præter Regem Vasallos beneficiariosque nemo habet, cui subiecti & clientes nomine beneficiorum Feudorumq; suorum quotannis iuramentum præstant & obedientiam.

Est hic Monarcha, profiteturque se esse Christianum, habetq; sub suo Imperio Regulos Christianos LXII. præter Gentiles & Mahumetistas, qui ei sunt tributarii. Iactat se oriundum, uti diximus, è filio quodam Salomonis, nomine Muleicho, Regina Sabæa nato. Fidem Christi hæc gens amplexa est regnante Candace Regina. Cæterum quæ nonnulli de trium Regum Caspari, Melchioris & Balthasaris posteritate hic longis ferunt sermonibus, ad Historicam veritatem parum facere videntur. Etsi autem tam profanarum quam Ecclesiasticarum rerum arbitrium penes regem esse supra diximus; Divina tamen officia cum primis spectant ad *Abunam*, ut illi quidem Patriarcham suum nominant.

Meretricium omne genus extra civitates & oppida delegant, ubi eis de rebus necessariis è communi ærario prospicitur. Vrbem ingredi fas prostitutis non est, sed oporret eos flavo colore vestiri ut noscantur. Hæreditatem paternam ex lege adeunt primogeniti. Antiqua lex est, quæ vult, ne Rex diutius in eodem loco hæreat, ad vitandam annonæ aliarumq; rerum Caritatem, cum tantum sequatur Regiam hominum agmen, ut difficulter iis cibaria suppeditari possint.

Primus dignitatis ordo post regem est Episcoporum & Clericorum; secundus Sapientum seu Philosophorum, quos Æthiopes *Bal'amates* & *Tenquares* vocant. Tertius est Nobilitatis. Quartus est eorum qui stipendia vel mercedem accipiunt, quocunque nomine id fiat.

Postquam Iudices de capitali crimine judicaverunt, deferunt sententiam ad Præfectum loci, qui Regis Legatum ibi agit, eumque repræsentat, nec scriptum hic valet ius sed naturale. Mulier adulterii convicta iis traditur punienda, ad quos ignominia facti pertinere putatur. Habitat autem Prorex Bafanagassæ in urbe Barua, habens sub se præfecturas Danfilensem & Canfilensem, quæ sunt in finibus Ægypti.

Est autem hic rex & hoc regnum, ut Eusebius annotavit, velut primitiæ Gentium, quæ receperunt fidem & Baptismum, acceptum ab Apostolo Philippo per manus Eunuchi Candaces Reginæ, aiuntque nonnulli, S. Matthæum postea in hæc loca delatum, convertisse Iphigeniam virginem illustri prognatam familia. Deinde Apostolum in visione apparuisse proceribus, & eos hortatum fuisse, ut Iphigeniæ fratrem, qui Christianus erat, Regem crearent, in defuncti regis locum, qui lepra consumtus perierat, quod Matthæum interfecisset Apostolum.

RELIGIO ABYSSINORVM.

Qui magni huius Principis Abyssinorum imperio subsunt, maxima ex parte se Christianos esse profitentur, optimeque sunt affecti in regem suum: sunt tamen quidam ex tributariis eius Mahometistæ, qui nihil adeo quærunt quam occasiones rebellandi. Nos de iis qui se Christianos aiunt esse, (& sane sunt, postquam unum eundemque nobiscum Servatorem agnoscunt, etsi in quibusdam Christianæ Religionis capitibus diversum à nobis sentiunt) primum agemus. 12

Vt igitur paulo altius ordiamur, ajunt se Abyssini primo Iudaismum amplexos fuisse, opera potissimum Meilechi, filii Salomonis, Maquedæ Reginæ matris eius, & Iudæorum, qui hanc redeuntem fuerant comitati. Ajunt Abyssini, hæc omnia pluribus enarrata reperiri in antiquissimo Chronico, quod cum multis aliis libris asservetur in urbe Cazumo. Christianæ vero Fidei compotes facti sunt per Eunuchum Candaces Reginæ, quem Philippus & Baptismo & Christianitate imbuit, ut Acta testantur Apostolica. Tigia primus locus fuisse perhibetur, qui doctrinam Christi suscepit, unde etiamnum hodie scripturæ sacræ Tigianorum lingua prælegunturHi ipsi postea una cum Cophitis Ægyptiis in Eutychianam hæresin lapsi fuerunt, quod dependerent ab Alexandrino Patriarcha, quem caput Ecclesiæ suæ agnoscebant, & à quo ipsi Abunam sive Patriarcham suum recipiebant. Hujus doctrinam secutus populus Æthiopum, eandem hausit corruptelam, cum Abyssinis nulla esse possent cum Romanis commercia, nisi per Alexandriam & Ægyptum.

Vt autem omnis error fœcundus est, & vires acquirit eundo, sic Abyssini cum Cophitarum erroribus etiam alia combiberunt deliria. Accessere ad ignorantiam & errores eorum commercia cum Idololatris & Mahometanis, quibus ab omni parte cinguntur, ut etiam multæ statuæ Idololatricæ remanserint apud eos, inprimis in regnis Damut, Coragua, & Agaos.

Rem igitur propius intuentibus patebit, Regem Æthiopum Schismaticum dici posse, & sequi Fidem & ceremonias Patriarchæ Alexandrini, à quo confirmatus est in sua opinione, quam etiamnum mordicus defendit. 13

Retinent enim hi populi Circumcisionem, neque

solum

Digitized by Google

ſolum maſculos circumcidunt, ſed etiam fœmellas, neſcio quo modo, quod tamen Iudæos feciſſe non legimus. Sequuti præterea legem Moſis abſtinent ab omni animali quod non findit ungulam, unde abhorrent à lepore; ſed nec anſerem aut anatem comedunt. Diem Sabbathi magis venerantur quam Dominicum, Iudaizantes in hoc quoque, de quorum in Sabbathum religione ſatis conſtat.

Laici (ut vocantur) nutriunt comam, abraduntq; barbam, ferentes paruam Crucem de collo pendentem. Contra Sacerdotes radunt caput, promittunt barbam, & crucem manu præferunt, habentes ſimul vas aqua luſtrali plenum, ut ec obvios expient. eandem aquam etiam inſpergunt cibis poculisque ſuis, fauſti ominis ergo. Iohannem regem lege iuſſiſſe iunt. ne plures quam quatuor Pàrœciæ eſſent in quaque urbe. Sunt autem Parœciæ illæ inſtar Conventuum, cum in unaquaque ſint XIII. Sacerdotes qui ſacrum officium celebrant: & hi ipſi de cauſis Civilibus iudicant, ſicut Iudices regii de Criminalibus. Ex omni Sacerdotum numero eliguntur XII. Canonici, qui ſemper adſunt Epiſcopo, & ipſi ex his XII. electo: ſicut ex Epiſcoporum numero eligitur Archiepiſcopus, quæ dignitas fere maximo natu inter Epiſcopos obtingit.

Monachi ve ſtitum geſtant prælongum, uſq; ad imos pedes, & longam promittunt comam, ſuntque maxima ex parte juvenes. Non includuntur hi certis Monaſteriis prout apud Romano-Catholicos, ſed pagos quoſdam habitant, laborantes & viventes ibi ſub proximi Conventus obedientia. Templa duabus Cortinis dividuntur; una prætenditur ſumma Altari, appenſis quibuſdam tintinnabulis, quo ſolis Sacerdotibus accedere fas eſt: altera eſt in medio Naio, ubi verſantur reliqui Clerici, ii duntaxat, qui minores habent Ordines: unde multi, ut huc iis acceſſus pateat, Ordines illos ſuſcipiunt. In unoquoq; Templo non niſi unam Aram invenies, neque in eadem ara eodem die plures quam una celebratur Miſſa. Muri horum templorum perpicti ſunt variorum divorum imaginibus, puta Matris Virginis, Sanctorum hominum, & inprimis Georgii Equitis: Statuam autem ſive imaginem elevatam à plano nullam habent in figura viri, vel mulieris, cum idola eſſe dicant. Etiam Chriſtum Crucifixum pingi nolunt, dicentes ſe indignos eſſe, qui eum in tam triſti ſchemate intueantur. Panem & vinum, quæ Sacerdotes conſecrant poſt Miſſam, ita dictam, quæ tamen in multis non convenit cum Romana, incredibili cura multisque ceremoniis accipiunt. Templum nunquam ingrediuntur, niſi prius exutis calceis. In iis neque ſpuunt, neque ullum admittunt animal. Quod ſi quis equo vectus templum prætereat, continuo deſcendit, ut teſtetur loci reverentiam.

Cæmeteria eorum altis muris cincta ſunt, ut beſtiæ carnivoræ ea tranſilire nequeant. Campanas habent longas, lapideas, quas percutiunt baculo. Sed & utuntur ferreis, minoribus quidem, ut eas ſecum ferre & ſonitum ciere poſſint.

Narrat Iohannes Hugo Linſcotanus Batavus, capite XL. navigationum ſuarum, Abyſſinos Chriſtianos ignoto quodam ignei baptiſmi genere inurere faciem quatuor notis cruciformibus, & primam quidem ſupra naſum inprimere uſque ad frontem mediam: ſecundam tertiamque temporibus, pergendo, uſq; ad ſummas auriculas: quartam inurere mento ſubter inferius labrum: uruntur enim in Baptiſmo non aqua ſolum ſed & igni. Pueros ante quadrageſimum à partu diem non baptizant, neque puellas ante ſexageſimum. Si quis horum interea moriatur, dicunt, ſufficere infanti, quòd maret uterum ferens Sacram Euchariſtiam perceperit. Nullis diebus Baptiſant, præter quam Sabbato & Dominico, repetuntque Baptiſmum ſingulis annis, die feſto Epiphaniæ, in quem finem certi lacus ſunt & Piſcinæ, in quibus abluuntur.

Peccata ſua ſtantes erecti confitentur, neque multum in confitendo penſi faciunt, utrum ſecreta proferant an non. Ad Cœnam domini pane utentes non fermentato, Menſam Dominicam accedũt manib. apertis & ante ſcapulas prætentis, accipiuntque Euchariſtiam ſtantes. Miſſa ſine Thure nunquã celebratur, cui ſemper oportet tres adeſſe Ordinis Eccleſiaſtici: Sacerdotem, Diaconum & Subdiaconum.

Sponſalia contrahuntur interventu Sacerdotis, neq; tamen matrimonia firma aut ſtabilia ſunt. Sacerdotes poſſunt uxores ducere, ſed non niſi ſemel: prima enim mortua, ad ſecunda vota non facile trãſeunt. Quod ſi hoc faciant, numero Clericorum eximuntur, quod & apud Moſcovitas fit. Si cum alia concumbant muliere pariter Laici fiunt. Religioſi inter eos omnes ſunt Ordinis B. Antonii, cuius oſtenditur ſepulchrum in finibus Ægypti. Eſt & alius Ordo, ex illo natus, quem qui ſequuntur, ab Æthiopibus *Ceſtifanez* vocantur: ſed hi potius pro Iudæis quam Chriſtianis habentur.

Sunt vulgo Abyſſini in hac ſententia, aliam Crucẽ adorari non oporte quam eam, in qua Servator noſter ipſe pependit, ac proinde nullam, cum hęc à Monachis in tot particulas hinc inde in Europa, uti res ſacras cuſtoditas, jã dudũ cõciſa dicatur & nullibi ampliùs reperiatur. Extremã unctionẽ morituris nõ impertiunt, ſed iam defunctos perfumigant, lavant, involuunt linteis, fundũt ſuas preces, atq; ita ad ſepulturam efferunt, cum cruce, thuribulo & aqua luſtrali: Ieiunium ſuum ſtrictiſſime obſervant, abſtinentes ab omnibus cibis præterquam ab herbis, oleribus, radicibus quibuſdam & vilibus piſciculis. Non quidem ab omnibus præſtatur is rigor: Sacerdotes tamen & Moniales tantum herbis victitant, vel per totum Ieiunii tempus: vel duobus tribusve diebus per ſeptimanam. Obtinuit tamen conſuetudo, ut in Regnis Barnagaſſæ & Tigremaonis diebus Saturni & Solis carnibus veſcantur.

Cum de delictis pœnitentiam agunt Monachi & Veſtales virgines, acriter affligunt corpora ſua, cingentes nudos lumbos catena ferrea; aliqui per totum Ieiunii tempus non ſedent, alii ſubter aquam frigidam commorantur uſq; ad collum: quidam in ſylvis degunt inter ſpelæa ferarum, procul ab omni hominum conſuetudine. Clerici omnes ſtata ſua habent ieiunia ſingulis ſeptimanis à Feſto Pentecoſtes uſq; ad Natalitia Domini: cæteri à Feſto Trinitatis uſque ad tempus Adventus, ſingulis diebus Mercurii & Veneris ieiunant.

Sancta ſeptimana Miſſa non dicitur, præterquam die Iovis & Saturni, qua durante Abyſſini à lavacris abſtinent, neq; ſibi mutuo obviam facti alii alios ſalutant: qui cum re lautiore ſunt, nigro vel cæruleo utuntur amictu, nec ulla ſuccenditur in templis lucer-

Digitized by Google

na. Cum dies Iovis præterijt, repetunt ceremoniam ablutionis pedum. Diem passionis Dominicæ totum tribuunt exercitiis pietatis, dolorem suum ob delicta & devotionem miris ostendentes testimoniis, percutientes se invicem magna severitate baculis & virgis. A sacerdotibus autem etiam cruentos ictus recipiunt, ut toto corpore sanguis fluat, magnam in his præstantes patientiam. Tempus illud, quo Servator noster in sepulchro delituit, lugubribus amicti vestibus exigunt, neq; cibi quidpiam sumentes, neque pedem templo efferentes.

Sunt omnino in toto regno Templa sive Oratoria septem, quæ ipsi dicunt esse antiquissima, affirmantes hæc structa fuisse eo ipso tempore, quo Christianam susceperè fidem. Primum esse aiunt id, quod in Caxumo urbe est sub nomine S. Mariæ de Sione, quod prima Altaris illius fundamenta posita sint è lapidibus ab illo monte petitis. Sunt hic CL. Canonici & totidem Religiosi.

Mulieres templa ingredi non solent, præterquam in urbe Bazua, ubi duo sunt: prius pro viris, Michaeli Archangelo sacrum: posterius pro fœminis, sub patrocinio DD. Petri & Pauli. Monasteriorum numerus exprimi non potest. Ad XII. milliare ab Caxumo unum est quod *Aleluia* vocatur, cuius nominis rationem hanc adferunt, quod quidam homo Religiosus, dum totus incumbit devotioni precibusq; suis, audiverit accinentes Angelos in illo loco, *Alleluia*.

Monachus uxorem ducere nemo potest. Conventus virorum mulier nulla ingreditur, sed ne animal quidem ullum fœminei sexus. Multi in populo simul duas ducunt uxores, aliquando etiam plures, & impune quidem: non tamen his licet ingredi templa, sed possunt facto divortio quasdam à se repudiare. Excommunicationis fulmen mirum in modum formidant, suntque quidam inter eos adeo superstitiosè devoti, ut quotannis profecti Hierosolyma, sanctum invisant sepulchrum.

Dicunt Iesuitæ, eos fateri Ecclesiam Romanam primam esse totius Orbis Christiani: Pontificem Christi Vicarium & successorem Petri Apostoli, quanquam ex sequenti narratione appareat contrarium, utpote suam potius primo loco constituunt, vel secundo post Hierosolymitanam ortam illam ab domo Davidis gloriantes. Circumfertur apud eos Vaticinium, non habituros eos ultra C. Abunas sive Patriarchas ab Ecclesia Alexandrina, fuitq; ille quem habuerunt an. A.N.C.MDXX. centesimus. An evêtus docuerit veritatem, procul dubio iam ipsi noverint. Alia quædam Prophetia, cuius authores faciunt duos sanctos Eremitas, pollicetur, fore, ut Æthiopes cum Francis, id est, Europæis coniungantur, & destruant regnum Turcicum cum urbe Mecha, capta etiam tota Ægypto, ut ita liber fit transitus Europæis ad Abyssinos & his ad illos. Sed & ipsi Mahometani aiunt in Fatis esse, ut locus sepulcri Mahometis per Æthiopas destruatur. Monothelitarum Hæresin, ut quidam putant, non amplectuntur, sed credunt duas naturas in Christo nobiscum, ut ex eorum Liturgia Æthiopica in linguam Latinam traducta apparet. Narrat ipse Prete Ianus in Epistola quadam ad Pontificem, accepisse se, scriptum esse in vita S. Victoris aliisq; Piorum Patrum scriptis, futurum, ut Magnus quidam inter Christianos Princeps facto fœdere se iungat cum Rege Æthiopum, neque se de eius prædictionis veritate dubitare. De sequentibus eos laudat, ut Orthodoxos, Atlas Mercatoris & Hondii. 1. Quod nullam salutem adscribāt Circumcisioni, quam in sola fide in Iesum Christum collocant. 2. Administrationem Cœnæ Domini sub utra traque specie observant tam Laici quam clerici. 3. Legis usum illum maximum esse putant, ut peccata nobis ostendat, servari verò à nullo mortalium posse excepto Iesu Christo, qui eam pro nobis implevit, credunt. 4. Sanctos quidem amant & venerantur, sed non invocant. 5. Mariam matrem Christi magno honore afficiunt, non tamen adorant, nec opem eius implorant. 6. Coniugium Clericis & Presbyteris non minus quam Politicis permissum est. Quibus articulis planè conveniunt cum Evangelicis sive Protestantibus Europæis; licet in aliis, quæ Evangelicis vel non necessaria, vel superstitiosa videntur, valde discrepent.

Postquam quo loco res Ecclesiasticæ sive spirituales apud Abyssinos sint, exposuimus, non erit alienū ab instituto nostro, dicere, quid acciderit nostro tēpore super conciliatione Ecclesiæ Æthiopicæ cum Romana, facto initio à celeberrima Legatione.

Igitur paulo ante nostrum hoc seculum, David Abyssinorum Rex, etsi adhuc esset adolescens, sub tutela Helenæ Aviæ suæ constitutus, motus felicibus successibus Lusitanorum in Orientali India, misit quendam nomine Matthæum, natione Armenium, cum quodam viro Principe Abyssino ad Alfonsum Albuquerquensem, Proregem Indiarum nomine Immanuelis Lusitaniæ Regis, ut cum hoc rege fœdus & amicitiam faceret. Misit autem Abyssinus ad Lusitanum regem super ea re litteras, cum donis, inter quæ tubus totus aureus, cum particula crucis Dominicæ, inclusæ auro. Hi legati, cum ex Lusitania in Indiam reversi fuissent, qua quidem in Legatione & via totum decennium insumserunt, à primo discessus sui die ex Æthiopia, deducti fuerunt ad portum Ercocanum per Sequeiram Thalassiarchum Regis Lusitaniæ: cumq; Sequeira vidisset, quam exquisitis honoribus & quanta lætitia Matthæus ab Æthiopibus exciperetur redux, abiecta omni quam hactenus foverant dubitatione, crediderunt Lusitani, fuisse eum verum Oratorem & Legatum Magni Neguzi.

Hanc ergo nactus occasionem Sequeira fecit amicitiam pacemq; perpetuam sui Regis nomine cū Abyssinorum Monarcha, Prorege Barnagassæ sui Principis nomine in fœdus conceptis verbis iurante. Ipse Sequeira vicissim misit ad Aulam Prete Iani Rodericum de Lima legatum, cui se iunxit Franciscus Alvaresius, qui postea totam illam historiam litterarum monimentis consignavit. Reversus est Rodericus exacto in ea legatione integro sexennio, anno nimirum A.N.C.MDXXVI. ducens secum Zagarabem Oratorem Abyssinum, quem Prete Ianus ad Regem Lusitanum miserat, nec non Franciscum Alvaresium, cum muneribus & litteris ad Romanum Pontificem. Exhibitæ fuerunt litteræ Æthiopicæ Clementi VII. Papæ, in urbe Bononia, eo ipso tempore, quo Carolum V. Cæsarem Imperiali cingeret Diademate. Faciebat Rex Æthiops in litteris illis suis ad Pontificem mentionem Eugenii IV. Papæ, & Concilii Florentini, nec non unionis & concordiæ Ecclesiæ Orientalis cum Romana.

Fecit

Digitized by Google

Fecit anno A.N.D.MDLIII. Lusitaniæ Rex, quicquid excogitare potuit, ut Prete-Ianum plene ac plane cum Romana conciliaret Ecclesia. Etsi enim Legatus Davidis Clementi regis sui nomine obedientiam pollicitus fuerat; dubitabatur tamen (nec sine ratione) de promissi huius veritate & effectu, nisi auxilium aliquod spirituale afferretur, cum nondum penitus abiecissent Abyssini Eutychis & Dioscori hæresin, & dependerent adhuc ab auctoritate Patriarchæ Alexandrini, à quo & ipsi Abunam sive Patriarcham accipiebant, qui erat rector & arbiter in rebus Ecclesiasticis, & administrabat Sacramenta, & docebat populum, & conferebat Ordines per universam Æthiopiam. Consultissimum igitur maximeque necessarium visum est, verum & Legitimum ad eos mittere Patriarcham ab Roma, & cum eo quosdam sacerdotes probæ vitæ & doctrinæ non dubiæ, qui converterent populum & in fide confirmarent, disputando cum adversariis, concionando, & vitæ lumine præeundo.

Et videbatur quidem huic rei lata aperta fenestra, cum Claudius Abyssinorum rex paucis annis ante adiutus fuisset milite à Præfecto Lusitano, bello contra Gradamelium Adelæ regem à quo in maximas redactus fuerat angustias: quin & idem Rex Æthiops in Epistola ad Stephanum Gamam appellaverat Christophorum Gamam fratrem eius Martyrem, qui in eo bello occubuerat. Communicato igitur consilio cum Iulio III. Pontif. Max. deinde cum Paulo IV. conclusum est, ut mitterentur in Æthiopiam XIII. Sacerdotes è societate Iesu, pleni pietate & doctrina. Patriarcha salutatus fuit Iohannes Nunnesius Barretus, suntque ei adiuncti duo Episcopi, Melchior Carneus, & Andreas Oviedus, sub titulo Episcoporum Niceæ & Hierapoleos.

Expedivit hanc Legationem Iohannes rex, instruxitq; proficiscentes omnibus rebus necessariis ultra desiderium navigantium, additisque muneribus pro Rege Abyssino, nullis in re tam sancta parcens sumtibus.

Vt autem hi omnia invenirent expeditiora, iussu eiusdem regis ante eos in Æthiopiam ab Goa urbe profecti sunt Iacobus Diazius & Consalvus Rodericus, ut exquirerent, quo animo esset Magnus Neguz, & quid de conversione populi illius sperandum foret. Hi duo admissi ad Monarcham Æthiopum, ostenderunt ei litteras Iohannis Regis, quibus magnam præ se lætitiam ferebat Rex Lusitanus, ob unionem eius cum cæteris per orbem Christianis, quod ipse quoque secutus exemplum avi patrisque sui, fidem amplexus fuisset Romano-catholicam.

Lectis his litteris obstupuit Monarcha iste, ut qui nihil minus cogitasset, cumq; interpellasset Secretarium sive Interpretem litterarum, adiunxit, mirari se, cur rex Lusitanus hæc talia ad se scriberet. Etsi enim maximi faceret amicitiam huius regis, nunquã se tamen commissurum, ut vel latum unguem à maiorum suorum Religione discederet.

Neque tamen propterea abiecit Rodericus animum, sed omnibus modis Claudium ad veritatem adducere conatus est, frustra id quidem, cum Conciliorum auctoritatem & Historias Ecclesiasticas, quias Rodericus frequenter adducebat, neque ipse Rex, neque quisquam Principum Æthiopum assequeretur.

Animadvertens igitur iniquis suos sermones accipi auribus, composuit & in lucem emisit Librum, Chaldaica scriptum lingua, quo errores Abyssinorum refutavit, & ostendere conatus fuit auctoritatem Sedis Romanæ supra omnes alias Ecclesias. Hic liber magnorum motuum causa fuit in regno, quos ut evitaret rex, magna dexteritate usus fuit in eo supprimendo.

At Iacobus Diazius, videns se inutiliter consumere tempus, & iam terminum reditus sui applicari, valedixit Abyssino Regi, cumque delatus Goam exposuisset, quo loco res apud Abyssinos esset, negavit sibi consultum videri, ut ipse Patriarcha cum Synepiscopis suis manifesto se exponeret periculo, simulque sanctæ Sedis auctoritatem in discrimen vocaret. Sed erant alii, qui tam salutare consilium non prorsus abiiciendum arbitrabantur, sed mittendum Episcopum Hierapoleos cum duobus tribusve sociis, qui maiore auctoritate susceptum pertractarent negocium, in quo tam infeliciter versatus fuerat Rodericus. Suscepit magno animo in se Hieropolitanus hanc provinciam, seq; in viam dedit, assumto Emanuele Fernandelio & aliis quibusdam, numero sane non magno. Hi ubi in Æthiopiam ad Abyssinos venerunt, patiendi potius quam disputandi invenerunt materiam, eo quod Claudius Rex victus & in acie cæsus, fratrem Adamum successorem nactus fuisset, iuratum Sedis Romanæ hostem.

Hic traxit secum in bellum Episcopum illum eiusque socios, eosq; crudeliter admodum habuit, non minore sævitia usus in Abyssinos, qui ad partes Romanas conversi fuerant. Sed & hic ipse paulo post à Turcis victus cæsusq; fuit, qui Episcopo eiusq; sociis omnes eripuerunt facultates, unde in extremam redacti sunt paupertatem & miseriam, destitutiq; omnibus ad alendam vitam necessariis, coacti fodere & vertere humum, donec omnes illis calamitatibus immortui sunt, excepto uno, qui deinde præfuit circiter quingentis Catholicis, partim Lusitanis, partim Abyssinis ita conversis, usus in hoc officio suo incredibili patientia.

Catalogum proculdubio horum Imperatorum sive Regum facili negotio assequi possemus, modo tam diligentes & curiosi essent hac in re mercatores, & alii eo navigantes, quam in conquirendis opibus. Observabit enim lector hic extare aliquot eorum nomina, 15

Davidis
Claudii
Alexandri
Adami

Qui vixere seculo superiore decimo sexto; quidni ergo & reliquos tam ante-quam successores haberemus? Nondum autem exhibendi facultas nobis data est, fortassis mihi aut alii, quisquis sit, adhuc danda cum tempore.

* * *

Digitized by Google

REGNVM MONOMOTAPÆ.

[De hiſce Benemontanorum ſive Benemotapenſium, uti etiam vocantur, rebus conſule ad titulum Abyſſinorum laudatos & alios Africanorum Regnorum ſcriptores, Plinium, Melam, Hannonem, Cadamuſtum &c.]

SVMMA CAPITA.

1 *Situs, figura, ambitus huius Regni: Benomotaxa præcipua eius Vrbs.*

2 *Fruitur aere temperato, abundat fluminibus, quorum arenæ auri ramenta vehunt. Sylvæ hic frequentes, ingens iis multi Elephanti. Copia frumenti, paſcuorum & aurifodinarum.*

3 *Incolæ huius regni ſunt validis corporibus præditi & optimo temperamento, colore nigro. veſtibus utuntur è goſſypio, cibis ex oriza, milio, carnibus, piſcibus cum oleo Seſamino. Modus ſerviendi Regibus flexis genibus. Regum Cuſtodes corporis & alii exercitus. Mulierum Monomotapenſium audacia, quæ in bellum proficiſcuntur exemplo Amazonum.*

4 *Proventus huius regis annui, in quibus rebus conſiſtant.*

5 *Ratio Politiæ apud hanc gentem. Iuſtitiæ exercendæ expedita ratio. Cauſæ in aperto campo deciduntur, iudice ſolis teſtibus contento, nec reum in carcerem compingente. Tria crimina ſeveriſſime puniuntur, Veneficium, Furtum, Adulterium.*

6 *Monomotapenſium à Fide Chriſti defectio: qui converſi per Conſalvum de Sylva Ieſuitam, eundem poſtea trucidaverunt, perſuaſi à Mahometiſtis. Huius mortem quomodo Luſitani ulti fuerint.*


1 ETSI de hoc regno pauca ad noſtram cognitionē pervenerunt, dicendum tamen aliquid de eo eſt, quantum ex aliorum narrationibus hauſimus, unde & de vicinorum regum potentia judicium ferri poterit, puta de *Abdelenſe*, *Monomugienſe* & *Angolenſe*, qui omnes regnorum amplitudine & potentia huic, de quo dicere inſtituimus, facile cedunt. Eſt igitur Regnum *Monomotapenſe*, quod ab aliis *Benomotanum* dicitur longe lateque diffuſum, cuius rex etiam Imperator Æthiopum lingua appellatur. Situs huius regni aliquo modo Inſulam refert, cingiturque duobus prægrandibus brachiis fluvii longe maximi, qui è *Zembre* Lacu profluit, eſtque hic ipſe Lacus, è quo progreditur *Nilus* verſus Orientem & Septentrionem, ſicut ex alio Lacu *Zaire* verſus Occidentem oritur. Huius fluvii ramus is, qui ſeptentrionale latus includit, dicitur *Cuama*: alter qui Monomotapam ab Occidente & Meridie alluit, à noſtris vocatur fluvius *S. Spiritus*. Ad Orientem habet hoc regnum Oceanum. Putatur ambitus huius Inſulæ continere DCCL. Leucas. Vrbs totius regni primaria eſt *Benomotaxa*, aliis etiam Monomotapa nominata. Ibi Rex commorari ſolet; proxima ab hac vocatur *Symbas*. Neque tamen intra huius Inſulæ limites coherceretur regis huius potentia, cum imperium eius multo longius extendatur, tam in mediterranea, quam ſecundum littus uſque ad Promontoria, Mozambicanum & Bonæ Spei. Soluunt enim vicini reges nonnulli huic tributum, interque eos Butuenſis, cuius regnum porrigitur à fluvio S. Spiritus, uſq; ad Promontorium Currentis. Spectatur etiamnum in hoc regno celebre illud ædificium Symbaoæ, olim ex quadrato lapide duriſſimo ſtructum, machina incredibilis, magnitudinis: ſuntque qui hic collocari debere putant Agyſimbam Regionem Ptolemæi, vel alluſione nominis perſuaſi, vel ratione ſitus. A parte qua littus excurrit verſus regnum Congo; in mediterraneis jacet vaſtum illud deſertum Baſo cum montanis Zibilæis, horrido aſpectu. Ad terræ fimbrias multis hinc inde locis inſulæ ſunt nova & ſacra quædam à Luſitanis nomina, de S. Lucia, de S. Thoma, de S. Ambroſio &c. ſaltem ut nautæ memoriale haberent in curſu ſuo per Oceanum.

Natura ſoli huius regni.

2 Irrigatur hoc regnum plurimis fluviis, inter quos facile excellunt, qui hodie dicuntur *Panamis*, *Loanga*, *Arruia*, *Mangionus*, aliique, qui fere omnes auri ramenta ſabulo ſuo vehunt. Aere gaudet regio valde temperato; ſolum bonū eſt & iucundum aſpectu, quanquam ſit crebris ſylvis nemoribusque obſitum. Magna hic copia eſt frumenti & variorum animalium, inprimis frequentes hic ſunt Elephanti, ut ex numero dentium ſive cornuum, quæ inde ad alias gentes aſportantur, nonnulli judicent, quotannis ad V. millia harum beſtiarum ibi interfici. In eo terræ ſpacio, quod à Cuama fluvio uſque ad Promontorium Currentis porrigitur, & inde ad fluvium S. Spiritus, campi pleni ſunt gregibus & armentis animalium, quod vento marino frigidiuſculo perflentur: hoc tamen mali habent, quod prope deſtituuntur lignis. Ad ripam Cuamæ fluvii crebri aſſurgunt colles & montes cooperti arboribus, quorum convalles gratis perluuntur fluviolis, habitanturque ideo frequenter: his autem in montibus crebri oberrant Elephanti. Invenitur multis in locis per hoc regnum aurum, quod non fluviorum duntaxat arenæ ſuppeditāt, ſed & viſcera terræ. In hoc autē divitiarū genere excellit regnum Cutuenſe, accedentibus paſcuis vberrimis. Lignorum tamen in eo eſt penuria, & venti frigidiuſculi, qui hic ſpirant à plaga Antarctica:

Mores

Digitized by Google



BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

MORES INCOLARVM.

3 Est populus hic statura fere mediocri, colore nigro, temperamento bono, corpore valido. Vestes sibi ipsi conficiunt è gossypio, quamvis & aliunde ad ipsos telæ afferantur. Vile vulgus ferarum pellibus tegitur, Rex vero advectitio panno non utitur, quod metuat, ne is intoxicatus sit. Qui in his oris fuerunt, persuadere nobis conantur, militiam regiam potissimum constare ex armatis mulieribus, quæ instar Amazonum arcu sagittisque peritissime utantur, mittentes filios, quos pepererunt, ad patres extra provinciam, puellas secum retinentes: & has quidem mulieres versus occasum habitare, non longe à Nilo fluvio.

Qui regi huic servitia præstant, eos insidere genibus necesse est. Quod apud nos magnates faciunt, ut adstent coram Principe, id hi proceres sedentes faciunt. Cibum aut potum non capit, nisi à Prægustatore examinatum; præferuntur ei hæc arma: securis & duo iacula. Narrant eum ducentos canes excubitores habere.

Qui regnum hoc incolunt, vulgo vivunt ex carnibus, oriza, milio, piscibus, cum certo quodam olei genere. Magna est horum hominum in cursu celeritas, ut & equorum pernicitatem æquent, ducitque quisque tot uxores, quot ipse vult. Est alicubi in hoc regno tanta lignorum penuria, ut fimo utantur ad alendum ignem.

OPES ET ROBVR MILITARE.

4 Ex auri copia, quod in Monomotapa reperiri vulgo diximus, facilis potest de eorum divitiis, qui id regnum incolunt, fieri coniectura. Nam Rex ab iis aliud tributum non exigit, quam servitia quædam & opera gratuita, cum donis muneribusque, sine quibus coram eo ne comparere quidem fas est. De viribus eius in bello aliud nihil constat; quam quod totum regnum scatet populo, & plerique satis sunt animosi, leviter tamen & perfunctorie armati.

MODVS GVBERNATIONIS.

5 Solet hic rex Regum Principumque, quibus ipse imperitat, vel quos sibi beneficii iure devinctos habet, filios & hæredes in aula secum educare, ut patres eorum in fide & officio contineat. Carceres hic nulli sunt, quod satis sit, reum testimoniis convictum fuisse. Crimina quæ gravissime puniuntur hæc sunt: Incantatio, Furtum, Adulterium. Etsi autem uxores simul plures habent, ea tamen, quam primam vir duxit, cæteris potior habetur, ut filii ejus patri succedant in bonis, & reliquæ ei ministrare cogantur.

RELIGIO.

6 Statuas & Idola Monomotapenses non adorant, sed dicunt se unum venerari Deum, quem ipsi Mozimon nominant. Regnante Sebastiano Lusitanorum Rege accidit ut Inanioris Regulus, Monomotapensis Regis Beneficiarius converteretur opera Petri Consalvi de Sylva, Iesuitæ, qui & paulo post baptizavit ipsum Monomotapæ regem cum conjuge, indiditque Regi nomen Sebastiani, & Reginæ, Mariæ. Regis exemplum secuti sunt circiter CCC. proceres, qui & ipsi Baptizari voluerunt. Aliquo tempore post persuaserunt quatuor Mahometistæ, quos Rex in deliciis habere solebat, Regi, Consalvú esse Magum, qui regem Magicis suis incantationibus transuersum raperet: sed & eundem Consalvum Speculatorem in regno agere, qui populum ad seditionem commoveret. Credidit rex, qui juvenis admodum erat, susurronum horum accusationibus, effecitque, ut Consalvus ab octo servis regiis interficeretur, ciusque corpus abiceretur in Mensiginam fluvium. Hoc interfecto, eodem furore occisi sunt L. homines nuper ad Christum conversi. Cum autem quidam ex optimatibus regni, inque primis Lusitani Regem de atrocitate facti monuissent, excusavit se is ut potuit, translata culpa in Mahometanos istos, quos & è vestigio iugulari iussit, aliosq; huic crimini affines ad supplicia conquiri. Et videbatur quidem Religioni Christianæ strata esse semina: verum Lusitani, cum deberent submissis novis concionatoribus facilitate & doctrina admissum errorem corrigere, statuerunt cædem Consalvi armis vindicare.

Adveniente ergo cum numerosa classe, in qua multi nobiles Lusitani erant, Francisco Barreto, Rex Monomotapæ, videns sibi imminere cladem aliquam, mittit ad Franciscum Oratores, qui pacem peterent. At Thalassiarcha iste, cum auro regio inhiaret, contemtis æquissimis regis conditionibus bellum spirabat. Hic locum invenit illud Apostoli: *Avaritia est radix omnis mali.* Per hanc enim tunc temporis gloria Christi & incrementum Ecclesiæ impediebatur. Finis expeditionis huius is fuit, ut tam formidabilis illa classis in fumos abiret, consumtis Lusitanis militibus ab aeris singulari qualitate, quæ Europæis hominibus est intolerabilis. Ab eo tempore pauci ibi superfuerunt Christiani, quorum quæ hoc ævo ibi locorum sit fortuna, nobis non est facile explicare cum rarò in hæc interiora nautæ vel alii advenæ penetrent, licet Caput Bonæ Spei Lusitani, & Belgæ sæpissimè, Angli Dani & alii licet raro tamen aliquando præterlegant.

***

Digitized by Google

REGNVM CONGO

[Præter Cosmographos & alios aliquoties in præmissis Africanis titulis allegatos sunt etiam Eduardus Lupus, Iohannes Leo, Vascus de Hama, Ludovicus Marmolius, Livius Sanutus, &c.]

Summa Capita.

1 *Amplitudo & limites huius regni. Dividitur in VI. Provincias, quæ sigillatim describuntur cum Vrbibus suis primariis, & aliis Dominiis.*

2 *Error antiquorum, qui hanc partem sive Zonam Orbis Terræ inhabitabilem existimaverunt: Æquinoctium hic prope æternum. Hyemis tempore, cũ nos Æstatẽ habemus, perpetuo hic pluit.*

3 *Qui sint primi nominis fluvii in hoc regno, Zaira & Lelonda, in quibus reperiuntur Crocodili & Hippopotami.*

3 *Narratio exactior, quid unaquæq; provincia singulare habeat. Bamba gignit Elephantos & Tygres. Zebra animal Mulo non dissimile. Bubali sylvestres, Feles Civetta, serpentes XXV. pedes longi, quorum carnibus vescuntur Æthiopes. Mirifici Arietes, Chamaleontes. Psittaci, Pellicani. In Provincia Congo Elephanti, Simiæ, Crystallifodina. In regione Pemba nova species frumenti, cui Luco nomẽ est, itemq; Milium album. ficus Indicæ, quas Bananas vocant: Palmæ arboris novum genus, suggerens incolis oleum, vinum, acetum, fructus & panem. Montes pleni Iaspidibus & Porphyrite lapide. Loanda Insula cochleas habet Cinericei coloris, splendentes admodum, nec non admirabilem arborem Ensandam, qua certum genus telæ fert, unde Æthiopes sibi parant vestimenta. Balenæ nigræ & Sardinæ.*

5 *Color & temperamentum corporis, forma & habitus horum populorum: eorum domus & ædificia: qua utantur in mercimoniis moneta, quibusq; navibus in pugna marina. Mores eorum non multum absimiles Nigritarum moribus. Quomodo se invicem mane salutare soleant. genus vestimenti è floreis ex corticibus arborum. quos observent ritus in bibendo, comedendo, dormiendo. Medicinæ eorum è simplicibus herbis, quarum ipsi cognoscunt virtutes. Quem honorem deferant regi suo.*

6 *Divitiæ incolarum consistunt in negociatione, in metallis, Elephãtis, Civetta, piscatione Ostreorum, telis è palma arbore desumptis & Crystallo.*

7 *Robur militare huius regni, & quot inde armatorum hominum millia in bellum haberi possint. arma Congensium.*

8 *Politica huius regni gubernatio, Leges, Præfecti Iustitiæ & Iuri dicundo per singulas provincias. Disciplina militaris: ratio ducendi Ordines. tria instrumenta, quibus summus dux militiæ utitur. Signa profectionis & receptus.*

9 *Idololatria Congensium. quo tempore & per quos Fides Christi in hoc regno annunciata & recepta fuerit. Iesuitæ præcipua huius rei Organa.*

10 *Catalogus Regum Congensium.*

1 ETsi ne de hoc quidem regno adulta vel sufficiens cognitio ad nos pervenerit, unde de eo disserere ad eum modum quo de cæteris, non possumus: speramus tamen Lectorem contentum fore earum rerum expositione, quæ nobis diligenti perquisitione innotuerunt.

Est autẽ regnum *Congo* sive *Congi* amplissimum, ut quod extendatur à Promontorio S. *Catharinæ*, quod abest uno & dimidio gradu à Linea Æquinoctiali, porrigaturq; usq; ad Promontoriũ Ledo versus Meridiem. Fines eius sunt ab Occidẽte Oceanus Æthiopicus, à Meridie Mõtes Lunæ & Caphres Æthiopes, ab Oriente montes, è quib. defluunt amnes in Fontes Nili: ab Aquilone habet regnũ Beninense. Cõprehẽdit itaq; hoc regnũ ingens spacium, nempe à medio gradu tertio lateris Meridionalis usq; ad XIII. gradũ versus Polũ Arcticum, non minus DCLX. milliarib. Italicis. Subest huius regio imperio etiã *Loãda* Insula, quę sita est intra duo brachia Dãdi fluvii, quorũ illud Bengo vocatur, hoc Coanza. Sed & Insulæ quædam *Zairæ* fluvii huius agnoscũt dominium. Porro ipsum regnum dividitur in Provincias VI. quarũ hæc sunt nomina: *Bamba, Songo, Sunda, Pango, Batta, & Pemba.*

Porrigitur autem Provincia *Bamba* secundum lõgitudinem littoris ab amne Ambrisio usq; ad Coanzam fluvium, complectiturq; intra se multas Dynastias sive Principatus. Caput huius est *Bamba* civitas, quæ nomen suum impertit toti Provinciæ, sicut & cæteris accidit, ut ab Vrbibus primariis denominentur. Alluitur utrimq; Losa & Ambrisio fluviis, distatque à mari milliaribus Italicis circiter C.

Secunda Provincia, nomine *Songo* sita est in loco, quem Zaira & Loangus amnes circumfluunt, extenditurque ad Ambrisium fluvium ab Aquilonari latere, sub gradu septimo cum dimidio, finitq; juxta Rupes Rubras in finibus regni Loango. Caput huius Provinciæ est *Songo* civitas.

Tertio loco occurrit *Sunda*, quæ spacium obtinet circa *Congum* Vrbem, cui Lusitani nomen S. Salvatoris imposuerunt, extenditurq; hinc XL. milliaribus Italicis sive VIII. Germanicis usque ad fluvium Zairam. Metropolis eius est *Sunda*.

Pango quæ quarto loco à nobis recensita est, aliquando Peculiare regnum fuit, Congensi minime subiectum. Attingit autem ad Septentrionem Sundam, à Meridie Battam, ab Occidente Songum, & ab Oriente Montes Solis. Primaria Vrbs eius est *Pango*, eiusdem cum Provincia nominis, sita ad Occidentale littus Barbelæ fluvii, qui ex eodem Lacu erumpit, unde Fontes Nili.

Provincia *Battensis* attingit à Septentrione Pangensem, & ab Oriente Barbelam amnem, porrigitq; fines suos usque ad Montes Solis: à meridie horum montiũ coniungit se rursus Barbelæ, tangitq; montem qui exustus dicitur. Caput eius est *Batta* oppidũ.

In Provincia *Pemba*, quæ ultima est, spectatur *Congo* Civitas, quæ & *Banza* dicitur, id est, *Curia* sive *Regia*. Incumbit hæc monti, distans à mari quasi CL. milliaribus Italicis sive XXX. Germanicis. Spectatur hic mons satis altus qui circiter II. milliaria Alemanica complectitur, totus obsitus vicis, pagis & habitationibus hominum, tantæ bonitatis, ut credatur alere C. incolarum millia.

Habet autem hic Rex sub se fiduciarios & feudatarios

Digitized by Google

tarios aliquot vicinos Regulos, nempe Angolæ, Cũbæ, Amboillæ &c. unde hoc superbit titulo: *Manni congo Dei gratia Rex Congi, Angolæ, Macambæ, Ocangæ, Cumbæ, Lullæ, Zouzæ, Dominus Ducatus Buttæ, Sudæ, Bambæ, Amboillæ eiusque provinciarum, Dominus Comitatus Songensis, Angojæ & Cacongi, & Monarchiæ Ambondarum & magni stipendique fluminis Zaire.* Qua de re Barlæus in historia Mauritii Comitis Nassovii legi potest inter alios.

Qualitas & Natura soli.

Si locus dandus est veterum opinioni, qui crediderunt Zonã Torridam sive Exustam ob nimios solis ardores habitari non posse, dicemus & nos, hoc regnum habitatoribus omnino vacuum esse.

Sed longe aliter habet, diversum nobis ostendente Eduardo Lupo, Lusitano, qui diu cum aliis gentis suæ hominibus in his locis versatus est, & bona fide nobis narrat, aerem ibi tam temperatum esse, ut Hyems similis sit Autumno per Italiam, nec incolæ necesse habeant, mutare vestimenta aut ignem quærere. Quin & summa montium juga nec nimiis nivibus nec frigore, ut alibi, rigere: alicubi etiam magis calere hybernis mensibus quam æstivis, ob assiduas pluvias, quæ prope quotidie cadunt, duabus horis ante, totidem post meridiem. Neque tamen negat calorem in his locis ab hominibus Europæis non bene ferri posse.

Noctes hic fere æquales sunt diebus, ut exigua per totum annum observetur differentia. Cum nos Ver habemus, apud ipsos Hyems est: incipit enim a. d. XV. Martii, desinitque sub initium Septembris, ita ut perpetuæ cadant pluviæ totis prope quinque mensibus, nempe Aprili, Maio, Iunio, Iulio & Augusto. Hoc omni tempore vix ulla dies serena illucescit, cadentibus densis imbribus, qui tamen omnes ab arido solo exsorbentur. Contra æstas siccissima est & fere pluviis omnino destituta. Hinc fit, ut fluvialis aqua spissa fiat atque lutulenta, quæ cum pluviis crevit, communicat hanc pinguedinem agris. Per Æstatem flant hic venti, quos I. Cæsar & ante eum Hippocrates Etesios nominavit, Lusitani appellant hunc ventum Magistrum sive Generalem, quod hic potissimum spiret. Huic eidem causa tot pluviarum adscribenda est, cum agitet nebulas in summa montium, quę ubi condensatæ sunt, in guttas abeunt, & in humum delabuntur, suntque hæ nebulæ in montium cacuminibus certa futurarum pluviarum indicia. Sunt igitur hæ pluviæ in causa, ut famosissimi illi fluvii, Nilus, Niger & Senega tantopere excrescant, cum nonnullis aliis harum partium, qui partim in Oceanum partim in mare Mediterraneum irrumpunt, & campos quos perluunt, admirabili fœcunditate sua imbuunt.

Cum igitur tam magni continuique cadant imbres iis mensib. quib. apud nos æstas est, non tantũ in hoc, sed & Abexinorum regno; non est mirandum tantopere excrescere fluvios istos atq; inundare terras, etsi in Ægypto aliisque locis aridis (præterquam circa Alexandriam) pluviæ nullæ cadunt. Hinc enim fit, ut quotannis Nilus adeo intumescat, & eluvie sua pingues faciat agros, qui sine dubio præ siccitate omnino fierent steriles, nisi ad hunc modum stercorarentur. Hæc causa movit veteres, ut sacrificarent Nilo, appellantes eum *Bonum Genium*, quin Christiani in illis locis viventes, etiamnum hodie inundationem Nili miraculosi quid arbitrantur, sine qua Ægyptiis fame perundum esset.

At per æstatem regnantibus Euronoto & Borea, ventis frigidioribus, refrigeratur terra, quod idem & Aquilo Eurusq; apud nos faciunt. Sic enim serenatur aer, sic exigente apud Æthiopes & natura terræ & climate cœli. Et profecto, nisi Æthiopum Congique regnum horum ventorum beneficio perflaretur, incolæ intensissimum illum calorem perferre nõ possent. Qui Græciam, Cretam, Cyprum, Asiam minorem, Syriam Ægyptumq; incolunt, eiusdem venti perfruuntur beneficio.

Notandum autem Montes Æthiopiæ atque Congi vicinarumque regionum nunquam contegi nivibus, nisi forte illi, qui versus Bonæ Spei Promontorium extenduntur, vel quos Lusitani *Sierra Nevada*, id est, Montes Nivosos nominant. Quod si in Congi regno Nix vel Glacies haberi posset, non est dubium, quin utraq; auro non modico vendi posset ad refrigerandam potionem. Vnde patet quam vanum sit, dicere solutionem nivis causam esse exundationis horum fluviorum, cum ea continuis quinque mensium imbribus tribuenda sit. 3

Fluviorum Regni Congo maximus est *Zaira*, qui oritur ex secundo lacu, unde Nilus emergit, potestque inter præcipuos Africæ censeri. Narrant ostium eius in latitudine habere in XXVIII. millia pass. Conficit hic multas magnasque Insulas, recipitque inter alios fluvios *Vambam* & *Barbellam*, qui è primo lacu egrediuntur. Influunt in Zairam & alii, quorũ scaturigo est ex lacu Aquelondæ: inter quos facile primi sunt *Coanza* & *Lelonda*, quorum ille limes est regnorum Congi & Angolæ: in hoc inveniuntur Crocodili & Hippopotami, unde equorũ Insula denominatur. Est autem *Hippopotamus* animal quadrupes, coloris subfusci, paucos habens pilos, egrediens in terram ut pascatur nocte, mane autem denuo insilit in aquas. Capitur aliquando & cicuratur ab Æthiopibus, qui eorum animalium laudant celeritatem: cavendum tamen esse aiunt, ne nimis prope ad fluvios sive lacus agantur, quod his visis, repente sese in eos demergãt. Gignunt hi fluvii etiam Vaccas Marinas, quæ aliquot dieb. in sicco vivere possunt. Cæterũ abundantia aquarum cum calore solari coniũcta, reddunt has regiones supra modum fertiles, ut magna hic inveniatur copia plantarum, herbarum, fructuũ & frumenti, nec dubium est, quin multo plus proferret solum, si diligentius coleretur.

Sed videamus si placet, exactius, quid unaquæque Provincia ex iis, quas supra descripsimus, singulare habeat, postea omnes iunctim considerabimus.

In *Pamba* mons est, ex cuius viscerib. multum effoditur argenti aliorumq; Metallorũ abundat insuper hæc provincia Elephãtis, ob multitudinem sylvarũ, in quib. illi vivunt. Sunt autẽ hi Elephanti imani corporis mole, cũ crescant ad mediũ ætatis suæ: perhibẽtur autem vivere posse CL. annis. Quos nostra ætas in Lusitania aliisq; Europę partib. vidit, ii multo minores erant, quod in iuventute è patrio solo exportati, non satis cõmode ferrent nostrũ cœlum. Potest autẽ belluarum istarum vastitas colligi ex magnitudine dentium, cum reperti sint, quibus fuerit pondus C. C. librarum. Vocant autem Congiani dentem sive cornu Elephanti sua lingua, *Mene Manzao*: Elephan- 4

tos

tos iuniores *Moano Manzo.* Auriculæ eorum non sunt minores ampliſſimis Clypeis Turcicis, qui vero maximas habent, earum latitudo ad VI. pedes acceſſit. cum ingrediuntur, applicant eas ſcapulis, harumque & caudæ opera profligant muſcas, quas & occidere poſſunt atque elidere collecta in rugas cute. Pilos in extrema cauda habent craſſos admodum, inſtar junci, nigros tamen & ſplendentes: juniores vero elegantiores, unde & maioris precii. Videtur autem veteribus parum cognita fuiſſe natura Elephãtorum, cum ſcripſerint, non habere eos genua neque ſuffragines, unde & crura flectere non poſſe, ſed dormituros applicare ſe arboribus, quibus per fraudem ſucciſis capiantur: & vero ſecus hæc omnia habere, cũ non tantũ Luſitani & Hollandi deprehenderint, ſed & *αὐτωψία* teſtetur: ſunt enim iis omnino iuncturæ, ut ſe demittere & attollere in altum poſſint. Tygres quoque hic ſunt frequentes, quarum figuram hinc inde apud nos picturæ oſtendunt.

Negat Eduardus hanc beſtiam facile appetere coloris albi homines, nigros vero infeſto morſu invadere ſolere, factumque fuiſſe, ut cum duæ tigrides, duos una dormientes homines offendiſſent, Europæum & Æthiopem, relicto albo, utraq; harum ferarum nigrum magno furore invaſerit, eumq; dilaniaverit. Stimulate fame rapiunt animalia domeſtica, ſi feras in agro aut ſylvis nanciſci nullas poſſint. Congenſes eas vocant *Engoi.*

Habet hæc eadẽ provincia peculiare animal, quod ab incolis *Zebra* vocatur, ſimile prope per omnia Mulo, niſi quod generet fœtumq; procreet. Color autem ei per totam cutem inprimis varius.

Pili enim in cute à ſpina dorſi uſque ad ventrem tribus coloribus perpicti ſunt, albo, nigro & flavo, in quorum colorum diſtributione natura proportionis fuit obſervantiſſima, cum quælibet linea ſive ſtria tres digitos lata ſit. Gignunt autem hæc animalia ſingulis annis pullos ſuos, inſtar equorum, ſuntque miræ feritatis atque pernicitatis, ut apud Luſitanos in proverbium abiverit *Celeritas Zebræ.* Si manſueſieret hæc fera, poſſet eius idem eſſe in bellis uſus, qui equi, ob celeritatem, vel ad ferendum equitem, vel trahendum currum; cum nihil ei horum videatur Natura negaſſe. Cum autem in hoc regno equi nulli ſint, nec Æthiopes noverint cicurare Zebram, neque denique bobus in trahendis oneribus utantur, quanquam multos habeant: ipſi homines jumentorum vicem præſtant, & onera ſubeunt. Qui enim iter faciunt, baiulorum geſtati dorſo, ſæpius mutant ſervos, donec ad locum optatum perveniant.

Sed & alia nobiſque ignota hic reperiuntur animalia, quorum quẽdam magnitudine boum ſunt, alia minora, quæ ab iis vocantur *Empalanges*: nec non Bubali feroces admodum, & Lupi; quibus eſt olfactus exquiſitiſſimus, quique valde appetunt vinum ſive oleum è palma arbore extractum. Neque deſiderabis hic Vulpeculas, Ceruos, Capreolos, Cuniculos, inprimis Lepores magno numero, quod non ita agitentur canibus aut capiantur reti, velut apud nos.

Felium Civettarum hic non exiguus numerus, quæ manſuefactæ in domibus aluntur, ut inde extrahatur fragrantiſſimus ille liquor, qui neq; noſtris officinis ignotus eſt.

Serpentum & viperarum hic varia genera, quorum quoſdam ad eam accedere vaſtitatem narrant, ut XXV. pedes longi fiant, V. lati, cum longa aluo & laxa; rictus vero fauciumq; tanta eſt capacitas, ut cervum vel aliud animal paris magnitudinis devorare queant. Vivunt tam in aquis quam arida. Saturi hi Dracones facile ſopiuntur & ab incolis occiduntur, qui horum veſcuntur carnibus, eaſq; meliores quam volatilium prædicant. Præter hæc monſtra ſunt & alii ſerpentes ſive viperæ, minores quidem multo, ſed quarum tam præſens eſt venenum, ut hominem admorſum intra horam vigeſimam quintam ad Dñs oſtia relegent.

Viſitur & in eadem Provincia *Pamba* animalis quoddam genus, magnitudine arietis, alas Draconinas habens, cum caudâ oblonga, prominente ore, in quo plures dentium ordines. Vivunt hæc monſtra carnibus crudis, pedes habent duos, pellem ruffam, viridi ac cæruleo colore variegatam. Multos quoque hic reperire eſt Chamæleontes.

Iam de Avibus percunctanti occurrent plurimæ Gallinæ & Pulli Indici, Pavones, Anſeres, Anates, Perdices duũm generum, Phaſiani, Columbæ, Turtures, Aquilæ, Falcones, Milui & Pellicani. Adde his & Pſittacos, tam viridis quam cinericii coloris, cum ingenti numero avium rubeſcentium, pulcherrimarum quidem, quæ colore non longe à Phœnicoptero abeunt. Quas in Canariis Inſulis habent incolæ ſuaviter cantillantes, eas ne hic quidem deſideraveris aviculas.

Provincia *Songo* præ cæteris multos alit Elephantos, & magnum Simiarum nnmerum, quæ varias cient geſticulationes & nugas, dum prætereuntes homines imitari conantur. De animalibus, quorum ſupra facta eſt mentio, hic tacendum putamus. Multum effoditur hic Cryſtalli, nec non metallorum, ferro tamen præcipuam æſtimationem obtinente: quod quidem eruitur & in Provincia Pemba ex magno illo monte, cuius ſupra mentionem fecimus, in enumeratione Provinciarum. Huius quidem montis ſolum ſupra modum ferax eſt omnium rerum bonarum, ob bonitatem aeris: hic enim aquæ ſaluberrimæ, & herbæ optimæ, & armenta ac greges numeroſi, & arbores fructiferæ ſemper virentes. Frumento omnis generis abundant inprimis *Luco*, (ut vocant) quod tanti faciunt quanti nos optimum triticum. Simile eſt granum hoc grano Sinapis niſi quod paulo ſuperat magnitudine. Molunt teruntq; hoc piſtrinis manuariis & verſatilibus, unde emergit farina ſuaviſſimi ſaporis. Panis qui inde conficitur, vix quicquam bonitate cedit noſtro. Eſt autem huius frumenti ingens copia in Regno Congo, quo ſuperioribus annis delatum fuit ex iis partibus, ubi Nilus capeſſit originem ſuam, inprimis ubi tranſit ſecundum lacum.

Creſcit inſuper hic magna vis Milii Albi, quod ab incolis appellatur, frumentum (ſive Mazza) id eſt Granum de Congo. Provenit inſuper hic Maizum ſive Frumentum Indicum, quod tamen non magni æſtimatur: incolæ vocant *Mazza Mamprito*, id eſt, Far Luſitanicum. Oriza, quanquam hic bene creſcat, in exiguo tamen & ipſa eſt precio. Fructuum arboreorum hic magna eſt copia & varietas, quibus potiſſimum plebeii homines aluntur, nam & poma citria, & limonia Medicaque admirandæ

hic

Digitized by Google

hic sunt suavitatis. Ficus Indicas, quas vulgo *Bannanas* vel *Vannianes* vocant, quæque ab Hebræis Ægyptiis ac Syris *Musa* vocari putantur, nusquam majore affluentia, quam hic inveneris. Gustu sunt suavissimo, dulcedine cum aciditate quadam permixta, nec earum esus quantumvis largus quicquam nocet ventriculo, cum alimentum præbeant optimum. Campi hinc inde consiti sunt variis arboribus è palmarum genere, quarum aliæ quidem ferunt dactylos, aliæ vero nuces Indicas. Tertia palmarum species utilissima est, cum suppeditet colonis & oleum, & acetum, & fructus & panem. Oleum exprimunt e fructibus hujus arboris, sicuti nos è baccis olivæ, estque eadem oleo illi consistentia & color, qui nostro Butyro, nisi quod paulum ex flavo in viridem degenerat.

Hoc illis & Butyri & Olei usum præstat, cum eo lucernas alant, & corpus ungant ad celeritatem: estque præterea multiplex hujus olei utilitas. Vinum etiam extrahunt è summa arboris hujus stirpe, perfosso cortice, unde stillat liquor albicans, limpidus idemque gelidus: hic primum dulcis est, ut jucunde bibatur, sed asservatus diutius acescit, ut ad lactucas instar aceti adhibeatur. Hoc vinum recens haustum, suscitat urinam, unde pauciſſimos hic reperias calculosos. Si quis se eo invitet hilarius, inebriatur, citra tamen noxam. Panem insuper coquunt è nucleis fructuum hujus arboris, qui coccos ferunt amygdalis dulcibus similes, gustus suavissimi. Ipse fructus intus & foris viridis, salubriter comeditur, tam crudus quam coctus.

Sunt præter has omnes & aliæ arbores, quarum fructus appellatur *Cola*, ad nucis pineæ accedens magnitudinem: intus latent nuculæ quatuor rubicundæ, quas confractas dentibus lingua in ore versant, ita extingui affirmantes sitim. Hæ nuculæ in aquam conjectæ, eam acescere faciunt, ut grata sit palato, iuuet stomachum, & corroboret epar. Inveniuntur & aliæ palmæ, sed quas sylvestres dicere possis, quæ uberrimos proferunt fructus aptos ad cibum, & quorum foliis ad varios usus in domo juvantur. *Ogogues* arbores sunt, ferentes fructum similem flavis prunis odore & gustu suavissimo. Quid jam dicam de fructibus, quorum felix in Medicina usus, inprimis de Tamarindis dulcibus & acidis, quibus curantur inflammationes febriles? Æthiopes & Turcæ his quam salubriter utantur, notum est, qui pulpa horum fructuum cum aqua mixta refrigerant epar, renes, omnesque partes interiores, inprimis cum iter faciũt. Melonum, Cucumerum, Peponum quantum hic sit, dicere nihil attinet.

Saxorum atque lapidum ad ædificandum, & glaberrimi marmoris magna copia, ut vel ex hoc solo ingentia Templa & Basilicæ extrui possint. Multorum montium viscera scatent Iaspide & Porphyrite lapide, adde & marmore candido & versicolori, quod Romæ Numidicum & Africanum appellatur. Postremo adnascitur quibusdam saxis Hyacinthus lapis, qui facile inde separari potest. Si permixti hi lapides relinquantur, possunt inde fieri columnæ integræ, Obelisci aliaque opera ad miraculum usq; pulchra ob admistos marmori Hyacinthos. Taceo jam inveniri rupes, è quibus exscinduntur Metalla, inprimis Æs viridis flavique coloris, unde fundi possunt statuæ aliaque utilia opera confici.

Jam de fluviis hujus regni aliquid dicendum est. *Zaira* Amnis est hujus regni omnium maximus, qui partim ex eodem profluit lacu, ex quo Nilus oritur. Abundat autem fluvius iste aquis supra modum, ut in latitudinem V. millium & D. pandatur, antequam mare intrat, ingressus autem Oceanum, retinet aquas suas dulces per XII. vel XVI. Leucas, non intermiscens eas salsis marinis: unde nautæ facile discere possunt ubinam locorum navigent. Possunt etiam vel maximæ naves onerariæ, sine ullo periculo per ipsius alveum adscendere ad quintum usque milliare: sed deinceps occurrunt impetuosæ cataractæ & formidabilia præcipitia, quæ horrendos fragores longe lateque cient, ut Nilum, Rhenum & Danubium alicubi facere novimus.

Lelonda alluit pedem montis, in quo Regia Civitas Congo extructa conspicitur: hic cessantibus pluviis hybernis multis locis vadosus fit. In ripis Loandæ Insulæ reperiuntur conchæ quædam subcinericei coloris, valde splendentes: quamvis autem & alibi per regnum Congo similes inveniantur, Loandenses tamen majori in precio sunt.

Ensanda arbor est nobis ignota, sempervirens, cujus multæ prædicantur virtutes: quamvis autem rami ejus in magnam excrescunt altitudinem, demittit tamen inde velut filamenta quædam, tenuia quidem, quæ ubi terram contigerunt, agunt radices, & sic arbor illa multiplicatur incredibilem in modum. In primo cortice huius trunci serpit lanugo quædam, è qua purgata fieri possunt vestes pro tenui plebecula. Crescunt & in crepidine maris arbores quædam, quarum radices unda marina alluit: hic inveniuntur ostrea humani pugni magnitudine, gustus gratissimi, ideoque accolis probe nota, à quibus vocantur *Abixi-mitare*, quasi tu dicas pisces petrosos.

Circa hujus Insulæ partem exteriorem multæ visuntur Balænæ nigræ, perpetuis inter se depugnantes conflictibus, ut multæ intereant. Multas etiam Æthiopes capiunt, quarum pinguedine exempta & pice permixta nautæ inungere naves suas solent. Capiuntur & ibidem multæ Sardinæ, & Soleæ, & Sturiones, & Mulli, aliique pisces infiniti, cum magna vi prægrandium Cancrorum marinorum.

Mores incolarum regni Congo.

Sunt hi, ut plerique Æthiopes, tincti colore nocti, etsi inter eos mulieres quædam fuscæ potius sunt, in flavitiem degenerante cutis nigredine. Capilli omnibus sunt nigri, vel admodum ruffi. Viri sunt statura mediocri, corporis membrorum systemate ferme Lusitanis similes. Labia iis sunt crassa, non tamen ita tumida, ut Nubiensium & Nigritarum. Vultus est magna differentia, cum alii macilentis, alii obesis sint genis, alii denique medium obtineant, ut Lusitani: in quo ipso quoque differunt à Nigritis, qui ferme omnes horrendo & deformi sunt aspectu. §

Iis qui Pambam Provinciam incolunt, tam validum est lacertorum robur, ut captum bello mancipium uno ictu per medium dissecare possint, & similiter cervices bovi uno ictu amputare. Songensibus

Digitized by Google

perpetuum bellum est cum Anzincanis vicinis eorum. Sunt inter eos, qui absque magno labore brachiis suis gestare possunt onera CCC.XXV. librarum. Sundenses pluris faciunt ferrum, quam cætera Metalla omnia, quod ex eo gladii, cultri, secures, aliaque instrumenta varia fabricari possint. Qui Pembam Provinciam tenent, decidunt ramos ex Ogeguis arboribus, & inde conficiunt sæpes, & operimenta, quibus se à Solis æstu tegant. Ore versant Tamarindinam ad levandam sitim.

Domus Congensium humiles sunt valde, & angustæ, non defectu materiæ, cum jam ante ostenderimus, quantopere abundent saxis, marmoribus, lignis, sed ruditate & insciția ædificandi, cum neque cementarios neque fabros lignarios habeant. Loco monetæ aureæ argenteæque utuntur conchis splendentibus, & hoc pacto emunt venduntque. Qui Insulas Zairæ fluvii colunt, gesserunt olim inter se bella scaphis lintribusve, è solidis arborum truncis confectis, sed excavatis- Appellatur autem arbor illa *Liconda*, estque aliquando tam crassa, ut duo vel tres homines expansis brachiis eam amplecti non possint: unde nihil est absurdi quod scribunt, hujusmodi lintres aliquando CC. homines capere. Hæc navigia magna vi impellunt, tenentes remum & arcum; cumque ad pugnam deventum est, omisso remo arcum corripiunt, sagittasque in hostes mittunt. In Insula Loanda piscantur conchas hoc modo. Certæ quædam mulieres cum fiscellis junceis descendunt ab littore in mare, extractamque sportulis arenam effundunt, legentes ex iis conchulas parvas admodum: quæ duûm generum sunt, mares & fœmellæ, sed hæ multo pulchriores illis: & his quidem emere omnia possunt, etiam aurum argentumque ipsum, & quicquid est in precio. Nec apud has duntaxat gentes monetæ aureæ argenteæque usus in desuetudinem venit, sed & in aliis Africæ regnis, ut & in China, & quibusdam Indiæ locis. Æthiopes enim pipere emunt; regni Tombudensis incolę juxta Senegam fluvium, pariter ut hi, cochleis conchulisque.

Insulani homines naves habent è Palma vel Nuce Indica arbore, quę partim remigio partim vento velisque feruntur. In arte natandi tantam acquisiverunt perfectionem, ut omnia freta nando superare possint, & in continentem emergere.

Porro habent in universum Congenses multa cũ cæteris Nigritis communia, in primis, qui his viciniores sunt. Bibituri semper ante aliquot guttas interram effundunt. Inter prandendum nemo bibit, sed post epulas affatim faciunt siti, ingesta vel aqua, vel vino palmarum, vel denique aqua mulsa.

Mane facti sibi obviam, salutem dicunt invicem. Si quis honoratior occurrat, in genua subsidunt, complosisque manibus expectant, donec alter respondeat *Fuio, Fuio*, quod eorum est χαιρε. Cum inter se ipsos furtum raro committant, peregrinis tamen quicquid possunt, surripiunt. Mulieres rei Venereæ deditissimæ sunt, amantque cum primis peregrinos, nihil facientes honorem suum, dum lascivis suis obsecundent desideriis. Caput neque viri neque mulieres tegunt, capillos autem in ornatos cincinnos crispant, etsi breviores habeant: quidam tamen cortice arboris, vel putamine nucis Indicæ verticem operiunt: quidam denique plumeas demittunt cristas, filis ferreis capillorum antiis annexas.

Vestes eorum fere omnes è storeis constant, cortice arborum tenuiori plexis, rubroque illitis colore, his injiciunt simiarum aliarumque bestiarum pelles. Nonnulli corpus cingunt cingulo è tergore bubali facto, suntque cingula illa aliquando duos vel tres pedes lata. Multæ fœminæ induunt femora sua circulis ferreis aut æreis stanneisque, quorum extremitates tam artificiose cohærent, ut ubi juncti sint, deprehendere facile non possis.

Stramentis humi expositis indormiunt: fructibus primo creberrimis, deinde etiam piscibus carnibusque vescuntur: quanquam fere omnia eadem olla coquant, & eadem patina apponant. Digniores cæteris soli cibum capiunt sine conviva. In superficiem humi excrementa alui nunquam deponunt, grande peccatum id esse opinantes, sed primo fossam deprimunt, in eaque sordes defodiunt. Musica eorum instrumenta sunt tympanum ab summo latum & in angustum desinens apicem, nec non fistula ex ebore. Et hæc quidem de illis qui ruri degunt potissimum intelligenda sunt, qui enim in urbibus vivunt, civiliores sunt atque delicatiores.

De virorum vestitu supra diximus. Et sic quidem olim fuit; Sed nostro tempore imitantur in multis Lusitanos. Sic quoque mulieres triplici tunica inferiores corporis partes operiunt: habetque quælibet tunica suam cincturam, intima usque ad talos pertingente, media usque ad genua suprema femur tegit. Anteriorem partem corporis tegunt linteo, posteriorem mantello, utroque facto è foliis Palmæ arboris. Plebeiæ servæque conditionis tantum inferiora tegunt. Sed in exornando capite imitantur mulieres Lusitanicas, imponendo capiti mitram holosericam gemmis ornatam & catenulis aureis, quod tamen de nobilibus intelligi velim. Polygamia inter eos obtinet. Rex inter tot agmina & greges concubinarum atque uxorum secundariarum, unam præcipuam habet, quam Congenses sua lingua vocant *Mannimonbandam* quasi dicas Reginam & excellentissimam. Qui mos inter Persas, Turcos & omnes ferè Mahumetanos obtinuit: Eumque dicunt fluxisse ab ipso Salomone ejusque patre Davide, qui multas simul habuerint uxores & pellices.

Rex more Lusitanorum cibum capit: jus dicit in publico sine multis ambagibus, cum hic nullus sit Rhetoribus Rabulisque locus, sed omnia tribus verbis expediantur. Aulici utuntur tibiis, ad quarum stridorem choreas agitant, imitati Mauros, gravitatis non immemores, & musica tempora eleganter observantes. Herbarum prope omnium virtutes vulgo noverunt, estque quisque sibi laboranti Medicus & Chirurgus. Exempli gratia: Febrem curant ligno Santali in pulverem redacto: capitis dolori medentur sectione venæ. Alvum laxam reddunt cortice quodam à certa arbore petita: & sic in cæteris.

Opes & Facultates Congensium.

Nemo facilè sibi imaginari poterit, quantas hi divitias possideant, cum adeo abundent metallis, ut non solum multum divendant exteris, sed & ipsi incredi- 6

credibilem vim sibi retineant. Si quis his adjungat Elephantos, colliget, quantum ex ebore percipiant, quod pro exoticis mercibus permutant. Adde his pretiosissimum Civettæ & odoratissimum liquorem, & omnem abjice dubitationem.

Jam quid de rege ipso dicemus? qui cum tot Principatuum sit dominus, necesse est ut longe omnium sit opulentissimus. Quanti sint proventus ejus, impossibile est dicere, cum non, ut nostrorum principum in auro argentove consistant. Consentaneum tamen est rationi, cum subditi hujus regni tantis affluant divitiis, ob commerciorum, quæ ibi exercentur, multitudinem, regem, qui iis imperitat, esse ditissimum potentissimumque inter Monarchas totius Africæ. Nam conchularum piscatio in insula Loanda, quæ instar argentifodinæ est, tota ad eum spectat, qui & ejus rei gratia Præfectum in ea Insula constituit. Ex Provincia Pemba magnos adipiscitur thesauros, quam argento cæterisque metallis affluentem esse diximus. Est & in ea magnus mancipiorum mercatus, ementibus Lusitanis servos, eosque in longe dissitas regiones mittentibus, ut ibi pluris vendantur.

Præter hæc omnia telæ Congenses, factæ ex arbore Palma Indica, multum appetuntur à mercatoribus exteris, cum non solum Æthiopes eas coëmant, sed & Lusitani totas naves iis onerent.

Est & Crystallo suum precium, quæ in his locis effoditur, quanquam cum superioribus hæc negotiatio conferri non possit. Postremo percipit hic rex quotannis splendidissima munera ab Angolæ Rege, quem Congensis sibi fecit tributarium.

Robur & Potentia in bello.

7 Cum frequentissimas populo hic rex possideat provincias, cumque plerique ad arma nati aptique sint, facile cogitatu est, eum multum habiturum negocii, qui regnum Congo sit bello appeturus. Muniris tamen destituitur urbibus propugnaculisque, neque præsidia constituta habet in finibus regni.

Neque etiam ea est Congensium armatura, ut non possint vehementer ab Europæis exagitari affligique, si hi bono & numeroso exercitu regnum istud ingredi vellent. Vicinis tamen suis facile imperitant Congenses, eosque potentia sua velut freno cohercent, aut imperata facere nolentes cogunt vi & armis. Est autem Provincia Pemba propugnaculum totius regni: hinc enim rex bello illato compescit rebellantes, cum incolæ hujus præ cæteris sint animosi armisque adsueti, ut hinc facile rex, si necessitas urgeat, possit colligere exercitium CCCC. millium hominum, qui armati sunt pro consuetudine regni. Arma autem horum militum sunt, gladius latus longusque, prope ad modum Helvetici gladii, & hos ab Lusitanis adipiscuntur. Præter hos gladios optime quoq; utuntur arcu & sagittis, suntque exercitati in prætendendis adversus ictus scutis suis ex arborum corticibus factis.

Habet & Præfectus Battensis quosdam inter suos, qui sclopetis utuntur, quod ad Montes Solis juxta Orientale & Occidentale Nili latus degant certi quidam homines, quos *Giaquas* Congenses dicunt, cum ipsi sese *Agag* appellent, bellicosi admodum & insidiantes prædæ, quam perpetuis excursionibus ex vicinis gentibus agunt feruntque, inprimis ex Battensi Provincia, unde incolæ semper in armis sunt, ut irruentibus prædonibus illis resistere possint. Potest autem hæc Provincia emittere exercitum LXX. sive LXXX. millium hominum, satis bene armatorum & promptorum ad faciendum officium: & ex his duabus Provinciis, Pemba & Batta, de reliquis facile potest judicari.

Modus Gubernationis tam Civilis quam Militaris.

In unaquaque Provincia habet Rex Congi Summum Præfectum, qui in ea urbe residet, quæ totius provinciæ caput est. 8 Multi sunt in hoc regno viri Principes, qui tamen per omnia regem absolutum agnoscunt dominum, etiam privatarum rerum suarum. Appellantur autem hi Dynastæ lingua Æthiopica *Mani*, ut cum dicunt *Mani Loanda*, *Mani Coanza*, id est, Princeps sive Dominus Loandæ vel Coanzæ. Sicut autem Rex in summo honore apud suos est, ita per Præfectos suos operam dat, ut omnia recte atque ordine fiant in regno. Leges aut Statuta scripta frustra hic quæsiveris, Consuetudinibus majorum judicant, & jus ex Natura petunt. Receptum apud eos est, ne quis pellem Zeiræ animalis vendere possit, nisi simul venenum vendat, quod in eo latet, ne quis ad maleficia eo abuti possit. Porcos Marinos ob eandem causam piscatores captos regi offerre tenentur, capitis supplicio constituto.

Rei militaris ratio apud Congenses hæc est. Equites hic nulli sunt: Pedites omnes, qui vel dilatare noverunt ordines vel contrahere pro capacitate loci. In ducendo exercitu signis quibusdam utuntur, & clamorem sequuntur summi ducis, qui in media versatur acie. Sive enim ad pugnam procurrendum sit, sive ad manum dextram sinistramve deflectendum, sive quid aliud ex disciplina militari faciendum, certa sua habent signa, suosque clamores, quibus cognoscunt ductum ejus atque voluntatem. Instrumentis præcipue utuntur tribus, quibus signum dant in bello. Vel enim pellem animalis in trunco excavato extendunt, quam pellem ligno valide percutientes horribile cient tonitru: vel habent instrumentū quoddam triangulare, in modum Pyramidis, sed inversæ, compositum ex laminis ferreis probe adunatis, quod tundunt feriuntque baculis ligneis: vel denique dentes elephantinos in fistulæ sive tibiæ modum pertusos inflant, sonumq; quendam militarem cient, ad animandos milites & mortis contemptum persuadendum. Horum instrumentorum summus militiæ dux magnam vim secum in bellum deferre tenetur, inter quæ tamen istud est discriminis, ut alia majora sint alia minora. Cum enim signum dandum est toti exercitui, majoribus utitur instrumentis: si uni vel pluribus cohortibus, tunc minora sufficiunt. Sed & ipsi milites inter sese certis quibusdam utuntur signis, cum in mediis cohortibus & ante reliquum agmen constituti sint, qui in ipso prælii ardore cæteros animosos faciant, & quo loco periculum vitandum sit, moneant, utentes certis ad eam rem tintinnabulis.

Digitized by Google

Cum capeſſenda eſt pugna, dilatant ſe ſtiores Ordines, ut commodius ſpargere miſſilia poſſint, & melius evitare tela hoſtilia. Feſſis prioribus, ſignum receptui datur, & tunc paulatim cedunt retro, qui inprimis pugnavere ordinibus, dantque locum recentibus, quod tamdiu fit, donec contrariæ acies propius junctæ miſceantur.

Nemo per univerſum hoc regnum poteſt dicere, quicquam ſe proprii poſſidere, unde ſuis benefacere queat, cum omnia Regis ſint, qui etiam de privatorum bonis facit quicquid videtur. Quin & liberi Regis eidem conſuetudini ſubiecti ſunt, qui, niſi quod debent Regi, quotanis perſolvant, omnibus exuuntur facultatibus,

Proximum à Rege locum obtinet Prorex Battenſis, ſanguine ortus regio, cujus maxima eſt in conſultando auctoritas, ut ei contradicere vix liceat. Adhibetur aliquando menſæ regiæ, ſed adſtans, non diſcumbens, qui tamen honor nulli alii habetur, ne regum quidem liberis. Iter faciens hic Prorex, etiam muſicos inprimis tibicines ſecum ducit, velut ipſe Rex, gaudetque hoc ſingulari nec regis filiis permiſſo Privilegio, ut in comitatu ſuo habeat ſclopetarios. Rari admodum ob crimina capitis ſupplicium adeunt: & ſi cui Congenſi lis ſit cum Luſitano, diſceptatur controverſia ex Legibus non Congenſium ſed Luſitanorum.

Religio Congenſium.

9 Etſi Chriſtiana Fides in aliquibus hujus regni partibus locum invenit, plenum tamen eſt Idololatris, quorum nonnulli Solem, quem Lunæ Maritum, ſupremumque deorum fabulantur, adorant, Lunæ, quæ ſit conjux ejus, proximum ab eo deferentes honorem. Alii venerantur deformia illa animalia, quibus Draconina ſpecies, & de quibus tunc mentionem fecimus, cum de animalibus regionis diſſeruimus. Vt uno verbo dicam, tam plena ſunt hic omnia ſuperſtitionis & Idololatriæ, ut quid potiſſimum colant, credantque, vere dici non poſſit. Non erit autem fortaſſe ingratum lectori, ſi expoſuero, quibus initiis Chriſtiana Religio hic radices egerit, & quo loco jam ſit in hoc regno.

Cum Johannes II. Portugalliæ Rex miſiſſet Thalaſſiarchum ſuum, Iacobum Canum, ut navigando luſtraret littora Africæ, pervenit is poſt longam moram ad oſtium Magni fluvii Zairæ, continuataque navigatione ad terras quasdam delatus eſt, quarum incolæ multis modis humaniores erant cæteris, quos ad eum diem offendiſſet. Vtque regi ſuo, quæ viderat, plenius narrare poſſet, conſtituit Aulam illius regis adire: quo cum perveniſſet, receptus humaniter à Rege Barbaro, cœpit eidem oſtendere vanitatem Idololatriæ, & Chriſtianæ Fidei perfectionem. Grata fuere hæc regi, adeo, ut diſcedenti Cano adjungeret Legatum & nobiles aliquot pueros, qui in Chriſtianis ſacris initiarentur. Hi cum probe inſtituti fuiſſent, remiſſi ſunt in patriam, cumque iis aliquot Sacerdotes Luſitani, apti ad prædicandum Evangelium & plantandam doctrinam Chriſtianam. Manſerant autem pueri illi Æthiopes per biennium in Luſitania, fuerantque omnino liberaliter habiti & inſtituti in Fide Chriſtiana, magnaque poſtremo ſolennitate baptiſati. Confirmatos ad hunc modum in Chriſtianiſmo Iohannes Rex, domum, ut diximus, remiſit, addita honeſta legatione, in qua præter alios erant tres Monachi Dominicani, ob virtutem & doctrinam apti ad inſtruendum populum.

Hi cum Congum perveniſſent, converterunt primum avunculum Regis cum filio ſuo. Poſtea ſuſcepit baptiſmum & ipſe quoque Rex cum conjuge, qui etiam extruxit brevi temporis ſpacio Templum, ſub nomine S. Crucis. Interea exurebantur paſſim ſtatuæ & Idola.

Rex mutato nomine *Ioannes* dictus fuit, uxor ejus Eleonora, & filius natu maximus *Alfonſus*. Nec ſua converſione contentus Rex optimus, omne ſtudium impendit, ut & populum errori eximeret.

Neque tamen exiſtimandum eſt, ſine multis laboribus & moleſtiis ſparſa fuiſſe doctrinæ Chriſtianæ ſemina. Monachis enim non aeris tantum malignitas & intolerabilis æſtus gravis fuit, ſed & ab ipſis Congenſibus plurimum exhibitum moleſtiæ. Quoties enim de ſacris Ceremoniis Divinisque Myſteriis ſermo erat, ſatis ſe dociles oſtendebant, quod res eas, quæ captum humanum ſuperant, Deo non male convenire arbitrarentur: ſi quis vero de temperantia, fuga vitiorum, reſtitutione bonorum alienorum, condonandis mutuo offenſis, & his ſimilibus virtutibus Chriſtianis diſſereret, hic æquis auribus ne audiebatur quidem. Rex ipſe, cujus circa Religionem fervorem laudavimus, incipiebat ſenſim refrigeſcere, cum nollet abjicere ſuperſtitionem auguriorum & ſortilegiorum, nec quicquam minus ad aures admittere poterat, quam ut una contentus eſſet uxore. Sed & fœminæ, veritæ ne repudiarentur à polygamis ſuis maritis, non Regiam ſolum ſed & univerſam Civitatem clamoribus ſuis perturbaverunt.

Auxit tumultuantium furorem ſecundus filius Regis nomine *Panſa Aquitimus*, qui ſe Baptiſmum ſuſcepturum acerrime negavit, unde magnæ inter ipſum & fratrem ejus majorem natæ inimicitiæ, qui ſuſtinebat patrocinium Chriſtianorum, ut poterat.

Contigit in his diſcordiis Regem excedere vita, unde bellum ortum eſt inter fratres, cujus is fuit exitus, ut *Alfonſus* cum XXXVI. militibus, invocato Ieſu Chriſti nomine, hoſtem ſuum non modo vicerit, ſed & ceperit, qui in carcere mori maluit quam deſerere Idololatriam. Et ſane apparuerunt in eo bello evidentia miracula & in Alfonſum Divinæ gratiæ teſtimonia. Ajunt enim, eum, cum jam conſerendum eſſet prælium, conſpicatum fuiſſe claritatem plusquam humanam, qua viſa cum ipſe tum ſocii ita confirmati fuerint animis, ut lætitia inde concepta exprimi non poſſit. Eosdem ſublatis in cœlum oculis, vidiſſe in aere quinque gladios luciditſimos, quos Alfonſus poſtea clypeo ſuo inſeruit, quo inſigni etiamnum hodie utuntur ſucceſſores ejus Reges. Quin & ipſi hoſtes faſſi ſunt, victos fuſosque ſe fuiſſe non à rege vel ejus militibus, ſed per mulierem quandam candidiſſimam, quę fulgore ſuo perſtrinxerit pugnantium oculos & Equitem quendam cum cruce purpurea in pectore, quieos gladio proſtraverit.

Portus

Digitized by Google

Potitus hac victoria Alfonsus, conventum egit omnium regni sui procerum, quo factum est decretum, ut omnia Idola atque simulacra in summitatem montis cujusdam comportata, simul exurerentur. Regnavit hic pacifice L. annis, quo toto tempore mirum in modum crevit Christiana Religio, rege & auctoritate & exemplo suo eam valde adjuvante, & Præconibus Evangelii suum facientibus officium.

Neque Emanuel Lusitaniæ Rex hanc abjecit cogitationem, qui in Congi regnum misit duodecim Monachos ex eorum ordine, qui in Lusitania Cærulei appellantur, quorum caput erat Johannes Marius. His adjunxit Architectos, Fabros lignarios & cæmentarios, ut Templa atque Oratoria extruerent: misitque Alfonsus Henricum filium suum cum multis regni viris illustribus Romam, qui comiter & magnifice excepti fuere omnes. Alfonso vivis erepto successit *Petrus* Filius; cujus tempore in urbe Congo sive S. Salvatoris erectum est Collegium XXVIII. Canonicorum, Titulo Crucis Dominicæ.

Secundus hujus loci Episcopus fuit ex familia Regum Congensium ortus, qui profectus Romam, mortuus est, cum reverteretur.

Habuit Petrus successorem in regno *Franciscum*, qui tamen paulo post susceptum Diadema mortuus successorem nactus est *Didacum* sanguine sibi junctum: quæ facta sunt regnante in Portugallia Iohanne III. Rege. Hic cum frigidiorem in Christianismo regem illum accepisset, neque Sacerdotes aut Mercatores magna tangi cura, propagandæ salvificæ Fidei, sed potius improbitate sua offendere Neophytos: misit in Congum IV. Iesuitas, qui rem Romanam restituerent. Hi primum S. Thomæ Insulam adiuerunt, deinde Congum delati, satisque comiter à rege excepti, omne studium ad rem divinam converterunt. Horum unus scholam aperuit, habuitque circiter DC. pueros Æthiopicos discipulos. Reliqui concionati passim per regnum converterunt trium mensium spacio ultrà V. millia hominum, erectis etiam tribus Oratoriis. Cum autem deinceps longis gravibusque morbis correpti fuissent, coacti fuerunt reverti in Europam.

Interea creatus fuit tertius Episcopus, natione Lusitanus, cui plurimum obiectum fuit molestiæ ab ipsis Canonicis clericisque.

Didaco Congi rege mortuo, graves super successione ortæ sunt controversiæ, excitatoque gravi tumultu, omnes prope Lusitani, qui Congi fuerunt, sunt ab Æthiopibus occisi, exceptis Sacerdotibus. Postremo obtinuit *Henricus* Didaci frater Diadema: qui cum paulo post in pugna contra Anziques occubuisset, regnavit pro eo *Alvarus* filius ejus. Hic ut sibi denuo conciliaret Lusitanos, convocavit omnes, qui passim per regnũ dispersi erant, sive Ordinis Politici essent sive Ecclesiastici, excusavitque cæterorum cædem apud Regem & S. Thomæ Episcopum. Visis litteris regiis, ipse in Congum venit Episcopus, cumque disciplinam inter Clericos restituisset, reversus in suam Insulam, fecit vivendi finem.

Digresso Episcopo, valde impeditum fuit increcrementum Religionis, cum quidam magnæ auctoritatis & nobili ortus genere, nomine Franciscus palam jactaret, inane esse, tantum unam habere uxorem: cumque fidem Christianam projecisset, parum abfuit, quin exemplo suo etiam regem perverteret. Ajunt quidam, cum Franciscus hic Apostata mortuus & in S. Crucis Templo sepultus fuisset, malignos Spiritus partem tecti dejecisse, & immani cum strepitu raptum tumulo cadaver, per ruinam factam asportasse, & hoc quidem prodigio territum vehementer regem, multo tamen magis eo quod sequitur consternatum animo fuisse. Giaquæ enim egressi patria sua, magno numero in Congi regnum irrupere, commissoque prælio profligavere copias ejus: qui territus, cum nihil in toto regno tutum videret, confugit in Insulam quandam Zairæ fluvii, cui ab Equo nomen est, acceptis secum Sacerdotibus Lusitanis & Proceribus regni.

Ad has redactus angustias, cum præter amissum regnum etiam suos fame mori accepisset, confugit ad opem Sebastiani Lusitaniæ Regis, à quo obtinuit DC. milites, quorum forti opera profligavit hostes suos omni regno, intra XIIII. mensium spacium. Hujus regis tempore obtigit S. Thomæ Episcopatus Antonio Gliovio Castellano, qui superatis multis difficultatibus, quas ei Prorex objecerat, postremo Congum venit, cum duobus Monachis & IV. Sacerdotibus, ibique rebus Divinis aliquandiu præfuit.

Exierat jam è vita Alvarus Rex, succesſeratque ei filius ejusdem nominis, qui non destitit à Sebastiano & Henrico Lusitanorum, & post hos à Philippo II. Hispanorum rege Ordinis Ecclesiastici viros per litteras petere, ad propagandam Fidem Christi in regno suo. Tam præclara agitantem animo, corripuit mors, relinquentem regnũ filio suo Alvaro Tertio. In ipso superiorum tumultuum fervore venerant in Congum aliquot Iesuitæ, cœperantque instituere populum. Horum opera in Loanda Insula erecta est domus, in qua VI. vel VII. Ecclesiastici vivunt, qui eunt quocunque hinc inde vocantur aut mittuntur. Cum enim Baptizatorum numerus ingens sit, deficientibus qui eos in officio continerent, factum est, ut multis locis Lolium opprimeret Triticum.

Anno A. N. C. M.D.LXXXVII. cum Alvarus rex, quod non esset legitimo natus matrimonio, prope omni inter suos destitueretur auctoritate, habuit circum se unum ex iis Patribus, de quibus supra diximus, cujus opera factum est, ut velut Rex à suis coleretur.

Favit autem hujus regis institutis aperte divina providentia, cum ab ingenti competitorum in regno invasus exercitu, non saltem hostiles copias feliciter profligaret atque vinceret, sed & summum earum ducem trucidaret. Rex divinitus se adjutum fassus, eo ipso loco, quo hostis occubuerat, Templum Matri Virgini sacrum extrui voluit. Vtque cæteros suos exemplo incitaret, primus ipse ædificio illi manum admovit, Edictisque suis ac exemplo effecit, ut fides Christi, accedente Concionatorum industria, mirum in his locis caperet incrementum. Interea factum est, ut ab Hollandis occupata Mina in Angolæ regno contiguo, Loanda & in Insula S. Thomæ Pavaosa cum aliis locis etiam Reformatæ religionis, ejusdem quidem Christianæ, sed, ut ipsi

Digitized by Google

Proteſtantes arbitrantur, abuſibus aliquot purgatæ & purioris Romanæ, ibi ſpargerentur dogmata; quæ etiamnum ibi aliquatenus docentur una cum Pontificia, dicta Catholica.

CATALOGVS REGVM.

10 Quot fuerint Reges Barbari, & quibus inſignes vel nominibus vel actis Martialibus, difficile erit è tenebris producere. Verum cum initio Seculi à Chriſto nato decimi ſexti factum eſt, ut patet ex hiſtoria prioris paragraphi, ut aliquot eorum nomina nobis ſint illuſtria in literarum monumentis. Chriſtiani nempe Reges Congenſes ſunt

I. JOHANNES
II. ALFONSVS
III. PETRVS
IV. FRANCISCVS
V. DIDACVS
VI. HENRICVS
VII. ALVARVS I.
VIII. ALVARVS II.
IX. ALVARVS III.

Hic Alvarus III. an adhuc vivat necne, nos latet hucusque. Noviſſima enim, quam habuimus ex Regno Congenſi, hiſtoria Barlæi, nomen omittit: de Rege ſolum anno M.DC.XLII. adhuc Imperante hæc habet: Exortis in Angolæ regno inter Regem Congo & Comitem de Sonho litibus, itum ad Mauritium (nempe Naſſovium Pernambuci in Braſilia tunc temporis ſummum Belgarum Confœderatorum Gubernatorem) cui exhibitæ Regis litteræ, & Nigritæ complures, Societati in donum. Nec diu poſt appulere à Comite de Sonho miſſi legati tres, quorum unus ad Celſiſſimum Principem Arauſionenſem in Belgium navigavit, alii duo à Comite oratum venere, ne Regi Congenſi ſupperias ferret. Non abnuit Naſſovius, verum per litteras ad Angolenſium Rectores datos componere Principum iſtorum bella & lites ſtuduit, non fovere; eo quod fœdere ambo Belgis annexi eſſent; ajebant illi, ſe, cum Loandæ eſſent, incidiſſe caſu in tabulas Luſitani Gubernatoris & Epiſcopi manu ratas, quibus occultum ſcelus prodebatur, de expellendo Regnis Congenſi Rege: quod decretum ante occupatam à noſtris Loandam. Hucusque Barlæus, ex quo plura huc transſcribere non opus eſt. Ex his autem apparet etiam Status Congenſium, cui formidabiles Luſitani & Hollandi. Præcipuis enim portubus occupatis, caſtellis ad maris littora extructis, claſſibus ſuis imperium Oceani ſibi vendicant, atque ferme ad nutum ſuum habent etiam invitos Afros in iſtis oris. Plura de Catalogo dicere nunc non poſſumus, cujus defectum ab hiſtoriarum monumentis expectamus in poſterum.

RENVM MARROCANVM ET FEZZANVM.

[De hiſce Afrorum Regnis poſt recitatos in aliquot titulis præcedentibus autores generales & ſpeciales extant etiam in primis lib. IX. Johannis Leonis Africani, qui eſt unus inſtar omnium. Interim his omnibus addi poſſunt in rebus Africanis etiam ex vetuſtis Salluſtius in bello Iugurtino, Diodori Siculi Jamboli, Herodoti Melpomene, Æthicus &c. ex recentioribus, Joh. Baptiſta Rhamuſus, Hieronymus Fracoſtorius, Biori, Meshudi, Navigationes conſcriptæ Luſitanorum, Anglorum & Belgarum aliquot &c.]

SUMMA CAPITA.

1 *Concluditur totum opus Archontologicum duobus regnis, Marrocano & Fezzano, quæ in unum Imperium potentiſſimum coaluerunt. Et primo quidem explicatur SITVS Regni Marroco, ejusque diviſio in VII. provincias: quæ ſigillatim deſcribuntur. Provincia Heenſis, ejus amplitudo, limites, urbes præcipuæ.*

2 *Provincia Suſana, eius ſitus, limites, oppida.*

3 *Marrocana proprie dicta.* 4. *Guzalenſis,* 5. *Ducalenſis.*

6 *Haſcorana.* 7. *Teldenſis.*

8 *Diviſio Regni Fezzani in VII. Provincias, eius ambitus, fines.*

9. *Teneſma prima Provinciarum in Regno Fezzano, huius oppida.*

10 *Provincia Fezza dicta, eius longitudo, latitudo, urbes. Deſcriptio uberior ampla & ſuperbæ urbis Fezzæ: Templa Mahometana in eo magnifica DCC. Domus Hoſpitales, Balnea, Collegia, Diverſoria publica in modum Palatiorum, alia ædificia.*

11 *Provincia Aſgarana, eius fines, oppida, munimenta.*


12 *Elhabeta ſive Ellabata, eius q. urbes & oppida.*

13 *Errifia.* 14. *Garet.* 15. *Chauz.*

16 *Aeris qualitas & fertilitas ſoli harum provinciarum, abundantium oleo, melle, cera, ſaccaro, goſſypio, lana caprina, unde fiunt tela Camelotta dicta, pellibus caprarum, alicubi Auriſodinæ. Quibus morbis hæc regna potiſſimum obnoxia ſint.*

17 *Varietas opinionum ſuper origine horum Barbarorum*

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

rum quibus ab omni retro ævo fuit ingenium acre & subtile, doctrina exquisita, & perfecta Medicinæ scientia, ut & peritia equitandi. Vixerunt olim carnibus simiarum, vestiti caprarum pellibus. Pro Diis coluerunt Solem & Lunam. Sacrificia eorum nocturna, in quibus extincto lumine promiscue inibant mulieres, quam quisq; primam nactus fuisset.

18 *Indoles ingeniumq; Fessanorum & Marrocensium, qui fere sunt ambitiosi, infideles, iracundi, jactabundi, suspicaces: apti ad labores, sed amatores ocii.*

19 *Habitatio Arabum in desertis harum regionum, qui atatem degentes sub tentoriis & papilionibus, vivunt agricultura & venatione. Vxores eorum quo utantur vestitu, & quibus pigmentis cerussare soleant faciem.*

20 *Mores & ritus vivendi in provinciis regni Marrocani.*

21 *Mores & consuetudines Fessanorum: horum civilitas, egregia balnea, diversoria, mola frumentaria, habitationes Arabum Opificum à ceteris separata. Fora rerum venalium & compita Mercatorum. Matrimonia, festa nuptialia, vestimenta, modus bibendi & comedendi, item choreas agitandi. Festa solennia & ritus lugendi propinquos. Ludi eorum & exercitia usitata: disciplina & educatio juventutis.*

22 *Tria genera divinorum. Philosophi, Chymistæ, Incantatores.*

23 *Divitiæ ex ingenti fertilitate soli, in quo magna copia frumenti, malorum citriorum & auratorum, saccari, olivarum, telæ Camelinæ, corii Cordubensis, gossypii. Ingentes hujus Principis proventus, qui consistunt in decimis & primitiis frugum & pecoris, ut & in agris, de quibus aratores in singula jugera certum frumenti modum pendunt. Census quem persolvant puberes facti, tam mares quam fœminæ. Magnitudo vectigalium & portoriorum in urbe Fezza aliisque.*

24 *Robur hujus regis & potentiæ consistit in multitudine militum præsertim equitum, armaturâ eius varia & composita, unde judicium ferre facile est, quantos cogere possit exercitus.*

25 *Ex qua familia orti sint, qui nostro ævo per Fessam & Marrocum rerum potiuntur, & quo pacto ad hoc tantum Imperium pervenerint.*

26 *Senatus Regius & Tribunal Iustitiæ in urbe Marroco.*

27 *Aulæ Regis Fezzani Ministri & varia Officia, Tribuni, Equites, Præfecti urbium, Commissarii justitiæ, Batones, Provisores, Magistri Stabuli, Magistri Ceremoniarum, aliis quo ordine rex in Campum prodire soleat.*

28 *Præfectus urbis, Iudices, Tribuni, Apothecarii, & modus Politiæ in urbe Fezza.*

29 *Mahometismus in plures sectas divisus: quis primus hanc superstitionem in Africam introduxerit.*

30 *Iudæorum stabilis & frequens in utroque hoc regno commoratio. Christianorum in his partibus servitutem servientium miseranda conditio.*

31 *Catalogus Regum Fezzanorum.*

32 *Aliorum Regnorum Africæ ratio.*

1 VEnio nunc ad Regnum, quod diu durare atque persistere in eodem statu non posse videtur, & in quo intra paucos annos tot ac tantæ acciderunt mutationes, ut omnem fidem superare videretur, nisi infinitis historica narratio suffulta esset testimoniis. Ne quis autem exteris Principibus has vicissitudines tribuat, sciendum est, Principes unius ejusdemque familiæ, postquam sceleratis indignisque actibus ad dominatum conscenderunt, mutuis armis se afflixisse, atque alios ab aliis pulsos eversosque fuisse. Nam & *Muley Cidanus*, qui non ita pridem Imperio Marrocano præfuit ante aliquot annos regno pulsus fuit: & *Muley Chequas*, qui regnum invaserat, coactus est deserto eo in Algerbiam ad Lusitanum regem confugere, cum aliqua Maurorum manu, dum interea *Abdala* filius ejus in montibus Arabum exercitum cogit, ut Cidanum, si posset, opprimeret. Cum autem hæc omnia satis nota sint, nec unquam videatur futurus finis tumultuum & bellorum civilium, donec *Muley Chequus*, *Abdallâ* & *Bofersus* in vivis erunt: nos omissa hac narratione, ad ipsorum regnorum & provinciarum descriptionem nos accingemus.

Extendit igitur se dominium *Xeriffi* sive *Serifi* (sic enim appellatur hic Monarcha) à Promontorio Baiadorensi usque ad Tangeram, & à Mari Atlantico usque ad Mulviam fluvium. In hoc tam vasto spacio comprehenduntur duo illa regna celeberrima *Fessanum* & *Marrocense*. Magna hujus pars veteribus Romanis *Mauritania Tingitana* dicta fuit.

Porro regnum *Marrocanum* situm est inter Atlantem Montem & Atlanticum Mare, trahitque nomen à præcipua Vrbe ejusdem nominis. Dividitur in Provincias VII. amplissimas, quarum hæc sunt nomina. *Hea*, *Susa*, *Guzala*, *Marrocum*, *Ducala*, *Hascora*, & *Tedeleta*.

Hea his cingitur limitibus. Ab Occidente & Septentrione habet Oceanum, à Meridie Atlantem Montem, ab Oriente Esfialam fluvium. Antiquissima hujus provinciæ Vrbs appellatur *Tedneſta*, sita in larga planicie & campo peramœno, posita suprà Tensistum fluvium. Veterum hæc *Tamusis* esse putatur. Omnino prope deserta hæc est habitatoribus. Cum enim cives animadvertissent, constituisse Arabes eam Lusitanis vendere, statuerunt omnes inde emigrare. Sed non potuerunt, præoccupati in itinere discessuque suo, & prope omnes concisi ab Arabibus: quod accidit anno A. N. C. M.D.XIV. Idem finis mansit *Teculetum*, quod oppidum pulchrius opulentiusque, & commodo Portu instructum fuit, ideoque melius Tedneſta. *Hadecehis* prope in ruderibus jacet: Castrum vero *Ileſugaguenum* effugit hanc tempestatem. *Tenentum* autem evitare nō potuit, quin in Lusitanorum manus incideret.

Præter hæc quæ diximus loca videbis hic *Teſelgdetum*, *Tagteſſam*, *Denetum*, & *Culeihat Elmuridin*, quod sonat Castrum discipulorum: ratio nominis est, quod quidam Hæreticus in lege Mahometi hic discipulos suos, quos numerosos habebat, nova opinione imbuerit. Est in eadem provincia Hea oppidum *Iguilin giguil*, in monte situm, quem locum olim Afri muniverunt, ut se defenderent adversus Arabes, quibuscum perpetuum gerebant bellum. Ad mare est aliud oppidum, *Teſethna*, Portum habens marinum, sed qui magnarum navium capax non est.

Principatus *Susanus* nostro tempore ad Regni dignitatem adscendit, cum priusquam Serifus Marrocanum regnum occuparet, absolutum fuisset dominium. Est autem ultra Atlantem Montem, excurritque in Nigritarum fines, ad extremitatem Africæ proprie sic dictæ. Ab Occidente Oceanum habet, à Meridie deserta Libyæ, ad Orientem fluit Susa fluvius, à Septentrione est Atlas Mons. Primaria ejus Vrbs est *Meſſa* sive *Maſſa*, sita in quodam Promontorio, quod recentiores *Caput Gilonium*

Digitized by Google

vocant, eſtque compoſita ex tribus oppidis, per quæ Suſa fluvius tranſit. In parva æſtimatione eſt hoc oppidum, quod ager ejus prope ſterilis ſit. Vltra Meſſam occurrit oppidum *Teientum*, in pulchra planicie, quod dividitur velut in tres partes, ſecundum tres angulos, quos habet inſtar Trigoni. *Tarudantum* quoque ad Suſanam pertinet, in quo Legatus Regis ſolebat reſidere, dum Fezzani dominabantur Mauritaniæ. Adde his *Tetſium* oppidum, ſitum intra Oceanum & Atlantem montem. Vltima eſt hujus provinciæ Vrbs *Tavagoſta*, inter maximas Suſanæ numeranda, ſita in planicie, & locupletibus habitata civibus.

Terminatur *Marrocana* Provincia ab occidente Nephiſo Monte, qui extenditur verſus Orientem usque ad Hadmeium montem, deſcenditque verſus Aquilonem usque ad Tenſificum fluvium, donec cum Aſinuardo conjungatur, qui hanc provinciam ab Hea ſeparat, formam triangularem conſtituentem. Præter *Marrocum* urbem hæc habet oppida: *Tennezzam* & *Elgumubam*, munitam ratione ſitus, quod inædificata ſit alto monti, qui aliis multis circumfunditur, in quorum vallibus oritur fons Aſiſinuardi fluvii. *Imizmiſium* oppidum ſupra rupem Atlantis Montis ſitum, ſatis capax eſt, juxta quod anguſtus ille eſt Atlantis tranſitus, Burris appellatus, qui neceſſario ſuperandus eſt iis, qui in Guzulam proficiſcuntur. Cæterum hoc oppidum quotidie decreſcit populo, ut multo intra priſcum ſplendorem poſitum conſpiciatur. In vicinis campeſtrib. occurrunt tria caſtella, quibus idem *Tumeglaſti* nomen eſt. *Teſraſtum* oppidum ſeptem vel ſex Leucis à Marroco abeſt.

Ipſa *Marrocana* urbs olim multo pulchrior fuit quã nunc eſt. Commendat eam præcipue Arx cum Palatio Regio, quod utrumque Almanſor, potentiſſimus Mauritaniæ Rex ſtruxit, ea amplitudine, ut cum Mediocri oppido certare poſſit. Iuxta Marrocum invenies *Agmetum* in colle quodam Atlantis Montis ſtructum, quem alluit Tenſectus fluvius. Iacet hoc in ruderibus, præter Arcem in qua pauci quidam commorantur homines.

4 *Guzula* attingit Provinciam Suſanam, habetque ad Occidentem Montem Ildam limitem, ab Aquilone Atlantem, ab Oriente Heam Provinciam, & à Meridie Lybiam. In tota hac regione neque urbs invenitur ulla, neque oppidum aut caſtrum: tantum hic ſunt pagi & mapalia.

5 *Ducalia* vicina eſt Oceano, qua Occidentem reſpicit & Promontorium, quod veteres *Vſagium* dixerunt, & *Montes Solis*. Sed noſtri ſeculi homines per Europam *Caput Cantinum* vocant, Afri *Gebelelhudic*. Ad Meridiem eſt Habidus fluvius: ad Orientem Tetleana regio: & ad Septentrionem Teneſma. Pauca hic ſunt loca mœnibus cincta, & ſi quæ ſunt, ea ab Hiſpanis tenentur, qui & noſtro ævo Azaſinum oppidum ceperunt, ſcilicet ut inde facerent Apothecam recondendis mercibus ſuis. *Titum* ſe ultro dedidit Luſitanis. *Elmedina* ab habitatoribus ſuis deſerta fuit, verentibus, ne cogerentur Chriſtiani fieri. Viderant enim quid acciderat oppidis *Centpuis*, *Subeit*, *Temeracoſta*, *Verga & Bullabuano*, quæ omnia direpta & devaſtata fuerant tunc, cum Luſitani occupaſſent *Azamorium*, urbem ſitam ſupra oſtium Ommirabilis fluvii, quod accidit an. A.N.C. M.D.XIII. regnante in Portugallia Emmanuele Rege.

Provincia *Haſcorenſis* incipit juxta montana Ducaliæ verſus Septentrionem: ad occaſum habet Oceanum; ab Oriente attingit Tedeleam, à Meridie Marrocanam. Oppida ejus ſunt *Alemdim*, *Tugodaſta*, *Eluimua* urbs nova & *Bezo* antiqua, in edito monte ſita. 6

Vltima Provinciarum regni Marrocani eſt *Tedelea*: 7 hujus ſunt limites, ab Occidente Quadalhebid fluvius, quæ vox ſignificat amnem ſervorum; ab Oriente Ommirabilis fluvius: à Meridie Mons Atlas; Septentrione Teneſma regio. Habet hoc terrarum ſpacium figuram Triangularem, cum verſus Meridiem in acutum coeat cuneum, & intra Orientem & Occidentem dilatetur. Caput regionis eſt *Teſza*, oppidum antiquum, nomen trahens à quodam ſaxorum genere, è quibus conſtructum eſt. Incumbit hoc Demeio fluvio, nec procul abeſt ab alio oppido *Elfza*, in ripa Omirabilis Amnis, in quem Demeius influit Atlante Monte utrique originem ſuam præſtante. Poſt hæc occurrit *Chitita*, quæ diu bellum ſuſtinuit adverſus Regem Fezzanum. Vltimus locus dicitur *Eythiadum*, abundans omnis generis alimonia.

Regnum *Fezza* dividitur in Provincias VII. quarum hæc ſunt nomina. *Teneſma*, *Fezza*, *Azagar*, *Elhabet*, *Errifa*, *Gareta*, *& Elchaus*. Habuerunt autem hæ ſingulæ olim ſuos peculiares regulos, ſicut & ipſa Fezza Principatus fuit, donec per quendam Marinum in Regnum ſublimata eſt. Terminatur totum hoc regnum Mari Atlantico, à qua parte porrigitur à fluvio Ommirabili & Azamorio oppido, usque ad Vrbem Zadgeram: & hoc eſt Occidentale latus. A Septentrione habet Fretum Gaditanũ & Mare Mediterraneum, & ex parte Atlanticum. Ad Orientem terminat Mulvia fluvius, & ad Meridiem Regnum Marrocenſe. 8


Prima Provincia eſt *Teneſma*, incipiens ab Oceano Atlantico lateris occidentalis: ad Orientem habet Buragragum fluvium, ab Aquilone itidem Oceanum. Porrigitur hæc multo magis in longitudinem quam latitudinem, quæ latitudo cohercetur intra Atlantem Montem & Oceanum. Fuit hæc regio olim flos totius Mauritaniæ Tingitanæ, ut quæ caperet ultra XL. oppida, & circiter CCC. caſtella & pagos.

Prima hujus Provinciæ urbs eſt *Amſa*, à Romanis olim extructa in littore Oceani: diſtat XXX. Leucis ab Atlante Monte, eſtque prope omnino deſtructa à Luſitanis: vicinum eſt ei oppidum *Manſor*, non mitiorem expertum fortunam. Haud procul inde ſupra ripam exigui amnis ſpectatur *Adendum* oppidum, juxta cujus muros fluit ſcaturigo aquarum tam copioſa, ut lacum efficiat. Afflicta hæc atque peſſundata eſt cum cæteris plerisque hujus Mauritaniæ, quæ furorem belli non evitaverunt tunc, cum Doctores & interpretes Legis Mahometanæ inter ſe digladiarentur. 9

Reperitur in iiſdem partibus *Tegeiera*, paupere habitata populo, & fabris ferrariis, quos Arabes hic habitare cogunt, ut foſſoribus aratoribusque inſtrumenta ruſtica fabricent. Sunt enim Arabes domini, & impotenter plebi ruſticæ imperitant per totam hanc provinciam. In littore Maris viſitur urbs

ſatis

Digitized by Google



BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

satis ampla, nomine *Rabat* sive *Rubut*, auctore structa Almansore Rege. Sita est in ostio Buragragi fluminis, longe infra pristinum splendorem diminuta, cum non nisi D. domus bene habitatas numeret, quę Almansoris ævo inter populosissimas Africæ fuerit, succedere ædibus intra murorum ambitum, horti, prata & vineæ.

Vbi te in fretum Herculeum converteris, occurrit *Salana* Civitas, quæ antiquum retinens nomen, à Barbaris Zala dicitur. Est in ea Palatium, quod olim servivit sepulturæ regum. Post Zalam videbis rudera *Fanzara*, quæ antiquum urbis nomen retinent. Ab hac non longo distat oppidum *Marmora*, ante quod cæsus est Lusitanorum exercitus ab rege Fezzano, quanquam Christiani Marmoram obtinerent, quam postea coacti sunt deserere, quod parum conveniret inter Duces copiarum utriusque regis, Castellæ & Portugalliæ.

Mecnasa frequens est populo civitas, sita in egregia planicie à Monte Atlante Leucis circiter VI. à Fezza XVI. & à Salana XXV. urbs hæc est ampla & munita, plateas habens latas, & aquarum abundantiam beneficio cujusdam Aquædictus, qui Romanam aliquam antiquitatem ostendit. Cætera oppida hujus tractus sunt *Gemiha*, *Elchmana*, *Camis*, *Mergara & Bambasilla*, quarum priores quidem destructæ jacent, ultima est Sacerdotum Mahometistarum.

Extendit se Provincia *Fezzana* versus Orientem, à Buragraga fluvio, usque ad Innavum, quod spacium prope est C. mill. passuum. Terminantur ab Aquilone Subu fluvio, & à Meridie Atlante Monte. Hic est magna illa & superba urbs *Fezza*, quam Ptolemæus *Syldam* nominasse videtur. Fuit hæc antiquis temporibus in duas divisa urbes, ita ut fluvius intercedens eas separaret, habuitque unaquæque peculiarem suum Principem, & Mufftium, in Mahometanis sacris Antistitem. Verum Luntanæ Rex cum utramque exspoliasset, interfectis Muftiis illis, ex urbibus duabus unam fecit. Digna autem profecto hæc urbs est, quæ describatur accuratius.

Est ergo urbs Fessa sive Fezza longe spaciosissima, & maxima inter omnes totius Mauritaniæ. Tota prope montibus collibusque inædificata est, ut nihil præter quam umbilicus ejus in plano esse videatur. Aqua eam à duabus partibus ingreditur, quod fluvius sese in duos canales dividat, quorum ille quidem partem civitatis, quæ nova Fezza vocatur, alluit, alter qui ad Occidentem est, plateas urbis abluit. Ducitur insuper aqua in urbem, & inprimis in domum Regis, Principum, Civiumque: ut & in usum Mosquearum & domuum Hospitalium, quarum hic est ingens numerus. Alicubi sunt receptacula aquarum, ut si forte plateæ urbis cæno inquinatæ sint, aquæ magno impetu in eas immittantur, omnesque sordes civitatis secum auferant. Pleræq; intra urbem domus lateritio opere structæ sunt, perpictæque variis coloribus, atque exornatæ hederis, vitibus, arbusculis. Nulla hic domus est, quæ non adjunctum sibi habeat vestibulum, vel cortem aut impluvium, in quibus excitant porticus de ambulatorias, accedente Turri satis edita, inque ea pluribus cameris, quas aura perflat, in quibus mulieres fessæ officiis se recreare solent.

Putantur in hac urbe esse DCC. Templa sive Oratoria, in quibus numerantur L. magnificæ & superbissimæ structuræ. Non est hic ullum Fanum aut Delubrum, quod non habeat fontem suum & adjunctam Turrim. Primarium in urbe Templum nominatur *Carruvenum*, structura supra fidem magna, cum circiter MD. passus ambitu suo complectatur, habeatque portas XXXI. Lacunar ejus in longitudine fornices habet XXXVIII. & ultra XX. in latitudine, exteriora ambiunt complures porticus, in quibus velut Apothecis sacris reservatur oleum ad usum lucernarum ampullæ, aliæque res ad usum Mosquearum: neque enim ullus arcus est in fornice, de quo non pendeat ardens lychnus, ut inita ratione compertum fuerit, singulis noctibus CM. lucernas ardere. Proventus annui hujus Templi tanti sunt, ut quotidie ad CC. coronatos aureos extendantur. Sunt præterea in urbe Fessa duo Collegia pulcherrima, quorum præ cæteris ea est magnificentia, ut Rex *Habu Henon* in unius ædificationem insumsisse dicatur CCCCLXXX. millia coronatorum. Domus Hospitales & Thermæ sive Balneæ, quæ hic magno sunt numero, pulchritudine collegiis non multum cedere videntur. Diversoriorū, quę ultra CC. in urbe Fezza sunt, tantus est splendor, ut Palatiis magnorum Principum conferri possint. Molæ hic numerantur plures quam CCCC. quæ maxima ex parte jure possessionis spectant ad Collegia sacerdotum & Mosqueas. Forum Mercatorium ab omni latere clausum est, sicut peculiaris civitas.

Nova Fezza tota cincta est pulcherrimis, fortibus altisque muris, structa in larga planicie, juxta fluviū, distans à nova urbe ad dimidiæ Leucæ spacium, inter Occidentem & Meridiem. Transit inter duos muros pars fluminis, nempe ad Septentrionem, ubi molæ sunt aquariæ: altera pars fluminis se iterum in duo cornua findit; vel, si mavis, canales, quorum ille utramque civitatem alluendo separat, alter vallum & hortos veteris urbis adlambit.

Divisit hanc Novam Vrbem, Iacobus, Abdulachi, primi regis ex familia Marinorum filius, in partes tres. In prima constituit suum fratrumque & liberorum suorum palatium: In secunda fuerunt nobiles aulici, distributi in varios ordines, & diversi pro ducibus bellicis, & inter hos duos muros collocati sunt Prætoriani & stipatores corporis regii, cum domo Præfecti Vrbani. In tertia pariter fuerunt excubitores regii, haud longe ab eo loco, ubi cusa fuit moneta, impresso signo regio in aureos argenteosq; nummos.

Fuit olim præcipua hujus provinciæ Vrbs *Macarmeda*, sita super fluvium Iuavenum in bella planicie: nunc vero tota in ruderibus jacet, exceptis muris. Ad tertium à Fezza milliare *Bavia* occurrit supra eundem fluvium; sed civilia bella hanc pessundedere.

Supra Zarbonem montem oppidum est *Galili*, quod ab ipsis Afris eversum instauravit *Idris* quidam, sanctus homo inter suos habitus, qui & in eo tumulatus est. Haud procul inde abest antiquum oppidum, quod vulgo *Palatium Pharaonis* dicitur, quanquam nemo unquam Pharaonem hic dominatum fuisse prodiderit. Vltimo loco numerantur oppida *Maquilla, Benignaziben, & Aseis.*

Limi-

Digitized by Google

11 Limites provinciæ *Argarenſis* hi ſunt. A Septentrione Oceanus, ab Occidente Buragragus amnis, ab Ortu Montes Cumerii cum parte Zarbonis & Zelagi, qui eam ſeparant à Fezzana, poſtremo à Meridie Bunazar fluvius. Longitudo ejus extenditur in Leucas XL. & latitudo prope in XXX. Vrbes & oppida hic ſunt: *Giumba*, à veteribus Afris condita, ſed jam prope in nihilum redacta, cum præter foſſas vix quicquam appareat. In littore Maris offert ſe *Laracha* ſive *Lara* ſupra Lacum fluvium; qui portum conſtituit ſatis commodum, niſi quod difficulter intrari poſſit. Poſtremo occurrit urbs ædificata per Almanſorem Marroci regem, nomine *Cæſar Elcabia*, quo magnitudinem Palatii ejus ſignificare voluit.

22 *Ellabatenam* provinciam, ſive Habatanam pulſat ab Aquilonari latere Oceanus: à Meridie alluit Guarga fluvius, qui & Zuerga dicitur: ab Oriente Montes vicini Gaditano Freto terminant: ab Occidente Paludes Aſgarenſes. Oppidorum hujus provinciæ primum eſt *Exagena*, ſita in monte vicino Guargæ fluvio, diſtans à Fezza Leucis XXXV. Solent Luſitani huc usque excurſionibus ſuis fatigare colonos, unde cives ſemper expeditos habent CCCC. equites ad compeſcendos prædones illos. In eodem fluvio ſpectatur Vrbs *Banitendâ*, infrequens habitatoribus: nec longe inde *Meiga*, deinde *Tanſor*, *Agla*, *Narangia*, *Baſra*, cuius præter mœnia nihil ſupereſt. Propinqua huic eſt *Homar*, olim populo affluens, nunc prope deſerta, ob metum Hiſpanorum, qui ibi potentes ſunt.

13 *Errifenſis* Provincia incipit ab angulo Freti Gaditani ſive de Gribaltar, verſus occidentem, tenditque longo tractu in Orientem, usque ad Nochorum fluvium, quem Ptolomæus *Molochatum* nominat, quod ſpacium eſt Leucarum quaſi LXX. Fines ejus ſunt; ad Meridiem Atlas Mons verſus Guargam fluvium: ad Aquilonem Mare Mediterraneum. Vrbes & oppida hic pauca ſunt, pagi autem plurimi. Inter oppida primum locum obtinet *Terga*, alterum *Belis*, ſita inter duos montes, bonoque prædita portu. Iuxta occurrunt Inſulæ *Teggeſſa*, *Gebba*, & *Mezemma*.

14 Provincia *Garetana* finitur ab Oriente Mulvia fluvio & parte terræ Chaucenſis: ab Occidente Nochore fluvio & parte territorii Errifenſis. A Meridie vicina habet deſerta Numidiæ ſive Biledulgerid; à Septentrione Mare Mediterraneum, qua in parte reſpicit Formenteriam Inſulam & antiquum regnum Valentiæ. Longitudo eius eſt milliarium circiter XXV. latitudo XX. Vrbes & loca meliora ſunt *Tezzota*, in monte ſita, quæ niſi ab una parte adiri non poteſt. *Migeum* ſequitur, & in littore Maris *Iaſſarinum* novum oppidum, ſtructum per Mahometanos è familia Marini. Eſt autem tota provincia Garetana in tres diviſa partes, in quarū prima viſuntur oppida, in ſecunda Montes, in tertia deſerta, quæ à Mediterraneo Mari porriguntur uſque ad deſerta Chaucenſium.

15 Vltima Regni Fezzani Provincia *Chauz* dicitur, complectiturq; prope tertiam totius regni partem, cum longa ſit CX. mill. paſſ. nempe à fluvio Zha, ex parte Orientis, usque ad Gurguigaram amnem ab Occidente. Latitudo ejus eſt millium CLXXX. comprehenditur hoc ſpacio tota illa Atlantis Montis pars, quę Mauritaniam reſpicit, cum magna parte planiciei, & montes, qui terminant Libyam. Inter urbes hujus provinciæ eſt *Theureta* ſuper collem ſita, cui ingens planicies ſubjecta eſt, tota cincta deſertis. *Hadaggia* muri adhuc ſuperſunt, quæ quaſi Inſula eſt inter fluvios Mululum & Mulviam. Oppidum *Dubdu* nomen à vicino Monte obtinet. *Texa* munitum & opulentum eſt oppidum, ſitum in campeſtribus Dubdo Monti ſubjectis, ſuper ripam Mululi fluvii, eſtque hic velut univerſale ſtudium vicinarum regionum, cum collegia hic ſint ſtudentium, uti apud Fezzam. Intra propinquos montes ſpectantur adhuc duo oppida; prius nomine *Sophroium* prope deſertum jacet: poſteriori nomen eſt Mezedagæ. Apud Montem cui nomen eſt *Chunaigel Cherben*, quæ vox ſignificat *Tranſitum Corvorum*, occurrit exiguum oppidum *Tezergua*, quod Arabibus paret, qui alterum vicinumque, cui nomen fuerat *Ymenlunaiba*, everterunt.

Quod ſit ingenium & Natura ſoli Mauritaniæ.

Regni *Marrocani* fertilitatem in univerſum conſi- 16
derantes dicemus, abundare id frumento, fructibus, oleo, melle, cera, ſaccaro, lana caprarum, è qua laudatiſſimæ telæ fiunt, earundemque pellibus, è quibus corium, quod Cordubenſe dicitur, paratur, cui nomen imponitur à loco ubi conficitur. Fluviie irrigatur *Tenſiſto* & *Ommirabili*, qui ab Atlante monte prodeunt. *Tenſiſtus* percurrens territorium Marrocanum, recipit amnes *Sifelmel* & *Naſi*. *Ommirabilis* originem ſuam ſumit ex altiſſimis montibus, ea parte ubi provincia Tedletana confinis eſt Fezzanæ.

Cum autem non eadem ubique per hoc regnum ſit Natura ſoli, ſciendum eſt, *Heam* Provinciam aſperam & petroſam eſſe, plenamque altis montibus & denſis nemoribus, habere tamen amœnas valles, parvis amnib. irriguas, unde copiam habet hordei, milii & mellis, quo veſcuntur incolæ contemnentes ceram. De Tritico tamen nihil hic habemus quod dicamus. Eſt hic fructus genus, quod appellatur *Arga*, ſimile prope olivis, ſed arbor ejus ſpinoſa eſt: ex eo fructu conficitur oleum, non magni precii, quo utuntur ad paranda cibaria & alendas lucernas. Venatio hic eſt frequens, Cervorum, Caprearum & Leporum. Ex monte *Demenſero*, qui pars eſt Atlantis, multum effoditur ferri. Lentiſci Buxique in magnā excreſcunt altitudinem, ſuntque frequentes in his montibus.

In Regione *Suſana*, juxta littus maris Ambra reperitur. Territorium *Teientanum* pingue eſt & fertile, unde multum gignit tritici, hordei, leguminum. Conficitur & hic plurimum Saccari, quod cum Afri probe excoquere neſciant, nigrum eſt. Eruitur etiam hic aliquantum auri & argenti, multumque paratur corii Cordubenſis, ſive Marroquini. Ager *Tarodantinus* totus compaſcuus eſt, ſerviens paſcendis Arabum pecoribus. *Teldiſium* ſolum ferax eſt frumenti, ſaccari & Iſatis herbæ. Proveniunt etiam ficus optimæ in Suſana, nec nō dactyli, cum multæ ibi paſſim ſint Palmæ arbores, quarum tamen fructus viliores ſunt. In Monte *Haleno* Aurifodinæ ſunt, propter quas incolis perpetuum bellum eſt cum vicinis gentibus.

Provincia *Marrocana* uberrima eſt omni genere fru-

Digitized by Google

frumenti, pecoris, fructuum, habetque aquas optimas. Montana tamen, quia frigidiora, ideo etiam sterilia sunt, ut vix quicquam hic crescat præter hordeum. Rari tamen hic montes sunt, estque tota hæc provincia veluti perpetua planicies, ut Leo Africanus testatur.

Guzula uber est hordeo, & gregibus armentisque: habet & ferrifodinas & æris.

Ducalia ager satis bonus est, ita tamen ut sufficiat incolis in alimoniam. Ad Montem Viridem Lacus est, qui nutrit totam illam regionem ubere proventu piscium.

In *Hascora* incredibilis copia est olei, ut & plurimi caprarum greges, è quarum pilis quid fiat jam ante sæpe diximus, ut & ex pellibus earundem. Campi valde feraces sunt, & horti omnis generis fructuum arboreorum. Nam & aurea mala hic uberrime crescunt, & vites ferunt uvas rubras, quarum acini ad nucis juglandis magnitudinem accedunt. Multum hic quoque mellis est, & magna vis optimarum ficuum, & alicubi ferrifodinæ.

Regni *Fessani* aer alicubi bonus est & temperatus, alicubi subtristis & odiosus. Etsi autem in eo multa loca aspera horridaq; sint, & montes frigidi, & quædam deserta: communiter tamen dicere possumus, esse bonum & fertile: alicubi magis, alicubi minus. Abundantia enim frugum fructuumque, haud facile ulli alii regno cesserit. Multæ hic vites, & oleæ, ficus & amygdali, & magna vis gossypii. Gregum armentorumque nullus numerus, ut & equorum, camelorum leporumque. Sed præstat singulas ejus considerare provincias.

Jam primum *Fezzana* plane est omnino, aerisque temperamentum optimum. Multi in ea equi, plurimi ovium greges, ut non tantum sufficiant incolis, sed & iis qui Cumerios montes incolunt. Sylvæ hic sunt rariores, & tamen multum leporum atque capreolorum.

Tendesma & ipsa magna ex parte plana est, & agri fertiles. *Odeti* fluvii ripæ densis consitæ sunt nemoribus, in quibus plurimi oberrant Leones, cæteris per Africam ferociores, ut accolæ non nisi magnis agminibus iter faciant, & viatores sub dio pernoctare coacti, vallo & excubiis se munire necesse habeant, nisi bestiarum illarum pabulum fieri optent.

Asgarana provincia ut campos habet æquos & late patentes, ita pingues fertilesque: ex hac Cumerii montis accolæ necessaria vitæ petunt. Ipsum solum adspectu amœnum est, & aer salubris. Multum hic crescit Xylini, inveniunturque omnia quæ in Fezzana.

Elhabata fertilitas magnopere prædicatur, cum omnis generis fructus gignat. *Tangerensis* tamen ager non adeo bonus est, nisi in quibusdam locis, ubi fontibus est irriguus: ibi sunt horti peramœni: cætera squalent arenis. Montes hic inveniuntur multi, interque eos octo, cæteris celebriores, qui omnes fertilissimi sunt, quidam etiam altissimi, unde difficilis est ab hac parte in regnum accessus.

Errifia tota aspera est & montibus plena frigidis, unde multæ in ea solitudines, & sylvæ vastæ, crassis rectissimisq; visendæ arboribus. Frumentum hic vix provenit, satis tamen habet vitium, ficuum, olearū, amygdalorum, bouin oviumque penuriam sarciunt plurimæ captæ & asini, & simiarum agmina.

Garetana sicca est, sabulosa, odiosa, non multum dissimilis desertis Numidiæ. Quæ in ea sunt solitudines, aquis penitus destituuntur. Multæ hic ferè noxiæ diversorum generum, unde viatores non nisi totis agminibus iter faciunt. Mons *Sahir* multum gignit ex se ferri, etiam ferax hordei. *Guardanus* abundat equis.

Chauzensis regio aspera est & horrida magna ex parte, in qua etiam multæ sunt solitudines. *Dubdus* Mons egregie ferax ob magnum numerum fontium quos evomit. Consistit tamen hęc fertilitas omnis in hortis, cum Dubdenses necessaria vitæ ex agro Tezzensi petant, ubi vini aliarumque rerum invenitur copia. Mons *Magara*, non procul à Tezza, etsi dumetis vepribusque horret, solum tamen habet satis fertile, abundans frumento, lino, oleoque, ut & gregibus caprarum. In Monte *Cavara* multi passim errant Leopardi & Simiarum agmina; sed hæc in sylvis: in plano enim linum abundanter crescit & hordeum. Mons *Baronis* vineas habet; quæ tamen negliguntur colonorum insciția, qui vinum non bibunt. Mons *Guertemagus* præaltus est & ascensu difficilis, ferax tamen frumenti, lini, olei, malorum citriorum & cotoneorum:

Geblenius mons per totum annum nivibus obtectus cernitur: *Iesserensis* vero ferrifodinis uber est, sed nihil profert ad nutrimentum hominis utile. *Selegus* Mons crebros habet fontes, pinus & abietes, nec non in sylvis copiam Leonum, Leopardorum & Simiarum. In monte *Beni Meraseno* plurimi sunt asini & equi, unde hic multi procreantur Muli.

Cæterum hæc de singulis provinciis dixisse sufficiat, postquam unum regnum post alterum consideravimus: dicemus nunc quædam, quæ de utroq; regno communiter & junctim capi possunt. Sic igitur statuimus, quicquid terrarum est inclusum inter Atlantem Monte; magis ad frigiditatem quam intensum calorem vergere, ita, ut ibi satis gignatur fructuum & frumenti, excepto tritico: est hic & bonarum ac salubrium aquarū penuria. Ipse Atlas Mons frigidus est, perpetuis verticem obtectus nivibus, quanquam interjectæ valles satis fertiles sint, magis tamen eæ, quæ versus Oceanum porriguntur, quam quæ versus Marę Mediterraneum. Et frigus quidem incipit Octobri mense, quod fere mane est vehementius, ita tamen, ut potius in gelidis pluviis consistat quam glacie. Mensis Februarius inconstans est, flantque venti Mense Martio vehementiores, necessarii tamen ad procreationem frugum fructuumq;. Aprili vero mense omnia ad maturitatem properant, ita ut currente Majo maturæ ficus comedātur, Junio vero uvæ, Julio ut & Junio, pruna, pyra, poma similesque fructus plenæ maturitatis. Octobri mense leguntur Cydonia mala & Punica: Novembri vero olivæ. A Februario usque in Majum mensem incredibili pulchritudine vernat solum, ut nihil amœnius fingi possit: si tamen non pluat à XXV. die Aprilis usque ad V. Maii, vix ulla spes est boni uberisque anni, nominantq; incolæ pluviam istam *Nasan*, quasi dicas, Aquam Benedictam. Æstates hic calent quam maxime, cœlo semper sereno: & sane si imbres decidant, salubres minime judicantur, cum causentur malignas febres, quib. plurimi mortales è medio tollūtur. Morbi usitatiores in his oris sunt, Cephalalgia, dolor dentium, imbecillitas ventriculi, im-

Digitized by Google

impetigines puerorum, Catarrhi, morbus Ischiaticus & Articularis. Nec scabiei duntaxat, sed & morbo Venereo homines in his partibus frequenter obnoxii sunt, ut nulla per omnem hanece Mauritaniam sit Vrbs paulo habitatior, in qua hoc malum non dominetur.

Mores antiqui Maurorum.

Caruit ea pars Africæ, quam vulgo Barbariam
17 appellamus, habitatoribus per aliquot secula, ut & Numidia: unde de horum populorum origine varii varie disseruerunt. Quidam eos deducunt ex Palæstina, ajuntque eos inde profligatos fuisse ab Assyriis. Alii ajunt, eos ortos ab Sabæis, Arabiæ Felicis populis, antequam ejicerentur per Assyrios vel Æthiopes. Tertii autumant, eos prodiisse à gente quadam Asiatica, quæ primum in Græciam confugerit, sed cum ab hostibus oppressa ne hic quidem consistere potuerit, in Africa sedes sibi fixerit, relictis in Græcia hostibus. Vndecunque genus ducant, constat in hac gente excellenti doctrina & virtute viros emicuisse, ipsumque populum vulgo civilitatis fuisse perstudiosum. Quis enim inter Mahomethanos satis laudaverit Reges, Almansorem, Marinum & Hucephum, quorum temporibus floruerunt Medici & Philosophi inter Arabes præstantissimi? Cui enim ignoti sunt Avicenna, Albumazar, Rasis, Averroes, & alii, qui omnes nutriti per reges Marrocanos, qui Africam hancce cum parte Hispaniæ obtinuerunt, scriptis suis sunt clarissimi? Testantur Collegia eorum, quæ in nonnullis Vrbibus adhuc supersunt, quanti fecerint literas & doctrinas. In arte equitandi, ludos equestres & pugnæ simulacra ciendi, ante hanc gentem nulla sub sole fuit, ut has elegantias ab iis Hispani, Itali, aliæque nationes didicisse jure dici possint. Bello quantum valeant, non semel vicinis populis ostenderunt, præsertim in præliis equestribus, quibus & aliis facti sunt formidabiles. Levitas tamen animi, & novarum rerum desiderium à nonnullis in hac gente reprehenditur, quæ Afrorum antiqua sunt vicia. Solebant prisci Mauri Simiarum vesci carnibus, quarum magna erat in montibus copia, & ferarum caprarumque tegi pellibus. Soli & Lunæ offerebant sacrificia, & mortuos suos humi defodiebant.

Han Lisnan in Chavensi Provincia oppidum est. Huc certo quodam anni tempore solebant sub initium noctis innumeri confluere mortales, & cum extinxissent Lucernas, quam quisque primam in tenebris arripuisset mulierem, cum ea miscebatur. Liberi qui ex vago eo fortuitoque nascebantur concubitu, nutriebantur in templo à Sacerdotibus.

Mores nostrorum temporum.

18 Qui Fessanum & Marrocanum regnum inhabitant, eorum mores non multum abludunt à moribus & ritibus Arabum, quanquam illi sint his aliquando civiliores. Horum gens est avida, si alia aliqua sub Sole, simul levis & inconstans, & vafritie ante plerasque. Fidem datam servare rem supervacaneam arbitrantur, proni in iracundiam, suspiciones & Zelotypiam. Iactatores atque vani, membris tamen agilibus supra quam dici possit, in pugna præsertim equestri, in qua incredibilem ostentant celeritatem. Longioris tamen moræ & laboris impatientes, nisi velociter ad optatũ finem perveniant, totum deserunt negocium. Et hæc quidem in communi de Maurorum natura & indole dici possunt: nunc postquam Arabes frequentes inter ipsos habitant, de horum quoque consuetis ritibus aliquid dicendum est.

Igitur Arabes Africæ hanc partem incolentes fere in desertis locis degunt, nutrientes in illis Camelorum Equorumque armenta & innumeros pecudum greges, quos & vicinis divendunt populis. Non contemnenda horum est potentia, cum plurimi sint numero, & bellatores minime ignavi; armis tamẽ prophylacticis minime instructi. Qui Atlantem Mõtem accolunt, & quicquid inter hunc est & Mare Mediterraneum terrarum, ditiores & lautiores sunt cæteris, & melius vestiti, utunturque præstantioribus tentoriis (sub his enim vivunt universi) sed & eorum equi meliores sunt ac nitidiores, neq; tamen ad Numidicorum pulchritudinem accedentes.

Laboriosa est hæc gens Arabum, agrumque colunt feracem, & multum frumenti colligunt: gregũ vere armentorumque numerus iniri non potest, unde subinde mutant pascua, transferentes tuguria & papiliones. In peregrinos, qui per ea loca transeunt, magna utuntur liberalitate, cum cæteri Arabes feri sint & crudeles. Quidam horum Arabum Marrocano regi tributum pendunt: alii vero avita fruentes libertate superiorẽ non agnoscunt: ab eo tamẽ tempore, quo Lusitani Azamorium & Alaphyn ceperunt, coacti sunt victorum accipere leges. Venationibus supra modum sunt dediti, cui rei magnũ numerum canum alunt: & quamvis prolixe accipiant hospites, furto tamen supra modum addicti sunt, ut res tuas ab ipsis vix ulla industria conservare possis. Sed & Poetices tangũtur studio, in lingua duntaxat vernacula, ostendentes singularem in versibus suis gratiam, manentque sua Poetas, qui cæteros ingenio superant, ab opulentioribus præmia. Arabicæ mulieres pro captu regionis laute vivunt & splendide vestiuntur, camisiis tectæ amplis cum laxis manicis, quibus injiciunt pallam è panno, vel nigro vel cæruleo colore tincto, quam scite complicare, & in minutas rugas colligere noverunt, inprimis qua humeros tegit, ubi fluentes sinus argentea cohercent fibula. Ab auriculis earum dependent gemmæ vel uniones, digitos gemmatis includunt annulis, & crura circulis argenteis, ut fere omnium mulierum Africanarum mos est. Faciem velatæ vel potius personatæ incedunt, patentibus duntaxat ad usum oculorum foraminibus, ne viros adspectu suo saucient, studio nimirum pudicitiæ & honestatis. His si quis propinquus aut consanguineus occurrat, larvam à facie detrahunt: omnes alios velatæ atque taciturnæ prætereuntes.

Peregre proficiscentes Arabes, impositas camelis uxores suas secum ducunt, insidentes sellis precioſe adornatis, tectisque umbonibus è serica lana variegatis ad arcendum solis calorem: sed & multi in bellum proficiscentes secum ducunt uxores suas, ut earum præsentia reddantur animosiores. Mulieres Arabicæ concubituræ cum maritis suis, sive die nuptiali sive post eum, depingunt sibi faciem, pectus,

Digitized by Google

pectus, brachia & manus succo quodam cærulei coloris, mirum in modum hoc sibi placẽtes fuco, hunc vetustissimum Arabum morem fuisse autumantes, qui primi Africam ingressi fuerunt. Mauris tamen, qui Vrbes & oppida Barbarica incolunt, hic mos nostro tempore in usu non est, quorum fœminæ naturali contentæ sunt colore. Aliquando tamen certum quoddam fuci genus conficiunt è Galla nuce, admisto Croco, quo genas rotundo depingunt circulo, & supercilia in Trigoni formam; mento vero imprimunt certam quandam notam olivę folio non absimilem.

Hinc accipiunt Poetæ Arabes materiam Venereis cantionibus placendi mulieribus Africanis. Notandum tamen est, non licere mulieribus hoc uti fuco, nisi certis quibusdam diebus: neque ad hunc ornatas modum in parentum propinquorumq; prodire conspectum, quod videatur nescio quid Meretricium olere. Quicquid hujus generis fit, maritorũ datur oculis, ut ad amoris opera incitentur, cum persuasæ sint fœminæ, mirum in modum barbarica illa pictura formæ elegantiam commendari. Sed jam deinceps ad Marrocensium mores deveniendum erit.

Qui *Heam* Provinciam incolunt, hordeaceo pane non fermentato vescuntur, quem instar placentarum depsunt coquuntque in lebetibus vel cacabis terreis, vel in cineribus, ut alicubi per Italiam fit; pauci enim furno panes excoquunt. Viliores vivunt farina ordeacea, quam in aqua calida macerant versantque, velut polentam, admiscentes parum olei, præsertim veris & æstatis tempore, ubi & lactis pocillum infundunt: aliqui parcentes oleo, butyrum injiciunt. Mappis in cãpiendo cibo strophiisq; non utuntur, pro his utentes storeis plexis, quas humi extendunt ipsi quoque in terra desidentes.

Vestitus eorum frequentissimus est è certo panni lanei genere stragulis, quibus lecti apud nos cooperiuntur, non absimili. Hunc pannum applicant corpori cingentes circa summa femora, tegentes pudenda laneo panniculo. Caput incingunt tænia lanea, quinque pedes longa, lata unum, quam nigro infectam colore circa tempora implicant torquentque, ut vertex semper nudus pateat; neque quisquam præter senes, caput pileolo tegit, aut viros litteratos. Lecti eorum strati sunt ea opertura, quam vulgo Catalaunicam vocant, qua & teguntur & eidem incumbunt. Cervicalia eorum sunt sacci tomentis pleni, rudem in modum.

Juvenes ante contractum matrimonium barbam non alunt: sed uxorati eam crescere sinunt. Ferarum apud eos abunde est, neque tamen venationi operam dant. Fluviorum amniumque apud eos est affatim, nullas tamen ibi videbis molas aquarias, sed mulierum utuntur opera ad molendum pinsendumque. Litterarum hic insignis ruditas, ut & Medicæ artis, sub qua & Chirurgicam & Pharmaceuticam capio, cum in causticis omnis eorum medendi ratio consistat. In universum reputanti planum fiet, omnem horum hominum virtutem in bello consistere, quo durante peregrinis molesti non sunt, sed iis salvum præstant commeatum.

Qui *Tefetnam* inhabitant, colore magis albi sunt quam vicini eorum, magisque hospitales in peregrinos, unde non solum Domo Hospitali eos excipiunt, quæ apud ipsos est satis ampla, sed & intra privatas domus recipiunt, quæ quidem philoxenia Afrorum fere propria est. Qui Idenacalem Montem accolunt crassi sunt & rudes, bello tamen optimi.

Testentum Susana Provinciæ oppidum aliam quam auream monetam ignorat, crudo tamen infectoq; utitur auro non signato. Vbi vilius metalli genus requiritur, ferro utuntur unius unciæ. In cæteris rebus Susani industrii sunt, ut caprinum corium optime præparare noverint; habetque hoc Susana provincia velut peculiare, ut populo dicatur habitari bellicoso & ad arma nato.

Marrocani Vrbani sunt & liberales. In urbe sunt multi, qui Legem Mahometi interpretantur, in quem finem & certa Collegia studentium fundata sunt, & Xenodochia pro alendis pauperibus studiosis. Qui campestria regionis incolunt, tam brutali occæcantur insciti, ut cum nullos habeant controversiarum diffinitores inter sese, peregrinos cogant consistere, & jus inter partes litigantes dicere, estque hic arbiter idem judex pariter atque scriba. Cibus hujus populi ab omnibus deliciis est remotissimus, cum farina ordeacea vescantur in aqua fervente excocta, & carnibus captinis, quarum apud illos est copia.

Guzulenses in multis rebus brutorum imitantur ruditatem: quanquam ex ferro, cujus apud eos magna vis est, vasa quædam & instrumenta satis concinna conflare norunt, quæ permutant equis, panno, aromatibus, aliisque rebus necessariis, suo emolumento. Vix hi quenquam in tota provincia superiorem agnoscunt, unde perpetua inter illos dissidia, ut vix trium dierum per septimanam habeant inducias, quas commerciorum necessitas sancit.

His finitis obvii obvios invadunt trucidantque, nulla habita ætatis vel sexus consideratione. Omnis eorum vestitus est indusium laneum, sine manicis, satis quidem angustum: caput tegunt pileolo è palmarum foliis contexto.

Dies, in quibus nundinæ aut mercatus exercentur, à jurgiis sacrosancti sunt, quibus nemo audet ne inimicissimum quidem lædere, cum præfecti tribunique militum in hunc finem dispositi dent operam, ne pax publica violetur. Furtum hic capitis supplicio punitur, ut sine longiore litigio compertus furti hasta transverberetur, relicto insuper in publico corpore, ut hominibus quidem severitatis exemplum, canibus vero volucribusque pabulum præbeat.

Ducalenses rudes sunt, ab omni civilitate alieni, incommodi & inaffabiles: quos *Hascorani* in arte preparandi corii superant. Mulieres eorum formosæ sunt, nec ita, ut cæteræ, nigræ, hospitibusq; satis commodæ, etsi maritos habeant invidissimos.

Oppida in *Teldensi* provincia opulentis abundant mercatoribus, & civibus satis humanis, quorum fœminæ in scientia lanificii & cæteris Minervæ artibus reliquas Africanas superant. Et sunt quidem in plerisque locis candidiores, corpusque argenteis incedunt oneratæ ornamentis. Est in eadem provincia Mons Dezensis, quem qui accedunt, neque oppida neque pagos habent, in tuguriis sparsisque Mapalibus habitantes: multi etiam in cavernis montium degunt, fures plerique, proditores

Digitized by Google

tores & latrones, ut ob rem minimi momenti hominem interficiant. Mulieribus eorum nihil potest reperiri in tota Africa turpius deformiusque.

21 Sed jam *Fessanum* regnum videndum est, inque eo provincia *Asgarensis*, quæ propemodum tota ab Arabibus incolitur, divitibus quidem & satis splendide vestitis. Magna his bellicæ virtutis fama, unde eorum opera in militia utitur Rex Marrocanus. His non cedunt *Elhabatenses*, robusti & audaces, in quib. multum Rex ille ponit fiduciæ, qui & crebris, quas in Christianorum terras faciunt, excursionibus, multum emolumenti fisco pariunt.

Errisenses morum incivilitatem, animi magnitudine & membrorum robore sarciunt. Lacero vilique induuntur vestitu, dediti supra modum ebrietati. Bellisenses de Gomera in Piratica sunt valde exercitati, infestantes myoparonibus suis littora à Christianis habitata. Qui in *Garetana* Provincia Sahidum montem incolunt, tributum nullum pendunt, fabri ferrarii plerique omnes, qui conflandi, feriendique & poliendi ferri pollent notitia.

Qui in montibus Tezensibus Chaucensibusque degunt, ne reges quidem suos metuunt, quibuscum ipsi sæpe pugnaverunt, freti multitudine hominum, alimoniæ & asperitate locorum: his animo nequaquam pares sunt Gavatensis montis accolæ, qui præ timore & ignavia ne in plana quidem de montibus descendere audent, gnari, in montibus se à regibus suis cogi non posse, quibus tributum nullum pendunt, instructi in latibulis suis alimoniæ copia.

Baronensis populus albus magis est quam niger, & uxores eorum satis elegantes, erga quas viri incredibili Zelotypia afficiuntur. Lessetenses fœda cum paupertate luctantur, Afrorum omnium imperitissimi. Qui Montes Zizum, Mesettazam, & montana Zanagensia incolunt, robusti sunt & efferi, latrociniis maxime infames: quivis eorum trina fert spicula sive Assagayas, quas tanta scientia ab manu mittere noverunt, ut vix unquam aberrent: sed & gladium ferunt & pugionem, multa habentes cum Arabibus communia.

Sed nunc ad civium in Fezza urbe Mores veniendum est, qui, ut nobis videtur, multo sunt politiores quam reliquorum in eo regno. De ædificiis igitur dicturi à Thermis sive Balneis initium faciemus, quarum mira est pulchritudo, & omnia in iis recte atque ordine disposita. Extra lavacra sunt certa Apodyteria cum suis capsariis. Ingressurus quispiam balneum, postquam per primam portam intravit, deducitur in conclave frigidum, ubi aqua gelida asservatur ad refrigerandam ferventem. Inde per aliam januam transitur in locum calidiorem, ubi lavantur extergenturque loturi. Tertium conclave calidissimum est, ut Sudatorii vicem præstare possit. Calefaciunt autem aquas arido fimo, in quem finem Balneatorum servi stabulis mandrisq; oberrantes, jumentorum excrementa colligunt, eaque extra civitatem exportantes, in strues quasdam coacervant, ut duorum triumve mensium spacio exsiccentur, quæ postquam arida facta sunt, in vicem lignorum utuntur. Lavacra iis muliebria à virilibus separata sunt, etsi quædam utrique sexui sint communia, hac tamen differentia, ut utrique certas statasque diei horas observent, quibus balneum separatim ingrediantur. Ingressis in lavacrum mulieribus, funis obducitur januæ, ne quis vir vel studio vel errore intret. Quod si quis propriæ uxori loqui velit, oportet, ut aliqua ancilla utatur interprete. Capiunt & aliquando in balneis cibum, & agitant convivia, & ludunt, alta voce interim cantillantes. Adolescentes intrant Thermas illas toti nudi, ne verendas quidem tecti partes; qui vero eminentioris sunt conditionis corpus linteamine tegunt, & loco singulari separato à popularibus considunt: sunt enim secessus quidam & cameræ privatæ semper in hos usus paratæ. Neque solum hic lavantur atque perfricantur, sed & inunguntur unguentis ad instaurandas vires aptis, utentes etiam psylothris volsellisque aliisq; instrumentis ad mundandum totum corpus. Sunt autem in quolibet balneo plures Tonsores qui domino Thermarum certum quotannis solvunt precium, ut iis liceat hic exercere artificium suum. Cæterum cum ipsa Thermarum possessio tum earundem vectigal fere spectant ad Templa Mahometica & Collegia doctorum virorum, suntque balnea quædam tam opulenta, ut quotannis centum ducatos lucrentur: alia quinquaginta, pluresque vel pauciores, prout magna vel parva sunt. Adolescentes, qui in lavacris illis ministrant, singulis annis certum quoddam festum agitant, ad quod amicos suos invitant, cum tubis fistulisque egredientes urbe, ubi cum quasdam ludicras edidere ceremonias, redeunt ad balneum & indulgent genio.

Sunt in eadem urbe Fezzana amplissima diversoria, in quibus tamen lecti nulli sunt, cum dormientibus detur duntaxat storea cum culcitra & levi petasmate. Edere volentes cibos emunt & divorsitori coquendos dant. Pauperculæ viduæ, quibus neque tectum est neque res familiaris, commorantur fere in his diversoriis, in peculiaribus cubiculis, & hæ fere curam gerunt cubilium & rei culinariæ. Sunt & hic mulieres quædam quæ corpore quęstum faciunt, ut prostibula in lupanaribus Europæ, & his licet vendere vinum, neque in quæstu suo impediuntur à Ministris regiis. Ad has sæpe commeant viri dissolutæ vitæ, partim Bacchi partim Veneris desiderio. Habent autem Magiri Consulem suum, solvuntque Præfecto regio certum quotannis vectigal: præter quod etiam tenentur, cum bellum est, lixarum calonumque exercitui certum submittere numerum, qui cibaria militibus coquant, cum pauciſſimi in hac gente sint coqui. Est autem odiosum valde Afris hoc genus, ut nemo litteratus, vel mercator vel opifex honoratior cum illis loqui dignetur: neque ipsis cauponibus licet ingredi templa aut Thermas publicas, aut loca ubi mercatoribus convenire mos est, ut nec fas putatur, propius juxta sacras Ædes erigere Tabernam sive Diversorium.

Sunt & quidam Mercatores, qui molas frumentarias precio locatas obtinent, ex molito frumento quæstum facientes. Farinam enim pistoribus aliisq; vendunt, cum plerisq; opificibus non sint eæ facultates, ut frumętum coemere in futuros usus possint, sed contenti sint quotidie tantū farinæ emere, quantum absumunt domi suæ: alii etiam à farina abstinentes, panes emunt. Quarundam etiam molarum proventus cędunt Templis sacrisque Collegiis.

Habi-

Digitized by Google

Habitant autem opifices in hac Vrbe seperatim alii ab aliis, Scribæ vero & Notarii domicilia sua circa sacras ædes habent, quorum quædam cum ipso templorum muro cõtigua sunt, alia eisdem è diverso opposita numero ad LXXX. & in unaquaque taberna sive pergula scriptoria Notarii duo. Non longe ab his, qua in Occidentem via est, visuntur librariorum tabernæ XXX. ad Australe vero latus L. & plures Sutrinæ, in quibus vis ingens prostat calceorum & ocrearum. Alibi Sutores habitant, qui minutos conficiunt calceos pro pueris & infantibus, nec longe ab his coriarii.

Ex adverso Magnæ Portæ sedent qui poma aliosque fructus arboreos vendunt, & flores, quorum omnium elegans aspectus facile emptores invenit, cum nihil pulchrius fingi possit. Hinc Forum Lactarium occurrit, ubi omnis generis lacticinia venduntur & butyrum. Post hoc est locus, ubi institores exponunt varia mercis genera, gossypium, cannabim, funes ex sparto vel setis equinis, corium paratum: alibi venduntur ephippia, frena, habenæ, antilenæ, postilenæ, aliaque equorum ornamenta.

In Helotis Bajulisque hoc laudandum est, quod ipsi sese omnes invicem fraterno amore complectantur: quod si quem ex iis mori contingat, cæteri viduam ejus viritim collata pecunia alunt: pariter etiam defuncti liberos, donec ad pubertatis annos perveniant.

Si quis horum uxorem ducit, exque ea liberos suscipit, solenni convivio totam baiulorum tribum excipit: Convivæ vicissim singuli aliquod ei donum offerunt, neque quisquam in eorum recipitur societatem, qui non præstiterit epulum exteris: interea, donec hoc faciat, dimidium precium pro laboribus suis accipere cogitur: quod supereſt, cedit societati: Vestitus omnib. his brevis est, ejusdem coloris, cum laborant; festis vero diebus quisque pro arbitrio tectus incedit.

Raparum Carotarumque sive radicis betaceæ hic magna est copia, ut singulis diebus ultra quinquaginta vendantur onera, neque omnibus indifferenter eas vendere licet, sed iis duntaxat, qui certum Fisco regis hoc nomine pendunt vectigal. Panis melliti atque dulciariorum frequens hic est usus, quem jentaculi vice sumunt, festis præcipue diebus, cui & aliquando carnes assas vel oleo in sartagine frixas jungunt, quanquam carnes non in verubus assent sive craticula, sed in furno duplici torreant, cui aliquãdo totos verveces immittunt, subiectis vivis carbonibus, unde carnes lento igne, qui sine fumo est, excoctæ, satis gratum acquirunt saporem. Assantur autem fere de nocte, ut mane calidæ ac à Vulcano recentes vendi possint. Alibi venduntur carnes frixæ, coctique pisces, cum specie quadam panis delicatissimi, cui vel butyrum vel mel jungunt.

Animalia à Laniis non jugulantur in macello, sed in loco peculiari juxta profluentem, ubi excoriantur eorumque lavantur interanea.

Pannum qui vendere volunt, præconibus eum dant, qui humeris impositum per urbem ferunt, magno venalem esse vociferantes clamore. Multi se suosque alunt ex sagina gallinarum aliarumque avium, quas in cortibus caveisque alunt donec pingueſcant. Eo loco ubi telæ lineæ venduntur, suave est videre rixantes mulieres, quæ sæpe à jurgiis & conviciis ad manus veniunt, non sine voluptate spectantium. Et ut longioris narrationis compendium faciam, nullum huic urbi deest Artificum Opificumque genus, quod apud alias gentes reperitur.

Pharmacopolæ & Seplasiarii ipsi Syrupos, Iulapia, Electuaria cæteraque pharmaca conficere non noverunt, sed Medici hæc omnia præparant, inque officinas mittunt, ubi petentibus ægris venduntur; quanquam potissima populi pars nec Medicinam norit nec Medicos. Multi sunt, qui mulos clitellarios alunt, eosque magnatibus facturis iter elocant; alii venduntaviculas quas ad cantum & imitandam loquelam erudivefunt. Nec pauci sunt in tam vasta urbe, ut ait Poeta,

Transtyberini ambulatores
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutant vitreis--------

& viliora exercent lucrandi panis ergo mercimonia.

Lanificii præterea magnus hic est usus, unde non parvus textorum fullonumque hic numerus: nec multo minor eorum qui sericum tractant.

Multis locis per urbem secantur ligna inque asseres comminuuntur, ad quem laborem potissimum Christiani adhibentur, capti à Mauris, & ex liberis servi facti, quibus non datur à labore requies, præterquam diebus Veneris, à Meridie usque ad vesperam, ut & octo diebus, quibus quotannis festa sua celebrant Mauri.

Præter publica diversoria sunt in hac Civitate aliquot Lupanaria, in quibus quæ prostant meretrices, exiguo precio corporis sui copiam petentibus faciunt: patrocinium earum suscipiente vel Prorege Fessano, vel Præfecto vigilum. Sunt autem & privati Lenones, qui domi suæ vinum venale habent & mulieres, ex utroque mercis genere quæstum facientes.

Frumentum suum servant Mauri in fossis profundis, quarum aliquando tanta est amplitudo, ut ultra C. modios capiant. Porro qui eas fossas conductoribus locant, centesimum modium accipiunt.

Jam de Civibus Fezzanis jure dici potest, eos vere civiles urbanosque esse. Vestitus eorum è panno laneo est, cum peregre proficiscuntur, vel cum hyems est. Alio tempore utuntur tunica stricta manicata, cui super injiciunt vestem laxiorem anterius consutam: prodeuntes in publicũ, etiam pallium sumunt more Numidarum. Capitis tegumentum non absimile est pileis nocturnis, quibus utuntur Itali, sine tamen tegumento aurium. Nonnulli caput cingunt fasciis lineis versicoloribus & intortis, femora & tibias vestientes prælongis caligis, instar nautarum nostratium, æstate duntaxat: hyeme enim ocreis suras muniunt. Plebs saga gerit, & pallia sine manicis, caput exigui precii pileolo operientes. Doctores & qui sunt Equestris Ordinis, togas gerunt, cum manicis laxioribus, ferme ad habitum Nobilium Venetorum. Postremo qui ex infima plebe sunt crassis vestiuntur pannis è vellere nativo factis, palliisque ex eadem materia.

Mulieres eorum aliquanto melius quam viri vestiuntur; æstate tamen solo indusio corpus tegunt, cingentes frontẽ & tempora fasciis quibusdam, quæ illas

Digitized by Google

illas potius deformant quam ornant. Hyemis tempore togas gerunt laxis manicis anterius consutis, quales & viri gestant.

Prodeuntes vero in publicum, longis utuntur femoralibus, quibus crura & tali teguntur, velo quodam & caput & reliquum corpus cooperientes. Faciem tenui linteolo velant, ut prêter oculos nihil appareat. Ab auriculis dependentes habent gemmas sive uniones; armillas insuper aureas lacertis induũt, tanti precii, ut par unum ad C. ducatorum precium accedat, quibus minores sunt facultates, argenteis contentæ sunt, circulis ex eodem metallo factis etiam femora ac crura includentes.

In capiendo cibo hunc modum observant, ut duobus per septimanam diebus recentibus vescantur carnibus: opulentiores vero prandent cœnantq; ex palati sententia, ter quoque per singulos dies comedẽtes. Mane enim jentaculum leve sumunt, ex solo pane, fructibus & tosta polenta liquida quidem. Hyeme vero durante farinam maceratam aqua calida sumunt cum salitis carnibus. Prandium meridianum lautius aliquanto est, quo ventrem saburrant. Cœna sub noctis initium levior est, cum pani vix quicquam jungant prêter lac, uvas vel melopepones. Hyemis vero frigori medentur artocreis vel alio modo paratis carnibus, aliisque cibis solidioribus, quibus vel butyrum vel oleum copiosum inspergunt. Et hic fere plebeiorum vivendi ritus est, puta opificum vel helotarum: ditiores enim delicatioribus vivunt escis. Si vero universum eorum victum cum nostrate per Europam conferre velis, deprehendes miserandum & obscænum esse Maurorum vivendi genus, cum humi desidentes vescantur in mensis humilibus, iisque nullo stratis linteamine, vel mappa, vel strophio: utentes ad carpendos dividendosque cibos non cultro, sed digitis aduncis. Carnes cum brodio suo mixtim apponunt, è quibus quilibet conviva tantum sibi sumit, quantum voluerit, non expectata cæterorum approbatione: acceptas carnes nemo cultello discriminat, sed dentibus laniat, servatque sibi partem acceptam, non habita ratione vicini sui juxta assidentis. Celeriter autem comedunt, nec quisquam bibit, nisi prius probe repleto ventriculo: quo facto, quisque grande poculum aquæ educit. Hinc constat, mediocribus facultatibus per Galliam Germaniamque præditos lautius elegantiusque vivere, quam viros Principes vel Illustres per Mauritaniam.

Nunc ad matrimonia eorum revocamur. Ducturus uxorem, si non abnuit futurus socer, convocat amicos suos sponsus in sacram ædem, ubi præsto sunt duo Notarii, qui pacta & conditiones futuri conjugii scripto consignant. Dat autem maritus uxori (siquidem mediocris census sit) triginta ducatos argenti numerati, cum servo uno Æthiope, cujus precium ad XV. ducatos accedit, ex panno variegato, partim è lana partim è serico, adjectis quibusdam rebus levioribus, puta mitra aut calantica, quas fœminæ in capite gestare consueverunt. Addit his, si vult, sponsus calceos elegantes, & tibialia, & crepundia argentea, & flabella ad faciendum ventulum, & alia hujus generis ludicra. Vbi satis inter nubentes convenit, ad prandium vocat sponsus omnes quotquot contractui isti interfuerunt, pariterque pater sponsæ convivium instruit, siquidem liberalis haberi vult: alias enim præter pecuniam nihil obligatur nubenti dare filiæ. Nostro quidem tempore à XXX. ducatis usque ad CCC. adscenderunt in assignanda dote, in quo numero tamen etiam utensilia & vestimenta comprehenduntur. Quibus res domi est lautior, ii filias suas non tantum omni vestimentorum genere splendide ornatas elocant, sed & lectorum apparatum & ornamenta cubiculorum addunt. Lecti vero diversimode habent, cum alii quidem æstati, alii hyemi conveniant, exornati pro captu regionis omnes.

Mulieres quidem sive sponsæ ad hunc modum dotatæ migrant in novi Mariti domicilium. Si opulentiores sint, portantur à bajulis sub umbone, serica tela vel aureo panno tecto, comitatæ amicis consanguineisque, inprimis patre & marito, præeuntibus tubicinibus & tympanistis; nec non cereis funalibus: sic longo ordine progrediuntur usque ad magnam aream templi primarii, hic valedicit sponsa patri amicisque paternis, deinde deducitur ad cubiculum suum. Pater, fratres & consanguinei comitantur eam, traduntq; in manus mariti, & sic uterque cubiculo includitur, ut solus cum sola ibi versetur, sine arbitro.

Interea domestici parant convivium, destinata ante januam thori genialis vetula, quæ ibi moretur tantisper, donec maritus sponsam devirginaverit. Tunc vetula illa cum linteo cruentato discurrit per convivium, exclamans alta voce, sponsam pudicam virginemque fuisse, hoc facto meretur anus illa prandium, quo percepto, currit ad matrem sponsæ, idem afferens pudicitiæ filialis indicium, & præmio aliquo afficitur. Convivia autem nuptialia sunt fere tria.

Primum datur ea vespera, qua in mariti domum sponsa deducitur. Alterum sequente die ad quod tantum adhibentur mulieres. Tertium instruitur septimo post nuptias die, & ad hoc pater sponsæ præcipuos sumtus suppeditat. Post septimum à nuptiis diem primum maritus domo egreditur, multosque pisces coemtos secum domum fert, idque boni ominis res esse putatur, antiqua consuetudine ita exigente. Præter hæc omnia pater sponsæ in sua domo duplex instruit epulum. Prius die uno ante nuptias filiæ, ad quod propinquos necessariosque suos invitat, eosq; quam lautissime excipit, parte noctis cantu & choreis insumta. Postero die adsunt mulieres, quarum officium est comere & ornare sponsam; hæ nuptialibus eam induunt vestimentis, pingentes genas ejus minio, simulque manus ac pedes nigro inficientes colore, qui tamen non diu durat. In altero convivio collocatur sponsa in Theatro ligneo editiore, ut ab omnibus conspici possit. Cognati sponsæ offerunt munera, plenos cophinos mellitis panibus cupediisq; cum tribus vervecibus integris, quæ omnia sponsæ pater inter convivas distribuit. Choreæ eorum per totam noctem durant, quas exercent ad sonum instrumentorum Musicorum, satis harmonicum.

Saltant autem non plures neque juncti, sed singuli, & mulieres quidem separatim à viris, psaltrias & cantatrices adhibentes, non viros Musicos. Et has quidem Mauri adhibent ceremonias, cum virgo

Digitized by Google

go nubit: Cęterum in viduæ nuptiis omnia sunt moderatiora, adhibitis ad convivium Gamicum non nisi X. vel XII. hominibus. Sunt autem illa de magnifico apparatu & festivitate nuptiali tantum de Nobilium Virorum vel Mercatorum nuptiis accipienda: plebs enim tenui contenta est apparatu, in conviviis exhibens offam sive jusculum ex pane triticeo & decocto bubularum carnium, quæ simul in suo jure apponuntur in grandi disco, qui accumbunt, non cochleis sed manibus utuntur, quibus offam ori admovent.

Exhibetur etiam epulum solenne, cum circumciditur puer, die septimo ab ejus nativitate, ad quod pater infantis Chirurgum & propinquos vocat, quo finito, quilibet puero munusculum aliquod offert, ipsique adeo Chirurgo, cui alii quidem unum, alii duos pluresve ducatos donant. Hoc facto Chirurgus circumcidit puerum, quod superest temporis, saltando atque epulando conteritur. Nata vero filiola compendium fit & sumtuum & lætitiæ.

Sunt & apud Fezzanos quædam Christianarum festivitatum reliquiæ. Die enim Servatoris nostri natalitio sumunt certum quoddam juris genus, ex septem herbarum generibus decoctum, coquentes etiam eadem nocte diversa legumina, fabam, cicer, pisum, comeduntque illa contemtis cibis delicatioribus. Calendis Ianuarii circumeunt pueri personati domos nobilium, decantantes pueriles hymnos. Die festo S. Iohannis excitantur multi ignes per plateas urbis, è stramentis potissimum, uti apud nos fit multis in locis.

Cum pueri primum dentes emittere incipiunt, rursum instruitur convivium, ad quod tantum pueri invitantur. De observatione auguriorum apud has gentes usitata alibi dicendi locus erit.

Cum vel parentes, vel fratres alicujus mulieris, vèl etiam maritus moritur, conveniunt multæ fœminæ, abiectoque usitato amictu, cooperiunt se ciliciis, postea fuligine ollarum illinunt faciem. Miscent se his viri molles, muliebribus induti vestibus, tympana parva manibus increpantes: hi præcinunt versus tristes & lugubres in laudem defuncti, mulieribus ferale epiphonema accinentibus, genasque & pectus laniantibus, ut cruor copiosus effluat. Durant autem hæ lamentationes toto septiduo, quo exacto quiescunt per dies XL. postea repetitur idem luctus, qui tertio die finitur. Et hunc quidem plebs observat lugendi modum. Cæterum nobiliores omnia honestius faciunt atque moderatius, neque laniantes genas, neque plangentes pectora. Hos in luctu constitutos adeunt viri graves senio, atque consolantur: propinqui vero delicatiores cibos atque sportulas mittunt, cum moris non sit aliquid cibariorum coquere in ædibus, in quibus cadaver hominis est. Funus cum deducitur, mulieres id non sequuntur, etiamsi vel pater aut frater tumulandus sit.

Multi è Fessanis civibus magno studio columbas alunt, quas pennarum pulchritudo commendat: has caveis inclusas venum proponunt, aliquando etiam emittunt, ut ex earum celeri volatu aliquid voluptatis percipiant. Cumque columbæ aliquando vicina tecta subeuntes intercipiuntur, multæ inter columbarios istos rixæ atque pugnæ oriuntur, nec finis est insidiarum quas alii aliis struunt.

Inter ludos maxime in usu est Ludus Latruncolorum: etsi enim aleæ quoque aliisque ludorum generibus locus est, rudes tamen illi sunt, nec acre exigunt ingenium, vili plebeculæ convenientes. Certo quodam anni tempore conveniunt juvenes, baculis inter se depugnantes: verum hoc ludi simulacrum aliquando in verum certamen emergit, ut concurrentibus utrinque partibus nonnulli mortui vulnerative cadant: aliquando abiectis baculis lapides arripiunt, & se mutuis petunt ictibus. Eduntur autem certamina hæc diebus festis, & extra Vrbem, quæ & tam acria sunt, ut ne præfectus vigilum quidem pugnantium possit compescere pertinaciam, sed necesse habeat, quosdam carceribus includere, qui postero die virgis per vicos cæduntur.

Fit aliquando, ut pars adolescentum horum arreptis armis nocte extra urbem vagentur, perque hortos & campos oberrent, ut si quem adversæ partis offendant, mactent; unde multoties crudeles committuntur pugnæ. Sed hi grassatores severe puniuntur.

Poetarum in hac urbe *plus est, quam olim musarum tum caletur maxume.* Condunt hi versus vernacula lingua, inprimis fescenninos veneriosque, in quibus aliquando sine velo aut rubore aperiunt mulieribus quid desiderent. Iidem quotannis carmina faciunt in laudem Mahometi sui, quæ die ejus natalitio in publicum proferunt, conscensaque cathedra, à mane usque ad vesperam observato ordine recitant, auscultante atque judicante populo: certant enim canendo atque pangendo carmina, & qui cæteros vicisse visus est, Poetarum princeps pronunciatur, eo duntaxat anno. Certo quodam anni tempore invitat Rex in Palatium suum omnes viros litteratos è tota urbe, interque eos Poetas, quibus magnificum exhibet convivium, postea jubet, ut præstantiores inter eos suos hymnos recitent, quos in laudem Mahometi composuerunt, judicante universa Aula. Qui cæteros carminis suavitate vicit, à Rege dono accipit C. ducatos, equum instructum, novum pallium, & mulierem servam. Victis in solatium minora dantur munera, nec quisquam abit indonatus.

Pueris in scholis certi Magistri præficiuntur, qui eos legere atque scribere doceant, non è libris, sed latissimis tabulis. Pensum quotidianum pueri est, ut singulis diebus periodum unam & alteram ex Alcorano memoriæ mandet: cumque triennii spacio ad finem pervenerunt, iterum comminiscuntur ab initio, ut non pauci integrum septennium in hoc studio consumant. Post hæc proponitur iis Grammatica cæteræque ordine scientiæ. Si quis puer totum percipit Alcoranum, pater ejus instructo præceptoribus convivio, nova veste donat filium, splendida illa quidem & preciosa. hinc impositus equo gradario magni precii, à præfecto urbis munera accipit, equum & vestimenta. Sequuntur cum longo agmine pueri scholastici usque ad domicilium ejus, cantantes hymnos in laudem Mahometi, deinde datur omnibus cœna, ipsi vicissim offerunt Magistris suis munuscula: Dies hujus Pseudoprophetæ natalis festus est, qua patres scholarium singuli singulos cereos ad Scholam mittunt, quorum nonnulli tam grandes sunt, ut XXX. libras pendant.

Digitized by Google

Hos incenſos à primo crepuſculo ferunt usque dum Sol ſuperato horizonte clare luceat; nox præcedens laudibus Mahometi inſumitur. Omnis ea cera ludimagiſtris cedit, qui eam aliquãdo centum pluribusve ducatis vendunt, neque quiſquam eſt, qui non ſuum in Prophetam ſtudium hac liberalitate teſtari velit. Pueris ſcohlaſticis quotſeptimanis duorum dierum feriæ impertiuntur.

22 Divinorum apud Mauros genera tria ſunt. Primi Geomantiæ ſtudio dediti ſunt, vaticinantes ex variis figuris. Secundum genus ad Hydromantiam referri poteſt. In vas enim planum vitreum aquam immittunt, injectisque guttis aliquot olei eam claram limpidamque reddunt, inſtar ſpeculi. In hac aqua fabulantur ſe cernere diabolorum agmina, inſtar ingentis exercitus, caſtrametantis, unde de rebus dubiis conjecturam faciunt. Hos enim cum Ariolus quietos conſpicatur, ſciſcitatur ex iis rerum futurarum eventus, cui cacodæmones reſpondent certis quibusdam ſignis. Ponunt & alquando diſcum aqua plenum in manibus octennis vel novennis pueri, quæruntque ex eo, an talem vel aliam figuram contempletur: ibi ſimplex puerulus, quid viderit, reſpondet: reperiunturque multi tam ſtolidi, ut divinatoribus iſtis non ſolum plenam fidem tribuant, ſed & in eos plurimum impendant.

In tertio genere ponuntur mulieres fatidicæ, quæ perſuadent populo, eſſe ſibi familiaritatem cum certo Dæmonum genere, quorum alii Rubri vocantur, alii Albi, tertii Nigri, & ſic deinceps. Conſulturę hæ Oraculum, ita exigentibus conſulentibus, perfumant totum corpus variis odoribus, poſtquam certas recitaverunt preculas, intrat malignus Spiritus in eas, cujus hoſpitis advẽtu & vocem, & ſonum, & faciem mutant, fingentes ſpiritum per earum loqui ora. Viri tamen cordatiores, & quibus major eſt rerum uſus, appellant has mulieres Phæbades, Afrorum lingua *Sahacut*, quas Latino vocabulo dicere poſſis Tribades, quarum quæ fuerit turpitudo, & in pulcras adoleſcentulas præpoſterus amor, ex veteribus Poetis notum eſt. Invenias multas in hoc Afrorum genere mulieres, quæ his flagitioſis propudiis, neſcio qua voluptate allectæ, ſe addicunt, adeo, ut ſimulantes ęgritudinem aliquam, divinatricem ad ſe vocent; conſentiente marito ejusmodi fraudum ignaro. Hæ ſagæ perſuadent marito, Dæmonium aliquod ingreſſum eſſe corpus uxoris ejus, quam ſi vir ſalvam velit, neceſſe eſſe, ut in clandeſtina illa ſacra eam ſinat adſcribi atque initiari. Aſſentitur his fraudibus credula viri ſtoliditas, qui lætus hac affinitate convivium inſtruit, cumque probe perpotatum ſaltatumque eſt, ſinit abire uxorem, quo viſum fuerit. Cordatiores tamen crebris baculorum ictibus Dæmonium expellere noverunt. Alii earundem Sagarum opera abutuntur ad decipiendas fœminas, à quibus ipſi jam ante decepti fuerunt.

Poſſis his adjungere quartum genus eorum, quos Arabes *Muhazzimin* vocant, id eſt, Incantatores. His vulgo tribuitur poteſtas liberandi obſeſſos, non aliam ob cauſam, quam quod aliquando ſcopum tangunt: Si enim exorciſmi eorum ſint irriti, cauſantur Dæmonii potentiam, quod cœleſte eſſe ajunt. Modus incantationis eorum in Characteribus quibusdam conſiſtit, quos certis inſcribunt circulis, vel etiam ex lineamentis manuum aut frontis obſeſſi divinant. Hinc recitato carmine quærunt ex Dæmone, quo pacto ingreſſus fuerit? qua de cauſa? & quod ei nomen ſit? quo percepto ei imperant, ut ſuum deſerat hoſpitium. Diverſi ab his ſunt, quibus factorum regula eſt diciturque *Zairagia*: ſed horum ſcientia ex naturæ principiis petita exiſtimatur. Vnde fere fit ut certiora percunctantibus reddant reſponſa, quod divini illi fere Aſtrologicæ ac Arithmeticæ ſcientiæ ſint peritiſſimi. Depingunt hi in plano plures orbes. In primo locant crucem cujus extremitates quatuor mundi partes notant. In ipſa crucis medietate ſignant duos mundi Polos, & extra circulum quatuor Elementa. Poſtea dividunt orbem illum in quatuor partes æquales, & quadrantes rurſum ſubdividunt in partes ſeptenas, quibus certos characteres Arabicos inſcribunt. In alio Circulo ſive Orbe notant VII. Planetas: in tertio XII. anni Menſes, in quarto XXVIII. manſiones Lunæ: in quinto CCCLXV. dies anni, circaque eum quatuor Ventos Cardinales. Sed cum hujus per Characteres divinationis ratio laborioſiſſima ſit, maximeque perplexa, omittitur jure à nobis, cum non multum differat à Cabaliſtica ludæorum ſupputatione, quamvis in magna apud Afros ſit admiratione.

In Sapientum numerum etiam ii referuntur, quos Sophos & Philoſophos Morales cognominant, qui circa Legum Mahometicarum interpretationem occupantur, quas exacte ab iis obſervari, ſunt qui affirment, ſunt qui negent. Magna horum apud vulgus eſt auctoritas, quanquam multa licita eſſe perhibeant, quæ lege Mahometi prohibentur. Sed nos de his amplius loquemur, cum de Religione Maurorum dicere nos inſtituti ratio jubebit.

Eſt & aliud hominum genus in Vrbe Fezza, profitentium ſcientiam eruendi theſauros in antiquorum ædificiorum ruderibus latitantes. Egreſſi vaniſſimi hi ſtelliones Vrbe, demittunt ſeſe in cryptas & cavernas ſubterraneas, concepta firmiter hac opinione, Romanos, cum amiſſo Africæ Imperio in Provinciam Hiſpaniæ Bæticam trans mare fugerent, multas res precioſas, quas per feſtinationem ſecum ferre non potuerunt, humi defodiſſe, quos theſauros illi perveſtigare conantur. Sunt & quidam ita faceti, ut dicant, vidiſſe ſe in hoc vel illo loco aurum ſive argentum, ſed extrahere non potuiſſe, quod appoſitis ſuffumigiis & incantationibus uſi non fuerint. Sed hi foſſores & theſauripetæ parum efficiunt, niſi quod aliquando domos aut ſepulchrorum fundamenta ſubruant evertantque.

Non puto ullam in Orbe noſtro eſſe urbem, ubi fœcundior Chymicorum ſeges eſt, quam Fezzæ, vile hominum genus & male olens ob fumos & ſulphuris odorem, quo penitus imbuuntur. Hi fere veſperi conveniunt in area Primarii Templi diſputantes inter ſeſe de Lapide ſuo Philoſophico, albus an ater ſit.

Librorum his de arte illa magna copia, quos viri magni nominis conſcripſerunt, inter quos facile primus eſt *Geber*, qui centum annis ante Mahometum vixiſſe perhibetur. Sunt qui eum è Græco Arabem factum fuiſſe autument. Primus ab hoc eſt *Atrogreius*, Sultano Bagadeti olim à Secretis, habeturq; in hac arte non futilis auctor. *Muguaritus Granatenſis* ter-

tias

Digitized by Google

tias obtinet, qui Artis hujus præcepta in cantilenas redegit, in quem librum scripsit quidam *Mamaluccus Damascenus*: sed commentarius multo est obscurior ipso contextu. Sunt autem Alcumistarum genera duo: quidam *Elixir* quærunt, id est, tincturam metallorum: alii pervestigant multiplicationem eorundem, miscentes alii aliud.

Oberrant in eadem urbe plurimi quoque aulœdi & citharœdi, ludentes variis instrumentis musicis per vicos & compita, & rudi populo venditantes schidia quędam, quibus ad diversa morborum genera vim medicam inesse nugantur. His subjungendi sunt vilissimi histriones, qui saltatrices simias per urbem secum circumducunt, colla implicata habentes ipsi serpentibus atris. Audent iidem mulierculis futura prædicere, & alia vanitatis specimina edunt, ut siccam profligent ab ore famem.

Ipsi cives Fezzani superbi fere sunt, & inhumaniores in peregrinos. Illustres tamen & Nobili orti genere, ob nimiam arrogantiam intolerabiles habentur, unde vix quisquam eum iis versari sustinet. Idem de Doctoribus & Iudicibus dici potest, qui ut suam tueantur auctoritatem, à plebis consuetudine abstinent.

OPES ET DIVITIAE MARROcensium & Fezzanorum.

32 Qui utrumque hoc Regnum incolunt, junctim dici possunt abundare omnibus reb. ad vitam transigendam necessariis, cum unius regni defectum alterius ubertas farciat & compenset, ut facile exterorum adminiculis carere possint, constetque, si firma pace Mauros atque stabili perfrui contingeret, felicissimum hoc Imperium dici posse. Montana enim utriusque provinciæ gregibus armentisque plena sunt, & campi ferme ubique feraces frugum. Tantum in iis provenit tritici, & in hortis fructuum arboreorum, ut largiter ad exteros devehantur, inprimis poma aurata & citria, nec non olivæ & quantitas saccari. Sed & multum lucri percipiunt è telis Camelinis, & corium in his locis præparatum per universum prope expetitur orbem. Idem recte dicemus de gossypio atque inde confectis telis, quarum præcipua putatur bonitas: nec parum his prodest incolis negociatio saccari.

De divitiis autem proventibusque magni hujus regis sciendum est, eum absolutum dominum esse non tantum subiectorum utriusque regni, sed & bonorum atque facultatum, quas ipsi possident: quicquid enim iis imponatur oneris, taciti ferunt, nec contra mutire audent. Metus tamen amittendi regni, qui à Muleio Checo impendet, & perpetui motus in causa sunt, ut paulo clementius cum suis agat rex Marrocanus, ut iis dulce reddat jugum suæ dominationis. Solvunt huic Mauri non decimas tantum frugum suarum, sed & primitias magni parviq; pecoris, quanquam exactores regii hac utantur moderatione, ut de frugibus vigesima contenti sint, & è centum pecudibus non nisi duo exigant capita. De unoquoque agri jugero solvuntur Quæstori Regis quinque quadrantes unius Ducati, tandundem de singulis domiciliis: idem quoque census est singulorum capitum, quæ decimum quintum annum superaverunt, sive mares sint sive fœminæ, unde facilis est conjectura, quanta hinc vis auri quotannis colligatur.

In cæteris exactionibus ita versantur, ut ad vitandam plebis seditionem prope duplum exigant Quæstores, & simplum accipiant, quam peculiarem gratiam interpretantur infelices Mauri. Qui tamen montes incolũt, homines feri & indomiti, fretilocorum munimentis, ut quicquam pendant adigi non possunt: sed si quas solvunt decimas, ideo pendunt, ut sibi in plana & campestria descędere liceat. Iunge, si placet, his proventibus longe maximis Telonia, Vectigalia, Tributa & Subsidia pecuniaria, quæ tam in urbe Fezza quam aliis regi cedunt, & ingentem conficies summam, cum cives Fezzani peregrinarum mercium, quæ in urbem importantur, quinquagesimam partem pendant, exteri vero decimam. Accedit huc molendinorum proventus, & metallorum, aliarumque rerum quæstuosissimarum. Nam ut de Molendinis dicamus, habentur in Vrbe Fessa CCCC. molæ frumentariæ, quæ de singulis magnis frumenti modiis regi solvunt dimidium nummuni regalem.

Mosqueę Caruvensis proventus olim fuere quotannis LXXX. millia scutatorum, nec minores erant redditus Collegiorum & Xenodochiorum: sed hos omnes Rex Fisco suo addixit. Si quis Protex vel Præfectus Provinciæ, vel Minister regius, qui salarium ab eo accepit, moriatur, Rex ei ab intestato succedit, omnesque demortui possessiones sibi vendicat, nec has solum, sed & equos, arma, thesaurosque.

Si quis horum decedens relinquat filium, qui regi in bello utilis esse potest, eodem, quod pater perceperat, fruitur beneficio. Si liberi impuberes sint, nutriuntur impensis regiis, mares quidem, donec ad arma sint habiles, puellæ donec maritos inveniant, quos ut celerius nanciscantur, promittuntur sponsis earum præfecturæ & opulenta beneficia sive officia. Hinc fit, ut morituri omni annitantur studio, ut bona thesaurosque suos occultent, aut eos procul à Regia & ab oculis Principis submoveant, certi, manus ejus non evitaturos.

Potentia & Robur Militare.

Sunt in utroque hoc regno pauca loca propugnaculis munita, ut majorem vim hostilem sustinere possint, si eas demas arces & oppida, quæ in littore maris sita sunt, cujusmodi sunt, *Caput de Aquero, Laracha & Tetuana*: omne enim hujus Principis robur consistit in multitudine hominum, inprimis Equitatu. Eadem de causa re tormentaria non pro necessitate instructus est, quanquam satis magnam machinarum copiam habeat, quas partim majores ejus Lusitanis hostibus eripuerant, partim de novo fundi curaverunt: sed nec Magistris rei tormentariæ peritis destituitur. Est in urbe Marroco Armamentarium, in quo præter alios apparatus bellicos vis ingens sclopetorum minorum asservatur, & pulveris nitrati. Hoc armamentarium anno A.N.C. MD.LXIX. fortuito correptum igne arsit immaniter, ut partem civitatis in cineres redegerit. 24

Ipsa porro armatura hujus Principis non est unius generis. Primum agmen constat equitibus MM.DCC. & II. millibus sclopetariorum, qui partim Fez-

Digitized by Google

zæ, sunt partim Marroci, magis tamen in hac quam illa urbe, qua Marroci Rex habitat, cui milites illi stipatorum vicem præbent. Secunda acies constat VI. millibus equitum, qui plerique omnes nobili sunt orti genere. Splendido hi ingrediuntur apparatu, & exquisite ornati, gemmis & auro lucentes, coruscantibus minitantes armis, ut spectantium in admirationem rapiant sensus. Præstantur his præter triticum, avenam, oleum, butyrum, carnes, quæ cum ipsis tum familiæ eorum sufficiant; præter hæc inquam omnia dantur eis quotannis circiter D. Argenti unciæ.

Tertia militia constat ex Timariotis. Rex enim filiis, fratribus propinquisque suis, & aliis proceribus Afrorum Arabumque, assignat cuique certum agri modum, beneficii Feudique nomine. Ex his agris percipiunt vasalli illi fruges, orizam, avenam, oleum, butyrum, arietes, volatilia, & certam argenti summam. Eadem fere distribuuntur inter milites: addita vestimentorum materia, equis armisque tam offensivis quam defensivis. Quilibet horum Timariorum cogitur certum ad bellum adducere militum numerum, eo apparatu qui ad bellum necessarius est.

Quartum genus militum conficiunt Arabes, qui vivunt in Avaribus suis (ita vocant mansiones sive stationes suas, quæ aliquando C. vel CC. familiis cõstant) distributi in certas classes sub Gubernatoribus suis, ut ad omnes belli occasiones præsto sint. Equo hi stipendia faciunt, suntque potius latrones quam milites dicendi.

Quintum militiæ genus simile est nostrati, quo per Europam utimur in conscribendis militibus per urbes & oppida, utriusque hujus regni. Quanquam parum in his fiduciæ collocant reges, neque facile iis arma in manus præbent, metu rebellionis, nisi quoties bellum adversus Christianos gerendum est: tunc enim ne ipsi reges quidem hos milites in potestate habent, quod Lex Mahometi ei, qui hominem Christianum occidit, vel ab eo occiditur, cœlum sine ulla exceptione polliceatur. Currunt igitur ad bellum non viri tantum, sed & omnis sexus & ætatis homines, ut vel in eo moriantur, vel alios trucident, nihil dubitantes de æternis in cœlo præmiis.

Idem ardor est Turcis omnibusque Mahometanis, & in Christianos odium acerrimum: quasi enim ad festum nuptiale, non ferale bellum progrediantur, ita læti tripudiantesque in aciem prodeunt, eos etiam sanctos & ter felices reputantes, qui arma in Christianos sumta manibus tenentes moriantur: eos vero miseros & infelices, qui domi inter uxorum puerorumque lamenta exspirant.

Ex his quæ diximus facile est conjectura assequi, quantum militum numerum in aciem Principes hic educere possit: quanquam id melius experientia magistra disci queat. Anno enim A. N. C. M.D.XXVI. obsedit Muleius Abdala urbem Magazanam cum CC. millibus militum, quorum opera fossas complevit aggere montis instar, concussis valide muris vi tormentorum. Neque tamen omnibus his viribus ad deditionem cogere Lusitanos potuit, sed obsidionem deserere coactus est. Accedit quod Monarcha iste magnum exercitum ultra duos vel tres menses in castris alere non possit, quod non satis alimoniæ illis subvehi queat, unde multi deserta militia domum properant verentes inediam. Molucus, qui Sebastianum Portugalliæ regem acie vicit, habuit XL. millia Equitum, LXXX. millia peditum, præter Arabes & voluntarios: putatur tamen colligere potuisse equitum circiter millia LXX. peditum vero duplo majorem numerum, quam in aciem eduxerat.

Modus Gubernationis.

Etsi perdifficile est, regni tam turbulenti formam politiæ explicare, ob perpetuas, quibus id obnoxium est, mutationes, nunc hoc potiente rerum nunc altero: nostri tamen officii esse ducimus, ea communicare lectori, quæ ad nostram pervenere notitiam, facto initio ab Vrbe Fessa, qualis tunc fuerit, cum maxime florere visa est; deinde qualis nostra est ætate: præfati duntaxat, fieri non posse, ut in republica tam confusa certus ordo observari queat.

Primum omnium, ut Lectori satisfaciamus, dicendum est, quænam familia hodie rerum per Fessanum & Marrocanum regnum potiatur, & quomodo ad hoc tantum regnum pervenerit. Fuit superioribus seculis quidam Alfaquius, Mahometanæ legis Pontifex & interpres, natus è Tigumedero provinciæ Darensis, vir callidus & versutus, nec minus multarum gnarus scientiarum, quibus Mahometistæ præ cæteris studere solent. Hujus filius, nomine Mahometus se primum Xerifum appellavit, claruitque potissimum circa annum Incarnationis Dominicæ M.D.VIII. E posteris Mahometi hic se ortum gloriabatur, cumque videret Africam partim à Lusitanis partim ab Arabibus aliisque lacerari, affus est ad occupandum regnum animum adjicere, sibique Mauritaniam Tingitanam subjicere. Primum igitur omnium misit tres filios suos, Abdalam, Hametum & Mahometum, Mecham, ut visitarent sepulcrum Prophetæ. Tanta igitur cum religionis & sanctitatis opinione juvenes hi peregrinationem illam religiosam susceperunt, ut obvii Afri, aliique vestimenta eorum exoscularentur, sanctos eos homines vocantes. Hi simulatores rursum fingentes nescio quas profundas contemplationes, ingrediebantur cum suspiriis & lacrymis, nomen DEI subinde invocantes, neque ex alia re quam Eleemosynis victitantes. Excepit hos reduces pater incredibili cum gaudio, neve refrigesceret opinio sanctitatis, qua populum imbuerant, misit duos ex eis, Mahometum & Hametum Fezzam: ubi cum à Rege comiter excepti fuissent, alter eorum factus est professor Amoradahi, quod est collegium Vrbis ejus celeberrimum: minor vero fratrum adhibitus est institutioni Regalis filii. Cumque uterque officio suo præesset, ut pariter regi & populo placerent, intellecto damno, quo Arabes & Mauri sub signis regis Lusitani militantes paternam ditionem invadebant: petierunt à rege honestam missionem, ut signum militare erigentes contra Christianos bellum gerere possent, polliciti (quod & reipsa præstiterunt) se facile in partes suas pertracturos Arabas & Mauros, qui Portugallensium sequerentur castra: & hi quidem eo pacto securitatem præstiterunt provinciis, Susanæ, Hæensi, Ducalensi, Marrocanæ,

Digitized by Google

næ, aliisque, quas perpetuis injuriis afficiebant Lusitani.

Huic fratrum petitioni contradicebat acriter frater Regis Muley Nazzerus, asseverans fratres istos arrepta sub prætextu Religionis arma è manibus non facile deposituros, neque deinceps in potestate regis futuros, cum arma homines faciant audaces, victoria vero insolentes, accedente studio populi novarum rerum avidi. At vero Rex, qui multum tribuebat fratrum istorum sanctitati, leviter æstimabat eorum, qui talia afferebant, argumenta, porrexitq; ipse fratribus vexillum cum tympano æneo, prætereaque viginti equites qui eos deducerent, instructos litteris commendatitiis ad Dynastas & urbes Maurorum & Arabum. Concurrebat ingens hominum confluges ad novam hanc expeditionem, cum fratres isti Ducalensem peragrantes provinciam, usque ad Caput Aqueronium progressi fuissent, quot tunc ab Lusitanis obtinebatur: cum multos secum traxissent, sumta audacia, petierunt à populo, qui ductum fratrum sequebatur, ut quando ipsi pro Lege Mahometi arma sumsissent adversus Christianos, decimas Deo debitas sibi solverent, quod Darenses omnium primi se facturos polliciti sunt: quorum præjudicio factum est, ut facile consentirent iis provinciæ, Susana, Hæensis, Ducalensis & vicinæ.

Aucti ad hunc modum copiis, primum omnium occupaverunt Tedenestam, deinde Tesarotam victo acie Barriga, duce Lusitanorum percelebri, quo tamen in prælio frater natu major occubuit. Cumque blandis sermonibus obtinuissent, ut in Vrbem Marrocum admitterentur, sustulerunt Regem illum veneno, quo facto Hametus Xerifus se pro eo regem appellavit. Intulerant superhis Arabes Ducalenses & Xarquienses bellum Garbiensibus, quos Xerifus mira vafritie inter se commiserat, cum autem viderent, multos utrimque cadere, facta pace, negaverant Regi Fezzano potissimam tributi partem, pro omnibus quas pendere soliti fuerant opibus, sex duntaxat equos mittentes, & totidem camelos, strigosos quidem atque macilentos. Rex iratus misit ad eos, qui quintam partem prædæ ab hostibus quondam partæ peterent, una cum tributo, quod Rex Marrocanus solvere fuerat solitus, minatus atrocia quæque ni parerent.

Mortuo autem inter hæc Fezzano Rege, Hamedus filius ejus, qui discipulus fuerat minoris Xerifi, facta pace, confirmavit Hametum in possessione regni Marrocani, ita tamen, ut Fezzanum superiorem suum & dominum Feudi agnosceret. At Xerifi, quorum potentia & auctoritas quotidiana capiebat incrementa, cum tempus solvendi tributi affuit, nunciari jusserant regi: Legitimos Mahometi successores non obligari ad solvendum ulli mortalium tributum, affirmantes, plus juris sibi esse in Afros, quam Fezzano: qui si iis amicis in ea vicinia uti vellet, recte habere: si vero eos in bello adversus Christianos impediturus esset, sensurum, Xerifis neque animum neque vires deesse. Excanduit audito hoc responso Rex Fessanus, cumque fratribus sine mora bellum indixisset, profectus ipse est ad Marroci Vrbis obsidionem; verum prima hæc ejus expeditio irrita fuit. Reversus autem secunda vice cum XVIII. equitum millibus, victus fuit à Xerifis, qui in exercitu suo habebant non plures VII. millibus equitum & M.CC. peditibus. Hac victoria elatus Xerifus, imperavit toti provinciæ tributum, transitoque Atlante Monte cepit Tasiletum, magni momenti oppidum, unde partim vi adacti, partim persuasionibus in ejus obedientiam venerunt, qui Montana per Numidiæ regnum incolunt.

Cum anno A.N.C.MD.XXXVI. Xerifus junior, qui jam se regem Susanum appellabat, satis validum collegisset exercitum, instructus insuper magno tormentorum æneorum numero, quæ partim Fezzano Regi ademerat, partim ab Apostatis Christianis fusa acceperat, statuit tentare Caput Aquerinum, magni momenti munimentum, quod tunc Lusitani obtinebant, quique illum locum fortissimum reddiderant, primo sumptibus Lupi Sequeræ. Cujus loci opportunitate cognita Emanuel Lusitaniæ Rex eum amplius etiam muniverat. Hunc ergo locum cum Xerifus obsedisset, & ignem immisisset, territi præsidiarii à stationibus discesserunt, unde ingressi Mauri potiti sunt arce, & multos è Lusitanis vivos cepere. Hac victoria obtinuit Xerifus, ut totum illud Atlantis montis latus, cum universo regno Marrocano & Arabibus, qui Portugalliæ Regi fidelitatem juraverant, in suam venirent obedientiam: unde Iohannes III. Lusitaniæ Rex, cum videret fructum nequaquam respondere sumtibus, sponte deseruit oppida Safinum, Azamorium, Arzillam & Alcazarem, quæ in littore Africano obtinebat.

Causa fuit hæc tam inopinata prosperitas magnarum inter fratres discordiarum, quarum hic fuit eventus, ut junior reportatis duabus victoriis, majorem bello captum Taflileto oppido incluserit: deinde bello in Fessanum Regem converso, cum eum prima vice cepisset, liberumque dimisisset, denuo eo potitus, quod fidem datam fefellisset, & ipsum ejusque liberos privaverit vita, & occupaverit regnum. Et ad hunc quidem modum pervenit hoc Imperiū in manus hujus familiæ, quæ adhuc ibi rerum potitur: sed in tantę fortunæ mutatione, ut mirum sit, quo pacto in tantis vicissitudinibus consistere potuerit. Sed nunc, quo pacto singulæ provinciæ gubernentur, videamus.

Primum quidem in Provincia Hæensi vix audi- 26
ditur nomen justitiæ, præsertim inter monticolas, Viris Nobilibus vix aliquam Reipublicæ formam in oppidis conservantibus.

In Provincia Susana Telsienses olim fuerunt liberi, suisque usi legibus: Sed nostro ævo habet Rex Marrocanus in ea Archivum suum. Qui autē montana Provinciæ Marrocensis incolunt, ut & Guzulenses, non sua sponte obediunt Principibus, ut & in aliis multis partibus fit. Summa regis Curia est Marroci, ubi est Tribunal Iustitiæ. Porro in omnibus Provinciis & oppidis majoris momenti, certi constituti sunt Præfecti, quorum quæ sit conditio, in superioribus exposuimus.

Sed juvat primo de Regibus Fessanis eorumque 27
administratione dicere, qualis tunc fuerit, cum Regnum hoc à Marrocano separatum fuit, unde & de modo gubernationis, qui nostro tempore observatur in Aula hujus Principis, fieri poterit conjectura. Non invenimus autem quenquam ex Principibus hujus partis Africæ Electione populi ad regnum perveniſſe, neque Lex Mahometi quenquam legiti-

Digitized by Google

mum Principem appellari sinit, præterquam Pontifices. Imminuta autem horum Pontificum auctoritate, proceres eorum populorum, qui deserta Libyæ Africæque habitabant, vi & armis oppressis legibus & consuetudine Mahometana, ipsis Pontificibus opposuerunt diversos Principes, ut factum est in partibus Orientis ab Turcis & Tartaris eorumque vicinis, qui infirmioribus oppressis jugum dominationis suæ imposuerunt. Hoc pacto duæ familiæ Lontuna & Marina in Mauritania regnare cœperunt. Patet hinc Afrorum Principes non ea successione, quæ per Electionem fit, ad solium regium conscendere solere, sed unumquemque morti vicinum agere cum Optimatibus regni, uti sibi defuncto subrogent filium in imperio. At hi, etsi plerumque liberaliter pollicentur, contemto tamen juramenti fide, alii Diadema imponunt, à quo plus sperant emolumenti.

Igitur Rex Fezzanus, adeptus imperium, solebat quempiam è Nobilissimis regni magnum creare Consiliarium, eique assignare quartam partem proventuum regiorum. Post hanc legebat sibi Secretarium, qui & Præfectus Ærario erat, & Magistrum Aulæ. Proximi ab hoc erant Magistri Equitum, qui Custodiæ regii corporis destinati erant, & fere in agro commorabantur. Quæque civitas habebat suum Præfectum Vrbanum, qui fruebatur redditibus urbis, hac tamen lege, ut ipse aleret certum equitum numerum, qui ad quascunque belli occasiones præsto essent. Iis populis, qui montana incolebant, certi præerant Commissarii, ut & Arabibus, qui hujus regis agnoscebant imperium.

Hi jus dicebant, non ex legibus, sed consuetudine cujusque populi, & exigebant tributa regi debita, deque iis in computorum Camera rationem reddebant. Hinc legebantur quidam Barones, vel, ut Fezzani eos appellant, Gardiani, possidebantque singuli singulas arces cum uno vel duobus pagis, quorum fructus ipsi percipiebant, ut se suosque liberaliter inde alere possent, Regique ad militiam proficiscenti suam commodare operam. His veluti Castellanis dabatur, cum bellum non erat, sufficiens ab rege alimonia, frumentum, butyrum, salitæ carnes aliæque res, sed argenti parum admodum. Cum ad ministerium regis sunt, vestes insuper accipiunt, neque magnopere curam gerunt equorum rege suppeditante omnia, etiam equisones & stabularios, qui fere captivi Christiani sunt, compedes pedibus ferentes. Cum vero in belli expeditionem eundū est, Camelis imponuntur, qui cum impedimentis exercitum sequuntur. Est & Præfectus Camelorum, qui pascua pastoribus distribuit, curamque gerit Camelorum, qui usibus regiis destinati sunt.

Hunc in ordine sequebatur Præfectus Annonæ, cujus partes erant curare ut alimonia suppeteret tam Regi quam exercitui: hujus usibus inserviebant X. vel XII. prægrandia tentoria, quibus velut in horreis servabatur alimentum, afferentibus subpræfectis quotidie novam annonam Camelis impositam, ne quid deesset. Huic coqui & culinarii suberant.

Regii Stabuli Præfecti incumbebat cura equorum, mulorum & Camelorum, cui adjunctus erat alius, qui suppeditabat jumentis pabulum, suffecto ordeo & avena. Præfectus alius alæ equitum quinquaginta, quos celeres appellare possis, imperat magistratibus per urbes & oppida nomine regis judiciorum executiones & confiscationes. Est penes hunc etiam in magnæ auctoritatis viros animadvertere, compingere eos in carcerem, &, si rex jubeat, suppliciis afficere.

Cancellarius custodiebat sigillum regium, muniebatque eo diplomata & edicta. Præfectus satellitum, quorum ingens est numerus, semper adstat regi quoties exterorum Principum Legatos audit. Rege iter faciente, supellex ejus & tentoria mulis portantur: militum vero impedimenta Camelis. Exercitum præibant ducebantque certi quidam ductores, gnari viarum itinerumque; hi & vada monstrabant, quoties transeundum erat flumen aliquod. Tympanistarum magnus erat numerus, tympana percutientium facta ex ære, ab summa parte lata, & ab imo in acumen desinentia. Equis hæc de collo suspendunt, cum æquo pondere opposito, habeturque res omnium turpissima amittere tympanū. Percutiuntur autem non baculo, sed nervo durissimo, unde ingens cietur sonus, qui longissime exaudiri potest. Non aluntur illi impensis regis, sed coguntur Fessani cives eorum certum præstare numerum, quorum usus est non tantum in exercitu, sed & exequiis Regum.

In consiliis publicis assidebat ad pedes Regis Magister Ceremoniarum, qui Senatores jubebat dicere sententiam, ut ordo & dignitas eorum exigebat. Aula regis plena erat ancillis Æthiopici generis, qui curam gerebant cubiculi Reginæ: quanquam & multæ mulieres Christianæ ibi serviebant, Hispanæ fere sive Lusitanicæ, quas custodiebant Eunuchi atro colore tincti. Rege aliquò ab aula proficisci volente, Ceremoniarum Magister hoc significabat Cursoribus, & hi rursus agnatis regis, præfectis prætorianorum atque vigilum, aliisque, qui equo stipendia merent, ut omnes conveniant loco quodam extra palatium. Ibi progrediente rege instruunt cursores agmen, quo ordine quisque debeat incedere. Primi eunt, qui signa explicata ferunt; hos sequuntur tympanistæ, deinde Magister Ceremoniarum, Magister Stabuli, Præfectus Ærario, Secretarius Regius, Iudex & Dux exercitus. Hos omnes sequitur Rex, comitatus Magno Consiliario & uno alterove Principe.

Quidam è primis ministris præfert regi gladium, alius scutum, tertius arcum pharetramque. Currunt circa eum stipatores corporis, quorum unus fert bipennem regis, alius sellam regiam, qui simul ac pedem in terra posuit, apponitur ei sella, in qua consideat. Regem sequitur Præfectus satellitum, deinde Eunuchi, hinc cæteri domestici: postea equites leuis armaturæ, postremo sclopetarii & sagittarii.

Rege in castris versari volente, primum omnium erigitur ingens tentorium, quod linteis cingitur velut castellum aliquod muris suis.

Sunt hujus tentorii portæ sive aditus IV. constitutis ad singulas aliquot Eunuchis excubitoribus. Circum hoc sunt tensa Ministrorum regiorum tabernacula, & eorum qui frequentius circa Regem versantur. Extra has visuntur papiliones prætorianorum stipatorumque, è pellibus capratum, cujusmodi & Arabes habent. Paulo longius absunt tentoria

Digitized by Google

ria equitum utriusque armaturæ, quibus è penu regio suppeditatur victus. Equi regii in locis quibusdam contectis stabulantur: à quibus non longe spectantur muliones & custodes impedimentorum regiorum, & macella lanioruni. Separatim ab his habent mercatores & opifices suas tabernas, ut ita veluti urbis quædam species se oculis offerat, cui pro muro sunt tabernacula militum contiguo ductu inter se juncta, ne quis castra intrare possit nisi per portas. Circum tentorium Regis arctissimæ constituuntur custodiæ & stationes vigilum.

Idem fit circa stabulum regium: & tamen sæpe fit, ut stertentibus custodib. equi surripiantur, nec hoc duntaxat, sed & in ipsum Regis cubiculum irrepant insidiatores & Sicarii vitam ejus appetentes. Vix autem abit ullus annus, quin rex in campo castra habeat, cum ut regno suo præsidio sit, tum ut in fide & officio contineat vacillantes Arabes.

Et hæc quidem de Fezzani regis aula ejusque co-
28 mitivis dixisse sufficiat, videamus jam cætera. Cum panni Fezzæ vendantur quotannis prope infiniti, constitutum est eo nomine vectigal, & circiter LX. præcones, qui signatos approbatosque illos pannos magno clamore venditant. Pharmacopolæ peculiarem civitatis partem inhabitabant, quę utrimque muro cincta duas habebat portas, constitutis præterea eorum sumtu certis excubitoribus, qui tota nocte circuibant cum lucernis & canibus ad arcendos fures. Magistratus urbani, etsi non erant in magna auctoritate, dicebant tamen jus litigantibus. Ad Præfectum urbis pertinebat cognitio causarum tam Civilium quam Criminalium: ad Iudicem vero Vrbanum controversiæ super legibus Mahometi. Inferior Judex, qui ab hoc dependebat, ferebat sententiam in causis Matrimoniorum; audiebat testimonia & de causis pronunciabat. Aderat huic Advocatus, qui consulebatur in causis gravioribus, dabaturque ad hunc à judicibus provocatio, si male judicavissent. Ex pœnis multisque grandem pecuniæ vim cogebat Præfectus Vrbis, quanquam & gravius delinquentes fere flagris cæderentur, contusi ictibus aliquando C. aliquando CC. Hinc carnifex injiciebat collo funem; raptabatque facinorosum per totam urbem nudum, præter verenda, altaque voce proclamabat, quodnam admisisset flagitium. Percipiebat autem præfectus non à maleficis duntaxat, sed ab omnibus qui in carcerem concludebantur, certam pecuniam, pro qualitate delicti. Iudices qui ex Lege Mosis sententiam ferebant, nulla certa habebant stipendia, sed alebantur fere ex redditibus sacrarum Ædium, ut apud nos Sacerdotes & Clerici.

Procuratorum & Causidicorum in his locis magna erat ruditas & ignorantia. Eos qui alienum æs dissolvere non poterant, certo quodam carcere cohercebant Iudices, & alio eos, qui vel leviter deliquissent. Præfecti Vigilum in Vrbe erant IV. qui de nocte excubias obibant, nec alia his numerabatur merces, quam multæ, quas ab iis percipiebant, qui in plateis deprehensi fuissent. Omnib. erat licitum, tabernam sive popinam habere, & artem Leoniam exercere.

In ferenda sententia Præfectus Vrbanus neque Iudicum neque Notariorum opera utebatur, sed pronunciabat ex suo arbitrio, prout ipse volebat. Publicanus unus præ cæteris erat in civitate, qui locata habebat vectigalia, pendebatque singulis diebus Regi XXX. Ducatos, ipse vero constitutos habebat ad singulas portas Sycophantas suos cum scribis, qui merces quæ inferebantur, consignabant, ne quis posset intervertere telos. Sed & scribæ Notariive isti certum percipiebant precium ex omnibus quæ importabantur rebus, qui aliquando baiulis mulionibusque extra urbem obviam prodeuntes, scrutabantur eorum sarcinas: si quis quid occuluisset, duplex cogebatur solvere vectigal: eratque hoc tale, ut venditor de C. ducatorum precio duos numeraret publicano. De frumento tamen, ligno, bobus & volatilibus, ut & carne vervecina, quæ inferebatur, nullum solvebatur tributum. Vt autem justa rebus venalibus constarent precia, solebant XII. apparitores per urbem equitare, & examinare pondera panis atque carnium, earumque bonitatem, & aliarum rerum venalium.

Si pistores panem vel leviorem vel nequiorem fecissent, Agoranomus eos baculis flagrisque contundebat, ut parum abessent à lumbifragio. Et hoc quidem officium superiori seculo soli Nobiles sibi vendicabant: at nostro ævo viris prudentibus committitur, qui in magna probitatis sunt existimatione.

Est in urbe Fezza carcer tantæ amplitudinis, ut captivorum III. millia capere possit, neque dividitur in certa ergastula, cum moris apud Mauros non sit separatos habere carceres. Habes, Lector, ea, quæ de hoc regno ad nostram pervenere notitiam: nam quæ de Fezzano diximus, ea pleraque omnia observantur in regno Marrocano, ut non magna, præsertim nostro ævo, hic deprehendatur differentia.

Religio & cultus Maurorum.

Plerique omnes utriusque hujus regni incolæ 29
sunt Mahometistæ, præter mancipia, de quibus in fine hujus historiæ dicemus. Sunt autem inter ipsos Mahometistas plures sectæ, quarum unaquæque suos habet Antistites & Doctores, qui opiniones suas defendunt. Quidam enim non contenti simplicibus Alcorani verbis; ad altiorem sensum adscendunt, contradicentes multis; quæ in ea lege perscripta sunt. Cepit autem hæc secta circiter LXXX. annis post Mahometum, fuitque auctor ejus quidam nomine Elhesemnu Abilhasem, qui dogmata sua viva voce discipulis tradidit, nullis relictis scriptis. Centum annis post hunc alius quidam vir ad concitandas seditiones aptus, cui nomen erat Elharit Ibnu Esed, è Bagadeto urbe ortus, conscripsit librum, eumque discipulis suis tradidit. Verum Pontifices hæresin hanc repudiaverunt, omnesque eos, qui huic adhæsissent, impios in Legem Mahometi pronunciaverunt.

Octogesimo anno post vir quidam mirę versutiæ hoc dogma in lucem revocavit, qui & stipatus plurimis discipulis id publicis populo proposuit concionibus: quam ob rem à Pontificibus & Legistis ipse cum toto suo comitatu Capitis damnatus est. Intellecto hoc petit Doctor ille per litteras à Pontificibus, uti sibi liceret disputatione adversus Legis peritos doctrinam suam defendere, hac conditione, ut si victus

Digitized by Google

victus ipse fuisset, capitis afficeretur supplicio: si vero vicisset adversarios, ut ipsi mortis adirent periculum, ne circumventi tot homines calumniis perirēt. Intellecta petitionis æquitate, Pontifices consenserunt in ejus postulata. Cum ad disputationem ventum fuisset, nullo prope labore Doctor iste Legistas vicit, ut Magnus Muftius multis profusis lacrymis in ejus concesserit sententiam, cui sectæ adeo favit, ut aliquot erexerit Collegia pro iis, qui hujus erant opinionis. Duravit hæc secta annis circiter centum, donec Asius Malichsa, qui genus à Turcis ducebat, eam acriter persequi cœpit, ut multi ejus hæreseos assectæ Cayrum in Ægyptum fugerent, alii in Arabiam, nec ante decursum vigesimi anni persecutio illa finem invenit, usque ad regnum Caselhahi, qui nepos fuit Malichsæ: cujus Consiliarius nomine Nitam Elmula eam restituit atque denuo stabilivit, adjutus à quodam Elgazulo homine docto, qui ingens Volumen composuit in libros VII. divisum, quo pacem inter Legistas fecit hac lege, ut illi quidem salutarentur Doctores & Conservatores Legis Propheticæ: hi vero Reformatores ejusdem.

Duravit concordia illa, donec Bagadetum Tartari vastaverunt quod contigit anno Æræ Mahometicæ DC.LVI. neque tamen divisio illa novatoribus quicquam nocuit, cum omnis jam Asia & Africa illa doctrina repleta fuisset. Non recipiebantur inter sectatores hujus dogmatis nisi homines multę scientiæ, & in lege patria versatissimi, ut possent confutare contradicentes. Postea tamen & rudes inertesque recepti sunt, quod quidam dicerent, artibus scientiisque nihil opus esse, sed Spiritum Divinum docere eos, quibus cor à viciis purum esset: cui suæ sententiæ nescio quas infirmas rationes substruebant. Omissis igitur regulæ suæ præceptis, tam superfluis quam necessariis, non alias quam Legistæ in sacris suis officiis observabant ceremonias: in cæteris rebus indulgebant genio, agitantes convivia, cantantes & choreas ducentes, quod hæc omnia legibus suis permissa dicerent. Quidam inter eos lacerabant vestimenta sua, dum alii cantillabant, fingentesque nescio quos raptus, divino amore se plenos esse ita simulabant, vorantes interim singuli tantum ciborum, quantum tribus hominibus satiandis sufficeret. Quidam miscentes lacrymis varios clamores, prępositorum puerorum amorem non diffitebantur, exercentes hæc insaniæ genera potissimum, cum à Nobilibus Viris ad convivia invitati fuerunt. Vnde hoc Pæderastias vicium Fezzæ vulgo vocatur Convivium Peregrinantium; per peregrinantes autem intelliguntur destituti uxoribus.

Habent insuper Sectæ quædam Mahometicæ absurdas opiniones, quas cæteri omnes pro Hæreticis habent, & communi fidei adversantes, qualis hæc est: posse hominem beneficio bonorum operum induere naturam plane divinam & Angelicam, si crebro jejunet & à voluptatib. abstineat: jejuniis enim cor hominis & intellectum purum effici, ut amplius peccare non possit, etiamsi inclinatio ad vicia adsit: necesse autem esse, ut prius quinquaginta gradus Disciplinæ superet: quibus evictis delicta ejus apud Deum ne peccatorum quidem habere rationem. Sic ab austera & continente vita orsi, postremo in delitias moresque dissolutos desierunt.

Aliam regulam non minus strictam acerbamque habent Mahometistæ, cujus auctor fuit Esseravardus, oriundus ex Corasana provincia Persidos. Ibnud Farid omnem suam doctrinam elegantibus versibus complexus est, quos, cum sint Allegoriarum pleni, si leviter inspicias, de rebus amatoriis tractare putabis. Tam præstans fuit hic Poeta, ut sectatores ejus in festis conviviisq; non alios canant quam hos versus, quod intra proximos CCCC. ann. nemo mortalium eo disertior fuisse putetur. Continetur illis carminibus, Cœlum, Elementa, Planetas cæterasque stellas, hęc omnia junctim unius Dei nomine capi oportere, neq; ullam Religionem erroneam dici debere, quod homines id quod adorant, certo pro Deo habeant, qui adorari mereatur: dicentes præterea, quendam suæ sectæ hominem, nomine Elcobum præ omnibus mortalibus ad summum Divinæ scientiæ culmen adscendisse, Deoque parem factum fuisse. Sunt inter hos quadraginta viri, qui vulgo Elauredi, id est, Trunci vocantur, quod è vili plebe orti sint parumque scientes. Ex his ajunt quendam Elcobo mortuo successisse, electum sorte à LXX. senioribus. Ex his LXX. si quem mori contingat, ex DCCLXV. Viris, alius ei sufficitur. Vult lex eorum, ut incogniti per Orbem vagentur, simulantes se vel fatuos vel facinorosos, unoe in tantam proruunt turpitudinem, ut cum mulieribus publice congrediantur, instar brutorum: interim tamen à rudi plebecula pro sanctis hominibus habentur.

Sed nunc, si placet, videamus, quis primus Mahometi impietatem in Mauritaniam Numidiamque introduxerit.

Igitur Omar, dux militum Ottomanni, cum Ægyptum sibi subegisset, introduxit secum superstitionem Mahometanam, ann. A.N.C. DC.XXXVII. Idem postea in Africā perrexit cum exercitu LXXX. millium hominum, ibique devicto Gregorio Patricio, ejecit in perpetuum tota Romanos Africa, & præsidia Apsimari & Leonis Imperatorum, unde tota Mauritania Mahometistæ potiti sunt. Accidere hæc anno A.N.C. DCXCIX. Hanc tamen infelicitatem multis auxerunt Arabes, tam bello & armis, quam conversatione & prædicatione propagantes Mahometismum. Multum horum conatus juvit, quod magna Afrorum, Vandalorum & Gothorum pars infecta erat hæresi Arriana. At Arabes cum doctrina etiam litteras suas Afros docuerunt, erectis Collegiis studentium, & assignatis certis proventibus ad excitandas immensas structuras Marroci & Fessæ. Plurimum tamen fecit ad rem victoria Miramolini de Afris, à cujus temporibus Mauritania Mahometi dogma conservavit.

Sunt in hoc Imperio etiam Judæi, qui cum vehementer aucti fuissent in Hispania, trajecerunt paulatim in Africam, inprimis Aurifices: hoc enim artificium prohibetur Lege Mahometi. Judæis vero id exercere licitum erat. Ajunt quidam Edevetum oppidum provinciæ Marrocensis habitatum fuisse à Judæis è familia Davidis ortis, qui tamen deinde fere omnes in Mahometi delria concesserunt.

Multo autem magis auctus est Judæorum numerus in Africa, postquam Ferdinandus Hispanorum rex, cognomento Catholicus, & Emmanuel Lusitanus eos suis ejecere regnis: tunc enim incredibilis multitudo in hæc duo regna migravit, introductis secum artibus & exercitiis Europæorum, quæ Barbaris

Digitized by Google

baris istis antea ignota fuerant. Videas adhuc integras plateas ludæis plenas in oppidis Beli ; Fezza, Elmedina & Semegessa.

Qui Christiani in utroque hoc regno commorantur (exceptis iis locis quæ in Lusitanorum sunt potestate) prope omnes servitutem serviunt, estque ingens eorum numerus ultra quam credi possit. Miserrima profecto est horum conditio, accedente ad calamitates corporum etiam periculo salutis animæ, ne seducantur à Barbaris. Neque enim diem tantum in perpetuis transigunt laboribus, sed & bonam noctis partem, oppressi oneribus & flagrorum ictibus. Majorautem jure dici apud nos potest jumentorum felicitas, quam miserorum illorum hominum inter lupos istos : onusti enim catenis ferreis verberantur fustibus è nervis bubulis durissimis, & perticis unde circuli doliorum conficiuntur: deliquium animi passi, ferventis olei & ardentis laridi guttis conspergunter, destituti interim divini verbi concionibus & solatiis animi Sacramentisq; Ecclesiæ Christianæ, unde facile colligi potest, in quanto sint periculo Apostasias, si videant eos qui à Christianismo defecerunt, omnibus affluere voluptatibus. Duæ tamen res aliquam iis adspergunt consolationem in tantis istis calamitatibus: primo quod quidam Sacerdotes pariter ac cæteri captivi inter ergastula illa versantur, qui verbum divinum annunciant & Sacramenta conferunt, quantum quidem licet : deinde, quod quidam Religiosorum hominum omnes suas facultates in eos liberandos impendere soleant. Digna autem in hoc genere omni laude est Hispania, in qua duo sunt Religiosorum ordines, instituti ad eximendos misera servitute captivos, Prior in Arragonia frequens est, nominaturq; de Mercede; alter, qui multo opulentior est, dicitur expresse Ordo Redemtionis captivorum. Conferunt hi duo Ordines singulis annis magnam vim auri, quo plurimos captivos redimunt. Mittunt hi Redemtores certos quotannis homines Fessam, Marocum & Argeriam, qui magna fide industriaque in hoc versati officio, primo ordinis Ecclesiastici viros redimunt, deinde cæteros, facto initio ab iis, qui Hispani regis subsunt dominio. Est autem Fezzæ sacerdos quidam, qui diligenter observat necessitates captivorum Christianorum, ut facilior sit eorum postea redemtio. Et sane hæc res propius tangit Hispanos quam ullam aliam nationem, cum plures hic ex ea natione serviant, quam ex omnibus cæteris Orbis Christiani provinciis.

Vltimum quod hoc loco dici debet, est, quod Mauri in Regnis Marrocano & Fezzano multum differant in capitibus delirii Mahometici à sententia Turcarum, inter quæ hoc quoque est, quod Mauri Caliphæ Bagadeti caput suum agnoscunt in rebus cultum divinum spectantibus : Turcæ ei, qui Cayri in Ægypto residet, præstent obedientiam.

CATALOGVS REGVM MARROcanorum & Fezzanorum.

31 In serie Horum Regum investiganda varia oboritur difficultas. Interruptæ hoc faciunt & toties lanienis variis turbatæ dynastiæ. Hinc multorum nomina non habemus ; quanquam non dubitandum sit Fezzæ inter doctos reperiri posse. Modo esset qui acquireret. Quanquam nihil nocet ipsi Archontologiæ in tenebris jacere, aut à nobis nomina Barbara in hoc, ut & in aliis Regnis, ignorari. Vetustissima mihi videntur trium Regum nomina,

Bocchi
Bogi
Iuba

Quorum illi tempore Sullæ & Marii Romanorum ex historiis notorum regnavere ; hic tertius secundum Strabonem successit, & victus est à C. Julio Cæsare. Hujus filium Augustus plurimum dilexit, ex quo natus *Ptolemæus*, si Plinio credimus. Posteà Regnum in provinciam redactũ sub nomine Mauritaniæ Tingitanæ, usque ad tempora Valentiniani III. sive annum Christi nati CDXXVII. quo cessit Vandalis. Ex his Reges

GENSERICVS
HONORICVS
GVNDAMVNDVS
TRASIMVNDVS
HILDERICVS

In his oris Imperium tenuere ; priores quatuor Ariani, Catholicis mirum in modum infesti ; ultimus Orthodoxus, sub quo Africa rediit ad Romanos auspiciis Iustiniani, virtute Belisarii, anno DXXXIV. Sic stetit usq; ad annum DC.XL. ubi incidit in manus Arabum. Inter hujus generis Reges excelluit

Mansor (sive *Almansor*)

Qui præter Mauritaniam hanc etiam possedit Granatam, Murciam & Valentiam in Hispaniis. Huic successit

Mahomet Evasir.

Qui ingenti clade à Christianis perculsus in Regno Valentiæ profugit Marrocum. Ab eo tempore res Maurorum non in Europa solum sed & in Africa retro lapsæ sunt. Posteà Caliphæ aliquot dominati sunt & Reges partim Arabes, partim alii exteri, populos sibi subjugantes. Quibus tandem de medio sublatis, teste Iac. Aug. Thuano, exterorum Imperii pertæsus Almohavidarum sive Lamptunniorum Princeps circa annum Christi M.LI. administrationem rerum suscepit, sedemq; Imperii sui fixit Agmeti, dictus

ABVL TEXIFIVS.

Successit Filius

IOSEPHVS

Qui regnavit annos XXXV. & urbem à patre inchoatam continuavit, Tremisenum insuper, Fessanum ac Tunetanum Regna subegit ; multas civitates cepit in Hispania, ac tota fere Bætica est potitus. Hujus filius

HALIS

Ab Alphonso VII. Hisp. Rege in Bætica victus & magna strage accepta est occisus cum septennium regnasset. Post Halim filius

ABRAHAM

Successit, sed ab homine vili natione Barbaro, qui se *Elmuahedinum* appellari volebat victus & profugus se cum uxore præcipitavit & occidit. Victoriæ fructum percepit, Abdala paulo post defuncto, & Isaaco Abrahami F. in oppido Marroco capto & jugulato

AB EL-

Digitized by Google

ABELMVMEN

Qui Imperium hic firmavit & produxit Tripolin usque. Secuti sunt

IOSIPPVS
IACOB MANSOR
MAHVMETES EVASER

Etiam à suis dictus *Miramolinus*. Hi tres in Hispania & Africa longe lateque sunt dominati. Hic vero ab Alphonso X. Castellæ R. ex Hispania est profligatus anno M.CC. Decedens numerosam reliquit sobolem, quæ Maurorum Imperio & suæ genti fuit exitio: nam omnes ejus liberi mutuis cædibus se confecerunt. Qua occasione Regnum occupavit

GAMARAZANVS

Oriundus ex Regibus Tremesensibus. Fessæ autem rerum potitus est

ABDVLACVS

Ex familia Merina circa annum MCCX. Hæc familia multos postea dedit Reges usque ad ultimum ejusdem etiam nominis

ABDVLACVM,

Quem occidit

SCIRIFIVS

Hunc profligavit

SAIDVS

Ex familia *Oatazenorum* anno M.CD.LXXXI. Quem secuti sunt multi

OATAZENI

Sed cum sub his Africæ regna, eorumq; provinciæ & urbes à præfectis deficientibus occuparentur & miserè dilacerarentur, rursus novum his extinctis imperium erexere

SCIRIFII

Alias *Serifi* dicti, quorum familia adhucdum regnum obtinet. Horum nomina jam nobis non sunt in promptu. Curiosus alibi fortè inveniet.

32 Multa adhuc dici possent ad Archontologiam Africæ spectantia, cum alia etiamnum sint in Numidiæ, Libyæq; desertis spatiosissimis reguli apud populos *Zanhagæ*, Quensigæ, Tangæ, Lemtæ, Berdoæ, Gnargalę, Nun, Tegazæ, Augelæ, Alguecheti, Gualatæ, Guineæ, Tumbuti, Gagi, Guberis, Agadis, Cano, Zegzegæ, Cassenæ, Gnangaræ, Borni, Gaogæ, Nubiæ &c. Verum, cum partim destituamur ampla historia Dynastias earumque formas describente, partim Nomadum instar Cyclopicam potius multi illorum vivant vitam quam sanæ alicujus Reipublicæ (quod etiam dolendum est aliis adhuc quibusdam in Asia, & America, accidere gentibus) contenti erimus enumeratione præcipuorum toto orbe nostrorum statuum. De istis qui pleniorem desiderat institutionem legat Iohannem Leonem Africanum, qui curiositati satisfaciet; aut ipse eat exploratum illa, quæ contingunt inter crudeles Anthropophagos latrones, & quibus inter Leonum solitudines pectus adamantinum non Natura dedit sed ejus miserandus abusus permisit. Quanquam non nego potuisse aliquot hoc secundo libro adjici titulos cum rebus memoratu dignis, si tempus ocium nobis hac vice indulsisset, atque libri hujus moles, antequam Lectori fieret molesta, largiri velle nobis fuisset visa.

¶ Hic *Terminus* noster est, Amice Lector. Quamvis autem ejus limites (si non dimovere & dilatare) saltem intra suum complexum uberiores & fœcundiores reddere potuissemus, isthac tamen vice noluimus, ut tabularum Chalcographicarum compagi suum relinqueretur spatium. Alias onustum valde esset volumen, & multis ingratum. Perlustravimus cognitos totius Orbis angulos in Europa, Asia, Africa & America. Et hujus quartæ quidem partis, in descriptione rerum Hispanicarum & Belgicarum, cum Iberus & Batavus ferè soli hucusque sint, qui eas continue invisunt oras, adeo ut rationes reddant Status Antipodum. Non enim Americanis indigenis, sed Europæis & quidem istis, acceptum ferendum est, quod aliquid habeamus pro calamo de illorum Archontologia. Absque his esset, tota illa pars Nobis in tenebris jaceret, & pro Non-Ente haberetur. Proculdubio adhuc restant, si non extra tamen intra sinum harum Orbis partium plura, quæ nostram hucusque fugiunt cognitionem. Infra in Epidromo, ad calcem operis paucula quædam de hac quæstione annotatum ibimus. Interim ad Terminum Archontologiæ specialis Modernæ stantes ex opposito Freti Herculei ad oram Maris utriusque & Mediterranei & vasti Oceani, ab alta quasi specula parum circumspiciamus intuiti omnia, quæ diximus libris duobus. Usum non unum duntaxat inde reportabimus sed multiplicem. Primum occurrit *τὸ Admirari*. Quis enim tam vecors esset, qui non attonitus extra se raperetur in tanta rerum obviarum copia, & varietate? utilitate vel noxa? bonitate vel malitia? sympathia vel antipathia? Inprimis si aspiciat inter tot contraria hominum studia, ritus, mores & consuetudines, Dei Ter Optimi Maximi partim misericordias partim judicia. Venusini illius Poëtæ quidem monitum est nonnullius precii, cum ita canit:

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere & servare beatum:

sed de aulico solum splendore, & consimilibus ineptiis, quas vulgus non tantum exosculatur & adorat, deque leviculis & inopinatis casibus, doloris & tristitiæ, vel voluptatis & gaudii materie, loqui manifestum est. Nempe inculcat verbum Senecæ: *Levi momentum in rebus adventitiis est*, & quod in neutram partem magnas vires habeat. Nec secunda sapientem evehunt nec adversa demittunt. Illis gravis fortuna est, quibus repentina. Facile eam sustinere potest, qui semper expectat. Neminem adversa comminuit nisi quem secunda decepit. Itaque ego in illis, quæ omnes exoptant, existimavi nihil veri boni inesse, cum inania & specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intus nihil habentia fronti simile. Nam etiam in illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio, quam opinio vulgi minabatur &c. Emetiamur quascunque terras, nullum inventuri solum intra mundum quod alienum homini est. Vndecunque ex æquo ad cœlum erigitur acies; paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis distant. *Angustus animus est, quem terrena delectant*. Et quæ plura in hunc modum sapientissimè dicit ad Albinam suam. Circa nostra autem Lyrici illud non obtinebit. Hic admiratio est mater disciplinæ, & sapientiæ. Testis sit ipse Aristoteles in Metaphys. ita statuens: Propter admirationem homines

&

Digitized by Google

& nunc & olim inceperunt philosophari. Cui Plato in Thæteto adstipulatur. Excellentium ingeniorum indicina est, quib. triste accidit causas rerum ignorare. Ideo torpore excusso nihil præstantius habent quam per viam indagationis penetrare in earúdem abdita principia. Et quo plus acquirunt scientiæ eo magis admirantur. Recta via incedentem hominem intelligo. Ascendit is enim in omni admirandæ pulchritudinis atque admirationis pulcherrimæ montem, qui est supremus omnium Motor, DEVM; qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ibi invenit simul admirandæ quietis & quietæ admirationis à Deo exeuntis fontem; qui est supremus sapientiæ veræ fructus, VIRTVTEM; quæ est *fides, spes, & Charitas*. In hoc salutis apice constitutus facile pertingit ad *τὸ nihil admirari*, nimirum reliquorum. Cardanus in subtilitatibus suis lib. 17. alias inter admiratione dignà, quæ recenset, primum locum attribuit *Pyxidi nauticæ*, secundum *Tormentis bellicis*: tertium *Typographiæ* librariæ. His enim tribus totam antiquitatem nihil par habuisse facile concederem. Pictura, etiam, sculptura & Plastice non contemnenda est artium triga quoad subtilitatem, teste eodẽ. Verum non accedit ad illam sacram duplicem admirationis Trigam, Dei & Virtutis, ante memoratam. Nonnemo certare asserit automata cum illis Cardani Mirabilibus, inprimis globi Archimedæi & perpetui mobilis, de cujus inventione Cornelius Drebbelius gloriabatur ad Regem Angliæ Epistola quam alibi legere poteris. Automatum autem omnium admiratione dignissimum est ipse Orbis superior & inferior, cujus virtutes semper moventur, nunquam quiescunt. Circumrotando, exoriendo, germinando, flando, crescendo, decrescendo, aliisque plurimis modis & suam Naturam & nostrum intellectum exercent creaturæ. Quis omnia fando prosequeretur? Summa: A se ad autorem nos cuncta manuducunt juxta illud Philonis in libri Sapientiæ c. 13. *Speciei generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Hinc pietatem oriri diximus in Prodromi parte prima sub titulis Archontologiæ Vniversalis sive Generalis. Deinde succedit *το Suspirare*. Quis enim non contristetur ex lectione tot horrendorum scelerum, impudicarum prostitutionum & libidinum; furtorum, latrociniorum, aliorumque casuum, quibus tot filii Adami, nefariè vel directè prævaricantur contra DEVM vel indirectè in eundem impingunt, dum contra proximum vel contra semetipsos peccant? Quis non obstupescat ob tam prodigiosam multorum Cyclopum, Centaurorum & Harpyiarum inter homines suis affectibus indulgendi licentiam? Quis non deploret tantas tenebras plusquam Ægyptiacas & manibus palpabiles, in quibus tot audimus mortales adhucdum versari, & sibi nihilominus placere? Quis non detestetur tam monstrosas miserorum homuncionum opiniones, ut vel ipsi Diabolo thus incendant, imagines collocent, sacrificia offerant, preculas demurmurent, saltem ne noceat? Quasi vero absolutus ille ad nocendum vel non nocendum sit janitor. Quis Tyrannorum atrocem superbiam, qua intumescunt & pios persequuntur, non execretur? Quis tot projectas mentis impotentias ad pollucta Bachii, & ventris Cerealia, ob quæ fit ut multos vel tenue aliquot paximaciorum lucellum ad extrema flagitia concitet, lacrymis non prosequatur? Imo propter hæc ipsa, quis hunc Mundum inferiorem revera Diaboli (qui idcirco *Princeps Mundi* rectè appellatur) esse palatium & stadiodromum non suspicaretur? Quis hinc, si posset, quantocyus cum Monica sursum avolare cunctetur? Nempe omnia hæc fructus sunt gemini primæ inobedientiæ & lapsus nostri in Paradiso, teste Mose. Inde dolor istel Hic latet anguis in herba! Admiratus Syracides etiam in hoc parte stat & obstupefactus quasi exclamat: *O Improba cogitatio, unde devoluta es quæ tegeres aridam fraudulentia?* Cui respondetur alibi: *Per unum hominem peccatum introiit in Mundum ac per peccatum Mors* &c.

Tertio sequitur *τὸ Ridere*. Leviculum hoc videri posset. Sed si tam leve esset, cur ipse Magnus Turcorum Imperator tot Moriones Risus ciendi Magistros alit, qui mille dolos excogitant, ut hunc delectationis affectum longe profligata Melancholia suscitent in Principe? Tam philosophus erat Democritus qui ad quemvis ferè pedis motum, vel mota cillæ saltum ridebat, quam Heraclitus qui ad eadem & omnia sublunaria lacrymas fundebat? Et tamen hujus lacrymatoris risum movens asinus dum carduos carperet, ei proverbio huc bene quadrantì ansam præbebat: *Digna labris lactuca*. Nimirum ridere nobis idem hoc in loco est, quod *contemnere*. Quis enim tot vanitates, & tot næmias, tot ineptias, tot magna consilia & grandia molimina *De nihilo* & ob *Res nihili*, rixas & bella de *tantillo*; imo tot stultitias, quibus se tam Nobilis Creatura, Homo, contaminat & mancipium sistit, non exsibilet? cum videt, in meros non diffluat cachinnos? cum ipse exercet, in sui ipsius contemptum & vindictam de sua stoliditate sumendam non deflectat? Profecto nisi ipsum risum derideamus, malè adhucdum nobiscum agitur. Nam risus stolidi est ut crepitus spicarum sub olla; & cor sapientis est in loco luctus, animus autem stolidi est in domo lætitiæ. Ideo *de risu dico, insanus est; & de lætitia, ecquid ista facit?* Eccl. 2. Impiorum risus est Sardonius. Hic solus bonus est, quem suscitat cor amore cœli repletum intra cancellos moderatæ & licitæ recreationis, conjunctus cum contemptu Mundi nobis mandato. 1. Ioh. 2. *Ne diligatis mundum, nec quicquam quod est in eo; qui enim diligit mundum, Charitas Patris non est in eo* &c.

Est enim magna Apostasia, Idololatriæ subtilis species, à Creatore ad Creaturam deficere; & propter hanc illius leges transgredi: crepundia & imagines rerum exteriores deperire, & Archetypum seu Architectum ipsum deserere. Hoc qui observat quis non effusè præposterum irrideat multorum in agendo, amando, repudiando, colendo hæc aut illa, ordinem? Et tamen historia nostra recitata toties exempla talium Magni Orbis Morionum proponit.

Quartus usus suppeditat *τὸ Cavere*. Ecquis enim sibi non caveat à tam noxiis & venenatis, non dico serpentibus, tarantulis, stellionibus, Crocodilis, aliisque truculentis bestiis, sed hominibus, seu potius ipsorum vitiis? Cum tot deceptores, proditores, sicarii, & omnis generis nequam homines ubivis reperiantur, nec hospes ab hospite sit tutus? Inter tot Pseudoprophetas, Divinos, Magos, Sortilegos, Phœbades &c. in mera avia & hispida errorum senticeta animos

Digitized by Google

ABELMVMEN

Qui Imperium hic firmavit & produxit Tripolin usque. Secuti sunt

IOSIPPVS
IACOB MANSOR
MAHVMETES EVASER

Etiam à suis dictus *Miramolinus*. Hi tres in Hispania & Africa longe lateque sunt dominati. Hic vero ab Alphonso X. Castellæ R. ex Hispania est profligatus anno M.CC. Decedens numerosam reliquit sobolem, quæ Maurorum Imperio & suæ genti fuit exitio: nam omnes ejus liberi mutuis cædibus se confecerunt. Qua occasione Regnum occupavit

GAMARAZANVS

Oriundus ex Regibus Tremesensibus. Fessæ autem rerum potitus est

ABDVLACVS

Ex familia Merina circa annum MCCX. Hæc familia multos postea dedit Reges usque ad ultimum ejusdem etiam nominis

ABDVLACVM,

Quem occidit

SCIRIFIVS

Hunc profligavit

SAIDVS

Ex familia *Oatazenorum* anno M.CD.LXXXI. Quem secuti sunt multi

OATAZENI

Sed cum sub his Africæ regna, eorumq; provinciæ & urbes à præfectis deficientibus occuparentur & miserè dilacerarentur, rursus novum his extinctis imperium erexere

SCIRIFII

Alias *Serifi* dicti, quorum familia adhucdum regnum obtinet. Horum nomina jam nobis non sunt in promptu. Curiosus alibi fortè inveniet.

32 Multa adhuc dici possent ad Archontologiam Africæ spectantia, cum alia etiamnum sint in Numidiæ, Libyæq; desertis spatiosissimis reguli apud populos *Zanhagæ*, Quensigæ, Tangæ, Lemtæ, Berdoæ, Gnargalę, Nun, Tegazæ, Augelæ, Alguecheti, Gualatæ, Guineæ, Tumbuti, Gagi, Guberis, Agadis, Cano, Zegzegæ, Cassenæ, Gnangaræ, Borni, Gaogæ, Nubiæ &c. Verum, cum partim destituamur ampla historia Dynastias earumque formas describente, partim Nomadum instar Cyclopicam potius multi illorum vivant vitam quam sanæ alicujus Reipublicæ (quod etiam dolendum est aliis adhuc quibusdam in Asia, & America, accidere gentibus) contenti erimus enumeratione præcipuorum toto orbe notorum statuum. De istis qui pleniorem desiderat institutionem legat Iohannem Leonem Africanum, qui curiositati satisfaciet; aut ipse eat exploratum illa, quæ contingunt inter crudeles Anthropophagos latrones, & quibus inter Leonum solitudines pectus adamantinum non Natura dedit sed ejus miserandus abusus permisit. Quanquam non nego potuisse aliquot hoc secundo libro adjici titulos cum rebus memoratu dignis, si tempus ocium nobis hac vice indulsisset, atque libri hujus moles, antequam Lectori fieret molesta, largiri velle nobis fuisset visa.

¶ Hic *Terminus* noster est, Amice Lector. Quamvis autem ejus limites (si non dimovere & dilatare) saltem intra suum complexum uberiores & fœcundiores reddere potuissemus, isthac tamen vice noluimus, ut tabularum Chalcographicarum compagi suum relinqueretur spatium. Alias onustum valde esset volumen, & multis ingratum. Perlustravimus cognitos totius Orbis angulos in Europa, Asia, Africa & America. Et hujus quartæ quidem partis, in descriptione rerum Hispanicarum & Belgicarum, cum Iberus & Batavus ferè soli hucusque sint, qui eas continue invisunt oras, adeo ut rationes reddant Status Antipodum. Non enim Americanis indigenis, sed Europæis & quidem istis, acceptum ferendum est, quod aliquid habeamus pro calamo de illorum Archontologia. Absque his esset, tota illa pars Nobis in tenebris jaceret, & pro Non-Ente haberetur. Proculdubio adhuc restant, si non extra tamen intra sinum harum Orbis partium plura, quæ nostram hucusque fugiunt cognitionem. Infra in Epidromo, ad calcem operis paucula quædam de hac quæstione annotatum ibimus. Interim ad Terminum Archontologiæ specialis Modernæ stantes ex opposito Freti Herculei ad oram Maris utriusque & Mediterranei & vasti Oceani, ab alta quasi specula parum circumspiciamus intuiti omnia, quæ diximus libris duobus. Usum non unum duntaxat inde reportabimus sed multiplicem. Primum occurrit τὸ *Admirari*. Quis enim tam væcors esset, qui non attonitus extra se raperetur in tanta rerum obviarum copia, & varietate? utilitate vel noxa? bonitate vel malitia? sympathia vel antipathia? Inprimis si aspiciat inter tot contraria hominum studia, ritus, mores & consuetudines, Dei Ter Optimi Maximi partim misericordias partim judicia. Venusini illius Poëtæ quidem monitum est nonnullius precii, cum ita canit:

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere & servare beatum:

sed de aulico solum splendore, & consimilibus ineptiis, quas vulgus non tantum exosculatur & adorat, deque leviculis & inopinatis casibus, doloris & tristitiæ, vel voluptatis & gaudii materie, loqui manifestum est. Nempe inculcat verbum Senecæ: *Levi momentum in rebus adventitiis est*, & quod in neutram partem magnas vires habeat. Nec secunda sapientem evehunt nec adversa demittunt. Illis gravis fortuna est, quibus repentina. Facile eam sustinere potest, qui semper expectat. Neminem adversa comminuit nisi quem secunda decepit. Itaque ego in illis, quæ omnes exoptant, existimavi nihil veri bŏni inesse, cum inania & specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intus nihil habentia fronti simile. Nam etiam in illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio, quam opinio vulgi minabatur &c. Emetiamur quascunque terras, nullum inventuri solum intra mundum quod alienum homini est. Undecunque ex æquo ad cœlum erigitur acies; paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis distant. *Angustus animus est, quem terrena delectant*. Et quæ plura in hunc modum sapientissimè dicit ad Albinam suam. Circa nostra autem Lyrici illud non obtinebit. Hic admiratio est mater disciplinæ, & sapientiæ. Testis sit ipse Aristoteles in Metaphys. ita statuens: Propter admirationem homines

&

Digitized by Google

& nunc & olim inceperunt philosophari. Cui Plato in Thæteto adstipulatur. Excellentium ingeniorum indicina est, quib. triste accidit causas rerum ignorare. Ideo torpore excusso nihil præstantius habent quam per viam indagationis penetrare in earūdem abdita principia. Et quo plus acquirunt scientiæ eo magis admirantur. Recta via incedentem hominem intelligo. Ascendit is enim in omni admirandæ pulchritudinis atque admirationis pulcherrimæ montem, qui est supremus omnium Motor, DEVM; qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ibi invenit simul admirandæ quietis & quietæ admirationis à Deo exeuntis fontem; qui est supremus sapientiæ veræ fructus, VIRTVTEM; quæ est *fides*, *spes*, & *Charitas*. In hoc salutis apice constitutus facile pertingit ad *τὸ nihil admirari*, nimirum reliquorum. Cardanus in subtilitatibus suis lib. 17. aliàs inter admiratione dignà, quæ recenset, primum locum attribuit *Pyxidi nauticæ*, secundum *Tormentis bellicis*: tertium *Typographiæ* librariæ. His enim tribus totam antiquitatem nihil par habuisse facile concederem. Pictura, etiam, sculptura & Plastice non contemnenda est artium triga quoad subtilitatem, teste eodē. Verum non accedit ad illam sacram duplicem admirationis Trigam, Dei & Virtutis, ante memoratam. Nonnemo certare asserit automata cum illis Cardani Mirabilibus, inprimis globi Archimedæi & perpetui mobilis, de cujus inventione Cornelius Drebbelius gloriabatur ad Regem Angliæ Epistola quam alibi legere poteris. Automatum autem omnium admiratione dignissimum est ipse Orbis superior & inferior, cujus virtutes semper moventur, nunquam quiescunt. Circumrotando, exoriendo, germinando, flando, crescendo, decrescendo, aliisque plurimis modis & suam Naturam & nostrum intellectum exercent creaturæ. Quis omnia fando prosequeretur? Summa: A se ad autorem nos cuncta manuducunt juxta illud Philonis in libri Sapientiæ c. 13. *Speciei generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Hinc pietatem oriri diximus in Prodromi parte prima sub titulis Archontologiæ Vniversalis sive Generalis. Deinde succedit *το Suspirare*. Quis enim non contristetur ex lectione tot horrendorum scelerum, impudicarum prostitutionum & libidinum; furtorum, latrociniorum, aliorumque casuum, quibus tot filii Adami, nefariè vel directè prævaricantur contra DEVM vel indirectè in eundem impingunt, dum contra proximum vel contra semetipsos peccant? Quis non obstupescat ob tam prodigiosam multorum Cyclopum, Centaurorum & Harpyiarum inter homines suis affectibus indulgendi licentiam? Quis non deploret tantas tenebras plusquam Ægyptiacas & manibus palpabiles, in quibus tot audimus mortales adhucdum versari, & sibi nihilominus placere? Quis non detestetur tam monstrosas miserorum homuncionum opiniones, ut vel ipsi Diabolo thus incendant, imagines collocent, sactificia offerant, preculas demurmurent, saltem ne noceat? Quasi verò absolutus ille ad nocendum vel non nocendum sit janitor. Quis Tyrannorum atrocem superbiam, qua intumescunt & pios persequuntur, non execretur? Quis tot projectas mentis impotentias ad pollucta Bachi, & ventris Cerealia, ob quæ fit ut multos vel tenue aliquot paximaciorum lucellum ad extrema flagitia concitet, lacrymis non prosequatur? Imo propter hæc ipsa, quis hunc Mundum inferiorem revera Diaboli (qui idcirco *Princeps Mundi* rectè appellatur) esse palatium & stadiodromum non suspicaretur? Quis hinc, si posset, quantocyus cum Monica sursum avolare cunctetur? Nempe omnia hæc fructus sunt gemini primæ inobedientiæ & lapsus nostri in Paradiso, teste Mose. Inde dolor istel Hic latet anguis in herba! Admiratus Syracides etiam in hoc parte stat & obstupefactus quasi exclamat: *O Improba cogitatio, unde devoluta es quæ tegeres aridam fraudulentia?* Cui respondetur alibi: *Per unum hominem peccatum introiit in Mundum ac per peccatum Mors* &c.

Tertio sequitur *τὸ Ridere*. Leviculum hoc videri posset. Sed si tam leve esset, cur ipse Magnus Turcorum Imperator tot Moriones Risus ciendi Magistros alit, qui mille dolos excogitant, ut hunc delectationis affectum longe profligata Melancholia suscitent in Principe? Tam philosophus erat Democritus qui ad quemvis ferè pedis motum, vel motacillæ saltum ridebat, quam Heraclitus qui ad eadem & omnia sublunaria lacrymas fundebat? Et tamen hujus lacrymatoris risum movens asinus dum carduos carperet, proverbio huc bene quadrantti ansam præbebat: *Digna labris lactuca*. Nimirum ridere nobis idem hoc in loco est, quod *contemnere*. Quis enim tot vanitates, & tot nænias, tot ineptias, tot magna consilia & grandia molimina *De nihilo* & ob *Res nihili*, rixas & bella de *tantillo*; imo tot stultitias, quibus se tam Nobilis Creatura, Homo, contaminat & mancipium sistit, non exsibilet? cum videt, in meros non diffluat cachinnos? cum ipse exercet, in sui ipsius contemptum & vindictam de sua stoliditate sumendam non deflectat? Profecto nisi ipsum risum derideamus, malè adhucdum nobiscum agitur. Nam risus stolidi est ut crepitus spicarum sub olla; & cor sapientis est in loco luctus, animus autem stolidi est in domo lætitiæ. Ideo *de risu dico, insanus est; & de Lætitia, ecquid ista facit?* Eccl. 2. Impiorum risus est Sardonius. Hic solus bonus est, quem suscitat cor amore cœli repletum intra cancellos moderatæ & licitæ recreationis, conjunctus cum contemptu Mundi nobis mandato. 1. Ioh. 2. *Ne diligatis mundum, nec quicquam quod est in eo; qui enim diligit mundum, Charitas Patris non est in eo* &c.

Est enim magna Apostasia, Idololatriæ subtilis species, à Creatore ad Creaturam deficere; & propter hanc illius leges transgredi: crepundia & imagines rerum exteriores deperire, & Archetypum seu Architectum ipsum deserere. Hoc qui observat quis non effusè præposterum irrideat multorum in agendo, amando, repudiando, colendo hæc aut illa, ordinem? Et tamen historia nostra recitata toties exempla talium Magni Orbis Morionum proponit.

Quartus usus suppeditat *τὸ Cavere*. Ecquis enim sibi non caveat à tam noxiis & venenatis, non dico serpentibus, tarantulis, stellionibus, Crocodilis, aliisque truculentis bestiis, sed hominibus, seu potius ipsorum vitiis? Cum tot deceptores, proditores, sicarii, & omnis generis nequam homines ubivis reperiantur, nec hospes ab hospite sit tutus? Inter tot Pseudoprophetas, Divinos, Magos, Sortilegos, Phœbades &c. in mera avia & hispida errorum senticeta animos

Digitized by Google

animas abducentes quis non cauè agat & circumspectè? Certè hinc illa vox sacra Matth. 10. *Cavete autem vobis ab hominibus.* Non sic fera ulla sævit in suum genus, nec ita nequiter tractat suæ speciei prolem, quam *Homo hominis est Diabolus.* Et quod plus est: Non tam desuper ulla vis ex nubibus vel hiatus ullus in terræ crepidinibus, vel fluctus aliquis in Neptuni regionibus metuendus est, quam *Ipse homo sibi.* Iuxta Hermetem enim Trismegistum ipsa Caro nostra est fur ille domesticus, eo pernicioſior quo cõjunctior, ac proinde eâ nobis capitalior non est hostis. Decipit dum blanditur, occidit dum tumultuatur; præcipitat dum pro lubitu grassatur. Quare *cavebitis Spiritus vestro ut non perfidè agatis*, monente vate. Mal. 2. Avarus enim esurit sititque opes Mundi, ut servus, sed pius contemnit ut earundem Dominus. Ad hanc cautelam requiritur sobria mandati muneris & honestæ vocationis suæ tractatio, qua otium pulvinar illud Diaboli, & curiositatem, ejusdem præacutam acum, qua simplicitati oculos effodit, devitantes, ambulamus in viis nostris.

Quintus est τὸ *Quærere quæ sursum.* Quis videns tam periculosum in hoc Orbis diversorio contubernium, tam molestam itineris sui viam, tam brevem vitam, tam tristes & inopinatos casus, non anhelet ad patriam, unde è sedibus æthereis spiritus noster descendit? Ibi locus securitatis & sedes constantis felicitatis. Arbitror, si quicquam est, quod animum incendat isto desiderio, etiam memoriam esse eorum, quę legisti hucusque. Propria personæ, etiamsi vel Imperator esses, experientia Te id docere poterit. Sentire enim potes, si velis, quam curtæ mensuræ sis. Et ut concludam quæ alibi in Sapientum libris leguntur, copiosius, Sexto τὸ *Pietatem sectari* tibi dictat præsens, sub quo hæres, omnis Status Reipublicæ, & Naturæ. Affirmabis mecum, nisi veterno adobrutus in utramque stertas aurem. Totus prospectus quaquaversum Majestatem Dei Opificis exhibet oculariter; omnis beneficiorum Dei gustus gratitudinem præcipit suaviter; omnis peccatorum conscientia ad pœnitentiam invitat fortiter; omnis castigationum & pœnarum sensus ad humilitatem trahit palpabiliter, omne virtutis solidæ robur ad patientiam perducit plausibiliter; & tota vitæ divermodè in multis creaturis resurgentis, revolutæ vel perpetim continuatæ ratio ad spem salutis æternæ indubiam extimulat efficaciter. Huic rei primario destinata sunt ea, quæ libro sequente tertio recensentur; Ordines nempe Seculares Equestres & Ecclesiastici, Melitenses, Clerici, Monachi &c. Debebant, inquam, omnes gloriæ Dei amplificandæ, illi quidem patriæ Ecclesiæque defendendæ, illi autem saluti animarum procurandæ inservire. Quo pertinent etiam Societates illæ, quarum mentionem brevem intertextam videbis. Quomodo autem id præstent illi, qui istis Ordinibus & Societatibus sunt dedicati, ipsi viderint. Multa hic certè deprehendere liceret, corrigere deceret. Non enim speciosis titulis contentus est Deus, nec operosis ceremoniis absolvitur pietas; nec cucullis inhæret devotio, nec verborum ampullis satisfit conscientiis, sed in veritate Spiritus puri Deum, qui Spiritus est, oportet adorari. Nos prout nullum accusabimus, ita nullum etiam defendemus. Quisque reddet rationem Judici supremo. Nos igitur saltem enarrabimus libro sequente ipsos titulos, & tum velis contractis in portum nos recipiemus domi nobiscum habitantes. Veneramur enim regulam:

Bene qui latuit, bene vixit.

ARCHON-

Digitized by Google

ARCHONTOLOGIÆ COSMICÆ
SPECIALIS MODERNAE,

LIBER TERTIVS

OMNIVM ORDINVM CVM MILITARIVM, TAM REGVLARIVM, QVI AS. SEDE SVB ALIQVA REGVLA ET DISCIPLINA APPROBATI FVERVNT, QVAM SECVLARIVM, AB IMPE-

ratoribus, Regibus & Principibus Christianis institutorum, cum eorundem insignibus & Symbolis: tum etiam Religiosorum omnium: quibus sub finem tandem annectitur Dissertatio de Ordine Illustrissimo Equitum Melitensium dilucida.

[De hisce rebus scripserunt Conradus à Lichtenau, Iacobus à Vitriaco, Panvinius Bellaius, Bernhardus Lucenbergicus, Azorius Camdenus, Trithemius, Volaterranus, Hieronymus Romanus.]

Summa Capita. LVI. non opus annotare, cum det ipsa distinctio numerorum cuivis obvia.

QVandoquidem in animum induximus, ad calcem huius Tractatus ostendere, quo pacto hortus amænus Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ omnibus seculis & ætatibus varietate cætuum & societatum ornatus atq; excultus fuerit: non absre erit, si de iis nunc aliquid præmittamus, qui instar moschi aut succini plus odoris exhalant, quo magis publico exponuntur.

De Ordinibus Equitum loquor, qui velut alteri Maccabæi bella Domini gesserunt, & vera fortitudine præditi valido suo brachio & generoso animo multoties terrorem hostibus sui Redemptoris & sanctæ religionis, quantumuis potentibus & formidabilibus, incusserunt, vt sicut priores illi in suis septis contra hostes inuisibiles decertare debebant, hi visibiles in acie cæderent & profligarent: fine eodem vtrisque proposito, vt nimirum Ecclesia pace frueretur, & Seruator mundi dominus totius orbis agnosceretur.

Ille igitur cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, vt vim suæ victoriæ & triumphi de spiritualibus & corporalibus hostibus manifestam faceret, statim post natiuitatem syæ Ecclesiæ, cum bonam partem ædificii sanguine martyrum cæmentasset, effecit, vt non tantum animi tranquilli & pacati se per omnem vitam sanctitati deuouerent, sed etiam bellicosi fortitudinem suam & arma cum incremento tum protectioni & defensioni Religionis Catholicæ consecrarent. Quo factum est, vt monarchæ & potentissimi orbis Principes sub illius vexillo militarent, quem prius sæuo & cruento bello persequebantur. Cuius rei testes sunt Constantinus Magnus, Valentinianus, Theodosij, & alij complures Imperatores, qui omnes crucem in suis insignibus gestare cœperunt, quanquam diuerso colore: quidam candido, aliqui viridi, nonnulli rubro, alij alio colore: ea propemodum forma, qua Constantino Magno in cœlo apparuit, quæ ad dextrum latus A, ad sinistrum Ω, & in medio labarum, nempe X, & P, inter se colligata, & in quatuor oris fimbriata, habebat. Cumq; pauca fuerint regna & resp. in mundo, quæ non aliquem Ordinem Equitum habuerint: æquum fuit, quosdam cætus institui eorum, qui Ordinem gererent Regis Regum, & se ipsius ministerio peculiariter consecrarent.

Ordo Equitum S. Sepulchri Hierosolymæ.

Vulgo creditur, Ordinem Equitum S. Sepulchri tempore Constantini magni iam fuisse institutum. Nam cum S. Helena, ipsius mater, Ierosolymam profecta esset, vt S. Crucem & S. Sepulchrum inuestigaret, illis per diuinam reuelationem repertis,

Digitized by Google

pro gratiarum actione templum magnificentissimum in honorem glorioſæ reſurrectionis Ieſu Chriſti excitavit, quod tractu temporis in monaſterium Canonicorum regularium S. Auguſtini conuerſum fuit. Cuſtodiam autem S. Sepulchri quibuſdam nobilibus ex ſuo comitatu commiſit: qui fuerunt primi Equites huius Ordinis. Atque ille poſtea eo loco perſtitit & conſtabilitus fuit: adeo vt eo quoque tempore, quo Saraceni & Turcæ totum Orientem, & in ſpecie Palęſtinam, in ſuam poteſtatem redegerunt, & tyrannidem atq; omne genus crudelitatis in Chriſtianos, qui Ieroſolymæ erant, exercuerunt, hi perſoluto annuo tributo tolerarentur, qui tamen non immunes fuerunt malorum, quę fideles perferebant, barbaris illos, quacunque poſſent ratione, vexantibus & affligentibus. Præcipuum ipſorum munus fuit cuſtodire S. Sepulchrum, bellum ſummis viribus aduerſus infideles gerere, redimere captiuos, ſingulis diebus, quibus poſſent, Miſſam audire, recitare horas Crucis, & geſtare quinque cruces rubras in memoriam quinque vulnerum Domini noſtri. Quidam eorum originem & inſtitutionem ad Apoſtolum S. Iacobum, epiſcopum Ieroſolymitanum, referunt, qui mortem pro fide ſubijt, anno LXIII. Ob hanc cauſam Equites hujus Ordinis Patriarchæ Ieroſolymitani imperio ſubjecti eſſe videntur.

Inſtitutio Equitum Ordinis Sanctæ Ampullæ in æde S. Remigii Durocortori Remorum.

2 Clodouæus, primus hujus nominis, & primus Rex Chriſtianus in Gallia, conuerſus ad fidem Chriſtianam inſtinctu Clotildæ, vxoris ipſius, filiæ Regis Burgundiæ, Chriſtianiſmo per Baptiſmum initiatus fuit à S. Remigio in templo Remorum, & antequam ſacro fonte ablueretur, de religione Chriſtiana & Catholica coram Deo & hominibus proteſtatus eſt. Hic euidens miraculum accidiſſe perhibetur. Nam cum non reperiretur oleum chriſmatis in vaſe ordinario ad tãtum hunc regem vngendum, conſpecta fuit columba candida, quæ phialam cryſtallinam, oleo ſacro & diuino plenam, quod cælitus miſſum erat, vt hic defectus miraculoſe ſuppleretur, tenebat: qua delata in manus reuerendiſſimi archiepiſcopi S. Remigij, ille Regem vnxit. Inde eluxit ſingularis cura, quam Deus ſemper de ſalute & incolumitate Regum Galliæ habuit, qui ab eo tempore titulum Chriſtianiſſimorũ vſurparunt. In cujus rei memoriam hodieq; religioſe ſeruatur phiala illa ſacro oleo plena, quæ S. Ampulla vocatur, ex qua fere omnes Reges Galliæ deinceps vncti fuerunt, in templo Abbatiæ S. Remigii, Durocortori Remorum.

Pietas hujus magni Regis Clodouæi, ad fidem Chriſtianam conuerſi, ipſum impulit, vt in teſtimonium ſuæ gratitudinis pro ſingulari hoc beneficio, quod à Deo acceperat, qui ipſum vnctione olei cælitus demiſſi Chriſtianiſmo initiaverat, templum illud S. Remigij magnis præmijs, reditibus & priuilegijs ornaret. Atq; in memoriam ſui zeli & affectus erga illius loci Eccleſiam, quatuor Barones, viros nobiliſſimos, illius beneficiarios creauit, vt eſſent Equites S. Ampullæ: quem Ordinem inſtituit, vt ſanctum hoc ornamentum & veræ religionis teſſeram honoraret.

Hi Equites S. Ampullæ magnis & eximijs priuilegijs fruuntur, quæ ipſis à Regibus Galliæ, diebus conſecrationis & coronationis eorum confirmantur.

Diebus illis quatuor Equites Barones tenentur ex officio geſtare vmbellam, ſub qua ſancta Ampulla, ſolenni pompa, à templo S. Remigij vſq; ad ædem B. Virginis in vrbe Remorum à cænobiarcha Abbatiæ defertur, & inde refertur, cæremonijs illius conſecrationis peractis.

Nomina Baronatuum Equitum S. Ampullæ ſunt hęc: I. *Baronatus Antri*, cujus territorium patronum agnoſcit Archiepiſcopum Remenſem, & feudum eſt Abbatiæ S. Remigij: propterea illius poſſeſſor hoc juris habet, vt ſe dicat primum Vaſallum, Baronem & Equitem dicti Archiepiſcopi Remenſis, & vt portet primum ſcapum dextrum vmbellæ, quando S. Ampulla Remigii ad B. Virginis ædem defertur.

II. eſt Baronatus Nououiſianus.

III. eſt Baronatus Lourecianus.

IV. Loco quarti in cæremonia alius ſubſtituitur, propterea quod is, qui debebat eſſe Eques, & ſuum ordinem tenere, eſt addictus religioni Proteſtantium.

Ordo Equitum S. Mauricii & S. Lazari inter Sabaudos.

Communis opinio eſt, Ordinem S. Lazari inſtitutum fuiſſe tempore S. Baſilij magni, vt refert S. Greg. Nazianzenus. Baſilius enim noſocomium condidit, ſub titulo S. Lazari, qui poſtea nomen dedit huic Ordini: cui rei fidem facere videntur tot Lazarorum ædes per totum orbem Chriſtianum ſparſę. Cum vero prima hæc inſtitutio à primis ſuis incunabulis extincta fuiſſet, propter irruptiones barbarorum, & alias injurias primorum illorum temporum, viſa eſt renaſci & inſtaurari hoc felici ſeculo, quo Principes Chriſtiani, ſancto fœdere juncti, Ieroſolymam & alia loca Terræ ſanctæ Saracenis eripuerunt, Equitibus hujus Ordinis magna charitate in ſua noſocomia recipientibus fideles, qui ex omnibus Europæ regionibus ad tam felicem expeditionem confluebant, & ſumptus ad tam glorioſam Chriſtianiſmi propagationem conferentibus: propter quę officia Principes Chriſtiani multas domos & hæreditates ipſis donarunt, an. MCLIV. quæ donationes diplomatis Pontificum Alexandri IV. Nicolai V. Clementis IV. Ioannis XXII. & Gregorij X. confirmatæ fuerunt. 3

Profitentur regulam S. Auguſtini, & pro inſigni ſui Ordinis gerunt crucem viridem, quam Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, poſtquam magnus eorum Magiſter à Gregorio XIII. conſtitutus fuiſſet, & hunc Ordinem cum Ordine S. Mauricii conjunxiſſet, limbo candido circumdedit, in cujus medio crucem S. Mauricij incluſit.

Quod ad Ordinem S. Mauricij attinet, Annalium Sabaudiæ ſcriptores referunt, eum hujuſmodi originem habuiſſe. *Amedæus*, dux Sabaudiæ, qui

cum

Digitized by Google

cum ad ſupremum Pontificatum euectus fuiſſet, nomen Felicis V. aſſumſit, relictis rebus omnibus, Ripallam ad Lacum Lemannum conceſſit, decem Equitibus ex illuſtribus familijs comitatus, vbi vitam Eremitæ amplexus eſt, in cœnobio, à majoribus ipſius in memoriam & honorem S. Mauricij condito, longa toga coloris cinerei indutus, quam zona inaurata cinxit, pallio ſuper injecto, ejuſdem cum toga coloris, cui crux, auro texta, inſerta erat. Franciſcus Modius in ſuis Pandectis aſſeuerat, hos Eremitas, quos appellat Equites S. Mauricij, hoc habitu interfuiſſe conſecrationi Felicis V. fundatoris ſui, anno MCCCCXL. atq; ita oſtendit, quo in Ordine vixerit, & quem habitum nouus hic Pontifex geſtarit, antequam ad Pontificatum eueheretur.

Ordo Equitum Canis & Galli gallinacei, in Gallia.

4 Auctores nihil certi memorant de inſtitutione horum duorum Ordinum, qui tamen Momorenciorum familiæ tribuuntur.

Primus, quoniam gentiles illius familiæ ſuper criſtam galeæ canem geſtant. Philippus Moreus in ſuis tabulis de inſignibus Galliæ ſcribit, Buchardum Momorencium veniſſe in aulam Regis Galliæ Philippi primi hujus nominis, multis Equitibus comitatum, qui omnes torquem capitibus ceruorum refertum geſtabant, à quo pendebat effigies canis, vt ſignificarent fidem & ſincerum affectum, quo miniſterio, protectioni & defenſioni reipu. Chriſtianæ & inprimis Galliæ addicti eſſent, ſimulque antiquitatem ſuæ nobil. tatis indicarent cujus ſymbolum fuit canis apud omnes nationes: quemadmodum obſeruauit Lipſius, Epiſt. XLIV. Centur. I.

De Ordine Galli gallinacei illud ſolummodo dici poteſt, quod illi, qui genealogiam illuſtris illius familiæ deſcripſerunt, referunt, Petrum quendam Momorencium illius Ordinis Equitem fuiſſe. Quidquid ſit, veriſimile eſt, hunc Ordinem pro inſigni vſurpaſſe Gallum Gallinaceum, quoniam inter omnes volucres maxime Martialis eſt. Veteres eum pullum Martis vocabant. Interdum hierogliphice denotauit victoriam & vigilantiam: quo Equites iſti innuere voluerunt, ſe eſſe bellicoſos, vigilantes & victorioſos.

Ordo Equitum Aſturconis in Gallia.

5 Qui frequentem annulorum vſum in Galliam inuexit, Carolus Martellus fuit, potens & magnanimus Princeps, qui languens Regum Francicorum ſceptrum in integrum reſtituit, ita vt rebelles & infideles formidabilem ejus vim ſenſerint.

Sicut autem hic Princeps naturaliter ad arma propenſus fuit, ita Ordinem Equitum inſtituit, quos Aſturconis vocauit, propter vxorem ſuam Hallanam dictam, cui nomen erat *Ioanetta*, quamque ipſe Ianettam appellare ſolebat, voluitque, vt effigiem hujus animalis inſignibus ſuis inſcalptam gererent. Bellajus tamen aliter ſentit, & exiſtimat, inuictum hunc Principem, fuſis Saracenis in memorabili illo prælio prope vrbem Cæſarodunum Turonum, An. DCCXXXVIII. commiſſo, vt memoriam illius perpetuaret & futuris ſeculis fortitudinem Gallorum, quorum opera maxime victoriam illam obtinuerat commendaret, nomen Aſturconis huic Ordini impoſuiſſe, propterea q; gentem illam debellaſſet, quæ Aſturiam Hiſpaniæ regionem incolit, ſic dictam, quod illo animalium genere abundet, quæ ſunt ſpecies muſtelæ, vel potius vulpis, quorum pellis albo & cinereo colore diſtincta eſt, intermixtis elegantibus maculis, candidis & nigris. Hic Ordo durauit vſque ad regnum S. Ludouici.

Ordo Equitum Lilii, in regno Nauarreno.

De regno Garciæ VI. regis Nauarræ, qui Nugerius cognominatus à loco, in quo natus, educatus, plerunque conuerſatus & ſepultus fuit, antiquæ hiſtoriæ regni Hiſpaniæ memorant, imaginem Beatæ Virginis, quæ eſt in templo monaſterij regij hujus vrbis, fuiſſe miraculoſe repertam: in cujus honorem optimum hunc Regem & Tienettam, cõjugem ipſius, ex familia Foxia & Candalæ prognatam, monaſterium S. Benedicti condidiſſe: ſed *Garciam* ſolum inſtituiſſe Ordinem Equitum Lilij, qui pro inſigni gerunt ollam cum liliis, in qua depicta erat imago B. Virginis, & voluit, vt togæ Equitum eſſent ſplendidæ, magno artificio confectæ, & auro ac gemmis radiantes. In hunc ordinem filij regum & multi magnates Galli & Nauarreni atque etiam exteri adſcribebantur. 6

Equites hujus Ordinis, ex præſcripto Garciæ, primi auctoris, tenentur tueri ac defendere fidem Catholicam contra omnes ipſius hoſtes, & pro viribus amplificare: item ſingulis diebus recitare quaſdam precatiunculas, & certum numerum Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ. Ferdinandus Arragoniæ, qui fuit dictus Infans Antiqueræ, an. MCCCCIII. nomen dedit huic Ordini, cum aliquot alijs, non tam generis nobilitate quã virtute præcellentibus, eumque ſolenni ritu in templo B. Virginis antiquæ in vrbe Methymna ſuſcepit: cujus ſymbolum erat olla Lilij cum grypho.

Ordo Equitum S. Ioannis Ieroſolymitani, cui ſimilis aliquatenus ille S. Mariæ Magdalenæ.

Quidam initium hujus Ordinis attribuunt Ioanni Hircano, qui fuit vnus ex Maccabæis: alij S. Ioanni Eleemoſynario, patriarchæ Alexandrino: quanquàm Equites hujus Ordinis vota ſua S. Ioanni Baptiſtæ nuncupant, eumque ſuum patronum agnoſcunt. Alij exiſtimant, hunc Ordinem primum inſtitutum à quodam Girardo, qui tempore Gothofredi Bullionæi, cum Ieroſolymam veniſſet, vt loca ſancta viſitaret, extraordinario quodam zelo incitatus, ope quorundam aliorum nobilium, quorum animum eadem religio inceſſerat, Xenodochium S. Ioannis Ieroſolymitani exſtruxit: atque ita prima hujus Ordinis fundamenta jecit, cujus Equites à primo ipſorum domicilio Hoſpitalarij appellabantur: de quibus infra pro rei neceſſitate plura. 7

Papa Gelaſius II. primus hoc inſtitutum proba-

Digitized by Google

uit. Vestis ipsorum fuit toga, cui inserta erat crux candida octogona, vt esset nota puritatis ipsorum, & octo beatitudinum, ad quas adspirarent: idque ex concessione Papæ Honorii II.

Officium ipsorum erat, vt eos, qui ex omnibus orbis partibus loca sancta visitatum venirent; cum omni charitate exciperent, in itinere comitarentur, & contra Arabes omnes que alios infideles tuerentur, contra quos, Principum Christianorum opibus atq; auxiliis subnixi, instructos exercitus duxerunt, eosque feliciter profligarunt.

Vrbem & insulam Rhodum occupauerant, quã postea rursus amiserunt, à Solimanno II. Turcarũ Imperatore inde ejecti. Cum eam tenerent, Equites Rhodii dicebantur. Postea Carolus V. Imperator insulam Melitam ipsis donauit, quam semper fortissime defenderunt, inprimis in gemina illa obsidione Turcarum, quam magna virtute sustinuerunt, vnam sub Solimanno modo dicto, alteram sub Selimo II. vtroque Turcarum Imperatore, qui magno cum damno & dedecore obsidionem soluere coacti fuerunt. Ab hac insula hodieq; Equites Melitenses appellantur: in quorum numerum nemo cooptatur, nisi sit genere nobilis.

Primus ipsorum magnus Magister fuit *Raimondus Podiensis*, qui postea leges, quas etiamnum obseruant, composuit & publicauit.

Regulam S. Augustini sequuntur, & singulis diebus Orationem Dominicam, loco horarum canonicarum, aliquoties recitant, ac fidem, obedientiam & castitatem promittunt. Arma ferunt in honorem Dei & S. Ioannis Baptistæ (quem, vt diximus, patroni loco habent) pro defensione fidei Christianæ. Infra vt dixi, lege totam Mileuitanam historiam. Cæterum eodem tempore, quo hi Equites in Xenodochio S. Ioannis Ierosolymitani sedem figere cæperunt, fœminæ quædam, exemplum illorum imitatæ, mulieres peregrinas hospitio exceperunt.

Mulierum Xenodochium S. Mariæ Magdalenæ appellabatur, cui *Agneta*, matrona honestissima, præerat, quæ cum sua caterua habitum assumsit, & vitam regularem instituit, sicut Gerardus fecerat.

Ordo Equitum Templariorum.

8 Cum expeditio militaris in terram sanctam auspiciis Godofredi Bullionei victoriosi tam feliciter, peracta, quam religiose suscepta fuisset, Ordo Equitum Templi siue Templariorum (cujus institutio ad tempus Gelasii II. refertur) à Principibus Gallis stabilitus fuit, vt conseruarent, quod in terra Sancta Saracenis ereripuerant. Duo primi auctores hujus instituti fuerunt *Hugo Payennensis, & Godofredus de S. Almardo*, Equites. Et quoniam Rex Balduinus ipsis certum locum prope templum assignauit, in quo domicilium haberent, Equites hujus Ordinis Fratres militiæ Templi, & vulgari appellatione Templarii dicti fuerunt.

Postea Rex ac proceres regni & patriarcha Grãmontanus, qui tunc Ecclesiæ Ierosolymitanæ præerat, bona quædam & prouentus ad ipsorum victum & amictum destinauerunt.

A Patriarcha & episcopis ad remissionem peccatorum impetrandam ipsis iniunctum fuit, vt itinera à prædonibus tuta præstarent, ad securitatem eorum, qui religionis causa peregrinarentur, quos comitari & reducere tenebantur.

A prima Ordinis institutione nouem annis habitum secularem retinuerunt, qui ipsis à populo ex charitate & eleemosynis suppeditabatur.

Postea vero Trecis in Gallia Concilium fuit celebratum, in quo regula ipsis præscripta fuit, cujus auctorem perhibent S. Bernhardum, sine cruce, ex mandato Papæ Honorii & Stephani Patriarchæ Ierosolymitani. Eundem habitum aliquot post annis retinuerunt: sed ab eo tempore numerus ipsorum cum opibus creuit.

Tempore Pontificis Eugenii III. ex ipsius mandato cæperunt rubras cruces palliis suis assuere, vt hac nota ab aliis discernerentur, & vt ostenderent, quod sanguinem suum pro defensione terræ Sanctæ & aliorum locorum orbis Christiani contra infideles consecrassent. Hæc crux erat octogona ad imitationem eius, quam Equites S. Ioannis gestabant: quamuis Hieronymus Romanus, Hispanus, asserat, eam fuisse duplicẽ, instar patriarchalis, qualem etiam Hungari in suis insignibus gestabant.

Hic ordo tandem tantas opes accumulauit, vt diuitiis potentissimos reges æquaret. Quamuis autem vrbs Ierosolyma an. MCLXXXVII. ab infidelibus capta fuisset, Equites Templarii non destiterunt, pro religione Christiana fortiter dimicare.

Nihilominus anno MCCCXI. Papæ Clementi V. placuit, vt hic Ordo aboleretur, propter enormia flagitia & grauia peccata, quorum non absque causa insimulabantur. Opes ipsorum variis Equitibus fuerunt distributæ, nempe Rhodiis, S. Iacobi, Calatranæ & Alcantaræ in Hispania: ex quibus soli supersunt Equites Melitenses, cœnobiarchæ & Commendatores, qui simpliciter candidam crucem super togas, casiolas & palia sua gestant, quemadmodum etiam presbyteri, qui sacrum solenne in illis cœnobiis & possessionibus commendatitiis Ordinis S. Ioannis peragunt.

Ordo Equitum Teutonicorum, Hospitij S. Mariæ Ierosolymis, qui alias Crucigeri & Mariani dicuntur

Sub hoc ipsum tempus Fridericus II. instante 9
Papa Gregorio VII. cum numerosum exercitum in Syriam duxisset, vt belli sacri progressus promoueret, auctor fuit, vt hic Ordo institueretur, & in templo atq; Hospitio S. Mariæ Ierosolymis collocaretur: quem Papa Cælestinus III. sub regula S. Augustini approbauit.

Hi eundem cum Equitibus Templi & S. Ioannis scopum sibi proposuerunt, & ejusdem cum ipsis professionis fuerunt: cum nullum pænè inter ipsos discrimen esset, quam quod hi atram crucem candidis palliis insutam gererent. *Henricus Walpotus* fuit primus hujus Ordinis magnus Magister. Postea suis scutis Rosarium adjecerunt, quod crucem supradictam ambiebat. Hinc est, quod Mariani & Crucigeri appellati fuerunt.

Capta Ierosolyma, cum Ptolemaida se recepissent, Imp. Fridericus eos transtulit in Germaniam & in Borussia collocauit, quæ tunc religioni nostræ inimica erat, vt eam occuparent, & Christianismo sub-

Digitized by Google

subiicerent: idq; sub auctoritate Gregorii IX. tandem anno MCCLXXIX. subacta hac prouincia dicti sunt Teutonici & Borussiaci.

Hæc victoria parta fuit ductu & auspiciis Hermanni Salzæ, qui primus insigne Crucis in hac prouincia fixit. Quo facto isti Equites omnium Principum Christianorum amicitiam & beneuolentiam sibi conciliarunt. Postea magna bella cum Lithuanis, Polonis & Tartaris gesserunt.

Presbyteri & Equites hujus Ordinis hanc crucem atram palliis suis argento intextam gerunt.

Sereniſſimus Archidux Austriæ, Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi III. Imperatoris frater nunc est magnus ipsorum Magister, qui insignia partim domus Austriacæ, partim hujus Ordinis gerit.

Quamuis autem Borussia Ducalis quodam jure jam sit subjecta Regi Poloniæ: tamen etiamnum magnus hujus Ordinis Magister eligitur, qui cum fruitur iis bonis, quæ habent in Germania.

Ordo Equitum S. Ioannis Acconitani, & S. Thomæ.

10 Exemplo Ordinum supradictorum complures alii instituti fuerunt: inter quos sunt illi, qui Equitum Acconitanorum & S. Thomæ vocantur, de quorum origine & institutione etsi nihil certi reperitur, tamen de illis refertur, quod officia charitatis erga eos exercebant, qui loca sancta lustratum veniebant, & omnia necessaria ipsis suppeditabant: sed pedetentim officiis illis vsum armorum adjunxerunt, ad imitationem Equitum S. Ioannis.

Ob hanc causam inter Ordines Militares numerantur. Hieronymus Romanus ait, quod in Hispania floruerint, regnante Alphonso, qui Sapientis cognomentum meruit: & quod hic Rex omnem suam supellectilem cum aliqua pecuniæ summa ipsis testamento legauerit. Sed Tostatus in Iosuam nullam propemodum ipsorum memoriam suo tempore superfuisse testatur. Ordo S. Thomæ, qui militabat sub regula S. Augustini, à Papa Alexandro IV. cum præcedenti conjunctus fuit.

Palæstina quosdam alios præterea Ordines nobis dedit, S. Blasii, S. Mariæ, & Pœnitentiæ sanctorum Martyrum. Hieronymus Romanus asseuerat, se vidisse fratres hujus postremi Ordinis, qui rubram Crucem gerebant, & regulam S. Augustini obseruabant.

Ordo Equitum S. Seruatoris in Arragonia.

11 Circiter annum MCXVIII. Alphonsus Rex Hispaniæ, Nauarræ, Arragoniæ, Castellæ & Toleti, ex parte conjugis suæ Vraacæ; cum vellet exstirpare Mauros Sarragosæ & Arragoniæ, videretque, quãtum commodi vicinæ prouinciæ ex Ordinibus Militaribus, quos apud se singulæ instituissent, percepissent, Ordinem Equitum S. Seruatoris in vrbe Montreali, capta Calatraua, instituit, addita hac promissione, se illos fauore & beneuolentia prosequuturum, qui se in bello, quod contra infideles meditabatur, fortissime gessissent. Quod ipsi tam feliciter cessit, vt anno MCXX. illos omnibus suis regionibus, quas occupauerant, expellerent. Hanc ob causam Rex iste huic Ordini amplos & opulentos prouentus dedit.

Ordo Equitum Montis-gaudii in Syria, qui in Castilia Monfiacus, & in Catalonia Montgoius appellatur.

Quo tempore Principes Christiani Syriam oc- 12
cuparunt, Ordo Equitum Montis-gaudii fuit institutus, qui hoc nomen à monte quodam ejusdem nominis prope Ierosolymam acceperunt: cui rei fidem facit Bulla approbationis à Papa Alexandro III. anno MCLXXX. data, quæ in archiuis Calatrauæ asseruatur.

Hic Ordo magnis opibus locupletatus fuit à Principibus Christianis, propter operam, quam ipsis in recuperanda Terra Sancta nauauerant.

Idem Hieronymus Romanus meminit alterius cujusdam Ordinis Equitum, quem vocat de Truxillo, ab ea vrbe, in qua hic Ordo primum natus est. Is postea magnis donis cumulatus fuit à Rege Alphonso, qui præterea ipsis dedit S. crucem, Zusiolam, Cabimam, Albaten, & quædam alia loca: quod fuit factum anno MCCXXXIII.

Ordo Equitum Ensiferorum aut Militum Christi in Liuonia.

Inter Borussiam, Lithuaniam, Russiam & Mo- 13
scouiam sita est Liuonia, cujus domini fœdere icto cum Equitibus Teutonicis, quorum supra mentio facta est ad illorum imitationem Ordinem Equitum instituerunt, ab Innocentio III. confirmatum: quorum insigne fuerunt duo gladii, colore rubro, forma crucis Sant-Andreanæ, quos palliis suis assuendos curabant. Primus ipsorum magnus Magister vocabatur *Vnius*, quo duce magnos progressus fecerunt & multa loca in Russia occuparunt.

Postea secum Teutonicis conjunxerunt: sed ortis inter ipsos dissidiis, ab iis rursus se segregarunt, postquam ipsis satis grandem pecuniæ summam numerassent, anno MCCCXLVIII.

Tandem cum hæc prouincia infecta fuisset Lutheranismo, hic Ordo prorsus abolitus fuit, cum annis CCCLVII. floruisset.

Ordo Equitum S. Jacobi in Hispania.

Sepultura glorioſi Apostoli S. Iacobi in Hispa- 14
nia reperta, & fama miraculorum, quæ quotidie illic fiebant, passim diuulgata, magna religio non tantum Hispanorum, sed etiam longe dissitorum populorum animos incessit.

Sed quoniam via propter rupes & loci sterilitatem admodum erat difficilis, & Mauri peregrinantes inuadebant & spoliabant, metus periculi multos ab hoc itinere absterrebat.

Hanc ob causam Canonici regulares S. Ælii, qui non procul ab vrbe Compostella habitabant, vt huic incommodo aliquod remedium afferrent, multa domicilia in via, qua ex Gallia eo itur, exstruxerunt, in quibus peregrinantes hospitarentur, vt à periculo tuti essent. Præcipuum & maxime excellens illorum domiciliorum fuit, quod in suburbiis vrbis Legionis conditum fuit, sub nomine & titulo S. Marci: quod beneuolentiam omnium illis conciliauit: adeo vt multi Reges & Principes gratitudinis loco pro beneficiis, quibus peregrinantes afficiebant, eximiis donis illos impertirentur.

Digitized by Google

Postea ad imitationem horum Canonicorum multi nobiles Castiliæ simili desiderio incensi fuerunt: qui vt melius finem sibi propositum assequi possent, omnes suas facultates & opes in vnum cumulum, congesserunt, vt illis in commune vterentur.

Hi nobiles, Cardinali Hyacintho annitente, cum decreuissent, Canonicis illis se associare, certum vitæ institutum sibi proposuerunt, quod deinceps sequerentur, secundum regulam S. Augustini, quã illi Canonici obseruabant, & illud Alexandro III. miserunt, qui tunc Roman. Pontificatum tenebat. Legationis illius princeps fuit *Petrus Ferdinandus de Ponte Eucalatensi*, qui Bullam à Pontifice obtinuit, & rationem viuendi, quam deinceps obseruare deberent, scriptam xv. Iul. MCLXXV. Primus ipsorum magnus Magister fuit iste Ferdinandus: & domicilium illud S. Marci, quod erat Legione, his Equitibus datum fuit, vt in eo habitarent. Insigne ipsorum est crux rubra, formam gladii referens. Hæc est opinio Ioannis Marianæ, lib. 2. Historiæ ipsius de Hispania. Verum alii existimant hunc Ordinem antiquiorem esse, cujus originem referunt ad tempus Regis Alphonsi Casti: alii ad annum DCCCXLVIII. cum Ramirus, Rex Castiliæ, sexaginta millia Maurorum ad Clauigam fudit, quoniam in eo prælio milites clamabant: *Deus nos iuuat, & S. Iacobus:* qui visus fuit in equo gestare vexillum candidum cum insigni Crucis rubræ.

Sed Bulla, qua hæc opinio nititur, quæ data est fœminis religiosis cœnobii S. Spiritus Salamancæ, non est authentica, sicut obseruauit dictus Mariana: & Franciscus Rhadosius Dandrada, qui lingua Hispanica scripsit Chronicon trium Ordinum, S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, ait, hunc Ordinem fuisse institutum anno. MCLXX. in regnis Legionis & Galiciæ, à Ferdinando Rege illorum regnorum: & longo ante tempore fuisse societatem seu fraternitatem Equitum S. Iacobi, sine forma certi cujusdam Ordinis.

Præterea ait, hunc Ordinem fuisse introductum in Castiliam à Rege Alphonso IX. & approbatum anno MCLXXV. adeo vt auctores hujus Ordinis militaris sint Rex Ferdinandus, & Petrus Ferdinandus, primus magnus Magister.

Onuphrius Panuinius in suo Chronico originem hujus ordinis refert ad annum MCLXX. Statuta hujus Ordinis nuper edita sunt in lucem à Plãtino, Antuerpiæ.

Cum Cataua erepta fuisset Mauris à Rege Sanchio III. qui cognominatus fuit Desiderius, anno MCLVIII. consignata fuit in manus Templariorum, vt munitionibus ab eo illic excitatis propugnaculum esset contra infideles. Verum cum Templarii intellexissent, infideles cum exercitu innumerabili aduentare, vt in locum illum impetum facerent, ex eo egressi, illum arbitrio Regis rursum permiserunt, cum eum non satis firmum iudicarent ad sustinendam obsidionem: cumq; nullus ex regni proceribus illius defensionem suscipere vellet, duo monachi Cistercienses, qui tunc ex occasione Toleti commorabantur, quorum vnus nominabatur Raimundus Filterius, Abbas Pisoriensis: alter, Didacus Velesensius: ambo bellis exercitati, qui tamen arma deposuerant, vt Deo seruirent, impetum ceperunt locum ingrediendi, eumque omnibus viribus conseruandi & defendendi. Quod cum Regi Sanchio significassent, perplacuit ipsi, nec minus archiepiscopo Toletano, qui ipsis vires & milites pro virili subministrauit, sua auctoritate & precibus cum nobiles tum alios permouens, vt in commodum religionis Christianæ hunc locum cum duobus istis religiosis tuendum susciperent. Atque illius exhortationes tantam vim habuerũt, vt omnium ordinum homines cateruatim ad opem his viris bonis ferendam confluerent. Quo factum, vt vrbe virisarmisq; egregie munita, hostis eam aggredi non sit ausus.

Hoc fuit felix initium hujus militiæ: ita vt Rex præmii loco hunc locum Religiosis istis & ipsorum sociis donaret, sub nomine Virginis Mariæ, patronæ Ordinis Cistercensium.

Abbas postremis suis sociis habitum & regulam Cistercensium dedit. Insignia hujus Ordinis fuerunt initio Crux rubra, cum duobus cippis infra illam: quibus successu temporis quatuor lilia addita fuerunt à Benedicto XIII. quæ supra scapulas gestarunt. Alexander III. anno MCLXIV. hoc institutum speciali Bulla comprobauit: & primo hujus Ordinis Magistro *Garsiæ* nomen fuit.

Quando hi Equites sunt in aliquo conventu, candidam togam, & supra eam, quemadmodum etiam supra pectus rubram Crucem ea forma, quam modo diximus, gerunt. Papa anno MCCCXCVI. ipsis permisit, vt semel matrimonium contraherent, nec ad secundas nuptias ipsis transire liceret. Nam olim Religiosorum instar perpetuam castitatem seruare tenebantur. Hinc igitur liquet, primos hujus Ordinis auctores fuisse Sanchium, Regem Castiliæ, & Raimundum, Abbatem Fiterensem.

Ordo Militum Iesu Christi institutus à S. Dominico contra Albigenses.

Cum totus fere Comitatus Tolosanus & Gallia 15
Cisalpina infecta esset doctrinâ Albigensium, S. Dominicus contra eos tanta efficacia concionatus est, vt centum millia ex ipsis reduxisse dicatur, lectis quibusdam deuotis, qui gladio materiali eos extirparent, quos gladius spiritualis verbi Dei non afficiebat. His certam vitæ spiritualis regulam præscripsit, quæ communem viuendi rationem secularium superaret, & inferior esset ea, quam Religiosi obseruant. Illo tempore fuerunt appellati Fratres Militiæ S. Dominici.

Albigensibus istis prorsus exterminatis, qui hũc Ordinem amplexi erant, nihilominus in hoc vitæ genere vsq; ad mortem perseuerarunt: & si vxores maritis superstites essent, continentiam seruabant: idem faciebant viri, si vxoribus superessent. Aliquanto post homines cælibes & matrimonio juncti absq; discrimine huic militiæ nomen dederunt, quæ postremo appellata fuit Fratrum aut Sororum pœnitentiæ S. Dominici. Innocentius regulam ipsorum approbauit, anno MCCCLX.

Ordo Equitum Alcantaræ in regno Legionis.

Comesius Ferdinandus, Eques, & vnus ex pri- 16
mori-

Digitized by Google

moribus regni Legionis, ſub auſpiciis Ferdinandi regis hujus regni & Galiciæ, inſtituit hunc Ordinem Equitum contra Mauros, qui initio nomen habuit S. Iuliani de Pirario, quoniam prima domus, in qua habitarunt, fuit caſtrum hoc nomine appellatum. Rex diſertis litteris, ſe protectorem hujus Ordinis declarauit, anno MCLXXVI. & Papa Alexander III. eum approbauit.

Anno MCLXXXIII. Papa Lucius III. eum confirmauit, & jurisdictione diœceſanorum exemit. Inſigne Equitum hujus Ordinis fuit pirus viridis in campo aureo, donec Alphonſus octauus ipſis Alcantaram donauit, quæ ſita eſt ad oram fluminis Tagi, & notabilis eſt, propter ingenioſam pontis ſtructuram: ſimulq; hunc Ordinem cum Ordine Calatrauæ, cui locus ille prius datus fuerat, copulauit. Factum eſt autem propter rationem regni, vt loci illius poſſeſſio in poſteriorem hunc Ordinem transferretur, hac lege nihilominus, vt hic Ordo poſterior priori illi ſubjectus eſſet. In cujus rei ſignum ex mandato magni Magiſtri duo cippi, qui erant in ſymbolo priorum, à poſterioribus aſſumti, & hi Equites Alcantaræ appellati fuerunt.

Tandem anno MCCCCXI. Equites hujus Ordinis à Papa Benedicto XIII. qui ſe Papam Hiſpaniæ dicebat, facultatem impetrarunt geſtandi ad ſiniſtrum latus pectoris Crucem viridem, lilii formam repræſentantem.

Viuunt ſub regula S. Benedicti, & quando voto ſe obſtringunt, promittunt ſuperioribus obedientiam, caſtitatem conjugalem, & ſanctitatem, quantam præſtare poterunt, per omnes vitæ dies.

Papa Adrianus VI. in gratiam Caroli V. qui olim ipſius diſcipulus fuerat, tres hos Ordines. S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ regno Caſtiliæ & Legionis in perpetuum annexuit.

Ordo Equitum Glorioſæ Virginis Mariæ in Italia.

17 Anno MCCXXXIII. *Bartholomæus Vicenæus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fuit auctor hujus Ordinis, quem inſtituit, vt conciliaret pacem per vrbes Italiæ, & omnes diſſenſiones ac ſchiſmata tolleret.

Eum Papa Vrbanus IV. anno MCCLXII. approbauit. Habitus ipſorum fuit toga candida, & cinerea: inſigne autem Crux purpurea in area candida, ſtellis quibuſdam ſupra poſitis. Officium ipſorum erat, vt viduas & orphanos protegerent, & pacem & concordiam inter omnes procurarent. Dicti fuerunt Fratres Hilares, quia placato, & æquo animo viuebant in ſuis ædibus, cum ſuis vxoribus & liberis, vt Sigonius & alii referunt.

Ordo Equitum Monteſiorum in regno Valentiæ.

18 Equites Monteſii dicti ſunt à præcipuo loco habitationis ipſorum, qui eodem tempore exorti ſunt, quo Templariorum Ordo fuit abolitus: adeo vt omnes facultates: quas Templarii in regno Valentiæ poſſidebant, Monteſiis fuerint attributæ hac lege, vt limites regni Valentiæ contra Mauros defenderent ac conſeruarent. Ordo ipſorum fuit approbatus à Benedicto XIII. & Martino V. Geſtant habitum candidum, & ſupra eum rubram Crucem ſimplicem.

Ordo Equitum Ieſu Chriſti in Luſitania.

Dionyſius cognomento Perioca, Rex Luſitaniæ, 19
nepos Alphonſi X. Regis Caſtiliæ & Legionis, inſtituit hunc Ordinem, qui vulgo Luſitaniæ aut Chriſti appellatur. Idem ſanxit, vt inſigne ipſorum eſſet toga nigra & crux nigra, quæ fronde attexta diſſecaretur.

Papa Ioannes XXII. anno MCCCXXI. ipſis præſcripſit, vt regulam S. Benedicti obſeruarent. Officium ipſorum eſt, vt bellum gerant, cum Mauris in Bætica. Virtuti ipſorum debetur, quod imperium Luſitanicum vſque in Orientem, & in Africa, Braſilia aliiſque regionibus verſus, Occidentem propagatum fuit.

Ordo Equitum Faſciæ & Scamæ inter Hiſpanos, & Galzæ inter Venetos.

Anno MCCCXXXII. Alphonſus II. Rex Caſti- 20
liæ, antequam ad regnum peruenisſet, inſtituit in urbe Victoria Ordinem Equitum Faſciæ, qui ſic appellati fuerunt, propterea quod eo die, quo à Rege, tanquam magno hujus Ordinis Magiſtro, cooptati fuerunt, faſciam rubram quatuor digitos latam, mitellæ inſtar, à dextro humero infra brachium ſiniſtrum ipſis appendit.

Filii nobilium in eum recipiebantur, poſtquam decem vt minimum annis caſtra ſequuti fuiſſent, exceptis primogenitis. Magno in pretio olim fuit: ſed, quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, tandem obſoleuit.

Ordinis Scamæ primus auctor fuit *Ioannes II. Rex Caſtiliæ*, quo regnante magno in honore fuit, teſte Hieronymo Romano: quamuis ſcribat, ſe nunquã potuiſſe cognoſcere, quamuis diligenter indagarit, quid ſibi vellet vocabulum iſtud Scama.

Ad imitationem Equitum Faſciæ Veneti eodem tempore inſtituerunt Ordinem Galzæ, iiſdem fere legibus. In hunc nemo nec à Duce nec à Senatu admitti poterat, qui non eſſet genere nobilis.

Hic Ordo renouatus fuit anno MDLXII. & recentibus beneficiis ac priuilegiis auctus. Andreas Ettenius, excellens Medicus & Anatomicus, atque in omni genere ſcientiarum egregie verſatus, nullum aliud inſigne reperit, quod habuerint, quam torquem aureum, à quo pependerit imago S. Marci, aut leo alatus, cum hoc elogio, *Pax tibi Marce.* Quod tamen ex conjectura habet, quoniam Dux & Senatus Venetus, quando digno aliquo præmio quendam inter ſuos, qui præclare de repub. meritus eſt, afficere volebant, ei torquem aureum cum hujuſmodi ſymbolo dare ſolebant.

Ordo Equitum Auiſinorum, vulgo Aduiſiorum in Luſitania.

Occupata à Chriſtianis vrbe Ebora, quæ ce- 21
lebris eſt in Luſitania, propter ordinarium Regum in ea domicilium, Rex Alphonſus, animaduertens, ſitum & munitionem ipſius commodam

Digitized by Google

esse ad bellum Mauris inferendum, præcipuam sedem Equitum in ea constituit, qui in regno Castiliæ Equites Calatrauæ, in Lusitania Auisii appellantur, quamuis initio Eboracenses dicti fuerint, à nomine vrbis Eboræ, quæ ipsis donata fuisse putatur à Ferdinando Monteyro, primo Ordinis magno Magistro, in honorem Virginis Mariæ, Patronæ Ordinis Cistercensium, vt assiduis suis incursionibus contra Barbaros, illos tandem regno expellerent.

Tertius ipsorum magnus Magister, cui nomen erat Alphonso Auensi, cum arcem Auisinam infidelibus eripuisset, eam Ordini donauit, quem eo transtulit, vt esset hostibus suis vicinior, & eos tanto magis infestaret. Atq; ita nomen hujus arcis ipsi adhæsit. Hic Ordo confirmatus fuit ab Innocentio III. anno MCCIV. Cæterum cum *Rodericus Garzia*, octauus magnus Magister Equitum Calatrauæ, hunc Ordinem Auisinorum multis & magnis prouentibus locupletasset, ille legibus & reformationi Ordinis ipsius se submisit, sub cujus regimine permansit, vsque ad tempus Ioannis magni Magistri, qui fuit filius naturalis Petri VIII. regis Lusitaniæ. Nam hic Rex, sollicitante filio, vt credibile est, hunc Ordinem Auisiorum ab Ordine Calatrauæ se junxit, illisq; injunxit, vt in suis insignibus in posterum gererent crucem viridem super trunco oblongo, sublata pyro, ad differentiam Equitum Alcantaræ, quamuis ante crucem rubram gererent, qualem gerebant Equites Calatrauæ, vt videre est in antiquo Ordinis sigillo, in quo ad basin Crucis erant duæ auiculæ, vt scribit Franciscus Radosius.

Hi regulam Cistercensium sequuntur. Quidquid sit, Radosius hos duos Ordines, Auisiorum & Calatrauæ non inepte confundit: quoniam tractu temporis ambo in vnum conflati fuerunt: contra Volaterranus fallitur, qui eos Alcantarensibus cõjungit, sicut obseruauit Hieronymus Romanus, & Consaluus Argotesius Malinensis, lib. 1. cap. 32. de Nobilitate Hispaniæ.

Ordo Equitum Mensæ Rotundæ.

22 Fertur, Artutum, regem Angliæ, cum elegisset viginti quatuor nobiles bellicosissimos & armis exercitatissimos, eos creasse Equites: quos, sicut erant pares virtute, ita pariter amabat, & vt omnem inuidiæ, atque æmulationis materiam inter ipsos præcideret, quasi vni magis faueret, quam alteri, mensam rotundam confici curauit, in qua cibum capere solebant: in qua sicut non erat superior nec inferior locus, ita nemo poterat de loci prærogatiua cum altero contendere. Hinc Equites Mensæ Rotundæ dicti fuerunt.

Vulgus in Anglia credit, hanc mensam seruari in arce Vintonensi, cui nomina Equitum, qui in hunc Ordinem adscripti fuerint, insculpta sint.

Wilhelmus Camdenus existimat, institutionem hujus Ordinis recentiorem esse, eamq; refert ad veterem consuetudinem hastiludiorum & exercitiorum militarium. Nam ne priora aut inferiora loca magnatibus, qui illis exercitiis intererant, materiam rixæ præberet, mensis rotundis vtebantur, quibus promiscue assidebant, nulla habita prioris aut posterioris ratione.

Ordo Equitum Periscelidis in Anglia.

Eduardus III. Angliæ Rex, hunc Ordinem Peri- 23
scelidis instituit, anno MCCCL. vt tolleret suspicionem, quam quidam de Comitissa Salisburiensi ab ipso, quamuis modeste, amata conceperant, cujus cæruleam periscelidem, quæ ipsi inter saltandum deciderat, sustulerat, his verbis prolatis: *In probro sit, qui sinistri quidquam suspicatur:* quoniam inter nobiles, qui aderant, risus factus erat: ipse vero ex hac periscelide se honorem & decus sibi conciliaturum respondit.

Alii dicunt, hunc Ordinem suum nomen traxisse à quadam fascia, quam Eduardus suis dedit in perpetuam memoriam victoriæ, quam Pictauii de Ioanne rege Galliæ reportauerat. Hanc fasciam sinistro cruri fibula alligant, in signum amoris & concordiæ, quæ inter sodales hujus Ordinis esse debet: palliis autem suis rubram crucem S. Georgii cum scuto attextam gerunt.

Magnus torques Ordinis, quem gestant Equites, quando in eum alleguntur, differt ab eorum periscelide aliquoties duplicata, candidis & atris rosis intermixtis. Ab eo dependebat imago S. Georgii, quem voluit esse ipsorum patronum: in cujus honorem templum magnificentissimum in arce Vindesora paulo ante condiderat.

Alii inuentionem hujus militiæ Richardo primo tribuunt, quam ab Eduardo saltem renouatam perhibent: quod tamen certitudine caret. Quidquid sit, solennia hujus Ordinis quotannis certo die in arce Vindesoria celebrantur, festo nimirum S. Georgii, Rege præside.

Ordo Equitum Balnei in Anglia.

De his Equitibus nihil certi habemus, nisi quod 24
Henricus IV. Rex Angliæ ea die, qua Londini in arce consecratus fuit, quadraginta sex viros nobiles, qui præcedenti nocte vigilauerant, & balneo vsi fuerant, Equites creauit, quibus tunicas virides cũ manicis dedit, ea longitudine, vt vsq; ad talos propenderent, cum endromide sinistro humero alligata, & funiculo duplicato ex candido serico.

Tempore præterito duo nobiles, qui in numerum Equitum nondum adsciti fuerant, eligebantur, vt in hunc Ordinem multis cum cæremoniis cooptarentur. Quod fiebat die coronationis Regum, aut nuptiarum regiarum, aut quando vnus ex ipsorum liberis inuestituram alicujus Ducatus aut Comitatus accipiebat. Nam præcedenti die togis cinereis amicti erant, quæ togis Eremitarum similes erant, cum cucullo, pileo lineo, & ocreis: atque hoc habitu S. Missam religiose audiebant: deinde cum adueſperasset, simul cænabant, & duo nobiles cum pedisequo singulis ministrabant.

Post cœnam in suum cubiculum se recipiebant, in quo vnicuique lectus erat stratus, cum stragulis rubris, cui annexa erant ipsorum insignia: deinde labrum apparatum, aptum ad lauandum, quod erat linteis obtectum, in quo, postquam se Deo commendassent, lauabant, vt puritatis animi & corporis semper memores essent. Postridie mane ad sonitũ multorum instrumentorum Musicorum excitati, easdem, quas die præcedenti, vestes induebant.

Tum

Digitized by Google

Tum Magister Equitum Angliæ cum Tribuno & aliis à Rege delegatis eos conueniebant, & vnoquoque ordine vocato, verba, in quæ jurare debebant, ipsis præibãt, quod scilicet ante omnia Deum colere, Ecclesiam defendere, Regem honorare, jura tueri, viduas & virgines protegere, quantum in ipsis esset, vellent.

Cum in hæc capita, tactis Euangeliis, jurassent, ad preces matutinas ducebantur, Musicis regiis & caduceatoribus præeuntibus. Habitis precibus, iidem eos in cubicula ipsorum reducebant, vbi exutis prioribus vestibus pallium holosericum cærulæi coloris induebant, vt significarent, ardorem bellicum, quo flagrarent, esse prorsus cœlestem. Capiti imponebant pileum candidum, cum fasciculo candidarum plumarum: & chirothecas funiculo candido palliis suis alligabant: tum equos nigro corio, cui album intermixtum erat, ephippiatos & phaleratos cruce frontibus ipsorum affixa, conscendebant.

Pedissequi ipsorum præcedebant, qui deauratos ipsorum enses, à quibus deaurata eorundem calcaria dependebant, portabant: ad vtrumque ipsorum latus vir nobilis equitabat atque hac pompa Regem accedebant, tubis præcinentibus.

Ad eum vbi venerant, à duobus senioribus Equitibus ducebantur: deinde pedissequi ipsorum enses cum zonis magno Cubiculario tradebant, qui eos magna cum reuerentia Regi exhibebat, vt iis nouos Equites accingeret: quo facto seniores Equites iubebat calcaria ipsis induere: & hi peracta cæremonia, genua ipsorum exosculari & fausta quæque iisdem apprecari solebant.

Hi noui Equites ita creati mensam Regis sternere, & in ea simul prandere, ad idem latus assidentes, solebant. Sub horam precum vespertinarum sacellum ingrediebantur, & illic enses suos super altare offerebant, quos postea certa pecuniæ summa redimebant.

Inde cum redirent, archimagirus Regis ipsis occurrebat, qui cultro suo producto minabatur, se ipsis calcaria ignominiose abscissurum, nisi fideliter & fortiter in bello se gererent. Die coronationis Regum, eos decenti pompa & ordine comitabantur, ensibus cincti, calcaribus induti, & palliis cæruleis amicti, quæ anterius tenia serica candidi coloris decussatim nodata erant, cucullo versus sinistrum humerũ dependente. Hæc sunt, quæ de hoc Ordine Wilhelmus Camdenus speciatim refert.

Insigne hujus Ordinis sunt tres coronæ aureæ in circulo aureo, cum hoc symbolo, *Tria in vnum*, suntque illæ fascia linea coccinea colligatæ.

Ordo Equitum Stellæ in Gallia.

25 Ioannes Valesius, Rex Galliæ, instituit mense Octobri anno MCCCLII. Ordinem Equitum, in memoriam stellæ, quæ Reges Bethlehemum duxit, vt Seruatorem mundi recens natum adorarent: qui appellati fuerunt Fratres B. Virginis de S. Audoën, quoniam locus, in quo domicilium habebant, ita appellabatur: qui Lutetia vno plus minus milliari distabat: olim dicebatur palatium Chelæum, quod ipsis donatum fuit cum templo, & omnibus eo pertinentibus, & inde dependentibus. Initio tantum primores regni in hunc Ordinem admittebantur. Insigne ipsorum est stella, à torque aureo pendens, aut cucullo vel parti eminentiori togæ ipsorum alligata, cum hoc symbolo: *Monstrant Regibus Astra viam.* Cum autem multi postea ignobiles & plebeii, falso prætextu, in huius Ordinis societatem irrepsissent, ille mox decus & splendorem suum amisit: adeo vt Carolus, filius Ioannis, stipatores suos jusserit illius insigne gerere, quo magis vilesceret. Hodie excubitores vrbis Parisiensis illud super sagis suis gerunt.

Ordo Equitum Annunciationis in Sabaudia.

Amedeus sextus Comes Sabaudiæ, postquam 26
hunc Ordinem instituisset, eum illustrem & celebrem reddidit magnis & opulentis prouentibus, quibus eum ex suo dotauit. Torquem hujus Ordinis voluit esse contextum quatuor lamellis aureis, quæ catenulis aureis alligatę essent, catenulis illis paruis nodis, qui laquei amoris vocantur, colligatis. Vnicuique lamellæ quatuor hæ litteræ inscriptæ erant, F E R T, cum imagine Beatæ Virginis & historia Annunciationis, quæ in medio pendebat, à qua hic Ordo nomen accepit. Quatuor hæ litteræ significabant, *Fortitudo eius Rhodum tenuit*: quod in honorem Amedei dicitur, qui vt Annales Sabaudiæ memorant, hanc vrbem Turcis eripuit, & Christo acquisiuit, vel potius eam defendit & seruauit contra Turcarum impetum: ita vt ab eo tempore Equites Rhodii insignia Ducis Sabaudiæ vsurparint, quæ erant mixta cum iis, quæ Duces Saxoniæ gerunt, quoniam primi Duces Sabaudiæ à Saxonicis originem trahunt. Illa cruci argenteæ in rubra area, quod erat proprium ipsorum insigne, addiderunt, postquam insula Rhodus ab Imperatore Constantinopolitano ipsis donata fuit. Atque hoc symbolum F E R T Amedeo & successoribus, in memoriam fortitudinis ipsius, mansit.

Cæremoniæ hujus Ordinis quotannis die Annunciationis Virginis iterantur, & creantur Equites quos Princeps eligit.

Comes autem Amedeus non satis habuit hunc Ordinem instituere, sed in eundem adscribi voluit, vna cum quatuordecim maxime illustribus in ea prouincia dominis, ita ut ipse decimus quintus esset, in honorem quindecim mysteriorum sacratissimæ Virginis Mariæ.

Ordo Equitum Velleris aurei apud Burgundos & domum Austriacam.

Philippus cognomento Bonus, Dux Burgun- 27
diæ, ex singulari amore, quo Nobilitatem prosequebatur, hunc Ordinem instituit. anno MCCCCXXX. mense Ianuario, die, quo nuptias cum Elisabetha filia Ioannis, Regis Lusitaniæ, celebrauit, ad gloriam Dei, sanctæ Matris ipsius, & S. Andreæ Apostoli: vtque animos Equitum magis inflammaret ad S. fidem exaltandam, & ad virtutem excitaret, huic Ordini titulum Velleris aurei imposuit, alludens ad vellus Gedeonis, quod fuit repertum in area, quæ ab vna parte rore conspersa, ab altera sicca

erat:

Digitized by Google

erat: sicut videre est in tapetibus ipsius tempore elaboratis, qui festo S. Andreæ, die solennibus hujus Ordinis consecrato, tenduntur. Quidam ajunt, hos Equites originem ducere à legione Thebana, sed hoc obscurius est, quam vt aliquod in eo fundamentum poni possit.

Dux *Philippus*, instituto hoc Ordine, magnum illius Magistrum se declarauit: & nouis Equitibus togam laneam, cocco tinctam, dedit, (quam filius ipsius, Carolus Audax, in Capitulo Valencinæ habito in sericam mutauit) & torquem aureum, cui igniarium intextum erat, quod ignem è silice elicere videbatur, emblema patris ipsius, & in extremo torque vellus aureum: hac lege, vt hæc Ordini restituerentur, si quando aliquis ex Equitibus decederet, quo aliis, qui iis digni essent, conferrentur. Paradinus in suis symbolis hoc insigne ita interpretatur, vt igniario hoc symbolum, *Ante ferit, quam flamma micet*: & velleri, *Pretium non vile laboris*, attribuat.

Prima officia hujus Ordinis sunt, Cancellarius, Thesaurarius, Fecialis & Graphiarius, qui judicant absq; prouocatione de omnibus cõtrouersiis, quæ inter ipsos oriuntur, & de criminibus, si quæ incidant. Philippus initio tantum viginti quinq; Equites elegit: sed triennio post sex addidit, ita vt essent triginta & vnus.

Postea Carolus V. propter varias prouincias, quibus imperabat, numerum auxit vsque ad quinquaginta & vnum. Ab eo tempore Capitulum Gandaui habitum, auctoritate Gregorii XIII. potestatem fecit Philippo II. regi Hispaniæ, quæ postea confirmata fuit Philippo III. à Clemente VIII. vt posset Equites creare extra Capitulum, quandocunq; ipsi placeret. Hi Equites ex iis solummodo familiis eliguntur, quæ in Hispania Grandes appellantur.

Ordo Equitum Ciconiæ.

28 Richardus Wasseburgicus in suis antiquitatibus Belgicis mentionem facit antiquorum Equitum Ciconiæ, à Sulio Brabone institutorum, à quo, secundum quosdam, Brabantia nomen habet: quibus hanc autem dedit, vt esset hieroglyphica nota concordiæ, quam inter eos esse volebat.

Ordo Equitum Histricis in familia Aurelianensi.

29 Carolus, Dux Aurelianensis, qui postea fuit Rex Galliæ, & sextus hujus nominis, instituit ad imitationem Philippi, Ducis Burgundiæ, Ordinem Equitum Histricis, qui in suis balteis figuram hujus animalis gerebant, cum hoc symbolo *Cominus, Eminus*, teste Paulo Iouio.

Nulli in hunc Ordinem cooptabantur, qui non essent præcipuæ nobilitatis, & armis exercitatissimi. Postea Ludouicus XII. rex Galliæ, ac propterea Dux Aurelianensis & Comes Blæsensis, tanquam illius hæres, assumsit insigne Histricis coronatæ, cum hac epigraphe. *Vltus auos Troiæ.* Ejusdem figuram monetæ imprimendam curauit, quam, sicut & lupi, Comites Blæsenses olim in suis insignibus gerebant.

Causa, propter quam Carolus hoc symbolum assumsit, hæc est, quod Histrix cominus & eminus se defendit contra canes, in quos aculeos suos, missilium instar, jaculatur. Igitur significare volens, se esse armatum contra omnes fortunæ impetus, & semper paratum se defendere contra omnes, qui vim ipsi inferrent, hoc insigni suos Equites ornauit.

Ordo Equitum Cardui Virginis Mariæ, in familia Borboniorum.

Ludouicus secundus, Dux Borbonius, cognomento Bonus, filius Petri primi, qui in pugna Pictauiensi, quam rex Ioannes cum Anglis commisit, occubuit, postquam operam suam Carolo V. & Carolo VI. regibus contra populos istos, ipsorum hostes, commodasset, reuersus ex Africa, in quam exercitum duxerat contra infideles, cum propter factiones inter domum Aurelianensem & Burgũdicam regnum ab exitio non procul abesse videretur, & Burgũdus Ordinem Velleris, Aurelianensis Histricis instituisset, Ordinem Equitum Cardui Virginis instituit, vt majorem suis armis auctoritatem conciliaret, quæ ad juuandos & protegendos Carolum Ducem Aurelianensem, Philippum Comitem Ebroicensem, & Ioannem Comitem Engolismensem, pupillos Ludouici Ducis Aurelianensis sui nepotis, contra Burgundum, qui eum nefariè occiderat, exercuit. 30 Torquis hujus Ordinis erat ex auro liliis contexto, implexis pari distantia foliis cardui, ex quibus dependebat crux, Spei symbolo adscripto.

Hoc Ordine viros nobiles ornauit, qui singulare aliquod officium familiæ Borboniæ præstiterant, cujus ipsemet magnus Magister esse voluit.

In cujus rei signum torquem suis insignibus addidit, qui totus liliis consitus erat in area argentea & rubra super scutum coloris cærulei, cum epigraphe Spei.

Emblemate isto, ex liliis & carduis composito, Dux Ludouicus constantiam suam significare voluit in omnibus aduersitatibus, quæ ipsi euenire possent, cum spe majoris prosperitatis: siquidem carduus cum foliis suis pungentibus refert afflictionem, & lilium, quod semper folia virentia habet, spem, cujus omni tempore apud antiquos nota hieroglyphica fuit.

Ordo Equitum S. Andreæ Cardui & Rutæ in regno Scotiæ.

Hugo, rex Scotiæ, cum in eo esset, vt collatis si- 31
gnis cum Athelstano rege Anglorum decerneret, conspexit in cælo crucem prælucidam ejus figuræ, in qua S. Andreas martyrium pro Domino nostro pertulit. Quod boni augurij loco habens, cum hoste congressus est, eumque victum interemit, cæsis omnibus ipsius copiis.

In memoriam huius victoriæ, quam obtinuerat, vt verisimile est, per suffragia glorioſi huius Apostoli, Rex voluit hanc crucem insignibus suis inprimi, & depingi in vexillis, quæ in ipsius exercitu ferebantur: quod etiamnum Reges Scotiæ religiose obseruant.

Hinc originem traxit Ordo Equitum S. Andreæ, qui celebris est in hoc regno: quamuis illi vulgo Equites cardui appellentur.

In-

Digitized by Google

Insignia & moneta Regis inclusa, sunt in torque hujus Ordinis carduis referta, cum hoc elogio, *Nemo me impune lacessit*: quoniam nemo carduum contrectare potest, quin pungatur.

Torquis hic contextus est ex funeaureo, pluribus nodis contorto, quibus insita sunt folia cardui, & hisce in ima parte alligata est imago S. Andreæ, præ se ferentis crucem sui martyrij.

Insignia hoc torque circumdata sunt leo rubicundus, antiquum & primum symbolum regis Fergii in endromide cærulea, duabus rubris lineis ad oram fimbriata, cum duobus ordinibus liliorum irretitorum è regione filiaurei, quod Carolus Magnus ei addidit, in signum fœderis, quod percussit cum Scotis & rege Achaio: qui hodie etiamnum super est. Nam sicut leo est insigne hujus regni: ita lilia sunt Galliæ, cujus rex erat hic Imperator, qui vt magis confirmaret hanc amicitiam jurejurando sancitam, circulo coronæ Scotiæ quatuor lilia aurea adjunxit, cum quatuor crucibus pari interuallo distantibus, lilijs tamen nonnihil extantibus, vt toti orbi constaret, Scotos tunc observatione religionis Christianæ, & integritate fidei excelluisse. Quidam institutionem horum Equitum tribuunt Carolo VI. regi Galliæ, qui antiquum fœdus Gallorum cum Scotis renouauit, quemque ajunt gratitudinis loco pro auxilio, quod Scoti rebus desperatissimis ipsi tulerant, illorum insignia suis auxisse. Prior tamen sententia certior est.

Inter Scotos etiam floruit Ordo Equitum Rutę: cujus insignia erant duo thyrsi rutæ aut cardui, à quibus dependebat imago S. Andreæ cum sua cruce. De illius origine nihil reperitur

Ordo Equitum S. Mariæ, aut Elephanti inter Danos.

32 In Dania floruit Ordo, quem ferunt institutum fuisse à patre Christiani regis, qui hoc regnum tenet.

Insignia illius sunt torquis elephantis consitus, qui turres & arces dorso gerunt, cum calcaribus intertextis, & infra habent imaginem Virginis Mariæ radijs circumdatæ, cui paruum numisma aureum adhæret, in quo tres claui sculpti sunt, eos, quibus Christus cruci affixus fuit, repræsentantes.

Insignia horum Regum, quæ sunt tres leones viridesin area aurea, lachrymis sanguineis aut cordibus hominum consiti, hoc torque ambiuntur.

Cæterum reges Danię titulum Elephanti huic Ordini tribuerunt, coq; sua insignia ornarunt, quoniam hoc animal proxime ad naturam hominis accedere & omni virtutum genere præditum esse videtur, vt fortitudine militari, prouidentia, religione, pietate & clementia regia: in eum finem, vt qui hoc Ordine decorarentur, memores essent, sibi operam dandam, vt his virtutibus eo magis excellant, quo natura hominis bestijs est excellentior.

Ordo Equitum Cypri.

33 Domus Lusignana, quę tot reges & Principes orbi Christiano dedit, inprimis regno Ierosolymæ, Armeniæ & Cypri, initia hujus Ordinis posuit, quamuis ignoretur, quo tempore id sit factum.

Insignia ipsius erant torquis aureo fune contextus cui implexi erant magni characteres: subtus pendebat gladius, cujus lamina erat argentea, & capulus aureus, quam hoc symbolum ambiebat, *Pro integritate tuenda*: vt ij, qui in hunc Ordinem adscripti erant, discerent, sibi nunquam prætermittendam occasionem, qua se generosos & fortes declarent, quoniam in eum finem gladium gerant, atque vt concordiæ & amicitiæ nexu inter se colligati essent, pro defensione patriæ & terræ sanctæ. Insignia gentis Lusignanorum cincta sunt hoc torque.

Ordo Equitum Columbæ & Rationis in Castilia.

Ioannes primus, rex Castiliæ, vt aulicos suos & 34
nobiles ad egregium aliquod & suo ordine dignum facinus aggrediendum excitaret, hunc Ordinem adinuenit, an. MCCC. Insigne illius erat columba, à qua pendebat torquis aureus, radijs solaribus intermixtis. Hujusmodi torques, cum esset Segobiæ ea die, qua celebrabatur festum S. Iacobi, magno numero distribuit in templo cathedrali quos multis cum cęremonijs & solennitatibus ab altari sūsit, & ijs, quos in hunc Ordinem cooptare volebat.

Ordo Equitum Rationis.

Idem Rex alium Ordinem instituit, quem Ra- 35
tionis appellauit, minus illustrem priori, ad quem nobiles inferioris notæ admisit, qui tamen strenuos se præbebant in exercitijs militaribus, vt in hastiludijs, & similibus.

Ordo Draconis inter Germanos & Hungaros, Tusini in Boemia, & disciplinarum in Austria.

Imperator Sigismundus tanto zelo promoven- 36
dæ religionis Christianæ flagrauit, vt non tantum multis prælijs cum Turcis decertarit, de quibus sæpius insignem victoriam reportauit: sed etiam ipso sollicitante duo generalia Concilia habita fuerint, vnum Constantiæ, alterum Basileæ, ad extirpanda schismata, quibus tunc Christianus orbis, atque inprimis Boemia & Hungaria laborabat.

Pro cumulo hujus suæ pietatis Ordinem militarem Draconis instituit, quem sic nominauit, quoniam Equites symboli loco gestabant Draconem præcipitatum, vt testarentur, dracones Ecclesiam deuorantes, nempe schisma & hæresin, ipsius opera fuisse victos & prostratos.

Hieronymus Romanus ait, tempore regis Ioannis & Imperatorum Sigismundi atque Alberti, tres Ordines illustres & insignes in Germania fuisse, quos omnes Moses quidem Didacus de Valera, Hispanus, propter egregiam suam virtutem & fortitudinem ab Alberto obtinuerit, nempe Draconicum, tanquam à rege Hungariæ: Tusinum, tanquam à rege Boemiæ, & torquem Ordinis disciplinarum, candida aquila ornatum (quod

Digitized by Google

(quod est insigne regum Poloniæ, in area rubra) tanquam à Duce Austriæ.

In historiis Hungariæ fit mentio Equitum Hungaricorum, quorum insigne erat Crux viridis alligata pallio coccineo.

Hieronymus Megiserus, Historiographus Archiducis Austriæ, in tractatu, quem de tribus Equitum generibus composuit, scribit, hunc Ordinem ante ducentos annos fuisse in Hungaria institutum, vt Turcis eam occupare volentibus resisteret.

Ordo Militum in Suecia.

37 Cura, quam olim Reges & Principes Gottorum pro perpetuando in futura secula honore & gloria, quam armis acquisiuerant, gesserunt, conspicitur in ipsorum insignibus, vexillis & scutis, quæ pluribus locis in Flandria Australi insculpta reliquerunt, in magnifico portu Angoviæ, qua in vrbe reges Sueciæ belli & pacis consilia capiebant.

Hodie etiam vetusta insignia præstantium virorum, qui olim inter populos istos floruerunt, rupibus incisa ordine alphabetico cernuntur.

Hi Reges olim symboli loco habebant duas Virgines coronatas; tela aurea vestitas, quæ se mutuo complectebantur in virenti saltu: gloriati scilicet formosis nymphis & deabus, quæ illam prouinciam frequentabant.

Post aliquot secula nihilominus Principes Sueciæ pro insignibus acceperunt tres coronas in area cærulea, propter imperii ipsorum amplitudinem, magnificas expeditiones bellicas, & inexhaustam metallorum copiam, quæ in illa regione reperitur.

Postquam ad religionem Christianam conuersi fuerunt, ad imitationem aliorum Principum Christianorum Ordines militares instituerunt, quorum aliqui pro insigni habebant torquem aureum ex compluribus Cherubinis & Seraphinis inter se contextis compositum, patriarchali cruce intermixta, & Christi imagine ornatum.

Ordo Equitum Ensis & Balthei in Suecia.

38 Alius Ordo est in Suecia, qui Ensi ferorum dicitur, quoniam torquis ipsorum erat munitus ensibus aureis baltheo colligatis, qui mucronibus cruentis collidere videbantur: quod fuit symbolum iustitiæ & armorum: quæ sunt duæ columnæ regni. Insigne ipsorum erat clypeus aureus, cujus vmbo subrufus, adpictum habens leonem flavum & repentem, & circum cum tres coronas regias, cum tot tintinnabulis rubris. Supra hunc clypeum erat galea, corona murali argentea redimita, & viridi plumarum fasciculo tecta, ex qua duo vexilla argentea prodibant, quæ in suis linteis gallos rubros depictos habebant. Ex quo hæc regio religionem mutauit, hic Ordo prorsus interijt.

Ordo Equitum Spicæ in Britannia.

39 Franciscus primus huius nominis, Dux Britanniæ, filius Ioannis quinti, & nepos Ioannis quarti, cognomento Conquestoris, qui primus hunc Ducatum in familiam Montfortiorum transtulit, quæ à magno illo Euerhardo Mommorencio originem trahit, instituit anno MCCCCL. Ordinem Spicæ, cum vt memoriam aui sui honoraret, tum vt nobilitatem suam tanto magis decoraret.

Cooptatis in hunc Ordinem dedit torquem contextum spicis frumenti, & laqueis amoris colligatum, pediculis retrorsum iactis: ita vt coronam Cereris quodammodo referret.

Ab hoc torque duabus catenulis pendebat mustela alpina supra colliculum viridem, cum hoc symbolo Ioannis Conquestoris, *Amaire*, quod significabat animam puram & generosam.

Hoc animal, teste Plinio, tam studiosum est puritatis, vt venatoribus ipsum persequentibus, & illo in latibulum suum se recipiente, si ingressum sordidum inueniat, malit se capi, quam in illud ingredi, & se polluere.

Anna, filia Francisci secundi, Ducis Britanniæ, & Margaretha Foxia, filia Gastonis Foxii & Eleonoræ reginæ Nauarræ, simile fere symbolum vsurpauit, nempe hoc, *Mori potius*, quod hodieque in arce Blæsensi cernitur.

Hic Ordo Equitum Spicæ desiit, quando Ducatus Britanniæ regno Galliæ annexus fuit per matrimonium modo dictæ Annæ cum Carolo VIII. & hoc mortuo, cum Ludouico XII. rege Galliæ.

Ordo Equitum Lunæ crescentis inter Andegauenses & Siculos.

Renatus, Dux Andium & Rex Siciliæ, Neapolis & Ierosolymæ, instituit hunc ordinem in templo S. Mauricij, quod est cathedrale Andegaui, & allectis in eum dedit torquem aureum, cui alligata erat Luna crescens, cum hoc symbolo, *Gloria crescens*. Nemo in hunc Ordinem cooptabatur, quin prius illustre aliquod fortitudinis documentum dedisset: quod cognoscebatur ex numero præliorum, quibus interfuisset, & illa designabantur bacillis, quorum singula annulo ab ipsorum collo cum fasciola pendente inclusa erant. 40

Primi hoc Ordine decorati fuerunt, *Ioannes* frater primogenitus Regis supradicti, qui fuit Dux Lotharingiæ & Calabriæ, Vicecomes Ballorensis, Estagius, Bertrandus Bellouasius, alij quorum nomina inueniuntur in templo illo S. Mauricij Andegauensis.

Equites huius Ordinis tenentur ex æquo participare fortunæ secundæ & aduersæ vnius & alterius, & sibi mutuo opem ferre in omni necessitate, neque vnus alterum armis lædere potest. Extincta familia Andegauensi per mortem huius Regis, hic quoq; Ordo interijt.

Ordo Equitum Nauis seu Conchæ.

Galli olim peritissimi erant armorũ, & in iis valde exercitati, teste Pacato, Apollinari, & S. Renato & tanto 41

Digitized by Google

& tanto ſtudio dediti erant rei nauticæ, ut decreverint, ſi uſquam urbem conderent, in qua habitarent, Navem illius inſigne futuram.

Iidem hi auctores exiſtimant, quod hanc artem à Gepidis didicerint, qui olim totum Oceanum Germanicum tenuerunt, in quo ita ſe exercuerunt, ut omnibus alijs gentibus palmam expeditionibus tranſmarinis præripuerint.

In cujus rei teſtimonium S. Ludovicus monetam quandam navis & conchis marinis ſignavit: quam etiam confirmat Ordo equitum in Gallia, qui pro inſigni gerebat duas naves nigri coloris in ſcuto aureo ex conchis marinis contexto, in quibus erant duæ Lunæ dimidiatæ coloris rubri, in memoriam tot victoriarum, quas Galli de barbaris in Oriente reportarunt, & ſignorum ipſis ereptorum, quæ figura hujus aſtri nocturni notata erant, quod Turcarum inſigne eſt, ſicut aquila Romanorum fuit, qui illud ab antiquo Byzantio mutuati ſunt, quod Lunam pro inſigni habebat, quẽ admodum Lipſius ait, ſe obſervaſſe ex Busbequio, & numis quibusdam antiquis, in quorum poſtica parte erat Luna dimidiata, cum hac inſcriptione, BYZANTION.

Ordo S. Michaelis in Gallia.

42 Ludovicus XI. morem, quo magnates torquem aureum geſtare ſolent, à Romanis ad Gallos traduxit, quando, ut auctor eſt Gaguinus, Calend. Sextil. MCCCCLXIX. Ambaſiæ ordinem S. Michaelis inſtituit, quem Pleſſiaci apud Cæſarodunum Turonum novis conſtitutionibus auxit, & ijs, quos in eum recepit, ſymboli loco dedit torquem aureum, cochleis inter ſe colligatis contextum ad ſimilitudinem earum, quas Senatores Romani exterius nonnihil prominentes brachio, geſtabant, cum hoc ſymbolo: *Immenſi tremor Oceani*: exemplo patris Caroli VII. provocatus, qui in ſuis inſignibus imaginem Michaelis Archangeli geſtabat, cum Rothomagum ingrederetur: quod is ſingulari miraculo viſus fuiſſet in ponte Aurelianenſi, defendens urbem contra Anglos eam oppugnantes. Initio tantum triginta fuerunt hujus Ordinis Equites, ex primarijs & virtute præcellentibus viris lecti, quorum Rex magnus Magiſter eſſe voluit.

Qui in hunc Ordinem recipiuntur, peculiari promiſſo ſe obligant, quod Regi dicto audientes eſſe velint, nec poſſunt ex eo expungi, niſi propter crimen hæreſeos, aut læſæ Majeſtatis, aut ſi ſtationem ſuam in bello deſeruerint, & per ignaviam fugerint.

Vno ex illis defuncto, cum alius in ipſius locum eligendus erat, id non fiebat votis & ſuffragijs, ſed ſchedulis ſcriptis, quas Veneti *ballotas* ſeu calculos appellant. Eæ in peluim mittebantur, ac poſtea à Cancellario numerabantur. Cui plures ſuffragati erant, is à Principe in locum demortui recipiebatur, his verbis: *Ordo te fratrem & ſodalem agnoſcit: quapropter tibi hunc torquem tradit, quem ut diu geſtes, faxit Deus.*

Quibus dictis unumquemque equitum in ſignum amicitiæ oſculatur. Hic Ordo habet ſuum Cancellarium, Theſaurarium, Baculiferum, S. Michaelis dictum, & Graphiarium, qui catalogum nominum, & præclare factorum Equitum ſervat.

Reges noſtri hoc Ordine etiam Principes extraneos honorant, in teſtimonium amicitiæ, qui ſi ſe hoſtes declarare velint, torquem remittunt, ut ſint liberi à juramento præſtito.

Ordo Equitum S. Georgii in Carinthia.

Rodolphus Habſpurgenſis, qui primus ex fa- 43
milia Auſtriaca ad Imperium evectus fuit, ut Hungariam, Syriam & Carinthiam contra arma Turcarum, qui exitium illis minari videbantur, defenderet, inſtituit Ordinem S. Georgij, & generali illius Magiſtro urbem in Carinthia dedit ſitu amænam, ut in ea ordinarium ſuum domicilium haberet, eumque dignitate Principis honoravit. Adhæc voluit, ut Epiſcopus illius urbis, qui ex Auſtria venerat, ab eo quoad temporalia dependeret, una cum Canonicis, qui propterea in arcem translati fuerunt, & in inſignibus gentilitijs rubram Crucem S. Georgij geſtarunt. Atque ut nihil deeſſet ſplendori hujus Ordinis, Imperator ipſi contulit arces & dominia toparcharum Cranichbegi recens occiſorum cum ipſorum familijs, nempe territoria Trautmansdorffij, Scharffeneckij & S. Patonillæ. Bernhardus Luxemburgenſis in libro, quem compoſuit de Ordinibus Militaribus, ait, Ordinem S. Georgij fuiſſe inſtitutum à Papa Alexandro VI. & Maximiliano Imperatore contra Turcas: cujus inſignia fuerunt Crux aurea cum corona in annulo aureo.

Ordo Crucis Burgundicæ in regno Tunetano.

Carolus V. Imperator & Rex Hiſpaniæ, poſt- 44
quam Muleaſſem, Regem Tunetanum, in ſuum regnum reſtituiſſet, qui ab inſigni illo pirata Barbaroſſa inde expulſus fuerat, Tunetum, victor, ſolenni pompa ingreſſus, paludamento amictus, ſupra quod crux Burgundica erat, quam in bello geſtare ſolebat, cum eſſet magno & excelſo animo, qui omnium benevolentiam ſibi conciliare volebat, & viros fortes ac ſtrenuos, qui egregiam in hoc bello ipſi operam navaverant, præmio ornare vellet, inſtituit hunc Ordinem Crucis Burgundicæ, anno MDXXXV. die S. Mariæ Magdalenæ: cui cruci igniarium addidit, quod ſcintillas ex ſilice eliciebat, cum hac inſcriptione, *Barbaria.*

Ordo Equitum S. Stephani in Etruria.

Coſmus Mediceus, Dux Florentiæ, anno M. 45
DLXI. inſtituit Ordinem S. Stephani Protomartyris eo die, quo pugna die VI. Auguſt. ad Marcianum commiſſa victoriam obtinuerat: eodemque anno, Calend. Februarij Papa Pius IV. eum confirmavit, concedens Equitibus hujus Ordinis omnia privilegia, quæ habent Meliteńſes, ſub regula S. Benedicti, hac lege, ut qui in hunc Ordinem cooptarentur, voto charitatis, caſtitatis con-

Digitized by Google

jugalis & obedientiæ se obligarent, & essent nobili genere, ex legitimo thoro procreati, atq; in primis Catholici, & nulla infamiæ nota aspersi.

Gestant togam undulatam candidi coloris, cum cruce rubra ad sinistrum latus, quæ pallijs ipsorum & vestibus quotidianis attexta est. Officium ipsorum est, arma gerere terra marique pro defensione fidei Christianæ, redimere captivos Christianos, subvenire pauperibus, & quotidie centum orationes Dominicas & totidem salutationes Angelicas, ordinarij exercitij spiritualisloco, recitare: quibusdam tamen ferijs solennibus numerum duplicant. Quando aliquis ex ipsorum sodalitio moritur, centum apud se orationes Dominicas & centum salutationes Angelicas aut officium mortuorum recensere tenentur.

Magnus ipsorum magister est Dux Florentiæ: forma Crucis ipsorum est Melitensi similis: habent quoq; presbyteros & Fratres ministrantes.

Ordo Equitum Sancti Spiritus in Gallia.

46 Henricus III. rex Galliæ & Poloniæ, in perpetuum pietatis & gratitudinis testimonium pro beneficijs, quæ à Deo acceperat die missionis Spiritus S. cum eodem die fuisset electus in regem Poloniæ, fratri defuncto Carolo IX. in regnum Galliæ successisset, & hanc lucem primum aspexisset: instituit hunc Ordinem Spiritus Sancti anno MDLXXIX. Calend. Ian. Lutetiæ, in templo Eremitarum S. Augustini.

Hic ordo fuit institutus pro extirpandis hæresibus, & amplificanda religione Catholica, Apostolica & Romana.

Rex iste voluit, ut Equites in cæremonijs gestarent pallium holosericum nigrum, lilijs & flammulis aureis & argenteis acu pictis consitum, cum magno torque aureo, lilijs & flamulis intertextis, in cujus extremitate est crux Melitensis, quæ in medio habet columbam. Extat liber peculiaris de hoc instituto, qui satis est vulgaris.

Ordo Equitum sacri sanguinis Domini nostri IESV Christi, Mantuæ.

47 Vincentius Gonzaga, quartus Dux Mantuæ & secundus Montis-ferrati, instituit hunc Ordinem, anno MDCVIII. in nuptijs filij sui Francisci cum Margaretha Sabauda, pro defensione & propagatione Religionis Christianæ, allectis in hunc Ordinem viginti Equitibus: qui ordo fuit confirmatus à Papa Paulo V.

Quoniam verò Ecclesiastici templi S. Andreæ, quod est Mantuæ, credunt, se habere partem spongiæ Domini nostri, & tres sanguinis ipsius guttas, à S. Longino, centurione & Martyre, collectas, Dux Ordinis sui titulum inde sumsit, cum hac epigraphe: *Nihil isto triste recepto.* Torquem confici curavit ex virgulis aureis colligatis, supra quas est ignis, intermixtis alijs particulis, quibus hæc verba inscripta sunt: *Domine probasti me:* hoc symbolo indicare volens, eos, qui in hunc Ordinem adscripti essent, in summis adversitatibus sibi mutuo fidem præstare, & in perpetuam amicitia atq; concordia vivere debere.

Ordo Equitum B. Virginis in Monte Carmelo, & S. Lazari in Gallia.

Sub initium hujus Tractatus dictum est de conjunctione horum duorum Ordinum, S. Mauricij & S. Lazari in Sabaudia: sed Equites S. Ioannis obtinuerant etiam à Papa Innocentio VIII. ut Ordo S. Lazari cum suo quoque in Gallia conjungeretur: quod duravit usq; ad Amarum Castum. Hic cum esset Eques S. Ioannis & magnus Magister Ordinis S. Lazari conatus est efficere, ut bona, quæ ad sodales suos pertinebant, ipsis redderentur. 48

Hunc ipsius conatum mors intercepit: sed nostra ætate *Philibertus Nerestanus,* non minus pietate & modestia quam robore & fortitudine præcellens, vestigia antecessoris sui sequutus est, quāvis non esset Eques S. Ioannis, ut ille: atq; in hunc finem Romam profectus est ad Papam Paulum V. ubi voti compos factus est, atq; insuper obtinuit, ut Equites Galli S. Lazari nominarentur Equites B. Virginis montis Carmeli & S. Lazari: & ut pro insigni in collo gestarent crucem violaceam, in qua esset imago B. Virginis, & alteram lateri pallij ipsorum attextam, ejusdem coloris & figuræ.

Ordo Funigeræ vel Funis institutus ab Anna Britannica, regina Galliæ.

Quemadmodum Anna Britannica, regina, sponsa Caroli VIII. Princeps fuit casta & virtute prædita: ita fœminas honestas & virtutis studiosas magni semper fecit, quarum merita ut magis honoraret & debitis præmijs afficeret, instituit Ordinem Funigeræ, ad imitationem Regum, qui multos Ordines Equitum instituerunt, & fœminis illis funem dedit, loco fasciæ aut torquis equestris, admonens eas, ut viverent caste & sancte, & funium ac vinculorum Iesu Christi semper meminissent. Ipsamet, ut eas tanto magis ad virtutem & reverentiam hujus funis aut funigeræ stimularet, scutum suum, lilijs Galliæ & mustela alpina Britanniæ intersectū, eo circumdedit, quemadmodum Reges nostri suis scutis torques suorum Ordinum S. Spiritus & S. Michaelis prætexunt. 49

Equites à Pontificibus instituti.

Summi Pontifices multos Equitum Ordines instituerunt, nempe Iesu Christi, S. Spiritus, S. Petri, S. Pauli, S. Georgij, Papę Pij, Lauretanę, S. Antonij, Iulij & Lilij. Atq; horum Equitum alij sunt Ecclesiastici, alij laici, omnes stipendiarij Papæ, crucibus diversorum colorum à se invicem distincti.

Equites Iesu Christi gestant crucem rubrā, qualem Equites ejusdem nominis in Lusitania gestant, quæ limbo aureo includitur. Primus eos instituit Papa Ioannes XXII. ut tradunt Franciscus Tarafa, & Ioannes Confetrius in descriptione privilegiorum Mendicantium. 50

Equites S. Spiritus, qui Romæ fratres Xenodochij Spiritus S. dicuntur, gestant Crucem candidam super suis togis aut pallijs. Eramus Azo- 51

rius

Digitized by Google

rius ait, in Saxonia quoque Ordinem esse Equitum Spiritus S.

52 Leo X. instituit Equites S. Petri contra Turcas, ut refert Alphonsus Ciaconius in historia Pontificum & Cardinalium: quos Papa Paulus III. confirmavit.

53 Equites S. Georgij auctorem habent Alexandrum IV.

54 Papa Pius IV. anno MDLX. instituit eos, qui ab ipsius nomine appellantur, quos voluit omnium Imperatorum & Principum Ordines, atque ipsos Equites Melitenses antecedere, quoniam erant ipsius domestici & commensales.

55 Sixtus V. anno MDLXXXVI. instituit Equites Lauretanæ.

Hæc summatim dicta sint de Ordinibus Equitum, qui aliquod nomen inter Christianos obtinuerunt. Statutorum & constitutionum, quas singuli habuerunt, particularem descriptionem Lector apud auctores inveniet.

INSTITVTIO ORDINIS EQVITVM militiæ Christianæ, factæ à Duce Niuernio, anno MDCXX.

56 Sequuntur statuta Ordinis Equitũ militiæ Christianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaelis, instituti à Carolo Gonzaga Clivensi, Duce Nivernio & Rethelensi, Patricio Franciæ, &c. & Adolpho, Comite Althamense, &c. Olmuzij, metropoli Moraviæ, die Sabbathi, XVII. Nov. MDCXVIII. & postea recepti & assumpti Viennæ in Austria, die Veneris VIII. Martij MDCXIX. à multis Principibus & dynastis diversarum nationum in eum finem congregatis.

I.

Hic Ordo pro basi habet duo præcipua legis divinæ præcepta, *Amare Deum toto corde & tota anima: & proximum sicut se ipsum.* Scopus ipsius est, pacem & concordiam inter Principes & populos Christianos sancire, & ex infidelium manibus eripere eos, qui ab illis opprimuntur.

II.

Omnes Ecclesiastici & Laici, cujuscunq; nationis, in hunc Ordinem recipi poterunt, modo ijs, quæ sequuntur, qualitatibus sint præditi.

III.

Prima est, ut Candidatus hujus Ordinis sit vita & moribus probus, inculpatus, nulla infamia notatus, nec supra facultates, quas habet, obæratus.

IV.

Altera ut sit legitimo matrimonio procreatus, exceptis filijs naturalibus Imperatorum, Regum & Principum supremorum.

V.

Tertia, ut probet, se nobili genere natum, usque ad quartam generationem, aut demonstret, se aut patrem suum supremum militiæ ducem fuisse, aut aliam eminentem dignitatem suo merito & virtute obtinuisse.

VI.

Quarta, ut annum ætatis duodecimum complerit, antequam in hunc Ordinem admittatur, & decimum octavum, antequam aliquod munus ipsi committatur.

VII.

Hic Ordo constabit capite, duodecim cœnobiarchis, septuaginta duobus crucigeris magnæ crucis, commendatoribus & Equitibus.

VIII.

Quoniam fundamentum & scopus modo dicti Ordinis desiderium in quibusdam præstantibus & fortibus viris excitare poterit eum capessendi, quibus forte deerunt certa & indubitata suæ nobilitatis documenta, illi in armorum societatem recipientur, modo alijs, quæ requiruntur, qualitatibus instructi sint, neq; quidquam commiserint, quod Ordini deroget: atque etiam suis meritis & officijs Ordini præstitis ex gratia ad majorem dignitatem pervenire poterunt.

IX.

In hoc Ordine diversa officia constituentur, quorum aliqua Crucigeri magnę crucis, alia Commendatores & Equites, quædam fratres seu socij armorum, secundum officiorum illorũ dignitatem exercebunt: prout specialius determinabitur in primo Capitulo generali, quod intra triennium celebrabitur, eo loco, de quo inter ipsos conveniet, & qui aptissimus videbitur ad electionem supra dicti Capitis, & aliorum præcipuorum Officialium Ordinis.

X.

Qui sese offerent, vt in hunc Ordinem recipiantur, in eum tanquam Equites admittentur, ut postea ad alias dignitates evehantur: nihilominus donec Capitulum generale fuerit convocatum, recipi poterunt cœnobiarchæ, Crucigeri magnæ Crucis & Commendatores, ut Ordo viris dignis, qui illa munera administrent, compleatur: sed post illud Capitulum generale nemo, quamvis eminenti loco constitutus, aliter quam per gradus modo dictos in eum cooptabitur.

XI.

Recipiendus in hunc Ordinem, post factam exhomologesin, in templum aut sacellum à duobus senioribus Ordinis, qui in eo erunt, introducetur, & in genua provolutus, sine gladio & pallio ab ijsdem coram eo sistetur, qui Ordinem ipsi conferendi potestatem habebit, qui prius sacramentum, cujus formula ad calcem horum statutorum subijcietur, ab ipso exiget: deinde habitum infra descriptum, gladium & Crucem ei dabit, ipsumq; amplectens dicet: *Recipimus te in Ordinem Equitum Militiæ Christianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaelis, ut ipsorum intercessione S. Trinitas te confirmet in gloria nominis sui, ad pacem Christianorum, & liberationem eorum, qui sunt oppressi ab infidelib. Amen.*

Quo facto Eques surget, & duos, qui ipsum comitati sunt, amplectetur, deinde cæteros omnes Ordinis socios, qui aderunt: & à duobus illis ad altare ducetur, ut Missam religiose audiat, & illa dicta communicet.

Digitized by Google

XII.

Hic Ordo pro insigni habebit duas Cruces, unam auream, cæruleo colore pictam, ad cujus latus unum erit imago B. Virginis, Dominum nostrum suis brachijs gestantis ad alterum Sanct. Michaelis: atque hæc crux collo gestabitur fascia serica cærulea, & auro tres digitos lato, tam à Crucigeris magnæ Crucis & Commendatoribus, quam Equitibus: alteram ex holoserico cæruleo, auro intexto: in cujus medio erit imago B. Virginis, radijs aureis circumfusæ, duodecim stellis coronatæ, Dominum nostrum brachijs & sceptrum dextra tenentis, & Lunam crescentem sub pedibus habentis: circa quam erit funis Sanct. Franciſci, & ex quatuor angulis modo dictæ crucis totidem flammæ aureæ prodibunt. Hæc crux ad latus sinistrum pallij gestabitur, tam à Crucigeris magnæ Crucis & Commendatoribus, quam Equitibus, ita ut nullum sit inter illas discrimen, nisi quorundam radiorum aureorum.

XIII.

Die qua cæremoniæ peragentur, Crucigeri magnæ Crucis, Commendatores & Equites omnes habitum interiorem gerent candidum, cum gladio argenteo, vagina & zona candida: Crucigeri autem magnæ Crucis supra habitum illum candidum dalmaticam ex tela aurea coccineis floribus conspersa, manicis in medio sectis, & usque ad genua propendentem, candido multitio suffultam, & segmentis aureis fimbriatam gestabunt: cui superinijcient magnum pallium russum cum syrmate, candido serico suffulto, limbo aureo prætextum, dextro latere apertum à summo ad imum, & ad humerum funiculo contorto alligatum, cum fimbrijs ex serico coccineo & auro. Pallium illud à sinistra attolletur, ne brachium & gladius impediantur. Desuper obtegetur palliolo ex pellibus armellinis maculosis, quod usque ad cubitum descendat. Supra illud gerent magnum torquem Ordinis, quindecim funibus S. Franciſci & totidem stellis manu aurificis elaboratis contextum, in cujus ima parte Crux aurea, de qua paulo ante diximus, tribus catenulis alligabitur: & in anteriori parte magni pallij altera illa, ex cæruleo holoserico & auro intexto facta. Pileum habebunt pellibus armellinis maculosis fartum, cujus ora ex rubro cocco dimidium pedem lata erit, aureo limbo fimbriata, quatuor locis pari intervallo dissectum, & undique replicatum: cothurnos gestabunt ex corio rubro Hispanico, qui dimidiam tibiam tegant, & orbiculis aureis ad latera claudantur.

XIV.

Commendatores vesti candidæ imponent Dalmaticam sericam cærulei coloris, multitio candido suffultam, limbo cæruleo fimbriatam: supra eam gestabunt magnum pallium cæruleum vndulatum, candido multitio suffultum, cum palliolo ex serico candido, infra quod magno pallio annectetur crux ex holoserico cæruleo & auro intexto. Cothurni erunt ex corio Hispanico cæruleo, cum orbiculis ex serico cæruleo, eadé forma, qua Crucigerorum magnæ Crucis. Insuper gestabunt pileum pellitum ex holoserico nigro, cum spira rotunda ex multitio candido.

XV.

Equites supra habitum candidum gestabunt Dalmaticam ex multitio candido, ejusdem coloris panno suffultam, magnum pallium candidum undulatum, similiter suffultum, & palliolum sericum cæruleum, infra quod magno pallio annectetur crux ex holoserico cæruleo auro intexto: cothurnos cæruleos cum orbiculis ex serico cæruleo: pileum ex holoserico nigro, cum spira candida, ejusdem cum vestibus modo dictis materiæ.

XVI.

Fratres armorum gestabunt in collo supradictam crucem encausto pictam, cum funiculo contorto ex serico cæruleo, & ad sinistrum latus pallij crucem ex holoserico cæruleo, qualis est Equitum, exceptis fimbrijs, & textura auri, quibus carebit.

XVII.

In unaquaque provincia, in qua Crucifer magnæ Crucis & tres Commendatores erunt constituti, tria templa vel sacella locis diversis fundabuntur, B. Virgini & S. Michaeli consecrata, in quibus tres sacellani Crucem Ordinis gestantes Missam omnibus diebus festis & Dominicis celebrare tenebuntur.

XVIII.

In ijsdem provincijs erit domus, in qua conventus habebuntur, quoties negotia Ordinis id postulabunt, & ij, qui hujus sunt Ordinis, hospitio excipientur.

XIX.

In unoquoque duodecim cœnobiarchatuum Academia erigetur pro institutione viginti quinque juvenum Equitum, cum in bonis moribus, tum scientijs & exercitijs honestis: qui quando triennium aut aliquanto minus in ijs fuerint, iter facere, aut in navibus Ordinis mari se committere tenebuntur.

XX.

In supradictis provincijs quotannis, sacro die Iovis, sex pauperes cærulea veste, in nomine B. Virginis, tres rubra, in nomine S. Michaelis, tres cinerea in nomine S. Franciſci donabuntur: postea Crucifer magnæ Crucis, aut eo absente senior Commendatorum, præsentibus Equitibus provinciæ, qui in hunc finem convocabuntur, pedes pauperibus illis lavabit, prandium præbebit, & in mensa ministrabit.

XXI.

In ijsdem provincijs quotannis, die assumtionis B. Virginis, ex quindecim pauperibus & honestis filiabus delectis tres sorte legentur, quæ in matrimonium collocabuntur, singulis data quinquaginta librarum dote.

XXII.

Qui in hunc Ordinem cooptabuntur, singulis annis, diebus & festis assumtionis B. Virginis, S. Michaelis aut Sanct. Franciſci peccata sacerdoti confiteri & Eucharistiam sumere tenebuntur: singulis

Digitized by Google

singulis diebus Sabbathi Missam audient, quę dum canitur, litanias B. Virginis recitabunt, & in casu legitimi impedimenti eleemosynas quasdam pro sua pietate distribuent: adhæc pridie festorum B. Virginis à carnibus abstinebunt.

XXIII.

Viduarum & orphanorum peculiarem curam gerent, & Xenodochia ad minimum quatuor ferijs annuis, & festo assumtionis B. Virginis visitabunt, si in eo loco sint, in quo possint hoc opus charitatis exercere.

XXIV.

Si quis ex ipsis in negotio ab Ordine ipsi demandato capiatur, & in servitutem redigatur, sumptibus communis ærarij redimetur.

XXV.

Si quis ex ordine decedat, Secretarius cænobiarchatus, in cujus districtu obijt, alijs cænobiarchatibus id notum faciet, ut in singulis presbyteri & sacellani instituti ab hoc Ordine Missam pro salute animæ ipsius celebrent. Sed si moriatur in conflictu aut generoso aliquo facinore pro cultu Dei & ministerio Ordinis, ut ipsius memoria tanto magis honoretur, singularis quædam ac solennis cæremonia peragetur, ad quam omnes Commendatores & Equites à Crucigeris magnæ Crucis singularum provinciarum convocabuntur, ad quam convenire tenebuntur, nisi legitimum aliquod impedimentum ipsis obveniat. Et si facinus, quod perpetravit, oratione funebri dignum judicabitur, quidam, qui sit idoneus, ad eam habendam invitabitur.

FORMVLA VOTI ET IVRAMENTI quod præstabitur super sancta Evangelia ab eo, qui in numerum Equitum recipiendus offertur.

Ego N. testor coram Deo, & juro per meam Nobilitatem, me inviolabiliter observaturum statuta Ordinis Equitum Militiæ Christianæ, sed titulo B. Virginis & S. Michaelis, cum articulis sequentibus: Primo, me omnibus vijs licitis & æquis procuraturum pacem inter Principes & populos Christianos, atq; etiam cum modo dicto Ordine.

Secundo, me operam daturum, ut Christiani, qui ab infidelibus oppressi sunt, & captivi detinentur, liberentur.

Tertio, me fidem Regi, aut supremo meo Principi servaturum sub pœna exauctorationis ab hoc Ordine.

Quarto, me semper Crucem, insigne Ordinis gestaturum.

Quinto, me prompte superioribus hujus Ordinis, in ijs; quæ ad ministerium & incrementum illius pertinent, obtemperaturum.

Ita juro & promitto.

Præstito juramento, qui mandatum ab Ordine habebit, ut Equitem illum recipiat, postquam habitum, gladium & Crucem ipsi dederit, verba supra articulo undecimo posita pronunciabit.

Actum & decretum Olmutzij, die Sabbathi XVII. die Nov. MDCXVIII. Signat. Carolus, Dux Nivernius: & Adolphus Comes Althamensis.

INSTRVMENTVM ACCEPTATIONIS Statutorum supra positorum, ab iis, qui primi Vienna huic Ordini nomen dederunt.

Nos infrascripti, postquam in supradictum Ordinem recepti fuimus, acceptavimus & accepta-mus statuta supra posita, quæ promisimus & promittimus nos observaturos secundum ipsorum formam & tenorem. In cujus rei fidem chirographa nostra hic apposuimus, sigillo nostrorum insignium adjuncto. Viennæ in Austria, die Veneris, VIII. Martij MDCXIX. subscripserunt,

Radulius, Princeps Valachiæ.
Iulius Henricus, Dux Saxoniæ.
Samuel, Dux Coreskius.
Albertus, Dux Razivilius.
Georgius, Comes Homanaius, magnus Cubicularius regni Hungariæ.
Stanislaus Labomierskius, Palatinus S. Domieri.
Lucas Opalinskius, Castellanus Pannoniæ.
Ioannes Vincentius, Comes Arconensis.
Henricus Vallensis, Comes Dampirius.
Ioannes Christophorus, Comes Buchamius;
Emanuel Sabaudus, Marchio Villarsius.
Ludovicus Gotanus, Marchio Rovillacensis.
Nicolaus Petraskus; Vaivoda Valachiæ.
Abrahamus Marchio Mirouæus.
Iqannes Comes Conopaskius.
Erasmus S. Stephani.
Franciscus Tegnagelius
Stephanus Baro Kendius.
Paulus Liesneuvolskius.
Fridericus à Geisberg.
Gustavus Baro Sparrensis.
Marcus Antonius Scotus, Comes Dagazanus.
Petrus Tarnoskius.
Martinus Baro de Strasoldo.
Petrus Braniskius, Comes de Rusca.
Rudolphus Baro Oppersdorensis.
Gasparus Neuhauserus.
Paulus Baro Spavurensis.
Burckardus Zalderensis.

Et aliquot post diebus Ferdinandus Dux Mantuæ, huic Ordini nomen dans, suprapositis Statutis similiter subscripsit.

Hic Ordo fuit confirmatus Romæ VI. Febr. anno MDCXXIV. à Papa Vrbano VIII. præsente Duce Nivernio, qui habitum & Crucem una cũ multis alijs Equitibus & dynastis illius Ordinis gestabat: cæremonia fuit peracta à Cardinali Sforcia, filio Regis Fezani: in eumq; Ordinem admissi & recepti fuerunt à Pontifice Marcus Antonius Comes Placentinus, duo Comites Galli, & Baro Polonus.

Digitized by Google

DISSERTATIO DE FOEDERE HANSEATICO ET SOCIETATIBVS Indicis, BREVIS.

[De Rebusp. Hanseaticis scripsere P. Bertius, Werdenhagius, Wehnerus, Besoldus, Isac Pontan. Crantzius, Georg De Bruyn, &c. De Societatibus illis Tractatus peculiares inter Belgas & Conscriptæ Navigationes diversæ, Marcus Zuerius Boxhornius, Hugo Grotius, Caspar Barlæus &c.]

SUMMA CAPITA.

1. *Nominis Hanseæ ratio,*
2. *Origo & causæ fœderis hujus*
3. *Membra ad fœdus hoc pertinentia, eorumq; Emporia stapulæ.*
4. *Privilegia hujus fœderis à quibus Magnatibus data aut confirmata.*
5. *Leges peculiares quas habet Hansa.*
6. *Robur ejusdem & autoritas.*
7. *Catalogus Civitatum ad fœdus pertinentium.*
8. *Societatum Indicarum origo & ratio.*
9. *Divitiæ & robur Societatum.*
10. *Novella transactio cum Regibus, Hispano & Lusitano.*
11. *Comparatio harum Societatum cum alijs consimilibus nautarum conatibus.*
12. *Monela ad societates.*

QVid nocebit, si Ordinibus hisce militaribus adjungamus, etiam alios quosdam valde nobiles Ordines civiles, nempe Hansæ & Societatum Indicarum. Nervus enim rei militaris post agriculturam & pecuariam victus amictusque adminicula & negotiatio, seu mercatoria; inprimis quæ fit per mare, aliosque fluvios navigabiles. Inde magna auri argentique vis, aromata & nescio quæ non humanæ vitæ cum sustentacula tum ornamenta advehuntur. Hinc nexus & communicatio unius Orbis partis cum alterâ; ipsius Americæ & ultimæ Thules cum reliquis propioribus: egregia donorum Dei terrâ marique nascentium commutatio; & quæ consimilia sunt ejus rei commoda. Occurrit inter alia exempla, Iasonis Societas quærens aureum vellus, & ideo in Colchidem magno ausu olim tendens. Figura mihi videtur rei de qua dicturus sum.

1 Et quidem antiquam illam Hansam quod attinet, illa est fœdus terrarum illarum, quæ longo illo tractu à Narva fluvio Livoniam à Russia dividente, in cujus ostio duæ ejusdem nominis sunt civitates, quarum altera Narva Germanica altera Ruthenica dicitur, incipit ac usque ad Rheni fauces extenditur, ubi inter Hollandiam & Selandiam mare ingreditur. Dicuntur civitates Ligæ sive fœderis illius Hansaticæ vel Hanseaticæ. Ratio nominis variè à varijs adducitur. Sunt qui deriv ent à voce Gothicâ *Hansi*, significante valde opulentos & prædivites. Alij conijciunt descendere à vocabulo Germanico *Hands* manum exprimente, ut significet fidei vinculum, & unionis quæ duabus manibus conjunctis adumbratur: Sudermannus & alij, dici à fœdere seu concilio, quod veteres Saxones vocarint *Hansam*, producentes eum in sensum ex quodam pervetusto Novi Testamenti exemplari in Monasterio Verdensi eâ linguâ scripto locum quempiam: alij, sic vocari à maris littore, (An See Stätte) quòd sitæ sint urbes ad mare: alij, ab ipsâ mercaturâ, quasi (Handel Stätte) negotiatoriæ, &c. Omissis adhuc alijs gravissima videtur decompositi illius ratio, quam optimam censet Werdenhagius ante se observatam à Wehnero ex Constitutione Imperiali de anno MDXLII. ubi vocentur expresè, Haym vnd Seestätte; quasi dicas, *Campestres & maritimæ civitates*, Campestres, propter Saxonicas & alias, quæ non ad mare sed in convallibus & planis locis sitæ sint, ut Brunsuicum, Magdeburgum quædam etiam Westphalicæ, ipsa Colonia &c. Maritimæ propter reliquas ad Oceanum sitas. Inde itaque contracta in unam voce (Hanse Stätte) Hanseaticas esse appellatas.

Orta autem est Hansa à Germanis mercatoribus ad mare Balthicum habitantibus, non tam lucri proprij causæ, quàm communis commodi. Bertius causam statuit Hunnorum aliarumque barbararum gentium excursionem & immanitatem, cùm viderent eam Saxoniæ, Pomeraniæ & Marcæ Brandeburgensi impendere. Ideoque ut eò melius furori barbarico resistere, se suosq; defendere possent, mercatura interim per mare & exportatione mercium in loca vicina per fluvios Albin, Visurgim &c. liberâ conservatâ; convenisse inter sese civitates maritimas ab ijsque non ita procul dissitas, & certis capitibus fœdus hoc erexisse mutui auxilij & commercij ad sui conservationem. Conspirarunt autem in eam societatem temporis posteà labentis successu plures ab

2

ultimo

Digitized by Google

ultimo apud Finnones maris Balthici receſſu ad oſtia uſque Rheni urbes præcipuæ. Initium eſt igitur referendum ad finem ſeculi à Chriſto nato quarti. Sed obſcura hæc Veteris Lubeccæ, (quæ caput fuerat unà cum Hamburgo & Bremâ ejus ſocietatis) primordia ad fœdus iſtud varijs jactata fortunæ procellis ob Regum Daniæ, Norvegiæ, Herulorum, aliorumque vicinorum cædes & cruenta bella aliquoties fuére obl terata; illa duabus vicibus primo à Rugianis unà cum arce ſuâ deſtructa, & deinde, cum vix beneficio mercatorum reſtituta eſſet, iterum dirutâ tempore Pribislai circa annum MCXXXVI. Verùm ab illo tempore novâ illâ, adhuc florente, Lubecca non procul inde reædificatâ ad eum locum Anno MCXL. ubi rudera Critonis invenirebantur, & eò confluentibus multis ex Weſtphaliâ, Friſia, & Hollandiâ civibus, ea res adeò ſolertes, ingenioſos & laborioſos denuò reddidit Lubeccenſes, ut per mercaturę exercitium, præſertim quod ad Norvvegias & paſſim in Mari ad Moſcoviam uſque extendebant, eouſque accreverint, ut etiam invidiam Ducis Saxoniæ Leonis aliorumq; ſibi conciliaverint. Vnde occaſio nova enata eſt, ut civitates maritimæ fœderis conglutinatione coierint. Sicut etiam Bremenſes, animorum magnitudine excitati, qui ex ſuorum numero ſe moverant per mare anno MCLVII. novi honoris & lucri quærendi cauſa, tempeſtatibus adacti in fluvium Dunam conſederunt Dunemundæ uno milliari infra locum, ubi poſt anno MCXCVIII. Riga civitas extructa eſt: ubi Livones, uti habet Chronicon Bremenſe amicitiam cum eis & jus commerciorum pacti ſunt: prout etiam Lubeccenſes, Hamburgenſes & Bremenſes in Norvvegia circa idem tempus talem inceperunt cum Anglis ex jure commercij amicitiam & pacta colere, cùm illi pannos & alias ad eam gentem res diſportarent, ne eſſet commerciorum confuſio.

3 Dividitur autem Hanſa Teutonica in quatuor Regiones ſeu Respublicas, Lubecenſem, Colonienſem, Brunſvicenſem & Boruſſicam. Sunt qui diſtribuant in Civitates Vandalicas & Ultra-Vandalicas (Wendiſche vnd Vberwendiſche Stätte) inter quas quatuor membrorum capita, ubi Comitia ordinariè haberi debent ſunt Lubecca, Colonia Agrippina, Brunoniſvicus & Dantiſcum ſeu Gedanum, Reliquarum catalogum paulo poſt exhibebimus. Pro bono ſuæ ſocietatis & populorum variorum, ad quos merces diſtrahuntur, quatuor primaria ſibi olim elegerunt univerſalia Emporia: videlicet *Bergas* in Norvvegiâ, Novogardiam magnam in Ruſſiâ, Londinum in Britanniâ, & Brugas in Flandriâ: ſed factum eſt poſteà injuriâ temporum, ut loco Novigradij Moſchorum Revaliam & pòſt certâ de causâ Narvam Livonicam; loco Brugarum autem Antuerpiam non ſine magnâ eorum locorum jacturâ elegerint. Quanquam pro Antuerpia ferè Amſterodamum obtineat hodie; & ab Anno MDCXX. conſenſu magni Ducis commeatus ex Livoniâ redierit Novogardiam. Lubecca corona omnium civitatum Saxonicarum (uti vocatur in Chron. Sax. à Chytræo) eſt caput etiam reliquarum trium hac prærogativâ, ut conſilio & aſſenſu ſex civitatum vicinarum in publicis neceſſitatibus totam Ligam aut omnes confœderatos convocare poſſit. Congregatio Senatus Mercatorum aut eorum nomine Legatorum eſt in ipſa Lubecâ, ubi eſt Cancellaria fœderis & Archivum. Quòd ſi civitas aliqua recipi velit ut membrum in ſocietatem, eam oportet eſſe. 1. aut maritimam, aut in fluviorum navigabilium ripæ, quò ex maris vicinitate ſit commoda negotiationi. 2. Liberam, ità ut portarum ſuarum claves habeat in poteſtate, & civilia exerceat judicia, quamvis de cætero Principem aliquem agnoſcat ſuperiorem. 3. Imperialem: hinc non poſſunt recipi, quæ ſunt ſub exteris Regibus. Dantiſcum enim cùm reciperetur, erat ſub Imperio, cum alijs Boruſſiæ civitatibus, licet nunc ob graves cauſas ab illo ſeparatæ Poloniæ Regibus ſe ſubjecerint.

Privilegijs gaudent Hanſæ illuſtribus, modo 4
ſatis accuratè obſervarentur. Antiquiſſimum, quod ſciam, eſt ab Henrico III. Rege Angliæ datum Anno MCCVI. Occaſio erat, quòd preſſo bellis Regi auxiliares multas naves adduxerunt, ea prius pacta conditione, ut ſi quæ navis aut frangeretur aut amitteretur, ejus pretium à Rege æquâ factâ æſtimatione reſtitueretur. Ceſſit ea res feliciter, ut Rex Hanſeaticorum operâ ſuperatis hoſtibus victoriam reportârit. Sed cùm reditum parârent naves ad ſuos, magnâ afflictæ & disjectæ tempeſtate ferme omnes perierunt. Vnde Hanſæ reſtitutionem damni à Rege ex pacto poſtulant. Cùm autem Rex non eſſet ſolvendo, videns debitum ex mora creſcere, ita cum mercatoribus transegit, ut ipſis concederet diplomate regio dato facultatem exercendi, plenè mercaturam, importandi exportandique merces, ſoluta tantum centeſima pro vectigali: Hoc privilegium irrevocabile voluit poſteris eſſe; veluti etiam à Regibus XIV. ſubſequentibus fuit confirmatum. Sed Dantiſcani eas immunitates Anno MDXCVII. aliquatenus turbarunt, teſte Meterano in Hiſt. Belg. Huic Anglicano proximum eſt Normannicum Regis Olai. III. qui alias etiam vocatur Magnus V. ſub dato Tunsbergæ Anno MCCLXXVIII. quod Mercatores Hanſæ hoſpites ſibi gratos pronuntiat, ſecuritatem & libertatem ab excubijs aliiſque oneribus civilibus pollicetur. Tertium eſt Regis Erici & Haquini VI. ab anno MCCXCIV. poſteà amplificatum ab Haquino VII. Anno MCCCXIX & ſub dato Kallingburgi Anno MCCCLXXVI. Similiter ab ipſis Imperatoribus Carolo IV. anno MCCCLXXVII. & ejus ſucceſſoribus, à Regibus Daniæ Chriſtiano I. ſub dato Elvitzburgi Anno MCDLV. & Segebergæ Anno MCDLXIX. Chriſtierno II. Hafniæ anno MDXIII, Friderici I. anno MDXXIV. Ne verò prolixus ſim in his enarrandis, quæ alibi legere poſſet curioſus, omnium loco ſit apologia ipſorum ſtatuum fœderis à Johanne Domanno Syndico Anno 1609. menſe Aprili illorum juſſu promulgata. Hæc inter alia poſt initium: Nos Conſules & Senatus Unitarum Hanſæ Civitatum hiſce notum facimus &c. quod noſtrum Collegium pridem ante & poſt auream Bullam Cæſaris Caroli IV. (qui etiam in ſpecie id confirmavit

firmavit & corroboravit) à Rom. Cæsaribus & Regibus, etiam Electoribus, Principibus & Statibus Rom. Imperij, imò fermè ab omnibus & singulis Potestatibus, Regibus, Proceribus & Rebuspubl. totius Christianitatis, præsertim Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Norvvegiæ, Sueciæ, Poloniæ, à Ducibus Magnis Moscoviæ & Florentiæ, inclutè Serenissima Domo Austriaca, & Burgundicâ, etiam à Dominatu Venetiano & Genuensi &c. pro honorabili, spectabili, utili & laudabili conjunctione æstimatum & habitum, etiam à maxima eorum parte conspicuis immunitatibus, privilegijs & libertatibus donatum & honoratum est. Imò Rom. Cæsares nostri omnium Clementissimi Domini semper huc incubuére, ne nostrum fœdus distraheretur, veluti in hunc finem prædictus Cæsar Carolus IV. Anno MCCCLXXVII. Civitati Brunsvicensi, cùm eo tempore ex nostro Collegio excluſa & separata esset, tale patrocinium præstitit, ut tandem cum Hansa in gratiam redierit, & in pristinum statum restituta sit. Similiter Fridericus III. Imper. unà cum Electore Colonienſi Anno MCDLXXV. literis sollicitarunt & rogitarunt Hansam, ut Civitatem Colonienſem, quæ per aliquod spatium ob certas causas excluſa erat, rursus reciperent; quod idem fecit Cæsar Ferdinandus pro civitate Bremensi Anno MDLXIII. &c.

5 Leges & statuta hujus fœderis sunt præcipuæ duplicis generis, Boni Ordinis inter ipsas urbes, & Rerum ad Respubl. pertinentium. Ordinis regulas non opus est ut multis proferamus. Habent Lubecæ procuratorem Generalem, quem Syndicum Hansæ vocant, qui constituitur collegialiter omnium consensu & ex ærario publico, quod penes Lubeccenses est, alitur stipendio lauto. Sigillo utuntur etiam Lubecensi. Itaque nisi forsitan Senatus Diætam habeat communem alibi, Legationes, literæ, nuncij &c. in cunctis Societatem totam tangentibus causis Lubecam destinantur, inde etiam Responsa dantur communicato prius cum reliquis membris consilio & ex eorum collato suffragio, quod colligitur in quolibet circulo suam habente Metropolin, cui hac respectu est assignatus. In conventibus duo habent scamna quibus ordine considunt, ferè uti in Comitijs Imperialibus consuevit, vota colliguntur ad propositiones & annotantur studiosè (postquàm ante omnia nomen Divinum pro directione salutari est invocatum) hoc ordine in scamno dextro: Primò Lubeccenses (quorum etiam est Directorium) deinde Colonienses, post Bremenses, 4. Rostochienses. 5. Stralsundenses. 6. Wismarienses. 7. Magdeburgenses. 8. Brũsvicenses. 9. Dantiscani. 10 Hildesienses. 10 Osnabrugenses. 11. Stetinēses. 12. Grypswaldenses &c. à sinistro latere hoc ordine sessiones & vota habent. 1. Hamburgenses. 2. Lunęburgenses 3. Noviomagienses. 4. Daventrienses. 5. Cāpenses &c. Conventus celebrati sunt sæpe alibi quam Lubecæ, nempe Rostochij Anno MCCCXCVIII. Stralsundij Anno MCCCLXX. Hamburgi Anno MCDX. Sæpe Lunæburgi; etiam Coloniæ Antuerpiæ, Tremoniæ &c. Suas etiam contributionum habet leges, & consimilibus de casibus. Recensere non est opus. Alterius generis leges de rebus ipsis spectantibus ad statum Hansæ, quoad commercia, navigationes, mutua auxilia in mari, amicitiam in portubus, controversias & lites inter ipsos socios, & cives, & civitates obortas, contractus, hostes, piratas, scelerum pœnas, conthoria Metropoleon &c. eas collegit Domannus circa annum MDCXV. numero. CV. Totius autem fœderis inter Civitates renovati Lubecæ anno MDCIV. articulos XV. subsignatos ibidem XXI. Aprilis legere licet apud Werdenhagium de Rebuspubl. Hanseat. part. 4. c. 12.

Quid autem possit hæc Societas non solùm pa- 6
tet ab exemplis Regum & Rerumpubl. quibus olim à multis seculis & non ita pridem auxilio venit submissis navibus militaribus, sed vel inprimis ab ipsis bellis ab Hansæ susceptis se defendendi gratiâ contra vim illatam. Ab una & alterâ historiâ res tota patebit. Cum Rex Daniæ Waldemarus II. frater Canuti VI. homo irrequietus Lubecensibus infensus ab hisce primo in fugam conversus esset prope Bornhovedam Anno MCCXXVII. & ipse viribus collectis acrius eorum interitum quæreret, factum, ut classe navali & simul exercitu terrâ marique eos aggrederetur. Verùm Lubecenses feliciter obtinuere contra Regem, qui defatigatus cum magno damno multis suorum amissis domum redijt; istis interea Travæ portum in antiquum morem reformavere præsidijs vi ejectis Anno MCCXXXVIII. Posteà acerrimè pugnatum est à copijs civitatum Vandalicarum Hansæ contra Waldemarum IV. ipsos divexantem. In primo conflictu filius Regis ex lapidis ictu concidit, in portu VVismarienſi, ubi validæ Hansæ classis collecta expectabat prælij commoditatem, quam cum Architalassus Danicus anticiparet inopinatò adortus civitatum naves, sed ita exceptus fuit, ut non solùm Dani victi cederent, sed & ipsum Thalassiarcham captivum hostes post se relinquerent civitatensibus. Hi deinceps ex concluso conventus publici Coloniæ celebrati socios reliquos accersentes emittunt classem instructam ex oppido Campensi ad Iselam sitò in Regna Daniæ. Ibi per Insulas Danicas magna edita vastitas, multa incendia, infinita præda. Rex ipse cessit regno, ubicunque peregrinatus. Civitatum imò mercatorum agmina armata, arcem Coppenhagen obsidione cingentes, oppugnavere vehementer & expugnavere, multa inde præda convectâ. Quum itaque ubiq; copias victrices circũtulissent, Proceres Regni Rege destituti, quo totalem ruinam averterent, inito tractatu, terram Scaniæ in annos XVI. civitatibus tradiderunt cum reditibus, in compensationem damnorum, quæ per aliquot annos civitatibus ex regno provenerant. Contigit anno MCCCLX. Exempla plura potentiæ Hanseaticæ ubi conjunctis viribus pugnaverunt & rem suam egerunt, qui nosse percupit legat Crantzium, Chronica Stetinense, Saxonicum, Vandalicum &c. aliosque supra laudatos autores, inveniet satis conspicua. Magnam etiam authoritatem habuisse ab aliquot seculis Hansam, apparet ex pacificationibus, ad quas arbitri & Mediatores sæpiculi status Hanseatici sunt adhibiti; ex legationibus,

partim

Digitized by Google

partim quas ipsa fecit ad Monarchas modò hos modo illos, à quib. eorum nuntij regaliter excepti fuére; partim quę ab Imperatoribus, Regibus alijsque Proceribus summis ad ipsorum Senatum factæ sunt. Unâ vice simul aderant in conventu Lubecæ Cæsarianus Hispanicus, Polonicus & Suecicus Legati Anno MDXCVIII. Ideò etiam in publicis Imperij Rom. Comitijs Hansæ legati libenter admissi, clementer auditi & splendidè sæpiùs sunt excepti. Fœdera cum Hansâ stabilita & quæsita fuere à multis Regibus, quorum exempla non pauca allegant in Apologiâ suâ supra laudatâ Civitates. Siquidem contrarios semper Hansa invenit multos ex invidiâ, qui maledicis scriptis exagitare, convitijs proscindere, & reipsa totum fœdus annihilare conati sunt. Inter hos mordaces fuit non ita pridem Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis Henricus Iulius, qui iratus Civitatibus reliquis quod suppetias ferrent Brunsvico, utpote membro Collegij sui, aculeatis & dentatis scriptis Hansam exagitavit, inprimis libro, cui titulus erat *Flabellum Muscarum*, cui dictam Apologiam opponere coacti fuere confœderati Anno MDCIX.

7 Ut autem constet, quænam Civitates ad Hansam pertineant, catalogum earum subijciemus.

1. Primi, uti audivimus, quartirij seu Membri Caput est LUBECA; ad hanc pertinent civitates Vandalicæ

2. HAMBURGUM
3. ROSTOCHIUM
4. WISMARIA
5. STRALSUNDIA
6. LUNÆBURGUM
7. STETINUM
8. COLNAVIA
9. GRYPHISWALDIA
10. COLBERGA
11. STARGARDIA
12. ANCLAMIA
13. STOLPA
14. RUGEWOLDA &c.

1. Secundi Membri Caput est COLONIA ad Rhenum Agrippina, cui adnumerantur Civitates Westphalicæ & Iselanicæ

2. VESALIA
3. EMERICUM
4. DUSBURGUM
5. MONASTERIUM
6. OSNABRUGUM
7. TREMONIA
8. SUSATUM
9. HEREFORDIA
10. PADEBORNA
11. DAVENTRIA
12. SWOLLA
13. CAMPI
14. GRONINGA &c.

1. Tertij Membri caput est BRUNSVIGA

2. MAGDEBURGUM
3. GOSLARIA
4. BREMA
5. HILDESIA
6. MINDA
7. HALA
8. STENDALIA
9. BERLINUM
10. GOTTINGA
11. HANNOVERA
12. EINBECUM
13. HAMELIA
14. QUEDLINBURGUM &c.

1. Quarti Membri caput est DANTISCUM reliquis fortassis & potentiâ & civitatum numero superius. Huic adnumerantur urbes Prutenicæ seu Borussiæ quæ tota in hoc fœdere comprehensa est. Præcipuæ sunt,

2. Mons Regius (Konigsberga)
3. MARIÆBURGUM
4. COLMARIA
5. TURONIUM
6. ELBINGA
7. BRUNSBERGA &c. Quibus accensentur etiam tres præcipuæ civitates Livoniæ, nimirum

1. RIGA
2. DORPATUM
3. REVALIA &c.

Matthias Stephani de Iurisdict. Imper. numerat civitates LXXXIV. quæ huc pertineant: ab alijs recensentur LXXII. ratio diversitatis est, quòd subinde quædam ultrò fœderi renuntient; aliæ vicissim recipiantur, quòd subinde fieri solet. Opus earum ordinarium est, ut lucri & commercij causâ inter se communicati classem instructam oneratamque ad exteros mittant quaquaversum, in Angliam, Belgium, Hispaniam, Lusitaniam &c. eo advehentes innumeram copiam frugum, quas coëmunt in Livonia, Polonia, Borussia, Pomerania, alijsque Germaniæ locis. Vocantur naves illæ plerunque à Belgis & alijs Osterlingæ, unde Hispani, Itali &c. mercatores tales omnes appellare solent Osterlingos, etiamsi ratione nostri, qui in Germaniâ habitamus non sint plerique, sed quia Orientales Hansæ civitates in Borussiâ & Livoniâ jacent inter sinum Firmicum & Cimbricum promontorium; unde etiam obtinuit ut Mare Balthicum cum sinu Codano vocatur OSTSEE, hoc est, Mare Orientale: per quod ad Belgas commercia hæc deferuntur, & ab his ferme ad ulteriores populos. Præter frumenta etiam onustæ sunt naves pellibus, & corijs, pice durâ & liquida, cannabi, funibus, linteis, ferramentis, lignis, ære laborato, pannis, libris, piscibus & carnibus salitis, butyro, caseo & mille alijs mercibus. Pro quibus ab Lusitaniæ

Digitized by Google

taniæ Vlyſſipone & Hiſpaniæ Hiſpali (qui præcipui portus eſſe ſolent) Sal, Saccharum, Aromata Indica, ſerica, olea, vina, lanas &c. reportant.

8 Sed tranſibimus ad Societates illas Belgarum quas *Companias Indicas* vocant. Prout duplex eſt India Orientalis & Occidentalis, ſive Aſiatica & Americana, veteris & novi Orbis; ſic duplex quoque eſt collegium. Ipſi vocant ſua lingua De OOST-ENDE WEST-INDISCHE COMPANIE, Adinvenit haſce non ſolùm neque primariò ſpes commodi privati, ſed etiam maximè Odium Hiſpanorum, quibus hac ratione obeſſe, toti autem patriæ confœderatæ prodeſſe voluerunt primi ſocietatum iſtarum adinventores. Videntes enim magnam vim auri & argenti ex novo Orbe ab Hiſpanis ſuo Regi advehi ſubinde præter alias merces raras & caras, unde robur adderetur & nervus eò major hoſti ſuo jurato; in animum admiſerunt Status conſilia, quibus modum invenirent incidendi nervos illos ſagittarij Caſtilienſis, ex Oriente aſpirans Goâ, Ormô & aliunde aromatum fragrantia, atque ex Occidente nitidus ille auri peruviam ſplendor cum Sacchari Braſiliani dulci ſapore alliciebat pectus generoſum multorum, ut irent pedibus manibusque in eam ſententiam, tentandum eſſe aliquid. Aderant media ad manus navium copia, mercatorum loculi, militum animi, præfectorum, inprimis ipſius Principis Arauſicani, Mauritij heroici Spiritus molimina. Via etiam non incognita, quam toties jam per mare cæruleum à Chriſtophoro Columbo, Americo Veſputio, Ferdinando Corteſio Blaſco Nonio, Ferdinando Magellano De Quir, & multis alijs bene ſulcatam percepiſſent. Itaque ad initium hujus ſeculi certis articulis & conditionibus concluſis ſocij Collegiorum non ſolum mercatores, ſed & Nobiles, Comites atque Principes certatim contribuére, & initio facto bonos percepére fructus. Terras portusque nobiles in utraque Indiâ eripuére Hiſpanis, quibus adſurdum fruuntur. Ne hîc prolixi ſimus, ſuprà de hiſce invenies plura in deſcriptione Provinciarum Belgij Confœderati. Eadem de cauſa omittimus Conſtitutiones Societatum harum. De jure autem ipſo in defenſionem cauſæ contra Luſitanos lege Hugonis Grotij Mare liberum.

9 Quanta ſit potentia harum Societatum vix aliquis deſcribet. Si tantam dicat, quantam ipſorum Statuum Hollandicorum per mare ſemper hucuſque expertus eſt Hiſpanus, non aberrabit à vero. Rati eſt, quia Reipublicæ toti intereſt ſemel ſuſceptam pertexi telam atque conſervari acquiſita; præcipuis etiam ferè omnibus delinimento divitiarum maximarum allectis Catalogo Sociorum pro rato inſcriptis. Hinc omne robur, ſi opus foret, proculdubio eò converteretur. Nota eſt Hemſpachij celebrata victoria; & Petri Heinij Anno MDCXXVIII. ex Indiâ Occidentali reverſi in patriâ triumphus, cùm hoſti theſaurum eripuiſſet tonnarum ſeu Millionum auri & argenti quingentarum. Quàm multi ſint præpotentes inter Belgas mercatores ex Indiarum divitijs, notum eſt, adeò ut quidam non cedant Regibus, non pauci principibus opulentiâ antecellant, & Gazis ſplendidis vix inferiores ſint ullo Nationi ſub Sole. Vnde apparet quid poſſit res nautica ad Rempubl. ornandam & locupletandam. Poſſident inprimis in Americâ *Olindam de Pernambuco* cum multis toparchijs & provincijs, quibus caſtella & fortalitia impoſita. Egregia facinora Mauritij Comitis Naſſovij ejuſq; navalia cum Hiſpanis prælia ad Braſiliæ littora ex Barlæi nuperâ hiſtoriæ Amſterodami impreſsâ proſtant. Inſtructiſſima cõtra Luſitanos nuperrimæ eo deſtinata claſſis eſt ſufficiens ejus potentiæ teſtis. In Orientali occupârunt præcipuè celeberrimas illas juxta Gilolo poſitas *Moluccas*, quinque Inſulas aromatis varijs ditiſſimas. Habent ibi civitatem *Bataviam* cum inſula, unde magna piperis, macis & nucis myriſticæ ſeu moſchatæ copia in Belgium aſportatur. Commoda ipſis loca commercia agitandi cum Iaponenſibus, Chinenſibus &c. Quin & in Africa ſua habent loca. In hunc finem habent Senatus, & Directores, cum Domibus Indicis, uti vocant Amſtelodami, Middelburgi, & alibi, ubi nautæ reduces onera ſua exotica deponunt. Sed melius eſt tacere quàm non pro dignitate effari, quod olim de Carthagine ille dicebat hiſtoricus. Pondus autem addit huic rei, quòd hoc ipſo anno conatus Societatum harum pace facta inter Regem Catholicum atque Rempubl. Batavicam certis paragraphis ſtabiliuntur, ijſque robur juſtitiæ Regiâ tranſactione additur. Alibi legat pleniorem deductionem qui volet. Robur multifariam majus eſt hujus Societatis quàm Hanſæ Teutonicæ ex diverſis cauſis.

Nos adhuc addemus, Induciarum articulos inter modernum Regem Luſitaniæ & Fœderatos Ordines Belgij ratihabitos Calendis Maij Anno MDCXLI. cùm Rex per Triſtanum Mendozam Furtradonem inter conjurationis in Philippum IV. anteſignanos non poſtremũm ad Ordines legatum iſtas Inducias cum amicitiâ ſollicitaſſet. Illi ſic ſonant quoad Societatem hanc Indicam Occidentalem. 10

1. Induciæ decennales ſunto, per terras, portus, mariaque, commercijs dictæ Societatis, Fœderatorum Ordinum indulto definita: nec ratæ illæ habentor, niſi à ſemeſtri, ex quo Rex Luſitanus autor fuerit.
2. Incolæ civesque Braſilienſes, adeoque quotquot Societati innexi ſunt, cujuſcunque tandem fuerint gentis, conditionis & relligionis, eodem commerciorum jure, emolumentis ijſdem & immunitatibus per Regis Luſitani terras omnes, quas in Europæo orbe poſſidet, fruuntor, quibus fruentur reliqui Fœderati Belgij incolæ.
3. Belgæ juxtà ac Luſitani per Induciarum tempora mutuis auxilijs ſuppetijsque attenentor, ubi res neceſſitasque imperabunt.
4. Quicquid arcium, urbium, navium, hominumque à Caſtellani Regis ſtabit partibus, id omne utrique populo hoſtile & inimi-

Digitized by Google

nimicum habetor, nulla habita limitum ratione.

5. Ijsdem vel à Belga vel Lusitano victis cedunto quoque victori terræ, quotquot ejus erunt ditionis.

6. Quisque populus parta possessaque antehac possideto; quæ qualiaque alterutrius fuerint, ab ipsa Induciarum promulgatione. At quicquid agrorum limitaneas arces interjacet, bello armisque acquisitum, partiuntor, ut & populos colonosq; quo & Belgis & Lusitano sui constent Imperij & defensionis limites.

7. Quæcunque privati fuerunt dominij & post factam istam locorum diribitionem, alterutrius partis esse deprehendentur, si deserta fuerint à suis dominis, in Belgarum vel Lusitanorum territorio degentibus, restitui suis dominis minimè necessum, sed ijs quisque, quæ abiens secum abduxit, contentus esto:

Quæ vero loca à Dominis suis insessa cultaque usque fuere aut vicarijs possessoribus, eorundem sunto. Iudicemque istarum rerum quisque in suo districtu quærito.

8. Commercia populis singulis inter suos libera sunto, nec frequentare Lusitanorum terras Belgis, nec Belgarum Lusitanis licitum esto; nisi postmodum secus videatur partibus.

9. Cumque metus sit, ut navigationem istam in Brasiliam infestent Castellani, non nisi majoribus navigio ex præscripto exstructis ac armatis, eò nemo vel Belgarum vel Lusitanorum navigato. Quod si minoribus merces eò transvectare lubebit, nefas esto ijsdem remeare in portus, unde exivere: qui secus faxit, pœnam amissæ navis merciumq; luito. Eadem lex ex Africâ navigantibus & Nigritarum vectricibus ratib. scripta esto. [Sed hunc articulum expungi popposcit Mendoza, pauperum & mediocris fortunæ Lusitanorum misertus.] Itaque suppleat hunc numerum sequens:

Neutris, nec Lusitano nec Belgæ venia esto merces vel annonam in Indias Castellanas aliaque hostium loca deferendi, indicta navis merciumque jacturâ. Vectores hostium conditione habentor.

10. Quæ à Lusitanis Belgisq; ad Africæ oram possidentur, limitationis non egent, cum interjectis aliarum gentium Barbararum regionibus discernantur. Permissa sunto utrisque in ijsdem Afrorum oris in insula S. Thomæ alijsque commercia. At qui mercatus auri est, Nigritarum & eboris in ijsdem locis, confinijsque, eadem vectigalia pendito loci Domino, quæ Lusitani assolent. [Mendoza excipi insulam Thomæam postulavit, ut quæ non cis, sed ultra Æquinoctialem sita esset.]

11. Cumque Brasiliam in provinciam ex parte redegerint Fœderati Ordines, quo tempore Regi Castellæ obnoxij erant ejus indigenæ, hostesque se Belgarum agnoscerent, ut & Lusitani, jam socij & amici, nequaquam coeuntibus nunc animus, jure postliminij vel quasi, repetere fas esto agros Ingeniaque, quæ à Belgis possidentur, uti nec Fœderatorum subditis fas fuerit à Lusitanis, ut nec his ab illis exigere prisca nomina. Verum quilibet frui permittitor ijs bonis, quæ ab Induciarum recitatione peculij sui esse probaverit.

12. Quo verò inter Lusitani Regis subditos nostrosque commerciorum æqua servetur ratio, paria sunto utrobique mercium onera, tum illarum, quas Portugallia Belgiumque in Brasiliam importabunt, tum quas exportabunt. [Mendoza ob specialia Regis sui in subditos Lusitanos indulta & hunc dispungi petijt] itaque ultimus hunc numerum absolvito, qui sic sonat:

Lusitano denique Regi subditi ac Fœderatis Ordinibus, Inducijs, hisce decennalibus pacem mutuam sine fuco & dolo colunto, priorum offensarum injuriæque omnis immemores. Pauculis mutatis sic fœdus factum.

Hæ, quidem Induciæ sic erectæ, sed vixdum natæ erant, cùm rursus lethalem paroxismum paterentur. Siquidem Lusitani interim occupabant loca quædam in Insula S. Thomæ; ad seditionem omnia videbantur prona in tota Brasiliâ: & metus erat Comiti Mauritio Lusitanos simile quid ausuros in Angolæ regno & Seregippa Regia, cùm cædes crudelis aliquot Belgarum facta esset in Maragnanâ provinciâ: hinc voces jactæ efferæ & turbulentæ à Brasilienſibus, ut Comes necesse habuerit armis exuere inquietos. Ea fini in regiones Camarigibi, Portus Calvi, Vnam & Serinhæmum ablegavit Andream Philtzium; In Pojucam & Moribecam Nuninum Olferdi in Gujanam, Iguarazu, Itamaricam & vicinos tractus Voordium, in Paraybam Wittium, in Vergeas, S. Amari & S. Laurentij districtus alium quempiam à Summo Senatu electum, ad S. Francisci populos Crayum &c. Factum Anno MDCXLII. Duravit seditio aliquamdiu posteà. Quamvis autem Rex se excusaret, & ad damnum sarciendum se offerret, nihilominus ob suspicionem conscientiæ ejus rei classem ab Ordinibus in auxilium Societatis eò destinatam experiri cogitur, quo eventu vel compositione adhucdum incertum. Plura dicere nihil attinet, cum suprà etiam sint tacta.

In summa, ut paucis multa dicam, videntur Hollandi cum celeberrimis, qui unquàm fuere, ingenijs & Argonautis certare velle, cùm ferme nihil in orbe intactum relinquant, in quo virtus Martialis armorum & Mercurialis divitiarum exercere possit. Nobiles olim ob rem nauticam erant Ægyptij sub Sesostre Rege, primo omnium longis navibus uso, teste Beroso; Tyrrheni & post eos Tyrij excel-

Digitized by Google

excelluere, quorum his se collegam dedit Sapientissimus Salomo propter varios thesauros; Phœnices Byrsæ seu Carthaginis conditores, eorumque propagines Carthaginenses, Liburni atque Athenienses magna perpetrasse leguntur classibus suis; Cilices piratæ, Syrij, Cyprij, Pamphilij & Pontici inclaruere olim gestis contra Romanos prælijs navalibus; postea Saracenis palma data, Rhodum, Cyprum, Cycladas, atque omnes totius Ponti, atque Archipelagi insulas sibi subijcientibus & adhuc dum nihil non tentantibus à Persico & Aratico sinu post mare rubrum ad Gades usque superioribus: Danis, Normannis, Genuensibus & Venetis juxta seculorum præteritorum historias sua omnibus præclara laus debetur per maris tentamina: Lusitanis & Hispanis reliquorum ante se gloriam obscurantibus per stupendas navigationes ingenti ausu susceptas in novum, quem vocamus, orbem ad ipsius Naturæ fimbrias extremas. Neque Angli istis omnibus conatu inferiores, testibus inter alios Francisco Dracone, Havardo & Candischio. Sed dies ususque rerum nos edocuere, Belgas confœderatos æmulatione magnâ per vinculum harum Societatum anniti, ut cunctos post se relinquant in hoc genere. Facilè videbit qui omnibus navigatione claris, (quorum congesta Petrus Martyr Benzo, Apollonius & alij hydrographici historici suppeditant exempla multa) opponat Societatum istarum acta.

12 Cum autem plerunque animi luxurient rebus secundis; & multò difficilior virtus sit partis rectè uti inter opum illecebras; cantusque Sirenum blandiloquos surdâ aure præternavigare, hoc unicum, prout Hansæ & omnibus alijs, sic etiam hisce Indicarum societatum collegijs & membris sinà gulis, restat observandum, ne mole ruant sua. Specula satis evidentia præbent tot Illustres familiæ, tot Societates laudatissimæ, tot urbes amplissimæ, & Respublicæ florentissimæ nulla re facilius lapsum accelerari quàm illis ipsis quæ magno sudore conquisita sunt. Delicijs enim diffluunt mentes, & effœminati corporis cultus abliguriunt quovis gulone avidius heroicos animi motus. Multò magis autem pietatem excutere solent suavia divitiarum pulvinaria; teste eheu experientiâ; nec mirum cum hæc omnibus alijs etiam heroicis facinoribus, longè nobilior sit & sublimior potentia. Vsque adeò verum, ut vulgata hodie sit illa vox, quæ olim dicitur cælitus audita esse, cùm Constantinus Magnus unà cum pace Ecclesijs hucusque miserè à Tyrannis infidelibus divexatis datâ etiam insuper easdem, inprimis Romanam ditâsset magnis reditibus: *Hodie venenum effusum est in Ecclesiam.* Res profectò mira! Data in bonum scopum nobis benedictione divinâ, medijs his aut illis intervenientibus, cedere in malum, exitium, interitum, opprobrium! Nempe ea est culpa & indoles perversi hominis cordis, quòd nescit æqua mente commoda ferre, & recalcitrat impinguatum. Eventus comprobavit in ipsa illa, de qua vox erat, Ecclesiâ; sic ut nonnemo jam ante quinque fermè secula ingenuè confiteretur, *Religio*, inquiens, *peperit divitias & filia devoravit matrem.* Quanto magis id verùm erit de Rebuspublicis & Societatibus si istud carcinoma inde provenit ipsis Sanctorum seu fidelium congregationibus? Notum est ex Thuano, Meterano, alijsque rerum Belgicarum historicis, quàm tenui de filo pependerint ab initio res Statuum seu Ordinum Confœderatorum; quàm dubijs & parvis ab initijs hic surculus succreverit in tantam arborem; quam fidelem eis operam præstiterint Nassovij & Palatini præter alios. Sed pincerna Ægyptius, Pharaonis Ganimedes, facilè obliviscebatur beneficiorum; nec Iosephi confractionem inter temulentos poculorum aureorum eversores ipse gloriosus posteà curabat. Atque existente Rege novo super Ægyptum Iosephi denati memoria sepeliebatur quod utrumque testatur Moses. Morbus profectò epidemicus generi humano, etiam totis Collegijs & Rebuspublicis Prophylacticis hic semper opus est remedijs, ne, quam bello & mercaturâ in longuinquis quærunt homines, eam in patrijs vicinisque sedibus amittant otij privati corruptelâ seducti virtutis & pietatis gloriam. Sed ne videamur extra oleas historiæ nostræ institutæ evagari, hanc de Societatibus Hansæ & Indiæ dissertationem, alibi fusius descriptam, concludentes transibimus ad Ordines sive Societates Religiosorum, quos Clericos appellari percepimus.



DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DE ORIGINE OMNIVM ORDINVM RELIGIOSORVM, QVI HVC VSQVE IN MVNDO FVERVNT, QVA SVCCINCTE NARRATVR,

qui illorum auctores, & in qua Provincia, sub quibus Pontificibus & Imperatoribus, ac quo tempore instituti fuerint.

[De hisce ordinibus Monachorum scripsere Polydorus Vergilius, Baronius, Bellarminus, Trithemius, Wolffius, Sebastian, Francus, Vrspergensis, & alij neoterici præter veteres historię Ecclesiasticę promoscondos Egesippum, Socratem, Eusebium, Theodoretum, Sozomenum, Zonaram, Nicephorum, Evagrium, Tyrium, Cassiodorum, vitas Patrum, Legendas &c. ex quibus statum Cleri oportet haurire qui velit.]

SUMMA CAPITA. LXXII.

Dabit ipse cursus hîc articulatè ponere non est operæpretium.

NVne erit nostri instituti, ut descriptioni Ordinum militarium Christiani orbis in hoc Commentario subijciatur origo & progressus Ordinum Ecclesiasticorum, qui instar Monarchiæ spiritualis in universo constituti fuerunt, unoquoque Ordine & domo peculiari singularem quandam Rempubl. repræsentante: qui omnes crescunt, multiplicantur & pugnant sub auspicijs, protectione & indulgentiâ supremi suorum capitis, Domini nostri Iesu Christi, constitutionibus ipsorum egregiam similitudinem habentibus cum legibus & moribus populorum, quæ quamvis inter se differant, tamen omnes ad Dei gloriam & æternam felicitatem tendere debent, sicut leges regnorum & rerumpublicarum nullum alium scopum sibi præfixum habent, quam ut regio in honore & existimatione, populi autem, qui in ea degunt, in pace & tranquillitate conserventur. Sed antequam hanc disquisitionem ingrediamur, operępretium erit, Lectori ostendere, Ecclesiasticos Ordines suam originem traxisse non à Paganismo, sed ab Hebræis, omnium populorum antiquissimis, qui suam genealogiam ab Adamo, primo homine, usque ad Dominum nostrum repetere possunt, & ipsorum vota antiquiora esse omnibus sectis Philosophorum, imo ipsis Chaldæis, Ægyptijs, Brachmanis, & Gymnosophistis, quoniam Iudæi & ipsorum majores semper verum Deum adorarunt, & nihilominus semper Ordines Ecclesiastici inter eos repertifuerunt.

ORDINES ECCLESIASTICI, QVI fuerunt in Hebræos, tam sub lege naturæ, quam sub lege scripta.

Enos tertius ab Adamo, cœpit unà cùm alijs ut Scriptura refert Genes. 4. vers. 26. invocare nomen Domini: quod Rabbini ita explicant, ipsum fuisse primum, qui cætum piorum & religiosorum hominum congregarit, ad invocandum nomen Dei certis horis. Hanc autem veram hujus loci interpretationem esse necesse est, quoniam etiam Adam, Eva Abel & reliqui, quicunque erant pij, jam tum, invocarant & adorarant Deum privatim, sicut liquet ex textu sacro. Atque etiam Patres Ecclesiæ statuunt, quando cap. sexto Geneseos. vers. 2. dicitur, *filios Dei videntes filias hominum, &c.* per filios Dei non alios denotari, quam eos, qui se cultui Divinitatis peculiariter consecraverant. Horum vestigia posteà secutus pater omnium fidelium Abraham nonne jussu speciali Dei, à terra suæ nativitatis abijt, & cognationem suam atque familiam patris sui deseruit, ut in eum locum se reciperet, quem Dominus ipsi ostendit? Gen. 12. v. 1. Heb. 11. v. 8. 9. Aliàs in lege Mosaica *Nazareni* primum locum tenent, quorum lex & institutum fusè describitur Numer. 6. qui certa vota ex præscripto Dei non quæcunque vellent concipiebant, certa sacrificia offerebant, & vinum non bibebant. Talis fuit Samson, Elias Propheta &c. in vetere testamento. Siquidem Elias Propheta, cujus Ordo hodieque viget, & à quo Carmelitæ originem suam derivant, peculiarem vitæ rationem observabat, & vestitum à vulgari discrepantem gerebat. Vtrumque notat Scriptura per ipsius solitudinem, & zonam pelliceam. Hunc imitabantur pio Zelo Elisæus & filij Prophetarum in cœnobio quasi victitantes, à vulgo sejuncti, ut videre est III. & IV. libris Regum, nempe ut in exercitijs pietatis ab Elisæo eo melius instituti possent. Sic Iudith, sancta vidua, & quæ exemplar præbuit sanctis viduis, quæ ipsam sequutæ sunt, mortuo marito, peculia-

Digitized by Google

rem locum sibi paraverat in suprema parte suorum palatiorum, quo se interdum recipiebat cum suis ancillis, ut liberius vacaret precibus : gestabat cilicium, & jejunabat omnibus diebus, exceptis festis hilarijsque domus Israelis, Iudith. cap. VIII.

Ordo Rechabitarum, cap. XXXV. Ierem. sub obedientia Ionadabi, filij Rechabi, qui non bibebant vinum, neque domos habitabant, sed sub tentorijs degebant, omnibus diebus vitæ suæ, neque seminabant frumentum, nec vineas colebant : ex quibus orti fortasse fuerant.

Scribæ, habitantes in Iabez, qui cantabant, & cultum divinum exercebant, 1. Paral. II.

Holda prophetissa erat, velut Abbatissa, quæ sedebat in secunda parte Ierosolymæ, quod Targum, aut paraphrasis Chaldaica vertit domum doctrinæ, qualis posset esse Prophetarum quoddam monasterium. Illius fit mentio IV. Reg. cap. XXII. & 2. Paralip. cap. XXXIV. Sic Semejas detentus in templo. Nehem. VI.

In quib. omnibus archetypum habemus, à quo Ecclesiastici Ordines inter Christianos sua instituta hauserunt. Nam à Nazarenis & propheta Elia puritatem & austeritatem vitæ, à filijs Prophetarum contubernium & convictum; à Rechabitis obedientiam ; à Scribis sacrificia & cantum ; ab Holda scholas & domum doctrinæ ; denique à Semeia (qui tamen fraudulenter hoc fecerat amore pecuniæ uti sacer textus habet. Neh. VI. vers. 12. 13.) solitudinem didicerunt. Præter hos, tres alij Religiosorum Ordines inter Iudæos fuerunt, parum laudabiles.

Primum Pharisæi, sic dicti, quod vestitu & genere vitæ ab alijs differrent, cum magni observatores Legis videri vellent. Hinc est, quod phylacteria gestabant, quorum fit mentio Matthæi XXIII. quasi pompose dicerent præsidia, seu arma salutis. Verum ipsorum hypocrisis & malitia à Domino nostro detecta fuit : ob quam caussam summa in ipsum invidia inflammati, cum Iudæis in caput ipsius conspirarunt : credebant resurrectionem mortuorum, & superioribus suis districtè parebant. Væ ipsis Dominus sæpissimè interminatus fuit.

Deinde Sadducæi, qui resurrectionem mortuorum negabant, nec credebant esse angelos aut spiritus, sed animas cum corporibus interire putabant : interim tamen justi videri volebant nomine id referente. Egregius nempe Ordo!

Tertio Essæi, hoc est, sancti, qui austerum vitæ genus sequebantur, & inimici erant voluptatum, divitias contemnebant, hospitalitatem magno studio exercebant, domi in summo silentio vivebant, nihil sine permissu propinquis dabant, jusjurandum aversabantur, religionem ipsorum professos ad fidem in Deum; justitiam erga homines, & obedientiam erga Principes & magistratus obstringebant, Sabbathum accurate observabant, omnia habebant communia, in urbibus nunquam habitabant : & quamvis ipsorum plures essent quam quater mille diversis locis dispersi: tamen ipsorum fundi, pecunia, opes, vestes, cibus, & omnia ad hanc vitam necessaria ipsis erant communia. Præcipuum ipsorum templum in colle situm erat stagnum Mariæ, quod hodie palus Mariæ appellatur. Hæc palus fuit magnum illud desertum, in quo postea celebres illi Scytharum, Nestriæ & Thebaidis eremitæ vixerunt.

Dicitur etiam à multis, eum, qui fuit amplius quàm Propheta, quo non surrexit quisquam major inter eos, qui gignuntur è mulieribus, nempe sanctum Ioannem Baptistam, fuisse auctorem vitæ monasticæ. Nam à teneris annis parentes & divitias deseruit; ut viveret in solitudine. Vestimentum habebat è pilis camelorum, & zonam pelliceam circum lumbos suos : alimentum ejus erat locustæ & mel agreste. Complures habebat discipulos, qui ipsum sequebantur, & prædicabat pœnitentiam omni populo, qui ad ipsum audiendum veniebat, baptizans eos aqua. Legitur Matthæi c. 3. Marc. 1. Luc. 1, & 3. capp.

Præterea affirmare licet prophetissam Annam, filiam Phanuelis, fuisse veram & perfectam religiosam, quoniam de ipsa legimus, quod non abscedebat à templo, serviens Deo noctes & dies, jejunijs & assiduis precibus atque orationibus. Hinc patet, quomodo ab Enos usque ad Dominum nostrum Iesum Christum semper fuerint multi pij Zelotæ inter Iudæos, atque etiam quidam Religiosi Ordines, partim à Deo partim ab hominibus introducti.

Sed antequam à Veteri Testamento ad Novum transeamus, nonne sacrilegium esset, si sacratissimam & glorioſissimam matrem Dei silentio præteriremus ? Nam illa vixit, antequam conciperet de Spiritu sancto, nimirum tempore legis Mosaicæ, vitam perfectissimam & religiosam : & post nativitatem dilecti sui filij Domini nostri in eo vitæ genere usque ad mortem perseveravit. Illa, inquam, vere fuit exemplar & archetypus vitæ religiosæ, quæ sponte sua ob honorem nativitatis ex se tanti filij, vel etiam tunc suscepto sancto voto sanctissimè servavit immaculatam castitatem, licet desponsata anteà fuisset viro, teste S. Canone Matthæi cap. 1. & Luc. 1. ità ut nulla cogitatione mundanâ abinde deficeret : adeo ut nullus unquam Christianus repertus fuerit tam prophanus, qui aliam de ipsa opinionem habuerit, quam quod fuerit pia, pudica & honesta : quandoquidem ipsius actiones nil nisi modestiam & castitatem spirant.

Quod ad paupertatem ipsius attinet, quamvis ab illustrissimis patriarchis & potentissimis regibus genus duceret; tamen illo juxta Prophetarum oracula ferme exciso & ad incitas redacto ipsa omnibus ferè medijs destituta erat ut apparet ex sacra historia; atque dilectus ipsius filius non habebat ubi caput reclinaret, & labore manuum cum ipsa victum quærebat. Obedientia autem ipsius tam eximia & tanta cum simplicitate conjuncta fuit, ut post filium ipsius nemo ad eam pertigerit. Sed nonne ipsa quoque est exemplar & viva imago omnium fidelium, qui nomen dederunt militiæ sub vexillo Crucifixi, sive sua humilitate, sive patientia, prudentia, constantia & magnanimitate, cum

Digitized by Google

cum fuerit rupes fidei, anchora spei, thesaurus charitatis, & aliarum virtutum innumerabilium atq; inenarrabilium, ut sicut est gratiâ plena, ita opus esset plenitudine scientiæ atque eloquentiæ ad eas exprimendas? Felices cætus, qui ad illius similitudinem se conformant! felicissimæ animæ; quæ ipsam ceu speculum & exemplar in omnibus suis religiosissimis actionibus sibi proponunt. O Regina sacrosancta & benedicta, pulchra & virens virga Iesse, flos odoratissime, qui non minus gloria quam gratia perfectissime flores, cujus fragrantissimus odor suavitate sua implet & perfundit cœlũ Ecclesiæ: utinam possimus sequi vestigia gressuum tuorum, atque inprimis benedicti fructus ventris tui, Domini nostri Iesu Christi, ut simus accepti Deo Creatori nostro!

Ordines Ecclesiastici ab adventu Domini nostri Iesu Christi in hunc mundum.

Primus auctor Ordinis Ecclesiastici & veræ pietatis fuit Dominus noster. Nam cum congregasset suos duodecim Apostolos, legem ipsis dedit, quam observare deberent, eos monens, quod quicunque vellet suus esse discipulus, eum oporteret renunciare mundo & omnibus, quæ haberet in mundo, inprimis autem propriæ suæ voluntati.

Voluit etiam, ut se mutuo diligerent, dicens, Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios. Ostendit ipsis formam perfectæ obedientiæ, docens ipsos humilitatem, & eos exhortans ad patientiam: quod qui vellet esse suus discipulus, deberet omnibus voluptatibus hujus mundi valedicere, & se comparare ad perferenda quævis incommoda & persequutiones: quod mandata Dei observanda essent corde puro & sincero, præscribens ipsis modum, quo suas preces Deo offerre deberent, & beatos prædicans pauperes spiritu, mites, misericordes, amantes justitiæ & pacis, puros corde, & qui patiuntur propter justitiam & regnum cœlorum. Matth. 5. Luc. 6. Matth. 19. &c.

Nihil prætermisit, quo eos institueret, & imbueret omni virtute, qua fierent perfecti, & immortales: denique Evangelium suum ipsis commisit, annuntiandum omni creaturæ Matth. 10. & 28. Marc. 16. &c. Præterea sanctum ipsius collegium erat instar parvi conventus, quoniam ex quo Apostolos in suam societatem receperat, illi cum eo ambulabant, cibum sumebant, juxta eum somnũ capiebant, ipsum Dominum & Magistrum appellabant, & in omnibus ipsi obtemperabant, licet rudes admodum & sæpe exorbitantes etiam graviter unus præ altero impingentes.

Hi deinceps repleti Spiritu sancto fecerunt gnaviter officium exeuntes ut promulgarent Christi, doctrinam, nempe Evangelium per totum mundum. Insuper septuaginta alios discipulos elegit; quos etiam emisit ad prædicandum. Vnde Presbyterij seu Ordinis Ecclesiastici in Novo Testamento instituti ratio fluxit, quam abundè praxis Apostolica in Actis atque Epistolis fidelibus exhibet.

De Clericis institutis ab Episcopis.

Pontifices, qui S. Petro Apostolo successerunt, 1
Hebræos atque Paganos teste Gratiano Distinctione XXI. C. Decretis imitati, constituerunt Archiepiscopos, Chorepiscopos &c. Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acoluthos, Diaconos, & Subdiaconos. Hi omnes nihilominus plerunque illis aderant, qui Clerici appellabantur. Nam S. Petrus, princeps Apostolorum, ministerio verbi Dei in Ecclesijs Orientalibus rite ordinato, ex omni fidelium multitudine, & ex ijs, qui nostram religionem exactius observabant, elegit certos quosdam homines maturæ ætatis, populo charos, & plenos Spiritu sancto, sapientia, fide, & bonitate, qui secundum Panvinium Veronensem, dicti fuerunt Clerici. Hos consecravit impositione manuum, & quosdam ex ijs constituit Presbyteros, alios Diaconos, ut Episcopus Romanus eorum operà uteretur ad Catholicos præceptis religionis Christianæ informandos, qui tunc multiplicabantur, & tanto numero erant, ut solus omnibus satisfacere non posset. Præcipuum munus, nempe curam animarum, Presbyteris imposuit, ut administrantes sacramenta populo Dei, possent cum reliquis Episcopis vacare precibus & prædicationibus, Diaconis munus commisit subveniendi viduis, orphanis, & alijs pauperibus fidelibus, ipsisque eleemosynas virorum bonorum distribuendi, quæ in hunc finem illis dabantur: præterea illis injunxit, ut ministrarent presbyteris dum sacramenta administrarent: Cletus & Evaristus, Pontifices, eos postea ad certum numerum redegerunt. Nam Cletus numerum Presbyterorum Romanorum determinavit, ut essent viginti quinque. Eucharistus, exemplo Apostolorum numerum Diaconorum auxit, ut eorum septem essent, quibus, sicut & presbyteris, mandavit, ut observarent, quando Episcopus concionaretur, an à veritate fidei recederet. Quidam dixerunt, Papam Gajum, primum hujus nominis, ex stirpe Imper. Diocletiani procreatum, fuisse primum, qui Ordines distinxerit, ut Ecclesiastici per gradus ad sacerdotium ascenderent. Alii hoc tribuunt Pontifici Iginio, qui centum quadraginta octo annis Gajum antecessit. Sed certum est, Apostolos hujus rei auctores esse, qui instituerunt septem Diaconos Hierosolymæ, uti legitur Act. 6, v. 3. quod postea successu temporum fuit continuatum etiam alibi.

De Canonicis Regularibus Laterani & S. Mariæ Frisonnæ.

Postquam de Sacerdotio verba fecimus, aliquid 2
etiam de Canonicis regularibus dicendum videtur, qui vocantur congregatio Laterani, & postea à S. Marco Alexandrino in portu Castrano instituti fuisse creduntur: cumque tractu temporis à regula declinassent, à S. Augustino reformati fuerunt, ut auctor est Posidonius. Hic Ordo cœpit florere in Ecclesia Bellovacensi sub Yuon: Præposito, qui postea fuit episcopus Carnutensis.

Digitized by Google

Postea anno MCCCXCVI. venerabilis quidam ecclesiasticus, nomine Bartholomæus, civis Romanus, insignis concionator, societate inita cum quodam Iacobo Auogardio Bergomense, hunc Ordinē propemodum collapsum restituit in paupere quodam Monasterio, quod dicebatur S. Mariæ Frisonnæ, cujus egestati postea Iesuitæ subvenerunt.

Quod attinet ad Ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, Papa Gelasius, natione Afer, & discipulus S. Augustini, post mortem sui præceptoris Romam venit, & in illa Ecclesia cum suis sodalibus commoratus est, ubi vixerunt secundum regulam ab hoc S. Doctore acceptam, sicut & illi qui eos per spatium octingentorum annorum sequuti sunt, usque ad annum MCCXCVIII. quo Papa Bonifacius Canonicos seculares illic instituit. Greg. XII. postea regulares restituit, voluitque, ut totus cœtus Lateranensis à S. Servatore nominaretur. Calixtus III. rursus seculares illic, collocavit: Papa autem Paulus II. regulares eo revocavit. Tandem sub Sixto IV. regulares possessione exuti sunt, quibus nihil supereſt præter titulum, & jura ac privilegia Ecclesiæ Lateranensis.

Præcipuum munus horum Canonicorum regularium prima institutione erat, ut quotidie inprimis administrationi Sacramentorum & precibus publicis, omisso cantu, vacarent, quoniam tūc populus cantabat & psallebat: quod postea ad monachos Ordinis S. Benedicti translatum fuit, tepescente fervore pietatis, & Ecclesia Lateranense nō amplius frequentata. Nihilominus Canonici seculares aliquandiu cantum exercuerunt, postquam monasterium destructum fuisset à Lombardis.

Regula horum Canonicorum & Frisonnæ, de quibus supra diximus, consistebant præcipue in tribus capitibus, nimirum ut nihil proprij haberent, ut caste viverent, & in monasterio manerent. Canonici seculares manserunt Laterani usque in hodiernum diem.

De Canonicis S. Marci Mantuani.

3 Præter Canonicos regulares Laterani sunt etiam Canonici S. Marci Mantuani: ob quam causam Canonici S. Marci appellantur, & non tantum titulum Ecclesiæ ipsius, sed etiam nomen auctoris sui gerunt. Quod S. Marcum patronum habuerint, testis est historia Ecclesiastica, & Papa Innocentius III. confirmat, per bullam anno MCCL. datam Honorius III. quatuor conventus ipsorum congregationi addidit. Plurimi Pontifices ipsorum regulam & privilegia confirmarunt. In toris stramineis quietem capere solebant, lodicibus laneis utebantur, ab octava Resurrectionis usque ad medium fere Septembrem, & in Adventu & omnibus diebus Veneris per totum annum jejunabant. Magnum silentium observabant, vivebant in commune, nec quicquam proprij habebant, duabus de die horis se exercebant, anno exeunte religionem sui Ordinis profitebantur, neminem ad habitum admittebant, qui non esset septendecim annorum, ad studia & conciones animum applicabant. Fuerunt etiam monasteria Religiosarum ejusdem Ordinis. Nullum hodie monasterium habent præter S. Marci Mantuani, & quosdam Neisæ ab eo dependentes, prope agrum Patavinum. Domi vestitum Canonicorum Lateranensium gerunt, cum lineo amictu & transverso indumento. Sed quando in urbem prodeunt, candidum cucullum superinijciunt, & pileum candidum quadratum gerunt. Quando adytum templi ingrediuntur, non gestant cucullum, sed lineum amictum, & capitium candidum imponunt, qualis est galerus episcopalis. Gestant præterea amiculum cum manicis pelliceis, quemadmodum Canonici seculares, Ioannes Andreas in primam Clementinam ait, quod suo tempore hujusmodi veste uterentur.

De Ordine solitario S. Pauli, primi Eremitæ.

Quamvis beatus Paulus, primus Eremita, nul- 4
lum Ordinem suo tempore instituerit: tamen quia secundum Hieronymum, primus auctor fuit vitæ solitariæ, & pater omnium Eremitarum, æquum est, ut aliquid de eo dicatur.

Hic sanctus vir floruit anno CCL. sub imperio Decij & Valeriani, qui durante persequutione, quam Imperatores illi contra Christianos exercebant, in villam quandam prope Thebas, ubi natus fuit, concessit: cumque sciret, socerum suum in animo habere ipsum deferre, in desertum abijt, ubi antrum invenit, in quo palma erat eximia, quæ ramos suos desuper extendebat. Tantæ autem magnitudinis hæc palma erat, ut totum istum locum amænum obtegeret, juxta quem fons limpidus saliebat. Aliæ quoque latebræ illic erant, in quibus moneta clam cudebatur, tempore M. Antonij & Cleopatræ. Huc vir iste sanctus se recepit, ubi spatio LXX. annorum à corvo sustentatus fuisse dicitur, qui ipsi quotidie dimidium panem hora nona matutina afferebat.

Fructu hujus palmæ vescebatur, & folijs illius se vestiebat, maximam diei & noctis partem contemplationi tribuens. Mansit hoc loco CX. annis, in quem venit, cum XVI. annos natus esset, & vitam angelicam in terris egisse perhibetur.

De ordine S. Antonij Eremitæ.

S. Antonius, pater monachorum Ægypti, in de- 5
sertum concessit anno ætatis decimo octavo & dimidio, ubi LXXXIII. annis mansit.

Mos illis temporibus erat, ut qui vellet mundo renunciare, in quandam solitudinem se reciperet, ubi ab hominum consortio remotus pœnitentiam, qualis ipsi convenire videbatur, agebat: & quisque eum habitum assumebat, quem decentissimū esse judicabat: sed nulla tunc erat forma aut regula vitæ, nec quisquam voto se obligabat: sed liberū erat unicuique se conferre quo lubebat: & si quis mutata voluntate alio se reciperet, levitatis non insimulabatur, sicut hodie fieri videmus.

Hos omnes S. Antonius quasi ex officio visitare in animum induxit, & omnes ipsum patrem agnoscebant. Tanta autem virtute præditus & tam celebris

Digitized by Google

lebris fuit, ut Imperatores, Reges & Principes datis ad ipsum literis eum sæpe consulerent, & precibus ipsius se commendarent. Obijt anno salutis CCCXLV. sub Imperio Constantini II. qui cum Constante & Constantio, fratribus, regnavit: quo tempore Iulius I. vir sanctus, sanctam sedem Apostolicam tenebat. Appositissimè pater monachorum appellatus fuit, si consideretur, quod fortissimus athleta & præstantissimus strategus fuerit, qui certamen cum Diabolo iniverit.

Non tamen primus auctor vitæ monasticæ fuit. Nam S. Dionysius Areopagita in libro de cælesti Hierarchia hunc ordinem inter primos, quos recenset, numerat, & testatur, monachos ab Apostolis fuisse vocatos servos Dei. Deinde Philo Iudæus, qui vixit tempore Imperatoris Tiberij Caligulæ, in tractatu, quem scripsit de vita contemplativa, Christianos summis laudibus extollit, quos vocat servos magni Dei, cum nomen Christianorum, quod in Ecclesia Antiochena primam suam originem habuit, nondum esset in vsu: & ait illos nihil proprij habuisse, neminem inter ipsos divitem aut pauperem fuisse, precibus & psalmis canendis plerunque vacasse, discendi cupidos fuisse, & in magna continentia vixisse.

Dicit præterea domicilia ipsorum nominata fuisse monasteria, hoc est, loca solitaria: & S. Hieronymus existimat, S. Marcum Evangelistam fuisse primum auctorem & fundatorem vitæ monasticæ, & quod Philo scripsit in laudem Christianorũ, respicere laudabilem vivendi rationem, quam S. Marcus & monachi ipsius Alexandriæ observabãt: quod à Petro Damiano & Cassiano confirmatur, nempe Ordinem Monasticum fuisse tempore Apostolorum. Nihilominus S. Antonius pater fuit Monachorum. Nam ipsius exemplum & celebritas sanctitatis, qua excelluit, deserta Ægypti Monachis repleuit. Hoc tamen non impedit, quo minus jam ante fuerint monachi, non modo in illis desertis, sed etiam in solitudinibus Thebaidis, Lybiæ, Palestinæ & Arabiæ.

Ordo S. Hilarionis & aliorum cœtuum Eremitarum & Religiosorum Thebaidis Ægypti.

6 Beatus Hilarion caput fuit magnæ multitudinis Monachorum in Syria.

Sanctus Macarius, discipulus S. Antonij, & Hilarionis coætaneus, dux fuit eorum, qui in Thebaide erant.

In eadem Thebaide sanctus fuit Abbas, cui nomen Apollonio, qui habitavit in finibus Hermepolis, in quam vrbem Virgo Maria & beatus Iosephus cum puerulo Iesu se receperunt, cum fugerent Herodem Tyrannum. Hic Abbas, teste Heraclide, quinque millibus monachorum imperabat.

Idem auctor refert, Isidorum Abbatem in Thebaide monasterium condidisse mœnibus cinctum, in quo plusquam mille monachi habitabant.

In monte Nitrio, qui quadraginta passuum millibus Alexandria distat, plusquam quingenta monasteria, eodem auctore teste, sibi finitima erant, quæ ab vno patre regebantur: quod plane admirabile videtur. Præterea ait, se in illis monasterijs, quæ non procul Alexandria aberant, plusquã duo millia Monachorum, & in monte Nitrio plusquam quinque millia inveniſſe. S. Hieronymus affirmat, se in vna vrbe Thebaidis plusquam viginti millia virginum, & decem millia monachorum illic habitantium inveniſſe.

Idem Hieronymus, pœnitentiæ speculum, ad Eustachium scribens, ait, in Ægypto tria monachorum genera fuisse, nempe Cœnobitas, quos ethnici sacros appellabãt: Anachoretas, qui in desertis habitabant: & Remobores, homines non magni pretij, nec vlli legi subjectos. Hi non vivebant soli, sed bini, terni aut plures, prout ipsis lubebat. Manibus suis operabantur: & quod acquirebant, sibi servabant, patrem tamen ex eo in commune conferebant. In vrbibus plerunque & arcibus degebant: majorem salubritatis aeris quam sanctitatis vitæ rationem habebant. Quod vendebant, pluris æstimabant, quam quod alij habebant. Semper aliquod murmur aut contentio inter ipsos erat: & quoniam ex proprio vivebant, ferre non poterant, vt alius ipsis imperaret. Omnia, quæ habebant, supra modum affectata erant, manicæ vestium largæ, caligæ follicantes, toga crassa, suspiria frequentia. Cursitabant per monasteria, & sacro Ordini obtrectabant: festis diebus vsque ad vomitum se ingurgitabant. Hæc de ipsis refert S. Hieronym. Præter hæc tria genera quartum fuit, à S. Benedicto additum, nempe agyrtæ & circulatores, qui nullo loco permanebant, sed per oppida discurrebant, & ad templorum portas se disponebant, vt emendicarent pecuniam.

In Xenodochijs aut diversorijs hospitabantur, erantq; gulosi & voluptatibus dediti.

De Cœnobitis.

Primum Cœnobitarum votum erat, se obtem- 7
peraturos omnibus, quæ à superiori præciperentur. Divisi erant in decurias & centurias, ita vt decimus curam haberet cæterorum novem, & centurio reliquis, qui in ipsius centuria erant, imperaret. Pane, leguminibus & quibusdam herbis victitabant: opera quædam manuaria faciebant: omne, quod reliquum erat, tempus precibus impendebant: toto anno jejunabant, arctius autem in Quadragesima. Post Pentecosten cœnam cum prandio commutabant, vt satisfacerent traditionibus antiquis. Quidam ex Anachoretis, antequam in solitudinem se conferrent, in monasterijs se ipsos probabant.

In eo se potissimum exercebant, vt propriæ voluntati renunciarent, & humiles ac patientes essent. Postea quando se omni virtute instructos sentiebant, in solitudinem ibant, vt pœnitentiam agerent, locis interdum tam remotis ab hominum consortio, vt proximi ipsorum septem dierum itinere ab illis disjuncti essent. Auctor hujus vitæ fuit Paulus Thebanus, cujus supra mentio facta.

Digitized by Google

De monasterio Lauri à Caritone ædificato.

8 Carito, natus Icomij, postquam sub Imperatore Aureliano multa pro fide Iesu Christi pertulisset, tandem liberatus sub Imperatore Tacito, qui ipsi successit, cũ iter faceret in terram sanctam, captus fuit à prædonibus qui manibus ligatis, & cervice numellis inserta, eum in desertum duxerunt, ad mare mortuum, quod palus Asphaltites & lacus Sodomæ appellatur, vbi eum vinctum reliquerunt. Sed dum aliam prædam quæsitum exijssent, vipera in antrum illud irrepsit, in quod vasculum vino plenum reposuerant, ex quo illa bibit, & vinum veneno infecit: ita vt illi reversi, cum illud hausissent, subita morte interirent. Carito autem, vinculis miraculose dissolutis, omni præda, quam illi congesserant, potitus est. Illius partem pauperibus Christianis, qui in deserta se receperant, fugientes persequutionem, distribuit: ex reliquo monasterium Lauri eo ipso loco condidit, quod postea toto Oriente celeberrimum fuit.

Illius templum fuit consecratum à S. Macario, qui vna cum alijs Patribus Concilio Niceno interfuit. Multitudo eorum, qui eo loci ad ipsum confluebant, eum coegit, vt penitius in desertum se conferret: vbi successu temporis coactus fuit aliud monasterium condere, quod etiam deseruit.

Nam solitudine cumprimis delectabatur, & in desertum Tecoritanum se recepit, vbi multos ad fidem Christianam convertit. Quæ causa fuit, vt tertium Monasterium ædificaret, quod à Surienſibus Sura, à Græcis Laurus antiqua dictum fuit. Tandem in aliam speluncam se abdidit, quæ appellata fuit Cotruastris, hoc est, pensilis aut suspensa, quoniam scala in eam conscendendum fuit. Illic cum diu commoratus esset, in morbum incidit, & in primum monasterium delatus fuit, in quo vltimum vitæ diem clausit, tempore Iulij Pontificis Romani, & Impp. Constantini II. & Constantij fratris, qui fuit Arrianus, & Christianos errori ipsius non addictos vehementer est persequtus.

S. Martyr Iulianus, qui fuit ex Antiochia vrbe Syriæ (nam viginti tres hujus nominis fuerunt in sanctorum numerum relati) cum votum cœlibatus concepisset, invitus ad matrimonium per revelationem quandam compulsus fuit: in quod cum tandem consensisset, prima nocte nuptiarum vxorem suam Basilissam, formosam admodum & illustri genere ortam, induxisse dicitur, vt voto se obstringeret, quod secum in perpetua continentia omnibus inscijs vivere vellet. Parentibus vtriusque mortuis aliquo post tempore partem suorum bonorum pauperibus sunt largiti: ex reliquo monasterium tantæ magnitudinis exstruxerunt, vt decem monachorum millia caperet: quot etiam sub regimine Iuliani in eo fuerunt. Postea aliud pro Basilissa condiderunt, quæ fuit mater mille religiosarum fœminarum. Tandem in decima persequtione sub Impp. Diocletiano & Maximiano, Iulianus varie excruciatus ex mandato Martialis præsidis Antiochiæ, martyrio cum socijs coronatus fuit, omnibus jussu tyranni gladiorum ictibus obtruncatis.

Ordo S. Basilij.

His præmissis, sciendum est ad faciliorem intel- 9
ligentiam eorum, quæ sequuntur, quatuor fuisse regulas ab Ecclesia approbatas, nempe S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci, quibus omnes alij Ordines Ecclesiastici comprehenduntur.

S. Basilius, vir doctus & excellens, qui oraculo divino magnus fuit cognominatus, floruit anno Domini CCC. & natus fuit in vrbe Alaza sive Cæsarea Cappadociæ, in qua fuit Episcopus.

Hic primus Monachos obstrinxisse dicitur, vt votum nuncuparent post annum probationis, se in monasterio vsque ad mortem permansuros, superioribus plenam obedientiam præstituros, nec statuta ipsorum transgressuros: adhæc voluit, vt continentiam & paupertatem voverent. Quam legem omnes, qui tunc aderant, acceperunt. Eandem Ecclesia tanquam bonam & sanctam approbavit.

Hinc est, quod regula S. Basilij omnium, quæ in mundo fuerunt, prima fuisse perhibetur, quoniam ipse primus religiosos ad edendam professionem adstrinxit. In Armenia tantum & tam amplum monasterium extruxit, vt in eo tria monachorum millia habitarent. Denique omnes Religiosos in Oriente adegit, vt bonam vitæ formam observarent.

Ordo sancti hujus viri etiam in aliqua parte Græciæ floruit, præsertim ijs locis, quæ illustrissimę reipub. Venetorum imperio subsunt. Sunt etiam nonnulli ex hoc Ordine in quibusdam locis Italiæ, præsertim Cryptæ-ferratæ, quæ duodecim millibus passuum Roma distat: sed quemadmodum gente Græci sunt, ita lingua Græca & characteribus Græcis vtuntur. In Symbolo cum Ecclesia Latina dicunt, *qui ex Patre filioque procedit*: quod non faciunt illi, qui sunt in Oriente. Ordines ipsis conferuntur à Vicario Pontificis, postquam à quodam viro docto & linguæ Græcæ perito examinati fuerunt.

Professionem edunt sub suo Archimandrita, hoc est, cœnobii præfecto. Nulla carne nec adipe vescuntur, & antequam Missam celebrent, altare primum abluunt: suntque abstinentissimi. Manibus suis operantur, ad imitationem monachorum Ægypti: & quod manuum labore acquirunt, in commune conferunt, nec quicquam proprij possident.

Cætera omnia monasteria in Italia; quæ sunt hujus Ordinis, matrem agnoscunt Abbatiam Crypta-ferratensem. Hoc monasterium fundavit S. Nilus, Calaber. Omnes retinent eam regulam, quæ ipsis data fuit in Concilio Florentino à Papa Eugenio IV.

S. Basi-

Digitized by Google

S.Basilius autem obijt anno CCCLXXIX. quo tempore Damasus, primus hujus nominis, sanctam Sedem; & Imperator Valens: Arianus, Imperium tenebat.

Ordo Abbatis Pacomi.

10 Post sanctum Basilium series temporum postulat, vt de Abbate Pacomo verba faciamus, qui legem, quam suis Religiosis dedit, duabus tabulis æneis inscriptam, ab Angelo accepisse creditur, qui cum ipsum in omnibus, quæ ad vitam monasticam pertinent, probe instituisset, disparuit, & tantum ardorem mandata ipsi data exequendi reliquit, vt paucis diebus plusquam septem monachorum millia colligeret, qui in diversis monasterijs non longe à se invicem dissitis habitarunt. Circa præcipuum locum, in quem se recepit Pacomus, quem Gennadius in libro de Consonantijs Ecclesiasticis, vocat hominem gratia Apostolica præditum, cum propter modum docendi, tum propter miracula, quæ edebat, præter illa septem millia, alios mille quingentos sub sua disciplina habuit, quos in viginti quatuor ordines seu classes, secundum numerum Græcarum litterarum distribuit, sicut ipsi ab Angelo injunctum fuisse dicitur: quarum classium præfectos accersere solebat, vt ex ijs statum omnium suorum Religiosorum cognosceret.

Hi omnes manibus suis operabantur, sicut fiebat in omnibus monasterijs Ægypti, neque quenquam in suum ordinem admittebant, nisi promitteret, se opus facturum in ea arte quam didicisset: & quidquid singuli acquirebant: Oeconomo tradebatur, qui ex præscripto Abbatis omnium necessitatibus prospiciebat.

Hic vir sanctus piam animam Deo reddidit, anno Domini CCCCV. anno ætatis CX. anno IX. imperij Arcadij & Honorij, cum Ecclesia Romana regeretur ab Innocentio primo.

Abbatia S. Symphoriani & Religiosorum ipsius.

11 Circa tempus Pacomi vivebat etiam bonus Abbas S. Symphorianus, qui monasterium condidit extra urbem Mediolanum, in quod se recepit cum multis discipulis, quibus regulam præscripsit. Qualis ea fuerit, & quo genere vestis usus sit, non reperitur, quoniam paulo post omnes Ordines monasticorum confusi, & in unum redacti fuerunt, qui à temporibus S. Benedicti in multa membra diviſi fuerant. Vixit tempore S. Ambrosij, & ad ipsum, tanquam hominem pietate & doctrina cæteris antecellentem sanctus hic Episcopus S. Augustinum misit, postquam S. Baptismi lavacro tinctus fuisset.

Monasterium sancti Martini Turonensis.

12 Reliqui sunt duo alij, qui Monasteria fundarunt: prior S. Martinus, natus Sabariæ, in arce celebri Hungariæ, educatus Patavij, baptizatus Pictavij à S. Hilario, illius vrbis episcopo. Monasterium condidit Mediolani, & postea aliud Pictavij, vbi cum suis Religiosis commoratus est, qui tanta vitæ sanctitate pollebant, vt plerique beatos se existimarent, si quendam ex illis pro Episcopo habere possent. Ipsemet paulo post in Episcopum Turonensem electus fuit, vbi celebre illud monasterium Marmontanum exstruendum curavit, dimidio ab vrbe milliari, vir alioquin magnæ sanctitatis, cum propter ipsius obedientiam & patientiam, tum propter charitatem & humilitatem. Idem miraculis editis claruit: nam tres, uti dicitur, ex mortuis excitavit, multis cæcis visum restituit, multos ægrotos varijs infirmitatibus affectos sanavit. Obijt tempore Impp. Arcadii & Honorij, Siricio primo hujus nominis sanctam Sedem tenente.

Religiosus ordo Sancti Hieronymi.

Quis vero silentio præterire posset magnum illum virum S. Hieronymum, pœnitentiæ speculum, qui patris loco omnibus alijs Doctoribus fuit, & ex cujus laboribus Ecclesia quotidie magnum fructum percipit, 13

Hic vir eximius patrem habuit virum nobilem, Eusebium, arcis Stridoniæ in confinijs Pannoniæ & Dalmatiæ dominum, & ad tantam supra vulgus eruditionem pervenit, vt Augustinus dicat, ipsum in omnibus liberalibus scientijs & linguis ita fuisse versatum, vt neminem suo tempore cognoverit, qui cum ipso comparandus esset. Septem annos peregrinando magno cum labore & molestia consumsit: exinde in asperrima Ægypti deserta concessit, vbi quadriennium integrum commoratus est. Qui vero ipsius jejunia, labores & vitam austeram, quam illic egit, cognoscere cupiet, legat epistolam ipsius ad Eustochium. Exacto illo quadriennio, Bethlehemum, oppidum Iudææ, se contulit, extra cujus portas, versus occidentem, non procul à loco, in quo Redemptor noster natus est, permissu Cyrilli, archiepiscopi illius loci, egregium monasterium condidit, in quo brevi tempore magnum discipulorum numerum congregavit, inter quos fuerunt S. Eusebius Cremonensis, qui postea vitam sui præceptoris descripsit, & Symphronius, qui etiam docta ingenij monumenta reliquit S. Hieronymus illic cum discipulis ita vixit vt in summis laboribus, quibus se assidue exercebat, S. Scripturas vertendo, nihil de sua pœnitentia remitteret.

Ordo ipsius Hieronymitarum appellatur, quorum etiamnum multi sunt in Hispania. Illi tunicam candidam interiorem gerunt, cui pallium Bætici coloris, superius pellitum, quali Iesuitæ vtuntur, superinduunt.

Præcipuum monasterium hujus Ordinis vocatur sancti Bartholomæi Lupienensis, quod situm est tribus ab vrbe Gardæa milliaribus: suntque

Digitized by Google

in Hiſpania ut minimum XXXII. hujus Ordinis monaſteria.

Vulgo dicuntur monachi S. Hieronymi Gardalupij: hieroduliam S. Auguſtini ſequuntur, & quaſdam ipſius conſtitutiones obſervant. Nulli ſunt religioſi hujus Ordinis in Italia, niſi quod illic Procuratorem habent. Cæterum Hieronymus è vivis exceſſit vltima die Septembris, anno CCCCXX qui fuit duodecimus imperij Honorij, & primus Pontificatus Papæ Bonifacij.

Religioſus ordo S. Auguſtini.

14 Prima regula ab Eccleſia approbata poſt Baſilij magni regulam, S. Auguſtini, Doctoris Doctorum fuit. Hoc ingenium tam præſtans atque eximium, quod nunquam ſatis pro merito laudabitur, natum eſt circa annum CCCLVIII. in arce Tegaſtana: patrem habuit Patricium, & matrem Monicam. Anno XVIII. ætatis ex lectione libri cujuſdam Hortenſis Manicheus factus eſt. Cum Romam veniſſet, tantam nominis celebritatem propter ſingularem doctrinam adeptus eſt, vt Romani ſtatuam in ipſius honorem erigerent. Roma Mediolanum profectus eſt, vbi precibus matris S. Monicæ, & doctis concionibus S. Ambroſij ab errore, cui vſque ad annum XXX. ætatis immerſus fuerat, revocatus fuit.

Inde in patriam redijt, & impetrato horto ſuburbano ab Epiſcopo Hipponenſi, monaſterium exſtruendum curavit, in quo labore manuum ſe ſuſtentavit, & integerrime vixit. Cum habitum Religioſi indueret, duodecim habuit ſocios, quorum hæc ſunt nomina: Auguſtinus, Nembridius Enodius, Alipius, Pontiens, Deodatus, Simplicianus, Fauſtinus Græcus, Hordulius, Valerius, Iuſtinus & Paulus: qui omnes ſe cinxerunt zona pellicea, vt ipſe S. Auguſtinus refert, ad differentiam Monachorum. Cum aliquandiu in hoc monaſterio fuiſſet, alijs ſodalibus ſibi adjunctis, quam qui iam nominati fuerunt, videns populi concurſum, qui ad ipſum inviſendum veniebat, duobus paſſuum milibus ab vrbe receſſit: & qui ipſum ſequi voluerant, tuguria in clivis montium exſtruebant.

Hinc originem traxerunt Eremitæ S. Auguſtini, quorum tunc CXX. erant ſub ipſius diſciplina. Nullus ipſorum bibebat vinum, niſi in caſu neceſſitatis.

Hic numerus poſtea crevit, adeo vt brevi tempore multa monaſteria hujus Ordinis in Africa conſpicerentur. Sed perſeqvutio Gottorum & Vandalorum ipſos coegit mutare ſedes, & in provinciam Meſireſtienſem ſe recipere: vbi etiam hæretici & infideles hunc ordinem ita ſunt perſeqvuti, vt fere prorſus extingueretur, vſq; ad tempus Guilhelmi Ducis Aquitaniæ, qui huic Eremitarum Ordini nomen dedit. Hic tanta vitæ ſanctitate excelluit, vt à Pontificibus Anaſtaſio & Adriano, vtroque nominis ſui quinto, poteſtatem relinquendi eremum, & cum fratribus ſui Ordinis in vrbes concedendi obtinuerit.

Hac venia impetrata elegans & amplum monaſterium Lutetiæ condidit: quod fuit primum hujus Ordinis in vrbibus exſtructum: & Religioſi hujus Ordinis à nomine ſui Inſtauratoris Guilhelmitas ſe appellarunt. Accidit hoc anno M CLVII.

Poſtea circa annum M C C. hic Ordo in Italia florere cæpit, auctore S. Ioanne, qui Boni cognomentum meruit, & Mantuæ natus fuit. Is aſſumto hoc Ordine tantam nominis famam ſua ſanctitate & doctrina ſibi comparavit, ut ipſius cauſa multa monaſteria Ordinis S. Aug. exſtruerentur, cum in Latio & Ducatu Spoletano, tum in Piceno & Gallia Ciſalpina: ita vt dici poſſit pater & inſtaurator hujus Ordinis in Italia. Obijt anno MCCXXII. cadaver ipſius humatum Mantuæ in æde S. Agnetæ, multis miraculis illuſtratum fuiſſe ab Italis perhibetur.

Quidam arbitrantur, eum fuiſſe præceptorem S. Franciſci Aſſiſenſis, & quod Franciſcus ſub ipſo ordinem profeſſus ſit.

Eo mortuo Ordo admodum crevit: ſed Religioſi diverſum habitum aſſumſerunt, & alij à S. Auguſtino, alij à S. Guilhelmo, alij à S. Ioanne Bono, alij à S. Fabiano, alij à Britinorum congregatione ſe nominarunt.

Hanc ob cauſam Papa Innocentius IV. anno MCCXLIII. edixit, vt omnes Eremitæ & alij Religioſi Ordinis S. Auguſtini vno eodemque nomine appellarentur, nempe Auguſtiniani, vel Eremitæ S. Auguſtini: & quamvis domicilium in vrbibus haberent, nihilominus Eremitæ dicerentur, & viverent ſecundum profeſſionem ac regulam ſancti Auguſtini: quo factum eſt, ut omnia hæc diverſorum habituum genera in unum reducerentur.

Hic Ordo S. Auguſtini dividitur in Conventuales, & in eos, qui Obſervantiæ dicuntur. Obſervantia rurſus dividitur in vndecim cœtus, qui à temporibus modo dicti Innocentii Pontificis ſe reformarunt: eſtque Obſervantia Miletana, Carboniana, Peruſina, Ciſalpina, Montis Orthonis, Baptiſtellæ, Apula, Calabrica, Dalmatica & S. Pauli, de quibus infra ſigillatim ſecundum ipſarum tempora agemus.

Ordo S. Benedicti.

Poſtquam de auctoribus & origine Religioſorum, qui in Ægypto Syria, Armenia & Africa floruerunt, diximus: videamus nunc, quid in occidente actum ſit, vbi primus occurrit vir magnus S. Benedictus, patriarcha Monachorum hujus tractus, qui natus eſt quadraginta annis poſt S. Auguſtinũ denatum, anno CCCCLXXII. in vrbe Norſia, regione Sabinorum, quæ alio nomine Vmbria dicitur, ex nobili familia Regardorum, quæ tunc potens & illuſtris erat non tantum in Norſia, ſed in circumjacenti regione. 15

Patri nomen erat Proprio, matri Abundantiæ. Miſſus fuit Romam anno ætatis X. annorum, vt artes liberales diſceret: ſed ſtudia & opes deſeruit, fugitque in arcem Effidam, ſola nutrice ipſum ſequente: inde in deſertum ſe recepit, prope Subiacum, quod fuit olim non contemnendum

Lati-

Digitized by Google

Latinorum oppidum, quadraginta millibus passuum ab vrbe Roma distans. Illic per triennium fuit, austeram admodum pœnitentiam agens, nec vlli cognitus nisi vni monacho Romano. Sed cum proditus fuisset à quibusdam pastoribus, populus vndique ad illum videndum accurrit. Tanta autem efficacia mundum taliter esse deserendũ suadebat, vt brevi tempore duodecim monasteria exstruerentur: quibus cum viros idoneos præfecisset, cum flore suorum discipulorum in eum locum concessit, vbi hodie est monasterium montis Cassini, & olim vrbs Cassinum fuit, non procul ab Aquino in Campania. Illic destructis prius omnibus idolorum templis & confractis statuis, primus nomen Iesu Christi annunciavit, & omnes monachos alioſque eremitas varijs locis dispersos collegit, quibus regulam prescripsit, secundum quam ipsi & eorum successores vitam instituere deberent: quæ fuit tertia regula, S. Basilij regula comprehensa, quæ à S. Sede approbata fuit.

Inter discipulos hujus sancti viri familiam duxit S. Maurus, qui suis concionibus & sancta vita Ordinem monasticum in Gallia reformavit: proximus ab hoc fuit Placidus, qui idem præstitit in Sicilia.

Hæc arbor plures ramos produxit, nempe Ordinem Cluniacensem, Camaldulium, Vallisvmbrosæ, Cistercensium, Humiliatorum, Cælestinorum, Olivetanorum, & S. Iustinæ.

Quemadmodum omnia cum tempore degenerant, & insensibiliter à recto tramite deflectunt, ordo quoq; S. Benedicti, postquam aliquamdiu magna cum laude & celebritate floruisset, tam procul à prima sui fundatoris institutione recessit, vt Concilia, cum generalia tum particularia, complures leges de eo reformando & ad primum suum principium revocando tulerint.

Sed quod neque decreta neque sanctorum patrum auctoritas perficere potuerat, sanctitas Abbatis Cluniacensis, cui Odo nomen fuit, feliciter præstitit, qui Ordinem monasticum propemodũ ex mortuis excitavit, eumque coegit exacte observare, sicut ipsemet faciebat, omnia, quæ tempore S. Benedicti in vsu erant: ita vt multi alij Abbates, laudabili ipsius exemplo excitati, sua quoque cœnobia reformarint: quod non tantum in Gallia factum est, sed etiam in Hispania, Germania & Italia.

Quoniam verò hæc reformatio Cluniaci cæpta erat, uno tot Abbatiarum, quarum præter propter duo millia erant, fuit nominata congregatio Cluniacensis: & quotannis permissu atque auctoritate Pontificum omnes Abbates hujus congregationis certo loco conveniebant: quem conventum Capitulum generale vocabant, in quo agebatur de ordine & modo vivendi Religiosorum, summotis aut pœna affectis ijs, qui peccaverant.

Hic bonus Odo vixit anno DCCCCXIII. & mortuus est sub Imperio Henrici II. Romæ sedente Ioanne X. Ravennate. Tam felix hujus Ordinis Seges fuit, ut anno MD. Trithemius Abbas numeraret in Orbe Monasteria Benedictinorũ XV. millia, & amplius, quæ suas habuerint Abbatias, & Volaterranus ex eo dicit sanctos prodijsse canonizatos 15600.

Ordo congregationis Camaldulensis.

Congregatio Camaldulensis auctorem habuit S. Romoaldum Ravennatẽ, gente Saxonem, quæ tunc nobilis & illustris erat in illa vrbe. Hic cũ natura ad solitudinem propensus esset, quamvis primogenitus & vnicus esset in sua familia, mundo valedixit, anno ætatis XX. & se recepit in monasterium Venatorum prope Cavermam, vbi sancta sua vita innumeros Christo lucrifecit: adeo vt, Petro Damiano teste, non solum in Marca Trevisana, Latio & Etruria, sed etiam in Gallia & Syria tanta hominum multitudo ipsius institutum sequuta sit, vt, nisi ipse cavisset, maxima pars orbis, vt ita dicam, Monachismum amplexura fuisset, cum multi Comites, Marchiones, Duces & alij viri illustres se in ipsius disciplinam darent. 16

Multas Abbatias in Etruria, Marchia Arvernensi, Latio & in partibus Istriæ condidit, quas omnes monachis replevit. Postea celebre & famosum cœnobium Camaldulense in Etruria prope Aretium exstruxit, quod ita dictum fuit à quodam Maldo, nobili Aretino, qui, cognita Romoaldi sanctitate, partẽ Apennini ipsi donavit, vbi hodie monasterium situm est, quod Romoaldus ab ejus nomine, qui tanto beneficio ipsum affecisset, in signum gratitudinis appellari voluit.

Hic locus in hodiernum diem primum suum institutum observat: quod eum honorabilem & venerabilem inter omnes reddit.

Romoaldus autem floruit anno salutis millesimo, cum Imperium Græcorum Basilius & Constantinus, Germanorum Otho III. teneret. Obijt natus CXX. annos, cum XX. annis in mundo, III. in monachatu, XCVII. in eremo vixisset. Qui ipsius Ordinem sequuntur, vestem candidam gerunt, more Monachorum, & in cæteris regulam S. Benedicti observant.

Ordo Grammontanus, seu Grandimontensium.

Ordo Grammontanus institutus fuit Grammontij in agro Lemovicensi, sub regula S. Benedicti, an. MLXXVI. à Stephano, nobili Aruerno. 17

Ordo Hospitaliorum S. Antonij.

Anno MXCV. institutus fuit Ordo eorum, qui ministrant ægrotis in Nosocomijs S. Antonij, hoc est, ijs, quorũ membra igne sacro, vt vocatur, paulatim consumuntur. Auctor illius fuit Gasto, nobilis Gallus, cum Gerino filio, qui cum defessi essent, notam litteræ Tau assumserunt. 18

Ordo Vallis vmbrosæ.

Hic ordo originem suam debet Ioanni Alberto, domino Petrivoli & Vallis Preschianæ, qui cum sacro die Veneris in inimicum, qui fratrem suum interfecerat, incidisset, & alter ille videns, se in 19

Digitized by Google

se in eas angustias redactum, ut evadere non posset, eum rogasset, ut sibi parceret in gratiam ejus, qui hoc die pro redemtione generis humani mortem oppetere voluisset, his precibus adeo commotus fuit, ut non solum vitę gratiam ipsi faceret, sed etiam ex equo descenderet, eumque arcte complecteretur, promittens, se ipsum in posterum loco fratris, qui interfectus fuisset habiturum.

Inde templum S. Miniati prope Florentiam ingressus, ut precaretur, cum ante crucifixi imaginem, quæ in medio templo erat, in genua procubuisset, illa uti vulgo perhibetur eò loci, caput versus ipsum inclinare & quodammodo gratias agere visa est, ligno, ex quo confecta erat, quassato: eo significans, opus ipsius Deo gratum fuisse, quod in ejus gratiam inimico ignovisset. Hoc miraculo inductus fuit, ut religiosis in monasterio S. Miniati se adjungeret: vbi cum certis de causis manere non potuisset, in collem quendam Apennini secessit, viginti passuum millibus à Florentia, & in loco quodam, qui vallis vmbrosa dicebatur, substitit, vbi simplicem & pauperem abbatiam ædificavit, quæ postea opibus & nominis celebritate crevit: Ab hoc loco congregatio Vallis vmbrosæ nomen & originem traxit. Mortuus est ille anno MXXXVII. sub Imperio Henrici III. cum Pontificatum teneret Gregorius VII. qui ipsum inter sanctos retulit, ut quidam volunt: nam alij Calixto hoc tribuunt.

Religiosi hujus loci habitum gerunt claustralem coloris fuliginei aut cærulei, ad differentiam monachorum atrorum, & observant regulam S. Benedicti.

Ordo S. Brunonis & Carthusianorum.

20 Paulo post institutum Ordinem Vallis vmbrosæ, aliud miraculum admodum horrendum originem dedit Ordini Carthusianorum, anno MLXXX. quo Doctor quidam Parisiensis, vir doctus & clarus, cum supremum diem obijsset, & in templum delatus esset, in vigilijs, quæ super cadaver ipsius canebantur, vbi hæc verba prolata fuerunt, *Responde mihi*, erecto corpore & sedens in feretro, prima die voce terribili respondit, *Iusto Dei judicio accusatus sum* altera die (nam dilata fuit sepultura) cum in vigilijs ad eundem locum perventum fuisset, rursus corpus erexit, sicut die præcedenti, & alta voce hæc verba pronunciavit, *Iusto Dei judicio judicatus sum*; tertia die, cum rumor per totam vrbem disseminatus fuisset, & populus vndique accurreret, vigilijs iteratis, & repetita lectione eorundem verborum, *Responde mihi*, denuo se erexit, sicut ante dicēs: *Iusto Dei judicio condemnatus sum.* Vox autem tam insolens & terribilis erat, vt non tantum ij, qui aderant, sed etiam qui rem narrari audiebant, obstupescerent: uti habet legenda.

Cæterum inter plurimos Doctores, qui his exequijs intererant, quidam Germanus fuit, cui nomen Bruno, Coloniæ natus, opulenta & nobili familia, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Remensis in Campania, Doctor, Theologiæ & Iuris civilis, qui motus hoc spectaculo nunquam ante viso aut audito, decrevit taliter mundo valedicere, & se recipere in solitudinem, consilioque sex suis sodalibus communicato, nempe Ludovico Doctori Parisiensi, qui fuit primus cœnobiarcha Carthusianorum post Brunonem, duobus Stephanis, qui erant Canonici, Hugoni Presbytero, Andreæ & Guerino, hominibus laicis, illi admonitionibus sancti viri persuasi, in desertum quoddam secedere constituerunt, & Gratianopolin, vrbem Delphinatus in Gallia, profecti, Hugonem, qui tunc illius vrbis episcopus erat, adierunt, vt ab eo locum aliquem solitarium obtinerent, in quo reliquum vitæ tempus exigerent.

Nocte illa, ante quam hic vir sanctus cum suo sodalitio ad Episcopum veniret, Episcopus vidit in somnio Deum in eum locum descendentem, vbi nunc est magnum cœnobium Carthusianorum, & septem stellas aurei coloris, quæ ex terra ascendebant, & diversæ erant à cælestibus, quæ sunt in firmamento. Postridie cum illi septem Episcopum convenissent, & ipse causam adventus eorum, & quid peterent cognovisset, de interpretatione sui insomnij non dubitavit, ipsisque dono perpetuo locum desertum donavit, qui decem passuum millibus Gratianopoli distat, & Carthusianorum domicilium appellatur, locum, inquam, frigidum inter duos præaltos & steriles montes, arboribus patulis & infrugiferis opacos, & à feris tantummodo habitatos.

Hac donatione ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & postea ab Vrbano II. confirmata, cæperunt casulas exstruere, ita invicem separatas, vt unus sodalium alterius solitudinem non impediret, & templum in vertice montis ædificarunt, vacantes in eo loco meditationibus precibus & lectioni sacrarum literarum, ad imitationem sanctorum Patrum Ægypti, operantes suis manibus, & carnem suam jejunio & disciplina macerantes: tandem constituerunt ab omni esu carnis per totam vitam abstinere, & cilicium dorso gestare: quod hodieque observant. Vestem candidam assumserunt, præter cucullum, quem nigrum gestant: præterea sæpe jejunant, silentium acre tenent, soli cibum capiunt in septimana, excepta die Dominica, & festis quibusdam diebus, quibus omnes simul accumbunt in cænaculo: certos dies habent, quibus ipsis licet inter nonam & vesperam inter se confabulari sine scrupulo: sacrum officium, quod peragunt, longum admodum est: denique solitudini maxime student.

Hic Ordo per varias Christiani orbis partes diffunditur, & dividitur in septendecim provincias, in quibus sunt nonaginta tria monasteria. Dicti sunt Carthusiani à loco, in quem se primum Ordinis auctor recepit, qui cum Romam fuisset vocatus à Papa Vrbano, suo quondam discipulo, eo profectus vtilem ipsi operam navavit ad componendas turbas, quæ tunc erant in Ecclesia. Roma digressus cum benedictione Pontificis, itinere per Calabriam facto, in desertum venit, quod Turris dicitur, in diœcesi Squilaciana, ubi substitit, sedem figens cum suis sodalibus,

Digitized by Google

bus, qui ipsi aderant in cavernis quibusdam subterraneis, quod cum Rogerius, Princeps illius regionis cognovisset, sanctum hominem Brunonem visum ivit, & totum illud desertum ipsi ac socijs donavit, qui illic templum ædificarunt, in quo Bruno solus habitabat: postea aliud non longe ab eo loco condiderunt, cum monasterio, in quo erant fratres. Illic mortuus est anno MCI. cum Paschalis II. sanctam sedem teneret, & Henricus IV. Imperium: relatus fuit in numerum sanctorum anno MDXX.

De Ordine Cistercienſium & Clarovallenſium.

21 Carthusianos sequitur Ordo Cistercienſium institutus à Roberto Abbate Molesimæ, urbis Ducatus Burgundiæ, in finibus Lingonum. Is cum videret, se non posse reformare religiosos suæ Abbatiæ, quos magnæ opes superbos & lascivos reddiderant, assumtis secum XXI. melioribus ex omni numero, & Cabillone, præcipua urbe Burgundiæ, profectus, sedem collocavit in loco solitario, qui Cistercium vocabatur: ubi permissu Gualteri, episcopi loci, & Hugonis archiepiscopi Laudunensis, annitente Odone Duce Burgundiæ, prima fundamenta posuit monasterij Cistercienſium, à quo totus Ordo nomen & originem traxit. Sed Religiosi Abbatiæ Molesimæ Episcopo persuaserunt, ut Robertum Molesimam remitteret, & unus inter fratres, cui nomen erat Stephano, in locum ipsius electus fuit.

Quindecim annis post hanc fundationem Bernardus, natus in arce Fontenæa in Burgundia, cujus dominus erat pater ipsius, cum triginta suis sodalibus, inter quos tres erant ipsius fratres, monasterium illud ingressus, nomen huic Ordini dedit, in quo tantos in vita spirituali progressus fecit, ut omnes alios religiosos sui temporis longo intervallo anteceederet, cum sanctitate vitæ, tum doctrina infusa & acquisita, cujus testimonium reddunt erudita & divina ipsius scripta singulari suavitate perfusa. Charitas autem ipsius, humilitas, patientia, labores ad opem ferendam Ecclesiæ, multis tunc locis afflictæ, una cum ipsius austeritate eum perpetuo commendabilem reddent.

Hic vir sanctus & eximius missus fuit à suo superiori, ut fundaret magnam & celebrem Abbatiam Clarovallensem, ad fluvium Albium in finibus Lingonum sitam, quam prius Vallem Absinthij nominabant, sive propter copiam illius herbæ, quæ ibi nascebatur, sive propter sævitiam incolarum, qui eo se recipiebant: quod accidit anno MXCVIII. cum Imperium teneret Henricus IV. & in Gallia regnaret Philippus I. Idem postea exstructis multis Abbatijs in provincijs Galliæ & alibi, hunc Ordinem ita amplificavit & locupletavit, ut non immerito pater & instaurator illius dici posset. Nam constat, ipsum suo tempore instauraſſe & de novo ædificasse centum sexaginta Abbatias: fuitque suo tempore habitus pro viro sancto, docto, prudente & consilij admirabilis.

Cistercienses observant regulam S. Benedicti, gerunt tunicam candidam, & zona lanea se cingunt: colobium, epomis & cucullus sunt nigri coloris. Non solebant vesci carnibus: sed anno MDLX. diploma Pontificium obtinuerunt, ut certis diebus in septimana ijs vesci possent. Mediolani Religiosi S. Ambrosij, Romæ S. Crucis appellantur, Ierosolymæ à titulo Ecclesiæ nomen sibi tribuunt.

De Ordine Humiliatorum.

Series temporis postulat, ut nunc de ordine 22
Humiliatorum loquamur, qui hac ratione fuit institutus. Imperator Fridericus Barbarossa, capta urbe Mediolano, cum eam in odium Mediolanensium prorsus destruxisset, ne ullum illius vestigium restaret, solum sale conspersit, & multos nobiles & illustres viros non tantum Mediolano sed etiam ex alijs vicinis urbibus proscripsit, eosque cum uxoribus & liberis in Germaniam relegavit: inter quos fuit Gualuagnus Vicecomes & olim Dux Mediolanensis, filius Andreæ magni. Hi omnes post multos annos, tædio diuturni exilij, vestem candidam assumserunt, & cum se aliquoties ad pedes Imperatoris abiecissent, tandem potestatem redeundi in patriam obtinuerunt, ubi cum eadem veste reliquum vitæ tempus magna castitate & sanctimonia transegerunt, ex opificio laneo victum quærentes, quodque supererat lucelli, pauperibus erogantes, & sobrie admodum ac tempetanter viventes. Sed cum viderent, se non posse diu hoc vitæ genus exercere, nisi cuidam regulæ se subijcerent, ex consilio boni cujusdam viri, Ioannis Presbyteri, nobili genere Comi in Ducatu Mediolanensi nati, (quanquam alij ipsum Medæ in agro Comensi duodecim ab urbe passuum millibus ortum perhibent) regulam S. Benedicti amplexi sunt. Regula, quam ab ipso acceperunt, fuit postea approbata à Papa Innocentio III. & alijs ipsius successoribus: ita ut in multis locis Italiæ monasteria hujus Ordinis reperiantur. Mediolani decem Præposituras habent, ut vocant, & tres conventus Religiosarum, quorum celeberrimus est ille, qui à Cerebro nomen habet. Primi fuerunt, qui artem opificij lanei Florentiam transtulerunt, cùm eò habitatum iverunt.

Hic Ordo cæpit anno MCLXXX. tempore Papæ Lucij III. & Imperatoris Friderici. Veste candida utuntur: penulam gerunt cum paruo cucullo à tergo assuto, cui togam superinduunt utroque latere fissam, ut brachia transmittant. Magnum præterea capitium gestant, quod humeros ipsorum majori ex parte tegit, instar galeri Cardinalitij. Adhæc pileo rotundo caput tegunt: sed præsules ipsorum, ut ab alijs discernantur, illud quadratum gerunt, sicut alij presbyteri, nihilominus candidi coloris. Solebant in commune vivere: sed cum proventus ipsorum in præsulum manus venissent, pro arbitrio vivere cæperunt. Verum anno MDLXVIII. S. & illustrissimus Cardinalis Carolus Borromæus conatus est illos ad primum statum, in quo olim erant,

Digitized by Google

rant, revocare, ut in commune & Religiosorum more viverent: quod non sine multis moleſtijs, quas hic vir ſanctus ſuſtinuit, nec ſine magnis ſcandalis, quæ evenerunt, cum multi ex ipſis omnem reformationem reſpuerent, aggreſſus eſt.

De Ordine Carmelitarum Monachorum.

23 Quamvis Ordo Carmelitarum initium & originem ducere vulgo credatur à propheta Elia, cujus ſupra mentio facta eſt: tamen ſeries temporum fecit, ut eum in hunc locum rejecerimus. Hic Propheta vivebat in mundo DCCCCXV. annis ante adventum Domini noſtri, & igneo turbine in cœlum raptus fuit, anno ætatis L. Patri Sabatæ nomen fuit, ex terra Arabin, & ſtirpe Aaronis. S. Hieronymus putat, eum fuiſſe primum mortalium, qui perpetuò cælebs manſerit. Non in territorio Carith, ſed in monte Carmel ſolitariam & religioſam vitam agebat, unde poſteà Ordo Monachorum exemplum captans tria præcipua Religionis capita obſervavit, paupertatem, obedientiam & caſtitatem.

Inter ejus diſcipulos, quatuor eximij reperiuntur, qui omnes Prophetæ fuerunt, Eliſæus, Ionas, qui in urbe Ninive vaticinatus eſt, Micheas, filius Iemlæ, qui ante Eliam & poſt ipſius raptum in Iſrael prophetam egit, & Abdias Sichemita, natus in Bethacoron.

Eliſæus habitavit in monte Carmel cum multis filijs Prophetarum, qui in horto frondes arborum putarunt, ex quibus caſulas ſibi cum intrito exſtruxerunt: Ionas cum ſuis diſcipulis Sareptę habitavit: Abdias Samariæ: quidam alij Galgalæ, Ierichunte & in Ephraim.

Hæc refert liber concordantiæ Veteris & Novi Teſtamenti, qui tradit, vitam propheticam ab Elia in Eliſæum translatam fuiſſe, & hunc, cùm maximè floreret, inſtituiſſe ordinem Cœnobitarum: nec Eliam tantum, ſed etiam Eliſæum & ipſius diſcipulos cœlibatus caſtitatem ſponte ſervaſſe. Hæc prima hujus Ordinis conſtitutio fuiſſe perhibetur.

Idem, uti quibuſdam videtur, renovatus fuit à S. Ioanne Baptiſta & diſcipulis ipſius, qui frequentabant loca prope Iordanem, quique poſt hujus ſancti viri mortem converſi fuerunt ad profeſſionem Evangelicam, Eccleſiam conſtanter cum Apoſtolis defendentes, cum illa adhuc eſſet in incunabulis. Fama eſt hos templum in monte Carmelo condidiſſe. Poſteà eorum ſucceſſores Virginem Mariam ejus templi atque Ordinis protectricem elegerunt: & hoc templum primum fuit, quod Monachi Virgini Mariæ conſecrarunt, perſeverantes in hoc genere vitæ quadringentis annis.

Verum anno CCCCXII. aut circiter, Ioannes, Doctor Græcus, & XLIV. Patriarcha Ieroſolymitanus, qui prius fuerat ſuperior fratrum montis Carmeli, inſtante Capraſio, qui ipſius in hoc officio ſucceſſor fuit, fratribus hujus Ordinis regulam præſcripſit, quam ab exemplo magni Eliæ & regula S. Baſilij hauſit. Tunc Carmelitæ diverſis nominibus appellabantur: quidam nominabant eos Religioſos, alij Eremitas, aut Carmelitas, & fratres Virginis Mariæ.

Qui Eliam pro auctore ſui Ordinis habebant, duorum generum erant: quidam volebant ſequi vitam monaſticam & propheticam, inſtitutam ab Elia, & ſe veros ipſius ſucceſſores in monte Carmelo ſub protectione Virginis Mariæ venditabant: alij vitam ipſius ſolitariam imitari ſtudebant, qui non tantùm in deſertis, ſed etiam locis habitatis degebant.

Hoc duravit uſque ad annum DCXXXVI. quo Homar, Saracenorum Princeps, magnis copijs ſuccinctus, cum multa loca Chriſtianorum in Aſia diruiſſet, & magnum numerum Religioſorum morte affeciſſet, Carmelitas habitum ſuũ relinquere coegit, offenſus, eos cãdido veſtitu amictos, quod is color proprius eſſet Satraparum & magnatum. Poſtea anno MXCIX. cum Chriſtiani Latini terram ſanctam occupaſſent, quam LXXXIV. annis tenuerunt, Carmelitis cœnobiarchæ Latini præfuerunt: ideoque regulam, quam Ioannes patriarcha prius ipſis dederat, ex Græco in Latinum convertit Alinimus patriarcha. Octoginta poſt annis Albertus patriarcha Ieroſolymitanus homo magni nominis, regulam conſcripſit, quam ex vita Eliæ, & libro patriarchæ Ioannis ac regula S. Baſilij magni excerpſit, quam propria auctoritate obſervandam dedit Brocardo, homini ſanctæ vitæ, & cœnobiarchæ montis Carmeli, ipſiusque eremitis. Atque hæc regula Alberti ea eſt, quam poſtea ſemper obſervarunt, quæ poſtea fuit confirmata à Papa Honorio III. Ex iſta regula apparet, Carmelitas fuiſſe eremitas. Nam patriarcha Albertus præſcribit ijs, qui legere neſciunt, ut certum numerum Orationum Dominicarum recitent. Et quoniam B. Virgo patri eũdam ex hoc Ordine apparuiſſe dicitur, epomidem ipſi offerens, & dicens: Accipe, mi dilecte, hanc epomidem, quæ data eſt à me tuo Ordini, in ſignum meæ Confraternitatis. Papa Honorius IV. ipſis viva voce permiſit, ut poſſent gerere alba capitia. Anno MCCLXXXVII. Mompeſſuli in generali Capitulo ſancitum fuit, ut omnes, qui eſſent hujus Ordinis, ea geſtarent: quod Nicolaus IV. approbavit.

Cæterum non licebat ipſis veſci carnibus ex regula patriarchæ Alberti: ſed Pontifices Eugenius IV. & Pius II. gratiam illis fecerunt hujus legis, & moderationem quorundam jejuniorũ valde ſtrictorum, ad quę ſe obligaverant, ipſis conceſſerunt. Sed Ioannes Soretus, homo pereruditus, hunc Ordinem reformavit, & obtinuit à Papa Nicolao V. ut omnes, qui reformationem illam impedirent, excommunicarentur, & ut fratres reformati poſſent eligere cœnobiarcham & Vicarium generalem. Hinc Ordo iſte in duas veluti familias diviſus fuit, Conventualium & Obſervantiæ.

De Ordine S. Thereſiæ ſeu Carmelitarum Monialium.

Ab eo tempore beata Thereſia Ahumadæa, ex 24

Auila

Digitized by Google

Auila vrbe Hiſpaniæ, poſt reformationem Ordinis à Thereſia denominati, Ordinem quoque Carmelitarum priſtino ſplendori reſtituit, incipiens à monaſteriis puellarum, quorum multa fundauit, deinde ad virorum progreſſa eſt, qui hodieq; Carmelitæ diſcalceati appellantur, quibus Conſtitutiones quaſdam præſcripſit Bulla comprehenſas, quam à Papa Pio IV. obtinuit, XVII. Iul. MDLXV. & poſtea confirmatas auctoritate Apoſtolica in Capitulo generali Alcadæ Ænare ſenſi habito, anno MDLXXXI. Sicut autem hæc regula orationem mentalem inprimis commendat: ita peculiaris quidam in ea eſt articulus, quo præcipit, vt Religioſi & Religioſæ extra & intra ſuas cellulas aut juxta illas meditentur dies & noctes in lege Domini, & precibus inuigilent, niſi neceſſariis quibuſdam negotiis occupentur. Hæc ſunt, quæ hoc loco de Ordine Carmelitarum dici potuerunt.

De Ordine ſacro & reformato Ciſtercienſium, qui Ordo Foliantinorum appellatur.

Reuerendus Pater Ioannes Barriera, auctor reformationis Religioſorum Ordinis ſacri Ciſtercienſium, qui à toliis nomen habent, originem ſuam ſumſit in Quercia, prouincia Aquitaniæ & Galliæ Narbonenſis.

Vrbs S. Cyri cum primum naſcentem vidit parentibus nobilibus & honeſtis, qui ipſum à puero miniſterio altaris deſtinarunt: iamque anno ætatis XXI. creatus fuit Abbas commendatarius Abbatiæ Ordinis S. Bernardi, quæ appellabatur Abbatia Foliantinorum: quo in munere vndecim annis manſit, nempe ab anno MDLXII. vſque ad IX. Maii anno MDLXXIII. quo deuotione ſua inductus eſt, vt vitam adſtrictam & valde religioſam ageret. Itaq; in familiam & ordinem Ciſtercienſium ſe dedit: deinde peracto anno probationis Ordinem in Abbatia & Monaſterio Eunenſi profeſſus eſt.

Tribus votis Religionis ſuſceptis Foliantium rediit, vbi erat Abbas. Ibi, tanquam Antiſtes, Monachos & religioſos in Capitulum conuocauit, vt eos inuitaret & hortaretur ad regulam illius Ordinis, quem amplexus erat, obſeruandam: cui cum multi ſe ſubiicere nollent, eos ad alia cœnobia & monaſteria non ſine magnis contentionibus & difficultatibus ablegauit. Nam bonis conſiliis & ſanctis deſideriis ſeruorum Dei varia ſemper obſtacula ſub initium obiiciuntur: & multo difficilius eſt, reformare familias & cœtus monachorum ac religioſorum, quam nouos inſtituere & fundare. Itaq; non ſine magna moleſtia, quam partim homines vitioſi ac parum religioſi, partim generis humani hoſtis ipſi exhibuerunt, hoc opus aggreſſus eſt: quam tamen magno animo ſuperauit: omnibus impedimentis & difficultatibus perruptis, cum ſe Deo, qui innocentes tuetur, & S. Virginis, nec non glorioſi S. Benedicti, Roberti & Bernardi patrocinio commendaſſet.

Sed quemadmodum nulla tanta eſt procella aut tempeſtas, quam non aeris tranquillitas & ſerenitas excipiat: ſic ille poſt exantlatos labores & moleſtias conſolationem accepit. Nam qui inter religioſos Abbatiæ Foliantinorum maxime feruidi & deuoti erant, conſilium ceperunt veſtigiis ipſius inſiſtendi, & vitam admodum auſteram, quam ipſis præiuit, egerunt, ſedulo imitati virtutes & perfectiones huius optimi Patris, qui non vulgares indies in religione progreſſus faciebat, & magis ac magis in amore ſui Seruatoris, exemplo S. Bernhardi, creſcebat.

Hi religioſi cum ſuo Patre vitam potius angelicam, uti videtur, quam humanam, ducebant. Nam non ſolum carne, ouis, piſcibus & omnibus lacticiniis, ſed etiam oleo, ſale & vino abſtinebant & ſolo pane, leguminibus & aqua ſe ſuſtentabant.

Papa Gregorius XIII. fama de virtutibus & inſtituto Abbatis Foliantinorum ad ipſum perlata tam generoſis cœptis paterne fauere voluit, litteris gratulatoriis ad ipſum miſſis, & duos ex ipſius religioſis Romam ad ſe accerſiuit, qui fuerunt cõditores deuoti & celebris monaſterii S. Bernardi in balneis Imp. Diocletiani. Sixtus V. Ordinis S. Franciſci, ſucceſſor Gregorii, non minus ipſi fauit, & cognita moleſtia ac difficultate, qua multi in hoc inſtituto obſeruando laborabant, nimium illius rigorem & auſteritatem moderatus eſt. Papa Clemens VIII. affectum vere paternum erga ipſum & religioſos ipſius teſtatus eſt, multis beneficiis & priuilegiis ipſis conceſſis.

Rex Chriſtianiſſimus Henricus III. de ipſius pietate & ſanctimonia certior factus, eum ex ipſius Abbatia prope Toloſam Lutetiam cum LX. religioſis ex ipſius Ordine vocauit, eumq; in nemore Vincennarum excepit, vbi ab XI. die Iulii, quo nonnulli translationem S. Benedicti (quam alii propter controuerſiam, quæ ea de re agitatur, venerationem appellant) celebrant, vſq; ad VIII. Septembr. qui dies eſt natalis ſanctiſſimæ Virginis, manſit, donec cœnobium eſſet perfectum, quod Rex in ſuburbio Pariſienſi S. Honorii prope Capucinos & hortum regium, qui à tegulis nominatur, ædificandum curauerat.

Templum huius monaſterii magnifice exſtructum & ornatum fuit pia liberalitate, Henrici magni, glorioſæ memoriæ, & Ludouici XIII. Regum Galliæ.

Regina Maria Medicea, conjux & mater modo dictorum regum, multique Principes, magnates, & illuſtres fœminæ illud multis eximiis & pretioſis ſacellis ac magnificis ornamentis illuſtrarunt, eſtque vnum ex pulcherrimis templis magnæ vrbis Lutetiæ.

Pater iſte Ioannes Barriera, cum ſui zeli & pietatis fragrantia Ordinem Foliantinorum in diuerſis Galliæ, Sabaudiæ & Italiæ locis proſeminaſſet, in quibus hodie multi religioſi in ſacrarum litterarum cognitione verſati, & eximia doctrina & ſancta vita exculti reperiuntur, Romam in monaſterium S. Bernhardi ſe recepit, vbi cum natus eſſet annos LIX. ſancte deceſſit, die S. Marci, XXV. April. ann. MDC. qui fuit annus magni Iubilæi.

Patres Foliantini & matres Foliantinæ, imitantes hunc S. Patrem, valde ædificarunt omnes incolas earum vrbium, in quibus habitarunt, & quicunque R. P. Ioannem Barrieram familiariter nouerunt, eos magnopere honorant & reuerentur.

Digitized by Google

Ordo S. Crucis.

26 Hos sequuntur religiosi S. Crucis, qui licet ante illos orti sint, tamen vehementer afflicti pæne interierant.

Quidam auctorem ipsis tribuunt Cyriacum, episcopum Ierosolymitanum: sed Bullæ Pontificum Alexandri III. Alexandri VI. & Pii V. cum Chronico Matrimatis & Sabellici censent, Cletum, qui juxta quosdam immediatè S. Petro successit, eorum parentem fuisse, cum diuino oraculo monitus fuisset, vt pauperibus peregrinis Christianis, qui Romam religionis causa veniebant, de hospitio prospiceret: quod fecit, dans suas ædes, quæ erant in platea Patriciorum Romanorum, vt ex iis Xenodochium exstrueretur, quod omni genere suppellectilis instruxit, & signo Crucis notauit. Xenodochii curam quibusdam eximiis & primariis viris, qui religionem Christianam profitebantur, commisit. His, quo melius noscerentur, iniunxit, vt crucem manu gestarent, in memoriam passionis Domini nostri, in cujus honorem sanctum hoc opus faciebat. Itaque officium illorum erat pauperes peregrinos Christianos, qui Romam veniebant, hospitio excipere, comitari ac defendere.

Post mortem Cleri Christiani, qui diuturnam grauemq; persequutionem sustinuerant, sub Constantino Magno & regina Helena, matre ipsius, respirare cæperunt. Illa Ierosolymam profecta, sanctissimam crucem inuenisse dicitur, partim magnis pollicitationibus, si quis eam sibi ostenderet, partim grauibus comminationibus, si quis eandem dissimularet. Tandem quidam Iudæus, nomine Iudas locum ipsi ostendit: quo cum venissent, statim terræ motus factus est, & tam suauis odor inde exiit, vt suffitus fragrantissimus illic sparsus videretur. Quo factum, vt Iudæus ad fidem Christianam conuersus alta voce exclamaret: ô Christe, tu es verus Seruator mundi. Is sacro Baptismate tinctus, nomen Cyriaci accepit. Inde virtutes & miracula S. Crucis cum multis discipulis prædicatum iuit, & tandem factus est episcopus Ierosolymitanus. Qua de re certiores facti complures discipuli Cleti, qui eo vsq; hospitalitatem, quamuis secreto, exercuerant, Cyriaco se aperuerunt, qui ordinem illum restituit, ac velut ex mortuis excitauit, anno CCCXXV. Hic Ordo exinde creuit, vsque ad annum CCCLXV. sub Iuliano Apostata, qui Cyriacum eodem anno morte affecit: quo sublato hic Ordo propter vehementem persequutionem propemodum extinctus fuit. Deinde rursus auras vitales carpere cœpit sub Vrbano II. cum Principes Christiani, fœdere inito, Aritullam, Ierosolymam & alias vrbes Asiæ occuparunt Papa Alexander III. diu post persequutionem Ioannæ Barbarossæ huic Ordini magna priuilegia concessit. Postea suborta secta Albigensium omnes ex hoc Ordine, qui apti essent ferendis armis, cogebantur ire in militiam contra illos. Papa Innocentius III. in Concilio Lateranensi eundem Ordinem confirmauit, & multa ipsi priuilegia propter maxima damna, quibus affectus fuerat, largitus est. Deinde celebratum fuit Concilium generale Mantuæ, quod sanxit, vt fratres huius Ordinis vestem cyaneam gererent, cum prius fuluo vsi essent. Factum hoc est anno MCCCCLX. Clemens VII. ex familia Medicea hunc ordinem reformauit: & anno MDLXVIII. Patres huius Ordinis capitulum generale Bononiæ habuerunt, ad quod Papa Pius V. visitatorem misit, qui postea hunc Ordinem approbauit, & indulgentiis ac priuilegiis auxit, secundum regulam ab Alexandro III. datam, & institutionem Cleti.

De Ordine S. Dominici.

Ordo fratrum Prædicatorum originem accepit à S. Dominico Hispano, vt notum est, qui natus est Calagoræ in diœcesi Osomæ, vbi fuit Canonicus regularis. Deinde in Aquitaniam venit, in qua decem annis vixit, & episcopum Tolosanum in viam reduxit. Inde Romam profectus est ad Concilium Lateranense, sub Innocentio III. cuius supra mentio facta est, à quo impetrauit, vt ordinem, quem vellet, in Ecclesia approbatum eligeret. Ille igitur vna cum XVI. discipulis, quos habebat, regulam S. Augustini amplexus est: & aliquas præterea leges tulit, quæ fuerunt confirmatæ ab Honorio III. anno salutis MCCVI. anno primo Pontificatus ipsius, & anno *II.* Imperii, Friderici *II.* Postea Tolosam se contulit, vbi fratres hortatus, eos ablegauit, vt bini prædicatum irent, monuitq;, vt nomine, & re ipsa prædicatores essent. Nam Papa Innocentius ipsis iam permiserat, vt nomen Prædicatorum sibi sumerent. Strenuè deletionem Albigensium promouebant. 27

Hic Ordo magnum fructum protulit per vniuersum terrarum orbem, vsque ad extremas Indias: diuiditurq; in duas familias, Obseruantiæ & Conuentualium in Italia. Fratres obseruantiæ in duo alia genera subdiuiduntur, Cisalpinorum & Etruscorum: sed Cisalpini primarium locum obtinent, qui Romæ in Fano Sabinæ habitant, quod fuit olim palatium Pontificum, ab Honorio *III.* S. Dominico assignatum, qui fuit relatus in numerum sanctorum à Gregorio *IV.* anno MCCXXI.

De Ordine S. Francisci Assisini.

Eodem tempore, quo Dominicus, magnus ille & admirabilis S. Franciscus floruit, natus Assisii in Vmbria, siue Ducatu Spoletano, octo passuum millibus ab vrbe Perusia, qui mercaturam exercuerat vsq; ad annum ætatis XXII. sed graui morbo correptus, in alium hominem transmutatus fuit, & ex superbo humillimus, ex auaro eleemosynarius, ex diuite pauper, ex mundi amatore eiusdem contemtor factus est. Quodam die, cum ad templum S. Damiani venisset, & illud ingressus esset, vt oraret, imago Crucifixi, ante quam precabatur, miraculosè illum compellasse, & dixisse fertur: Francisce, abi reparatum meam domum, quæ, vt vides, corruit. 28

Ex

Digitized by Google

Ex eo vitam ad passionem Domini nostri Iesu Christi conformauit, & cilicium nudo corpori imposuit, cui saccum superiniecit, & fune se cinxit, absq; tibialibus & calceis incedens, vt eo contemtibiliorem se redderet: adeo vt nominis ipsius fama per vicinas regiones spargeretur. Multi sanctitate ipsius allecti, mundo consimili modo renunciarunt, & in numerum discipulorum ipsius se dederunt, paupertatem & mendicitatem professi. Quapropter regulam conscripsit, cum pro iis, qui tunc cum ipso sociati erant, tum pro iis, qui sequuturi essent, quam Innocentio III. qui tunc S. Sedem tenebat, obtulit: à quo confirmata fuit, anno salutis MCCXII.

Eadem fuit approbata ab Honorio III. successore Innocentii. Cum illa confirmata fuisset, fratres suos *Minores* appellari voluit, ad testificandam majorem humilitatem.

Singulare est in hoc Ordine, quod nulla vnquam religio ab hominibus inuenta tam breui tempore tanta incrementa cepit, quanta hic Ordo, qui vno pæne momento totum mundum compleuit, ita vt omnes mirarentur.

Seraphicus iste vti à suis vocatur, Franciscus decessit IV. Octob. MCCXXVI. & fuit relatus in numerum Sanctorum à Gregorio IX. anno MCCXXVI.

Ordo S. Claræ.

29 Præter fratres, quos Minores appellauit iste Fr̃ãciscus, alterum Ordinem Religiosarum instituit, sub ductu S. Claræ.

De Ordine Vallis Scholasticorum.

30 Ordo Vallis Scholasticorum cæpit in Campania prouincia Galliæ, auctore Doctore Theologię, cui nomen Guilhelmo, in Anglia nato. Is longo tempore Lutetiæ scholasticus, postea professor in eadem vrbe & in Burgundia fuerat: tandem cum suis discipulis & scholasticis in eremum se recepit: quapropter hic Ordo nomen à Valle Scholasticorum accepit, & fuit approbatus à Papa Honorio III. anno MCCXVIII. Inter primos istius Guilhelmi sodales fuerunt Richardus, Euerhardus, & Manasses. Obseruant regulam S. Augustini, & habitum candidum cum cucullo seu pallio nigro gerunt. Cœnobia habent Montibus in Hannonia, Mechliniæ, Louanii in Brabantia, Gerontsartii in finibus Namurci, Leodii & Hofalizæ, Lutetiæ & Aureliani, vbi plerunque Ordinis præfectus commoratur.

Ordo Religiosorum pœnitentiæ Iesu, qui institutus à S. Ludouico.

31 Magnus ille & sanctus Ludouicus, cujus pietas posteritati satis commendari nequit, incitatus à regina Blanca, matre sua, anno MCCLXI. recepit in amplam quandam domum ante palatium sitam in altera ripa Sequanæ sub ponte S. Michaelis labentis, religiosos pœnitentiæ Iesu Christi, vulgo dictos *Saccarios* seu fratres Saccorum, quia saccis induti erant, eamque illis in perpetuum donauit. Sed non diu in ea hábitarunt. Nam anno MCCXCIII. die XIV. Octobr. eam contractu inito cesserunt & tradiderunt fratri Ægidio Romano, qui tunc erat cœnobiarcha generalis Ordinis Eremitarum Augustinianorum, cum dicerent, se sine scrupulo cõscientiæ locum illum diutius retinere non posse, propter paupertatem, & quod Ordo ipsorum quotidie decresceret.

Ordo Saccariarum Monialium.

Erant quoque religiosæ hujus Ordinis, quæ ha- 32
bebant cœnobium Lutetiæ pone S. Andream artium, & Saccariæ vocabantur: sed ejusdem Regis tempore inde expulsæ fuerunt, & plateæ solummodo nomen Saccariarum reliquerunt. Idem Ordo muliebris & virilis sexus Londini in Anglia viguit, anno MCCLVII. teste Matthæo Parisio, qui eos *Saccatos* nominat.

Ordo Seruorum Virginis.

Statim post obitum S. Francisci exstitit Ordo 33
Fratrum, qui Serui beatæ Virginis Mariæ appellantur. Hic originem traxit à septem opulentis mercatoribus Florentiæ, qui cum sodalitio juncti essent, quod à laudibus benedictæ Virginis nomen habebat, & die quodam Assumtionis precarentur, intellexerunt vocem ipsis mandãtem, vt essent instar septem stellarum, & quod paulo post initium daturi essent nouo Ordini, à sancta Matre Dei denominato, suadentemque, vt interea à parentibus se segregarent, & vitam adstrictiorem degerent, ac precibus vacarent: quod exequuti sunt, & assumta nigra tunica in memoriam luctus, quo affecta est sancta Virgo propter mortem filii, se receperunt in altum montem, dictum Senarium, vel Asenæum, octo passuum millibus Florentia distantem, inter sex alios montes situm, vbi vitam admodum austeram egerunt, & totum tempus precibus pro necessitatibus Ecclesiæ impenderunt.

Nomina septem istorum hæc fuerunt: Bonfilius, quem alii Monaldium appellant, Amedæus, Banaionta, Manettus Antellinus, Alexius Falconarius, Sostegnus à Sostegnis, Vgnecionus, ex familia Vgneciorum. Hi cum quodam die Florentiam veniissent, petitum eleemosynam, pueri, tanquam numine diuino afflati, clamare cæperunt, date eleemosynam seruis Virginis Mariæ: ex quo iste Ordo hoc nomine fuit appellatus, quem Papa Innocentius VIII. confirmauit.

Quod tunicam nigram & epomidem induerunt, & regulam S. Augustini amplexi sunt, ex reuelatione S. Virginis, vt aiunt, istud fecerunt, septem annis postquam in montem se recepissent: ita vt assumto hoc Ordine primus illius præfectus fuerit Pater Bonfilius: deinde ædificarunt templum & monasterium Annunciationis, celebratum per totam Italiam, vbi conspicitur imago matris Dei, ab Angelis, vt creditur ex Legenda, picta.

Viginti annis post ipsorum fundationem, qui-

Digitized by Google

dam dictus Philippus Binitius, cum miraculoſe hunc Ordinem ingreſſus eſſet, tanta gratia à S. Virgine perfuſus fuit, vt cum in Gallia, tum Germania ſe admirabilem redderet, & magnum peccatorum numerum conuerteret: adeo vt fama ſanctitatis ipſius & multorum aliorum ex hoc Ordine longe lateque ſpargeretur.

Papa Alexander IV. anno MCCLV. confirmauit & approbauit hunc Ordinem; dans fratribus poteſtatem creandi Generalem, ad imitationem quatuor mendicantium. Hic Ordo ita creuit, vt per totum terrarum orbem diffunderetur.

Anno MCCCCXXVII. Nicolaus Peruſinus, Generalis ipſorum, hunc ordinem diſpeſcuit: vnde alii Fratres ſeruientes Conuentuales, alii Patres ſeruientes obſeruantiæ dicti ſunt.

Hic Ordo cæpit anno MCCXXXIII. tempore Gregorii IX. cum Gelphi & Gibellini mutuis cædibus & lanienis in Italiâ graſſari cæperunt, accedentibus terræmotibus, inundationibus & aſperrimis frigoribus.

Ordo Cæleſtinorum.

34 Qui primus Ordini Cæleſtinorum præfuit, Petrus appellabatur, cognomento Moronus, Heruiæ, in Samnitum regione, quæ hodie Sergua in terra Laboris dicitur, natus, anno MCCXV. Patriæ nomen erat Angeliero, & matri Mariæ. A teneris annis deditus fuit auſteritati & ſolitudini, Cum tribus annis in monte vixiſſet, pœnitentiam agens, tandem in numerum monachorum receptus fuit in monaſterio Ieſelino, Ordinis S. Benedicti: vbi aliquandiu commoratus, veniam petiit à ſuo Abbate, vt in antrum deſertum in monte Morono, à quo nomen accepit, ſe reciperet. Sed cum nimia hominum multitudo vndique ad ipſum confluereet, in montem Salmoneum, qui Magellanus dicitur, ſeceſſit, quo cum multi eum ſequuti eſſent, ſanctitatis ipſius odore allecti, cæpit ordinem Cæleſtinorum inſtituere, exiguo templo in hoc monte condito, quod à S. Spiritu nominauit.

Catenam ferream & aſperum cilicium nudo corpore gerebat, aſſiduis precibus intentus. Ordinem quoq; S. Benedicti reformauit, qui tunc admodum degenerauerat.

Fama talis ſanctitatis & multorum inſignium miraculorũ, quæ edidiſſe creditur, ſtatim per totã Europam increbuit, ita vt numerus Cæleſtinorum plurimum augeretur: cumque Concilium eo tempore Lugduni in Gallia celebraretur, ſub Gregorio X. ex illuſtri familia Vicecomitum, à S. Patre confirmationem ſui Ordinis impetrauit. Inde in Italiam reuerſus, primum Capitulum generale ſui Ordinis celebrauit. Tandem poſt obitum Nicolai IV. cum Eccleſia Romana biennium Paſtore caruiſſet, creatus fuit ſummus Pontifex anno MCCXCIV. ætatis ſuæ LXXIX. tametſi modis omnibus hoc munus euitare conatus fuiſſet: quod etiam ſex tantum menſibus ſuſtinuit, & eo poſtea vltro ſe abdicauit: quanquam nonnulli dicunt, iſtud factum aſtu Bonifacii III. ſucceſſoris ipſius, qui ipſum ſine omni cauſa ad perpetuum carcerem in arce S. Simonis, vt hodie cognominatur, damnauit: quo decem menſibus, vel vt alii referunt, duobus annis detentus fuit, edens, uti perhibetur, miracula, prædicens futura, & Deum orans pro ſucceſſore. In illo carcere mortuus eſt, his verbis Pſalmiſtæ prolatis: *Omnis anima laudet Dominum.* Poſtea à Clemente V. in numerum ſanctorum fuit relatus. Hic Ordo diuiſus eſt in XIII. prouincias, per Galliam, Germaniam & Italiam. Hodie CXX. monaſteria occupat.

Ordo Religionis montis Oliueti.

Anno Domini MCCCXIX. cum Romæ ſederet 35
Ioannes XXII. & in Germania imperaret Henricus VII. Ordo montis Oliueti inſtitutus fuit à tribus nobilibus Senenſibus, quorum primus vocabatur Bernardus Ptoloma us, alter Ambroſius Piccolomineus, tertius Patricius à Patriciis: qui perſuaſi à Bernardo ſe receperunt in montem Oliueti, ſitum in Comitatu Montalcinenſi, vbi manſerunt, vt pœnitentiam agerent. Delati fuerunt ad Pontificem, quod nouarum ſuperſtitionum auctores eſſent: qui cum eos audiuiſſet, miſit ipſos ad Guidonem Petrammalam, epiſcopum & dominum Aretinum, ſub cujus diœceſi mons ille Oliueti erat. Antequam autem illi ad ipſum venirent, in viſione oblata ipſi Virgo Maria, magna multitudine Angelorum ſtipata fuiſſe dicitur, quæ ipſi togam candidam & commentarios S. Benedicti porrexerit. Ille igitur ipſis habitum candidum dedit, in templo ſanctæ Trinitatis, cum regula ſancti Benedicti, ſub protectione Virginis Mariæ.

Poſtea elegans monaſterium in monte Oliueti exſtruxerunt. Præfectus Ordinis à clauſtris nomen habuit: atque hic Ordo non latius patet, quam Italia, habens LX. monaſteria, & amplius. Olim calopodia pedibus geſtabant: nec diu eſt, quod nouicii ipſorum in monte Oliueti ea geſtare tenebantur: ſed exinde plus libertatis ſibi indulſerunt.

De Ordine Ieſuaſtarum S. Hieronymi, alias Ieſuatorum.

Ordo Ieſuaſtarum S. Hieronymi originem 36
traxit à S. Ioanne Columbino, nobili Senenſi, ex illuſtriſſimis vrbis familiis, qui anno MCCCLV. ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiæ ad Deum conuerſus fuit: cujus conuerſionis modum hoc loco referre prolixius foret, quam breuitas hujus noſtri Cõpendii patitur.

Sed cum tandem ab vxore ſua impetraſſet, vt ſibi liceret in caſtitate viuere, miraculum leproſi, quem domum adduxit, & illius curæ commiſit, eam impulit, vt vltro caſtitatis voto ſe obſtringeret, & omnia ſua bona pauperibus erogaret.

Nam loco leproſi nihil aliud reperit in cubiculo, in quo ipſum reliquerat, quam fragrantiſſimum odorem: ita vt ambo crederent, fuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui in forma leproſi ipſis apparuiſſet: & ſocietate inita cum Franciſco Vincentio viro in eadem vrbe Senenſi ſpectatiſſimo, biennium vitam admodum auſteram & contemplatiuam egerunt: ita vt multi ſe ipſis adjungerent.

Digitized by Google

gerent, & LXX. in suo cœtu numerarent, quorum plerique erant litterati. Quod videns Columbinus Papam supradictum Viterbii adiit, anno MCCCLXVII. quamuis eum jam ante Toscanellæ conuenisset. Nam ipse & socii apud eum delati fuerant, quod errore Fratricellorum imbuti essent. Sed cum examinati fuissent ab inquisitore, præsente Cardinale Massiliæ, & per calumniam accusati comperirentur, S. Pater eos admisit, voluitque, vt omnes candido panno vestirentur, & habitum illum suis sumptibus conficiendum curauit, quem propriis manibus ipsis tradidit. Inde in oppida & pagos, iussu Pontificis, se contulerunt, & primum protectorem habuerunt Cardinalem Auenionensem, fratrem Pontificis.

Factum hoc est anno MCCCLXVII. die S. Ioannis Baptistæ. Quod ad nomen Iesuastarum attinet, Paulus Mauritius affirmat, illud non propterea ipsis inditum fuisse, quod nomen Iesu sæpe in ore haberent, sed pueros, spiritu prophetico actos quando eos videbant, illos hoc nomine appellasse.

Hinc igitur Iesuastæ dicti: & S. Ioannem Columbinum quodam die spiritu prophetico ad fratres suos dixisse ferunt: Quidquid agamus? Iesus Christus sua potentia sanctum suum nomen nobis dedit.

Et quoniam regula ipsorum, quæ Augustini, regulæ subest, non est vulgaris, non alienum forte erit eam hoc loco referre, sicut ab eodem Paulo Mauricio describitur.

Principio tantum CLXV. Orationes Dominicas, & totidem salutationes Angelicas recitare tenentur: ter Oratorium ingrediuntur, & singulis vicibus certum precum numerum proferunt: à quo nemo ipsorum exemtus est.

Inter mane & vesperam quinque vel sex horarum spacio precibus vacant, Precibus finitis cœnobiarcha illis quotidie aliquid prælegit: deinde conciunculam habet: qua absoluta, mente paullisper precantur. Præterea, quisque se ipsum quotidie, exceptis tribus præcipuis anni feriis, bis in suo Oratorio castigat, semel sub diluculum, deinde quadam hora noctis. Nunquam intermittunt, qualicunque tempore, quin bis templum ingrediantur, & cereum in altari accendant: deinde seorsum precantur pro Ecclesia & iis; qui erga ipsos benefici fuerunt, inprimis pro anima eorum, quorum gratia multas eleemosynas acceperunt. Adhæc singulis diebus Lunæ, nisi festum aliquod incidat, omnes in communi, peracto Missæ sacrificio, certos Psalmos aliasque preces in choro pro animis defunctorum canunt. Similiter singulis diebus Sabbathi sub vesperam, postquam omnes delicta sua agnouerunt, preces concipiunt pro quibusuis, tam fidelibus, quam infidelibus, quemadmodum Ecclesia Romana sacro die Veneris facere solet. Quotiescunque oratorium ingrediuntur, quinque Orationes Dominicas & totidem Salutationes Angelicas recitant, in honorem & commemorationem passionis Domini. Missam non canunt, exemplo veterum monachorum

Officium Virginis, quod tamen fere omnes recitant, mortuorum, septem Psalmorum pœnitentialium, & omne aliud officium non ex obligatione, sed deuotione tantum recitant.

S. Ioannes Columbinus etiam instituit Ordinem Religiosarum Iesuastarum, inter quas præcipua fuit bona & sancta *Catharina Senensis*, cognata Columbini. Apud Lucenses monasterium est, quod Iesuastarum S. Iosephi appellatur.

Quod Iesuastæ S. Hieronymi vocantur, inde fit, quod sub initium Ordinis ipsorum hoc magnum & illustre speculum pœnitentiæ ac religiosorum lumen patronum sibi elegerunt: & tanta erat hujus sancti viri veneratio, vt omnia fere sua templa & oratoria de ipsius nomine appellarint. Adhæc Papa Alexander VI. bulla quadam sanciuit, ne Iesuastæ simpliciter, sed Iesuastæ S. Hieronymi dicerentur.

De Canonicis regularibus S. Seruatoris.

Ordo temporum postulat, vt post Iesuastas de 37
Canonicis regularibus S. Seruatoris loquamur, quorum origo ad Eliam refertur.

Duobus a Bononia milliaribus olim fuit collegium Canonicorum Ordinis S. Augustini; quod vocabatur S. Mariæ Rhenanæ: quo destructo à Ioanne Vicecomite Duce & archiepiscopo Mediolanense, cum occuparet Bononiam, Canonici coacti fuerunt in vrbem se recipere in monasterium S. Seruatoris, quod diu ante conditum fuerat in memoriam magni miraculi, quod accidisse dicitur in imagine Crucifixi in vrbe Baruc in Syria, viuente Athanasio episcopo Alexandrino, anno DCCLXXXV. die VI. Nouemb.

Ea tempestate fuit Stephanus quidam Senensis, ex Ordine Eremitarum Licettæ, qui locus tribus circiter millibus passuum Senis distat: de cujus sancta vita Papa Gregorius XII. certior factus, cum perspectum haberet ipsius & sociorum desiderium instituendi Ordinem canonicum, tribus Cardinalibus negotium dedit, vt Stephanum & fratrem Iacobum habitu Canonico induerent: quod ab ipsis factum fuit Lucæ, XXIV. Aprilis MCCCCVIII. Cum idem Stephanus postea eundem habitum multis Licettensibus contulisset, nomen S. Seruatoris assumserunt, propterea quod locus in quo prius habitum Eremiticum acceperant, eo nomine appellaretur. In hoc Collegio S. Seruatoris, de quo ante diximus solus manserat Guillietus, qui audita fama Stephani & Canonicorum ipsius, cum Ordinem istum Canonicum instauratum videre cuperet, Stephanum accersiuit. Sermone inter ipsos habito procuratorem miserunt ad Papam Martinum V. ex familia Colomniorum, qui successerat Gregorio. Is audita petitione ipsorum mandata dedit Nicolao Dalbergatio, tunc episcopo Bononiensi, qui postea creatus fuit Cardinalis S. Crucis à Papa Eugenio IV. vt ipsos voti compotes faceret.

Tunc conuentum S. Ambrosii Gobrensis & S. Mariæ Rhenanæ cum Canonicatu S. Seruatoris Bononiensis conjunxit: quod confirmatum

Digitized by Google

fuit auctoritate Papæ, sicut testantur litteræ Pontificiæ, V. Iulii MDXVIII. datæ: & ipsis permissum fuit celebrare Capitulum generale, per Bullam datam Mantuæ X. Decembr. anno secundo Pontificatus Martini V. Postea cœnobiis aliquot conjunctis hic Ordo nomen congregationis vsurpauit, & vocabatur Ordo Canonicorum S. Seruatoris. Nihilominus à Florentinis dicti fuerunt Scopettini propter S. Donatum Scopettinum, qui ex hoc Ordine fuit. Sed hoc erat quartum cœnobium: nam alterum illud primum fuit: ideoque vsitatius appellati fuerunt Canonici S. Seruatoris.

Ordo S. Petri Pisani.

38 Canonicos S. Seruatoris sequitur Ordo congregationis S. Petri Pisani, qui fuit ex familia Gambacurtiorum, ex illustrissima gente hujus vrbis.

Hic cum in animum induxisset, vitam eximii illius Doctoris S. Hieronymi imitari, multos illico nactus est discipulos, cum quibus secessit in conuentum Vrbani, in colle amœno, qui Mons bellus appellatur, & iucundo nemore cingitur, situm. Illic paruum templum condidit, quod à sancta Trinitate denominauit, cum paucis aliquot ædibus, forma monasterii structis. Ipse & discipuli opere manuum victum quærebant, & omnia habebant communia, nullam celebrantes Missam, sed precibus assiduis vacantes. Bonus hic Pater voluit, vt sui sectatores, vocarentur Eremitæ sancti Hieronymi, quo nomine hodieque appellantur, nisi quod nomen congregationis sancti Petri Pisani additur. Hæc congregatio tamen benè fœtificauit, vt etiamnum habeat XXXVII. monasteria in sola Italia: nam extra eam nullum habet.

Vestiuntur tunica, & zona pellicea cinguntur. Supra tunicam pallium gerunt, cui cpomidem iniiciunt. Quando per vrbem incedunt, pallio illo vtuntur: & totus ipsorum habitus est coloris fului.

Papa Pius V. voluit, vt Ordinem profiterentur: nam priùs ipsis exire, & quocunque vellent ambulare licebat. Hic ordo cœpit anno MCCCLXXX.

Ordo Congregationis S. Hieronymi Fesulani.

39 Congregatio S. Hieronymi Fesulani, aliquanto post tempore cœpit, nempe anno MCCCCVI. tempore Papæ Innocentii VII. auctore quodam Carolo Comite Grauellano Florentino, qui in montes concessit, in quibus olim sita fuit antiqua vrbs Fesulæ, à Florentinis destructa. Habitum sumsit eremitæ, & cum eo Rhedon Grauellanus, & Gualterus Marsius: qui non diu illic commorati sunt, quin multi se ad eos aggregarent, quibus regulam præscripserunt, quam Papa Gregorius XII. qui tunc sanctam sedem tenebat, approbauit. Is alium habitum ipsis dedit, coloris cinerei: & illi super cucullum zona pellicea se cingebant: subtus gerebant pallium pellitum, & à pectore scissum. Tunc calopodiis vtebantur, quæ postea abjecerunt. Et quoniam dicebantur authores tertii Ordinis S. Francisci, vt quidam existimant, habitus cinereus ipsis fuit datus, quem hodieque gerunt.

Extra Italiam non se extendunt, in qua XXX. vel XL. monasteria habent: qui Mediolani habitant, fratres S. Annæ vocantur.

Ordo Congregationis S. Gregorii.

Anno MCCCCVII. cum Romæ sederet Papa 40
Gregorius XII. & imperium teneret Rupertus Bauarus, initium cepit congregatio S. Georgii, quæ auctorem habuit Antonium Gorraram, nobilem Venetum, qui fuit ex societate Clericorum regularium Iesuastarum S. Hieronymi, cujus fratres gestabant calopodia, & victum mendicabant. Hic regulas quasdam ipsis dedit, à Gregorio VII. confirmatas, qui alias quasdam addidit. Quod etiam fecit sanctus Laurentius Instinianus, primus patriarcha Venetus: qui idem officium in hoc Ordine gessit, quod olim sanctus Bernardus in ordine Cisterciensium.

Qui sunt ex hoc Ordine, subtus gerunt vestem ex panno candido, instar casiolæ, à pectore orbiculis refertam: desuper togam cæruleam gestant, cum pileo in capite, & capitio ejusdem coloris, quod humeros tegit.

Viuunt in commune: præfecti ipsorum cœnobiarchæ vocantur, & Generalem creant. Non solebant Ordinem profiteri: sed si quis inter ipsos, postquam aliquandiu in Ordine fuisset, mutabat voluntatem, certam pecuniæ summam illi dabant; eumque more presbyteri secularis vestitum dimittebant, ac quocunque vellet, ire sinebant. Sed Papa Pius V. anno MDLXX, sanciuit, vt omnes solennem professionem ederent: sicut jam faciunt: ita tamen vt priuilegiis ipsorum atq; Ordini ac loci prærogatiuæ in processionibus publicis nihil derogaretur.

Sunt tamen quatuor etiamnum hujus Ordinis monasteria, in quibus fratres suo more viuunt. Capitula habentes, & creantes cœnobiarchas, prout ipsis videtur. Quamuis autem quatuor tantum cœnobia possideant: tamen suum Generalem habent. Horum monasterium præcipuum est Lo- antiquum.

Ordo Congregationis S. Justinæ, seu Montis Cassini.

Congregatio Montis Cassini, quæ originem 41
suam traxit à Ludouico Balbo, nobili Veneto, cæpit in monasterio S. Iustinæ: & inde fuit dicta congregatio S. Iustinæ, anno salutis MCCCCX. sub Papa Ioanne XXIII. cum Sigismundus Imperium in Germania teneret. Martinus V. & Eugenius IV. PP. cum viderent, hanc societatem indies tali sanctitate vitæ Monasticæ proficere, ei multa priuilegia largiti sunt: quæ causa fuit, vt multis viris doctis repleretur.

Postea cum Abbatia Montis Cassini aucta fuisset, quæ erat prima & maximè honorata inter omnes S. Benedicti institutum obseruantes, nomen ab ea sumsit, & fuit vocata congregatio Montis Cassini.

Atque ita omnes isti monachi atri, qui viuunt sub obseruantia, sunt veri & primi monachi S. Bene-

Digitized by Google

Benedicti, qui ſæpius fuerunt deſtructi & reformati.

Cæterum Ordo S. Benedicti non tantum opibus, quæ præcipua cauſa ruinæ ipſius fuerunt, ſed etiam numero hominum & monaſteriorum ita creuerat, vt præter ſupra dictum numerum Abbatiarum etiam quatuordecim millia præfecturarum & cœnobiarchatuum habuerit. Cum Ordo S. Iuſtinæ poſtremo reformaretur, adeo degenerauerat, vt nomen monachorum S. Benedicti fere omnino extinctum eſſet. Verum poſtea ita multiplicatus fuit, vt plus quam mille abbatias habeat, cum in Italia, tum in Hiſpania, quæ viuunt ſecundum hanc reformationem.

In his multi ſunt, qui præterquam quod regulam S. Benedicti obſeruent, ſtudiis, diſputationibus publicis & concionibus operam dant, ſicut Monachi mendicantes: quod ipſis magnum honorem & venerationem in regionibus illis conciliat.

De Fratribus S. Ambroſii.

42 Prima fronte quibuſdam videbitur magis conuenire, vt fratres S. Ambroſii Siluani inter antiquiſſimos ordines referrentur, quam vt eorum nunc demum mentio fieret. Verum hoc primum tempore ſe diffuderunt, & eorum forma magis apparuit: cum ipſorum origo fuerit obſcura, quæ tale initium habuit. In ſuburbio Mediolanenſi ad portam Comenſem, vbi nunc eſt templum S. Ambroſii Siluani, olim ſilua fuit amœna & denſa, in cujus meditullio paruum quoddam ſacellum fuit, in quo depicta erat imago Virginis Mariæ. Iuxta illud riuulus aquæ limpidæ labebatur, qui ex pulchro fonte profluebat. Atque hic fons hodie etiam num in tanta veneratione habetur, vt multi religionis ergo ex eo bibant.

In hoc nemore tres nobiles Mediolanenſes habitabant, qui eremitarum inſtar viuebant. Primus appellabatur Alexander, ex illuſtri familia Criuellorum: ſecundus, Albertus Bozoſſus, & tertius Antonius Petræ ſanctæ: vnde fit, vt qui ſunt ex hac familia Petræ ſanctæ aliquid juris habeant in monaſterio, quod Caſternum appellatur.

Eodem tempore, quo hi in ſua ſolitudine viuebant, admirabilis S. Ambroſius Mediolani inclareſcebat: qui audita fama de genere vitæ horum hominum, eos poſtea ſæpe inuiſit, & interdū biduum apud eos manſit, quod precibus & colloquiis de rebus diuinis impendit.

Illo mortuo, multis annis in eo loco manſerunt, & ſucceſſu temporis, quod incertum eſt, habitui eremitico, quem geſtabant, patientiam & cucullum addiderunt, & regulam ac profeſſionem S. Auguſtini aſſumſerunt.

Mediolanenſes poſtea ipſis monaſterium eodem loco exſtruxerunt, in honorem S. Ambroſii: & illud vocarunt monaſterium S. Ambroſii Siluani, propterea quod hic vir ſanctus, cum viueret, hunc locum frequentabat. Ex eo diuerſis locis, atque etiam in Ducatu Mediolanenſi, pullularunt.

Habent Viſitatores & Cœnobiarchas, & ſingulis tribus annis eo ipſo loco, in quo originem habuerunt, Capitulum generale celebrant. Multa loca tenent, in quibus ſacrum peragunt ſecundum regulam S. Ambroſii.

De Monachis Eremitis S. Hieronymi.

Idem poteſt dici de Ordine Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, de quo ſupra aliquid diximus. Sed is poſtea reformatus eſt à Lupo Solmeta Hiſpano, viro docto, qui cum Romam veniſſet, facultatem obtinuit hunc Ordinem reformandi, & impetrauit à Pontifice templum ſancti Alexii Romani, ſitum in monte Auentino cum locis circumjacentibus, & omnibus illius reditibus ac prouentibus. Is monachis illis formam & regulam viuendi præſcripſit, quam ex operibus S. Hieronymi excerpſerunt. 43

Quidam ajunt, illos initium cepiſſe à tempore Euſebii Cremonenſis, diſcipuli S. Hieronymi: & monachos Garda-Lupi in Hiſpania, qui regulam ipſorum ſequuntur, ab illo forte Lupo reformatos fuiſſe: cumque poſtea viderent, ſuum Ordinem diſſolui eum denuo reformaſſe: & Lupum hos ab illis diſtinxiſſe, & nouum ex his Ordinem inſtituiſſe. Tunicam candidam gerunt, cum epomide coloris Bætici. Quando per vrbem incedunt, cucullum gerunt à pectore clauſum, more monachorum, ejuſdem cum epomide coloris.

Lupus Oliuetanus obiit anno MCCCCXXXII. anno tertio Papæ Eugenii IV. Hic Ordo habet in Italia circiter XX. monaſteria, quorum præcipuum eſt Xenodochium Lodeianum in Gallia Ciſalpina. Habebant in Hiſpania ſex monaſteria, quorum caput erat monaſterium S. Iſidori, diſtans milliari ab vrbe Hiſpalenſi. Profitentur & obſeruant regulam S. Auguſtini.

De Ordine Calogerorum, inſtituto à S. Bernardino.

Anno MCCCC. qui fuit Romæ Iubilæus, Senæ 44
& aliis vicinis locis grauis peſtilentiæ lues graſſata eſt, qua tanta hominum multitudo periit, vt Senæ ſiue propter eorum, qui ſupererant, paucitatem, ſiue propter metum contagii nemo reperiretur, qui vellet pauperes ægrotos in noſocomio curare.

Tunc Senæ viuebat S. Bernardinus, cujus pater Patricius & mater Nona appellabatur. Illa nobili genere, Maſſæ Marannæ, oppido vicino, & Senæ ſubjecto, nata erat.

Hic vir ſanctus, ardenti charitate impulſus, in noſocomium iuit, & omnium ægrotorum, peſte infectorum, curam ſuſcepit, neque inde receſſit, priuſquam lues illa ceſſaret. Annum tunc agebat vigeſimum: inde in ſiluam ſe recepit, vbi cum aliquandiu auſtere admodum vixiſſet, tandem Religioſis Ordinis Fratrum Minorum ſe adjunxit, nihil ſecum afferens præter ſimplicem habitum, & funem, quo ſe cingeret. Cumque ſanctitas & zelus in illo Ordine jam tepeſcere inciperet, operam dedit, vt primaillius inſtituta obſeruarentur, ſublatis omnibus, quæ in eum irrepſerant, corruptelis. Atque ita eum reformauit, & effecit, vt Fratres in

Digitized by Google

commune viuerent, nec quicquam proprii haberent, institutioni patris ipsorum S. Francisci simpliciter insistentes: qua in re adiutus fuit à multis, qui nouam ipsius reformationem sequuti sunt. Alii vero deserere noluerunt, quod cura & labore acquisiuerant.

Hinc est, aut saltem verisimile videtur, quod Ordo S. Francisci geminus est, nempe Conuentualium, & Obseruantium, qui se Calogeros nominant. Hic Ordo postea tanta incrementa cepit, vt alios Ordines numero longe superet. Factum hoc est sedente Papa Eugenio IV. & imperante Friderico III.

De Ordine Minimorum.

45 Circa annum MCCCCL. Ordo Minimorum florere cæpit, auctore S. Francisco Paulense, qui sic cognominatus fuit ab arce Paulense, in qua natus fuerat, quæ sita est in regno Neapolitano inter Bressam & Lucaniam, quæ hodie Principatus appellatur, prope Calabriam, & triginta passuum millibus à celebri vrbe Cossentia distans.

Patri nomen erat Martetilo, & matri Viennæ. Ipse à teneris annis ad austeritatem propendebat, & vita religiosa inprimis delectabatur. Postea cum ad ætatem virilem peruenisset, in animum induxit templum condere cum quibusdam tuguriis ad habitandum. Itaque, permissu Pyrrhi Archiepiscopi Cossentiæ, & vicinorum ope, cogitata perfecit, atque exstructo monasterio non diu fuit, quin haberet magnum numerum discipulorum & discipularum. Quapropter tres regulas conscripsit, vnam pro fratribus, alteram pro sororibus sui Ordinis, quarum vtramque in decem capita distribuit: tertiam pro professis seu palliolatis. Suos voluit dici Minimos Minorum, & inter alia jejunium Quadragesimale sedulo obseruare, ne vescerentur carne, ouis, butyro, lacticiniis, quamdiu viuerent, excepto casu necessitatis. Voluit etiam vt panno Bætici coloris vestirentur, cum cucullo ejusdem coloris, qui vsque ad cingulum dependet: & vt fune ejusdem coloris cingerentur. Qui sunt presbyteri, eum quinque simplicibus nodis intortum gerunt: sed clerici, nouitii & oblati ad differentiam presbyterorum cucullum habent vsque ad funem propendentem, & funem tribus tantum nodis intortum.

Ludouicus XI. rex Galliæ, qui tunc regnabat, Pontificem Sixtum IV. rogatum misit, vt hunc sanctum virum ad se mitteret: quod ille fecit: & is Cæsarodunum Turonum ad Regem venit, qui ipsi templum & monasterium, quod hodieque Plessiaci prope illam vrbem est, exstruxit. Hic Ordo in Galliam & Hispaniam se diffudit. In Gallia Cisalpina nusquam locum habet, nisi Mediolani.

De Congregatione Amedæorum siue Amicorum Dei.

46 Eodem, quo S. Franciscus Paulensis, tempore, viuebat vir sanctus Amedæus, natus in Lusitania, qui habitu Eremitæ in Galliam Cisalpinam venit, vbi in loco, qui à S. Maria nomen habet, in agro Bresanensi versus Cremonam, ad Ducatum Mediolanensem pertinente, substitit, & Congregationi suæ initium dedit.

Inde post aliquod tempus Romam profectus est, & habitauit in monte aureo, qui hodie dicitur S. Petri in Montorio, vbi Princeps Apostolorum capite inuerso crucifixus fuit, & hodie elegans admodum monasterium hujus Ordinis conspicitur.

Erat ille admodum contemplatiuus, multasque habuit visiones propheticas, & res futuras prædixit.

Ab ipso hic Ordo Amicorum Dei siue Amedæorum nomen accepit. Vestitum habent cinerei coloris, & calopodia gestant sine caligis: fune cinguntur, quemadmodum Calogeri. Hodie XXVIII. cœnobia in Italia possident: neque enim extra eam se extendunt.

Ordo iste cæpit anno MCCCCXC. Sed Papa Pius V. eum cum Clarouallensi & Calogerorum, qui sunt ex Obseruantia S. Francisci, Ordine conjunxit.

Ordo Apostolinorum aut Barnabitarum.

Congregatio Apostolinorum seu fratrum Apo- 47
stolorum originem ducit à S. Barnaba Apostolo, qui cum venisset Mediolanum, primus illic Missam celebrasse dicitur.

Illic non contemnendum discipulorum numerum congregauit, qui secundum consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ viuebant. Hi, dum viueret, dicti sunt discipuli Christiani: post mortem ipsius Apostolini nuncupati fuerunt: hodie vero fratres Apostolorum seu Barnabitæ appellantur. Diu hac illac dispersi fuerunt, nec celebrabant Missam, sed vacabant solummodo precibus, & in commune viuebant, vt moris erat in primitiua Ecclesia. Sed anno MCCCCLXXXIV. Innocentius VIII. ab illis rogatus ipsis permisit, vt Missam celebrarent, & habitum dedit, nempe epomidem & patientiam, vna cum altera consuta, & zonam pelliceam, præcipiens ipsis, vt Ordinem profiterentur, & regulam Augustini obseruarent.

Eadem priuilegia ipsis concessit, quæ Augustinianis. Cucullum gerunt ex panno fuligineo, cum patientia & epomide ejusdem coloris: atque ita incedunt in publico, nulla alia veste superimposita, nisi quod in hyeme pallium ejusdem coloris gerunt, ad imitationem Calogerorum S. Francisci. Habent capitula, & præfectus ipsorum Vicarius generalis appellatur.

Primi hujus Ordinis, qui Missam celebrarunt, fuerunt, F. Simon Moranus, F. Ioannes Scarpius, & F. Nicolaus Cesterius Genuensis.

De Ordine Capucinorum.

Initii Ordinis Capucinorum hæc occasio fuit. 48
In Marca Anconitana sub jurisdictione Firmæ arx est, quæ Mons-falconis appellatur. In ea Dominicani monasterium habent. Illic Religiosus erat, cui nomen Matthæo Bascio, vir sanctæ vitæ & piarum legum obseruantissimus. Quodam die cum ipse & quidam

Digitized by Google

quidam ex ejus sodalibus in quendam locum vicinum iuisset, vt sacro officio interessent, eo peracto, & omnibus in monasterium redeuntibus, ipse solus à tergo mansit. Sodales autem ipsius inuenerunt hominem pauperem, seminudum, in terra jacentem, & frigore trementem, quia hyems erat, & nix alta jacebat. Hic cum ab ipsis parum panni, quo se tegeret, eleemosynæ loco petiisset, nullum ab ipsis responsum accepit. Frater autem Matthæus superueniens, & videns miserum hunc hominem, misericordia motus, ac metuens, ne frigore interiret, duo panni segmenta, quæ ex instituto Ordinis sub vestibus ferebat, ipsi dedit: postea progressus versus monasterium non sine stupore animaduertit, hominem illum euanuisse nec amplius apparere.

Hinc animum istius boni viri cogitatio subiit, quod paupertatem professus esset, & nihilominus alios se pauperiores videret: ex quo inferebat, se non esse verum imitatorem S. Francisci, nec obseruare, quæ promisisset, cum regulam ipsius amplecteretur. Itaque ab eo tempore noctes & dies assiduis precibus Deum sollicitauit, vt posset votum, quod nuncupasset, implere.

Post multa laméta admonitus fuit, vt antiquam suorum patrum, qui primitus S. Francisci institutionem sequuti fuissent, consuetudinem & disciplinam instauraret. Itaque cucullum maxime obsoletum & lacerum assumsit, cui capitium ea forma, quam hodie gerunt, assuit. Deinde, nemine compellato, Romam profectus, Clementem VII. adiit, & veniam ab ipso petiit talem habitum gestandi, qualem S. Franciscus & ipsius socii initio gestassent: quod nullo negotio obtinuit, Pontifice ter ipsi dicente, se velle, vt hæc regula ad amussim obseruaretur. Aliquanto post tempore quidam F. Ludouicus cum suo fratre, ambo Dominicani Fossæbonæ, oppidi in Marchia & Ducatu Vrbinate, zelo obseruandi suam regulam incitati, monasterio suo exierunt, & se Matthæo associarunt. Sed vt res firmior esset, & minus scrupuli haberet, Ludouicus Pontificem accessit, & diploma ab eo obtinuit, vt non solum habitum gestaret, & regulam obseruaret, sed in eandem etiam, quemcunque vellet, admitteret: quod factum est anno MDXXVI. die XXVIII. Maij, anno tertio Pontificatus Clementis VII. Itaque breui tempore duodecim fratres se consociarunt: quorum primus præfectus fuit Matthæus.

Primum monasterium, quod habuerunt, fuit in vrbe Cameria in Marchia, quod ipsis datum fuit à Catharina Cibo Ducissa Camert na.

Hic Ordo ita creuit, vt spatio XLII. annorum CCXXII. monasteria numeraret, in quindecim prouincias diuisa, in quibus erant bis mille ducenti quadraginta Religiosi.

Præter hos alii sunt reformati ex Ordine S. Francisci, vt Clarini, Clarmenses, Recollecti, qui peculiare quoddam genus vestitus gerunt: de quibus infra aliquid dici poterit

De Ordinibus Obseruantia S. Augustini.

49 Quamuis supra diserimus de origine Religiosorum, qui militant sub regula S. Augustini: tamen non ab re erit, si de Ordinibus, qui secundum hanc regulam sub nomine & titulo Obseruantiæ viuunt, aliquid dicamus

1. Ordo illius Obseruantiæ, Congregatio Lucettæ.

Primus est Congregatio Lucettæ. Hic locus Sena distat circiter tribus passuum millibus, & olim Lissietta Foltigana appellabatur: vbi monasterium exstructum fuit S. Seruatoris, quod postea dictum fuit S. Seruatoris Lucettæ in silua ad lacum. Lacus iste habitatus fuit ab eremitis S. Augustini, ab anno ML. Hic locus sanctitatem suam & paupertatem semper conseruauit: cumq; esset admodum secretus, contemplationi aptus erat. Bartholomæus Venetus huic Ordini egregias leges dedit, anno MCCCLXXXVII. Idem postea fecerunt M. Nicolaus Cassinus, & M. Gerardus Ariminensis, ambo cœnobiarchæ generales hujus Ordinis, qui postea crescere cæpit: adeo vt hodie XI. cœnobia habeant, cum in agro Senensi, tum Florentino: nec vllum est ex illis, in quo non ad minimum sint centum religiosi.

2. Ordo eiusdem Obseruantiæ, Congregatio Carbonaria.

Secunda congregatio Obseruantiæ Eremitarum est Carbonaria in Campania, quæ hodie terra laboris appellatur. Congregatio illa hoc tempore S. Ioannis Neapolitani vocatur. Author illius fuit F. Simon Cremonensis, præstans philosophus & Theologus sui temporis, quod fuit anno MCCCXCIX.

3. Congregatio Perusina.

Congregatio Perusina, aliter dicta S. Marci ad populum, in prouincia Vmbriæ, cæpit anno MCCCCXXIV. & XV. circiter monasteria habet. Congregatio Lombardiæ, ita nominata ab iis ipsis, qui eam sectantur, cæpit anno MCCCCXLIV. auctore bono quodam Patre, cui nomen Ioanni Roccæ Ticinensi, & alio fratre Georgio Cremonensi in arce Crania. Hæc congregatio maxima & celeberrima est omnium, quæ sunt ex Obseruantia Eremitarum, cum propter magnum numerum eorum, qui sunt in hoc Ordine, tum propter ipsorum doctrinam & frequentes conciones. In hac congregatione sunt LXVIII. monasteria satis bene constituta.

4. Ordo S. Mariæ Montis-Ortonensis.

Congregatio S. Mariæ Montis Orto-nensis, quæ abest ab vrbe Pudona circiter quinque passuum millibus, instituta fuit à viro docto, cui nomen F. Simoni, nato Camernii, quod oppidum est in Marca Dauernana. Tantum tria cœnobia habet, & cœpit anno MCCCCLX.

5. Ordo

Digitized by Google

5. Ordo Baptistarum.

Congregatio Baptistarum, sic dicta propter fratrem Baptistam, qui eam instituit, initium habuit anno MCCCCLXXXIV. Gestant illi calopodia, & Genuenses quoque appellantur, quia primus hujus Ordinis auctor fuit Genuensis.

6. Ordo Congregationis Eremitarum, quæ dicitur Apula.

Congregatio Eremitarum Apula dicta, alio nomine Duscicula, originem suam habuit in Apulia, auctore Felice Apulo, anno MCCCCXCII.

7. Ordo Zumpamensis.

Ordo Zumpamensis institutus fuit in Calabria anno MDII. à quodam Francisco Zumpama Calabro, qui eo tempore propter suas virtutes in magno honore & pretio erat.

8. Ordo S. Augustini in Dalmatia.

Eodem anno cœpit congregatio S. Augustini in Dalmatia, quoniam initium habuit in Sclauonia. Quatuordecim post annis noua Eremitarum congregatio in Germania orta est, quæ dicta fuit Congregatio Andreæ prolis Germanicæ.

9. Ordo S. Pauli primi Eremitæ.

Postrema congregatio hujus Ordinis fuit S. Pauli primi Eremitæ, quæ eodem, quo reliquæ habitu vtebatur, & cæpit anno MDL. Sunt monasteria hujus Congregationis in Italia & Hispania: attamen quatuor tantum in confinio vrbis Romæ inueniuntur. Ex his congregationibus Eremitarum Obseruantiæ paucæ in Italia notæ sunt, præter eam, quæ Lombardiæ dicitur. Hæc enim inter omnes eminet. Conuentualium autem non solum per Galliam, Italiam, Hispaniam, Belgium & Germaniam diffunditur, sed etiam vsq; in nouum orbem penetrauit.

Congregatio S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria.

50 Congregatio S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria cæpit in monasterio S. Iacobi Patachii in Hungaria auctore Strigonensi quodam, cui nomen Eusebio, qui cum suis sociis certam regulam & viuendi rationem obseruabat, à Bartholomæo episcopo Quinqueclesiensi ipsis præscriptam, anno Domini MCCXV.

Aliquanto post tempore, cum hæc congregatio numero creuisset, à Papa Vrbano IV. petierunt, vt sibi daret regulam sancti Augustini: quod tamen ab ipso obtinere non potuerunt.

Quod videns Paulus episcopus Vesprinensis eam, qua hodie vtuntur, viuendi formam ipsis præscripsit: anno MCCLXIII. & tunc Ordo ille dici cæpit Congregatio S. Pauli primi Eremitæ. Postea anno MCCC. primum suum Cœnobiarcham generalem crearunt F. Laurentium Strigonensem.

Octennio post Ordo fuit confirmatus à Cardinali, quem Papa Clemens V. legatum in Hungariam miserat, cujus nomen erat Gentilis de Monte-florido, & olim fuerat ex Fratrum Minorum numero. Hic sociis illius Congregationis dedit regulam S. Augustini, & facultatem condendi leges, & habendi Capitula generalia: quod accidit VI. Decembr. MCCCVIII. in monasterio S. Laurentii prope Budam.

Postea Ioannes XXII. in S. Sedem euectus confirmauit Ordinem, eumque in tutelam S. Sedis Apostolicæ recepit. Ab eo tempore mirum in modum crescere cæpit, non tantum numero, sed etiam ejusmodi sanctitate vitæ, ita vt in Hungaria pro sanctissimis religiosis, qui in toto regno essent, haberentur.

Tempore Nicolai V. templum S. Stephani Rotundæ, quod est Romæ in monte Cælio, ipsis à S. Sede donatum fuit, cum omnibus illius reditibus: & plus quam CXX. annis illic habitarunt, nec aliud in Italia cœnobium habent, quam istud, in quod tantum Hungaros, nullum autem Italum recipiunt. Vestitum candidum gerunt, cum epomide ampla & rotunda, quæ plus quam humeros ipsorum tegit.

Huic pallium superimponunt, quale alii gestare solent, nisi quod candidum & paullo breuius sit.

Ordo S. Brigittæ.

Ordo S. Brigittæ cæpit sub Papa Gregorio XI. 51
anno MCCCLXXVI. qui eum confirmauit in gratiam sanctæ illius dominæ, Reginæ Sueciæ, quæ Romam profecta erat. Illa autem à Sua S. obtinuit, vt monasteria hujus Ordinis communia essent tam viris, quam fœminis: & nihilominus tale interstitium murorum esset, vt illi has absque necessitate conuenire non possent.

Eadem voluit, vt vnum ambobus templum esset, & vt religiosi, tanquam ministri rerum sacrarum, inferiorem, religiosæ superiorem locum ad officium & preces suas peragendas occuparent: ita tamen vt Abbatissa his & illis imperaret, viri autem curam eorum, quæ ad cultum diuinum & ornamenta Ecclesiæ pertinerent, gererent, & quidam inter eos esset cœnobiarcha siue confessionarius.

Constitutum etiam fuit, vt bona & facultates, vnde viuerent, possiderent: sed cura omnium, quæ his & illis ad victum & amictum necessaria essent, Abbatissæ incumberet: ac ne cuiquam religiosorum aut religiosarum sine euidenti necessitate & venia Abbatissæ monasterio exire liceret. Regulam Augustini cum quibusdam corollariis ab illustri hac Regina additis obseruant.

Quidam existimant, hunc Ordinem primum institutum fuisse in Græcia, ita tamen vt viri à fœminis seorsum habitarent, ne suspicioni & calumniis locus esset. Brigittam autem Ordinem propemodum collapsum instaurare cupientem, modum inueniisse

Digitized by Google

ueniſſe, quo abſque ſuſpicione templum & domus vtriſque communis eſſet. Illa etiam inſtituit, vt habitum cinereum gererent, cui pallium eiuſdem coloris ſuperimponerent, cum cruce rubra ſuper pectus.

Adhæc voluit, vt religioſarum tantum LX. religioſorũ XXV. in vnoquoque monaſterio eſſent, nempe XIII. Presbyteri, ſecundum numerum XIII. Apoſtolorum S. Paulo comprehenſo: quatuor Diaconi, qui inter Presbyteros quoque referri poſſent & quatuor Doctores Eccleſiæ repræſentarent: denique octo Conuerſi, qui negotia domus expedirent: ita vt omnium fratrum & ſororum numerus eſſet XIII. Apoſtoli, & LXXII. diſcipuli Domini noſtri: qui vt poſſent dignoſci, Presbyteri rubram Crucem gerebant in ſiniſtro latere pallii, ſub qua ſegmentum panni candidi ponebant eiuſdem latitudinis, qua parua hoſtia, propter reuerentiam S. Sacramenti.

Quatuor Diaconi ad differentiam Presbyterorum gerunt orbiculum candidi panni, qui ſignificat, vt aiunt, ſapientiam quatuor Doctorum, quos referunt, eiq; imponunt quatuor particulas rubri coloris, ſimilitudinem linguarum habentes, vt oſtendant, Spiritum S. inflammare ſuam linguam, qua recitent ſacra myſteria diuinitatis.

Sed fratres Conuerſi in pallio Crucem candidam gerunt, quæ denotat innocentiam vitæ ipſorum, ſupra quam ſunt quinq; ſegmenta rubra, in commemorationem quinque vulnerum Domini noſtri.

Hæc ſancta Domina obiit Romæ: filia autem ipſius Catharina, Princeps Nericæ, poſt mortem ipſius regulam à Papa Vrbano V. confirmari curauit. Reuelationes ſuas exorſa eſt anno MCCCXL. & anno MCCCXLVI. Romæ fuit, nata XLII. annos, vbi XXVIII. annis manſit. Relata fuit in numerum ſanctorum anno MCCCXCI.

De Ordine Præmonſtrantium, & ipſius origine.

52 Origo Ordinis Præmonſtrantium ducitur à quodam Norberto, qui Coloniæ natus, & poſtea archiepiſcopus Memburgenſis fuit. Huic cum Virgo Maria quodam die uti habet Legenda, apparuiſſet, dicens, Norberte, accipe togam candidam: ille protinus mundo ita valedixit, ut cum quibuſdam ſociis, quos ſibi adiunxit, in locum aſperum & ſolitarium, qui Præmonſtrans vocabatur, conceſſerit, vt pœnitentiam ageret, anno MCXX. quod fecit permiſſu archiepiſcopi Lugdunenſis, propterea quod ſolitudo illa in ipſius diœceſi eſſet. Ab huius loci nomine Ordo Præmonſtrantium titulo inſignitus fuit, quem adhuc gerit.

Hic Ordo à Calixto II. confirmatus eſt, anno MCXII. & poſtea rurſus ab Honorio II. ſucceſſore, qui ei dedit regulam S. Auguſtini, & eos inſtituit Canonicos regulares: quod denuo approbatum fuit ab Innocentio III. Hic Ordo vſque adeo in Gallia, Hiſpania & alibi multiplicatus fuit, vt in triginta prouincias diuidatur, in quibus plus quam mille trecenta monaſteria, & circiter quadringenta cœnobia virginum reperiuntur.

Abbates ipſorum ſunt perpetui, & ab Epiſcopis conſecrantur.

Poteſtatem habent conferendi Monachis ſuis minores Ordines, & benedicendi omnibus ornamentis Eccleſiæ, omneſque cæremonias peragendi, niſi in huiuſmodi benedictionibus facienda ſit conſecratio: nihilominus Miſſas ſolennes & publicas celebrare poſſunt cum mitra, lituo & galero, aliiſque ornamentis, quæ propria ſunt Epiſcoporum. Officium peragunt diuerſum à Romano, & Breuiarium ſimile habent ſuo Miſſali: adhæc vbiq; in ſuo Ordine peculiari cantu vtuntur. Quod ad veſtes ipſorum attinet, cucullum candidum gerunt, & amictum lineum, cui capitium candidum, in fronte apertum, quale eſt Carmelitarum, ſuperimponunt.

Hoc fuit inſtitutum ſub Henrico IV. Imperatore Germaniæ, Guilhelmus Tyrius refert, ſuo tempore fuiſſe Almericum quendam Canonicum regularem Præmonſtratenſium, qui creatus fuerit epiſcopus Senenſis anno MCLXXX. Huius Ordinis author, multis miraculis cum in vita, tum poſt mortem patratis, in numerum ſanctorum fuit relatus.

Religio Fontis auellani.

Primus auctor religionis Fontis-auellani fuit S. 53
Ludolphus, quem cum dynaſta quidam ſecularis perſequeretur, ille ſe inter duos altiſſimos montes Apennini, Latriam & Coruum, à Dante poeta celebratos, ſe recepit. Diſtant illi ab vrbe Coturnicum quinque, & ab vrbe Ducali Vrbino viginti paſſuum millibus: & ſunt ſub diœceſi Agobbiæ.

Cum hic vir bonus in hunc locum conceſſiſſet, vbi viuebat inſtar Eremitæ, breui tempore magnam nominis celebritatem propter iſtam ſuam ſanctitatem adeptus eſt, vt multi ad ipſum ſe conferrent, & vitæ genus, quod obſeruabat, ſequerentur. Propterea monaſterium condidit, à S. Cruce denominatum: vnde adhuc hodie à vicinis Fratres montis S. Crucis appellantur.

Eo mortuo cum hic Ordo nimium ſibi indulgere cæpiſſet, neque eſſet, qui prius fuerat; *Petrus Damianus*, qui erat religioſus Abbatiæ Cluſſenſis Rauennæ, Ordinis Camaldoli, vir magnus, non tantum quia Epiſcopus & Cardinalis fuit, ſed etiam propter eximiam ſanctitatem, hunc Ordinem ad priſtinum ſuum inſtitutum reuocauit, & regulam S. Benedicti ei præſcripſit, exſtructoque monaſterio Eremitas in eo collocauit, quos ſciebat illi obſeruandæ aptos eſſe.

Habitus ipſorum erat cucullus candidus, epomis lanea, collare & capitium candidum: Ordinem profitebantur coram Notario. Poſtea denuo exorbitarunt, ita vt Abbatia pro commendatitia poſſeſſione haberetur. Cum vero ordo & diſciplina eccleſiaſtica prorſus interiiſſet, Papa Pius V. hanc Abbatiam Cardinali Rouerio, fratri Ducis Vrbini, in perpetuam Commendam donauit, qui anno MDLXX. Patres Ordinis Camaldoli in eam aſſumſit: ita vt fere omnes religioſi, qui in ea erant,

Digitized by Google

rant, habitum & professionem eorum imitarentur. Verum iuniores cucullum mox abiecerunt, relictis senioribus, qui cum aliis religiosis, quorum triginta erant, tam pie & sancte vixerunt, vt huius monasterii fama ad prouincias longissime dissitas emanaret.

Primus ipsorum Abbas dictus fuit Petrus Balueolus Bagnacaualensis, & ipsorum cœnobiarcha Ambrosius Cagnolus, nobilis Sodesius. Poeta Dantes hic aliquandiu commoratus est, & partem suorum versuum composuit. Hic Ordo cæpit sub annum ML.

Congregatio Eremitarum, qui dicuntur Dominæ Gonsagæ.

54 Congregatio Eremitarum Dominæ Gonzagæ hac occasione initium cepit. Franciscus Gonzaga, quartus Marchio Mantuæ, qui inter præstantissimos sui temporis duces celebratur, cum quodã die animi gratia in quandam ex suis arcibus duodecim circiter passuum millibus Mantua distantem excurrisset, præteriens murum quendam, in quo depicta erat imago Virginis Mariæ, equus ipsius in posteriores pedes se erexit, ita vt pronus caderet, & Marchio sub eo, qui ita læsus & contusus fuit, vt nobiles eum pro mortuo haberent.

Tunc quidam ex ipsius comitibus, cui nomen Hieronymo Regino, ex arce Gothofredi in territorio Mantuano sita, vir pius & deuotus grauissime ferens tanti Principis casum, insigni fide actus, in genua ante illam imaginem procidit, & Deo ac sanctæ Matri votum nuncupauit, si per suam misericordiam vitam & sanitatem Marchioni redderet, se mundo valedicturum, & eo ipso loco Eremitæ Ordinem suscepturum: cuius votum exauditum fuit: nam Marchio confestim sanus & integer surrexit.

Quod cum Marchio postea resciuisset, monasterium Hieronymo illi exstruendum curauit, cui amplos reditus assignauit. In illud Hieronymus se recepit, & multos alios secum introduxit. Aliquanto post tempore auspiciis Episcopi Rhegii, regulam & genus viuendi instituerunt, quod hodieque obseruare dicuntur, à Papa Alexandro VI. confirmatum. Ordinem tamen non profitentur, neque se vlli articulo sub pœna peccati mortalis obstringunt. Priuilegia quædam habent à S. Sede ipsis data. Creant Generalem, & habent hodie circiter LX. aut LXX. monasteria, quorum primarium est monasterium illud Gonzagæ, in quo sunt circiter XII. Eremitæ. Cœpit hic Ordo sub Papa Innocentio VIII. imperante Maximiliano primo.

Ordo decem virtutum seu voluptatum Virginis, quæ dicitur Annunciationis, institutus à Regina Ioanna, sponsa Regis Ludouici XII.

55 Cum Regina Ioanna fuisset repudiata, Rex Ludouicus XII. Ducatum Bituricensem ipsi dedit, quo se, relicta aula, contulit. Habitauit autem Auarici, metropoli Biturigum, vbi reliquum vitæ tempus pie & religiose traduxit, totam Galliam sua sancta & pia vita ædificans, & tenellum suum corpus ciliciis macerans, ac quinque clauos argenteos peracutos, duorum digitorum longitudine, ad latus pectoris plerunque gestans. Feriis esurialibus iusculum tantum ex oleo sumebat, & cibis crassissimis ac vilissimis, quos inuenire poterat, vescebatur: summa erga pauperes & ægrotos commiseratione afficiebatur, in quos admodum larga & benefica erat: inprimis suam charitatem & pietatem erga infirmos & morbis afflictos exercebat; quos à suis medicis & chirurgis curari volebat, & pharmacopæos multa vnguenta conficere iussit, quæ Chirurgi, ipsa præsente, ægrotis applicabant: interdum autem ipsamet ea ex consilio Medicorum applicabat, siquidem ægroti, quos illa regiis suis manibus tetigerat, plerunque conualescebant.

A teneris annis sanctissimam & immaculatam Virginem Mariam peculiari affectu coluerat: quam pietatem ipsa à patre Ludouico XI. hauserat, qui in honorem huius Reginæ Angelorum templum Clerianum, religiosam suam domum, in qua, condito testamento, sepeliri voluit, ædificauit. Quinque annos nata, cum nihil magis in votis haberet, quam vt Deo in domo quadam regulari seruire posset, & sacrum velum pretiosissimis coronis & diadematis præferret, diuino oraculo admonita fuisse dicitur, quod Ordinem Virginis Mariæ institutura esset. Accidisse perhibetur hoc, cum precaretur, & à S. Virgine peteret, vt sibi reuelaret, qua ratione ipsi cultum gratum & honorificum præstare posset.

Hoc oraculum ipsam monuit, vt Ordinem in honorem B. Virginis instituret: quod speciali quadam voce ad ipsam prolata intellexit: & illud tam firmiter animo ipsius inhæsit, vt cum paullo adultior facta esset, omnia ea; quæ ad instituendum hominem in gloriam Dei & B. Virginis necessaria essent, meditaretur. Sed matrimonio cum Ludouico Aurelianense, Duce Valesio & Mediolanense, consilium ipsius interruptum fuit. Nihilominus à Rege, patre suo, Confessarium & directorem in suis exercitiis pietatis petiit, R. P. Ioannem Fontanum, Religiosum Ordinis S. Francisci, & Gardianum cœnobii Patrum Franciscanorum, quod erat Ambasiæ: quem Rex, pater, ipsi facillime concessit, & confestim, intellecta ipsius petitione & voluntate, ad eam misit. Hic bonus Gardianus socium sibi adiunxit P. Nicolaum Gilbertum, virum non minus pietate quam eruditione præstantem, & in sacris litteris versatum, qui postea fuit pater spiritualis huius sanctæ & piæ Dominæ. Regem, patrem suum, & Reginam, matrem, Carolottam nimirum Sabaudiæ, tali filia dignam, debito semper honore & reuerentia prosequuta est. Deo autem placuit Regem, patrem ipsius ex hac vita euocare, sub finem mensis Augusti, anno MCCCCLXXXIII.

Aliquot annis ante obitum ex Calabria S. Franciscum Paulienſem accersiuit, cui filiam suam commendauit: & ille curam ipsius quanto potuit zelo & charitate gessit.

Cum ab eo in instituto suo fuisset confirmata, vt fami-

Digitized by Google

familiam & congregationem virginum in honorem Annunciationis S. Virginis, pro eo affectu, quem à tenera ætate erga divinam illam Dei matrem gesserat, instituere, pectoris sui arcana denuo in sinum Confessionarii & patris sui spiritualis P. Nicolai Gilberti effudit: qui initio nonnihil ipsi adversatus est, dicens, eam magnas difficultates in instituendo novo Ordine experturam, & ipsam satius facturam, si monasterium conderet Virginibus S. Claræ, quale esset Ave-Marianum Lutetiæ, in quo regina Carolotta Sabaudiæ mater ipsius, hujusmodi virgines collocasset, loco monialium, quæ prius in eo habitabant: illudque instauraſſet & auxisset, vt bonis his virginibus religiosis hospitium præberet, quæ austeram admodum vitam degerent, & suas regulas ac statuta districte observarent.

Quidquid illa in contrarium allegaret; bonus hic pater nullum ipsi responsum dabat, quale optabat, sed censebat, implorandum esse divinum auxilium ad opus tanti momenti perficiendum, de quo diutius, quam vno die, cogitandum esset. Illa igitur, cum esset admodum humilis, facile acquievit, & consilium Patris sui spiritualis sequuta est, fuitq; duobus annis, vt nullam hujus sui instituti apud eum mentionem faceret: quo spacio illud in suspéso manſit, adeo vt exitu carituru videretur.

Nihilominus hæc pia Domina his duobus annis animum istud perficiendi, quod ipsi vsque adeo cordi erat, non abiecit. Tristitia autem affecta propter istam moram in morbum incidit: quo cũ teneretur, P. Gilbertus vocatus fuit, vt eam visitaret & consolaretur: cui illa fontem & causam morbi sui aperuit, qui non aliunde, quam ex difficultatibus & remoris, quas sibi obiiceret, quo minus Ordinem in honorem Reginæ Angelorum (sic enim loquebatur) fundaret, ortus esset, asseverans, quod anno quinto ætatis, cum Missæ intento & fervido animo interesset, divinitus sibi revelatum fuisset, se ante mortem Ordinem B. Virginis instituturam: cui oraculo nunquam restitisset, sed semper in animo habuisset, et parere, quando ad ætatẽ perveniſſet, & potestatem ejus perficiendi habitura fuisset: & se credere, omnes adversitates, quæ sibi eveniſſent, inde ortas esse, quod huic oraculo nondum obtemperasset.

P. Gilbertus videns constantiam hujus Dominæ in ipsius proposito, ignosci sibi petiit, quod illud hactenus dissuasisset, dixitque, si clarius initio mentem suam aperuisset, se sancto ipsius desiderio non refragaturum, sed obsecundaturum fuisse. Hoc responsum vsque adeo Dominam illam recreavit, vt paucis diebus sanitatem recuperaret. Exinde ipsum elegit & constituit primum conditorem sui Ordinis, & Patrem, qui invigilaret omnibus virginibus, quæ huic Ordini sub vexillo matris Dei nomen daturæ essent, cupiens, vt per ipsum & Patres Minores Observantinos gubernarentur, propter affectum, quo erga Patrem Seraphicum S. Franciscum ducebatur: ipsique curam dedit, vt eligeret, quas judicaret aptas ad serviendum Christo & matri ipsius in ea congregatione, quam meditabatur. Quod diligenter exequutus est, adductis compluribus filiabus Bituricensibus, ex honestis familiis, quæ pietatem ex bona illa Domina & P. Nicolao didicerunt.

Antequam novum istum Ordinem Annunciationis institueret, regulam componẽdam curavit, quam à filiabus, quæ se cultui divino in Ordine B. Virginis consecraturæ essent, stricte & religiose observari volebat: quam, vbi primum composita fuit, Romam misit, vt à Papa approbaretur. R. Pater Morinus, insignis concionator, & B. Virgini admodum deditus, missus fuit, vt regulam istam Romam perferret, & Papæ exhiberet, qui tunc erat Alexander VI. Is Morinum humanissime excepit, & testatus est desiderium, quod haberet approbandi novum istum Ordinem virtutum Virginis, cum propter honorem, quo matrem Dei prosequeretur, tum vt consolaretur bonam istam Dominam, cujus pietas toto orbe nota erat. Papa diu cunctatus est, antequam negotium hoc expediret, quod sine consilio S. Collegii Cardinalium facere noluit, in quo multi erant, qui institutum illud improbarent. Itaque P. Morinus re infecta in Galliam rediit. Postea sancta illa Domina P. Nicolaum Gilbertum Romam misit, vt à Papa & Cardinalibus approbationem hujus regulæ impetraret. Ille sæpius ad pedes Pontificis se abiecit, quem obtestatus est, in nomine Dei, ne opus tam sanctum abrumperet, ad quod Domina illa solo zelo, Christo & matri ipsius serviendi, impelleretur.

Alexander motus illius precibus & lacrymis denuo quosdam Cardinales convocavit, vt ipsorum sententias de approbatione hujus Ordinis rogaret. Sed post multas consultationes Papa & Cardinales difficiliores quam antea, in approbanda hac regula se præbuerunt. P. Gilbertus animum propterea non despondit, sed ad cœlum & favorem B. Virginis confugit. Interea Ioannes Baptista Ferrierus, Cardinalis & Episcopus Mutinensis, vir magnæ auctoritatis, quem Papa Alexander, cujus erat datarius, magni faciebat, Gilbertum accersivit, eique significavit, se causam ipsius acturum: nam visionem sibi oblatam glorioſi Martyris S. Laurentii & S. Francisci, à quibus mandatum acceperit, vt regulam decem virtutum seu voluptatum Virginis confirmari curaret. Papa & omnes Cardinales, hac Cardinalis visione attoniti, regulam illam approbarunt & confirmarunt.

Hæc confirmatio facta est XIV. Februar. anno MDI. quod tempus ob eam causam notatu dignũ est, quia tunc Martinus Lutherus, non pietate aliqua motus, sed terrore potius, vti à multis creditur, consternatus, cum vidisset, studiorum suorum socium, cum quo in campis ambulabat fulmine prostratum & enectum fuisse, Erphordiæ in monasterium Augustinianorum se conjecit, ex quo postea egressus, votum Monasticum abjecit & Ecclesiæ Romanæ sese acriter opposuit.

Hæc sancta regula & institutio non solum approbata fuit à Papa Alexandro VI. sed etiam à Leone X, die XXV. Iulii anno MDXVII. Postea exemplo Dominæ institutricis multæ filiæ, nomina sua profitentes sub vexillo glorioſæ matris Dei,

Digitized by Google

facella, oratoria, templa & monasteria in præcipuis Galliæ & Belgii vrbibus fundarunt & exstruxerunt.

Hæc fuit origo hujus sacri Ordinis, qui initio quinque tantum filiabus constabat, quæ epomidem rubram in memoriam passionis Domini nostri gestabant: postea novitiæ candidam assumserunt, in memoriam innocentiæ Redemptoris. Insuper gestabant funem decem nodis intortum, qui repræsentabant decem voluptates Virginis, cum tribus funiculis dependentibus, tanquam symbolis flagellorum, quibus Dominus noster flagellatus fuit, cum columnæ in prætorio Pilati alligatus esset. Dum legati Romam iviſſent, vt approbationem regulæ supradictæ impetrarent, Domina Ioanna, fundatrix hujus Ordinis, facultatem à Rege obtinuit ædificandi, in quacunque vrbe vellet, domos & monasteria Ordinis, quem instituere cupiebat. Sed antequam aream emeret, in qua primum suum cœnobium condidit, operam dedit, vt cœnobium Religiosarum Ordinis S. Benedicti reformaret, quæ non vivebant secundum regulam & institutum magni hujus Patris Religiosorum: quod feliciter exequuta est non obstantibus omnibus impedimentis, oppositionibus & contradictionibus, quas forti animo superavit.

Hoc Ordine instaurato; cum monasterium illud bonam famam recuperasset, hæc Domina anno MDII. à Canonicis Montermoyensibus hortos & domunculas emit, in quibus filiæ perditæ & derelictæ habitabant, vt illic primum cœnobium sui Ordinis ædificandum curaret: statimque primum templi lapidem posuit, & voluit, vt archiepiscopus Bituricensis, Guilhelmus Cameracensis, loco benediceret: cui benedictioni interfuerunt R. P. Guido Iuvenalis, Abbas S. Sulpitii: P. Gilbertus Nicolaus, Provincialis Franciscanorum Provinciæ Aquitaniæ, ipsius Confessarius, & multi alii Domini ac Dominæ illustres, qui præsentes erant. Curam ædificii & fabricæ suo hipparcho, Amato Georgio, commisit, vt opus vrgeret.

Ordo bonorum virorum, regulæ S. Augustini, in Anglia.

56 Richardus, Comes Cornuvalliæ frater Henrici III. regis Angliæ, cum aliquandiu in Germania commoratus esset, & in patriam rediret; condidit monasterium, paulo supra Biremistedam, pagum viginti quinque passuum millibus Londino distantem, introducto Ordine, qui dictus est bonorum hominum, qui observant regulam S. Augustini, & habitum cinereum infumatum gerunt, fere similem ei, quo Eremitæ vtuntur.

Cœnobiarcha ipsorum sive Abbas Rector appellatur, & præcipuum ac celeberrimum monasterium, quod habent Asseris vocatur. Cæpit hic Ordo anno MCCLVII.

Congregatio vitæ communis.

57 Congregatio vitæ communis instituta fuit tempore Papæ Gregorii XI. à quodam Girardo, viro magnæ sanctitatis, in diœcesi Tarentina, anno MCCCLXXIII. Germanus erat natione; & multa insignia opera lectu digna propter eruditionem cõposuit.

Congregatio Nudipedum in Hispania.

In Hispania alia est congregatio, quæ vocatur 58
discalceatorum seu nudipedum, qui crasso panno, more Capucinorum, se vestiunt: sed rotundum cucullum gerunt. Magnam pœnitentiam agunt, & regulam S. Francisci stricte observant. Complura habent monasteria, in locis à reliquo mundo sejunctis exstructa.

Congregatio S. Spiritus Venetiis.

Venetiis elegans & honorabile est monasterium, 59
quod S. Spiritus vocatur, estque vnicum illius Ordinis, nisi quod membrum quoddam ab eo dependens Patavii sit, à S. Michaele appellatum. Vestiuntur instar Canonicorum regularium Laterani, vivunt in commune, & observant regulam S. Augustini: omnes sunt Veneti, & magnas facultates possident.

Ordo B. Virginis gratiæ redemptionis captivorum ex manibus Turcarum.

Anno MCCLXIV. tempore Clementis IV. cæ- 60
pit congregatio redemptionis captivorum: cujus officium est redimere captivos, qui sunt in manibus Turcarum, vt eos pristinæ libertati restituat. Omnes qui in ea sunt, veste candida vtuntur, & pallium gerunt à pectore apertum; instar Carmelitarum, nisi quod colore differat, & candidum sit. In pectore, ad latus dextrum, scutum ferunt latitudine pomi, in quo à meditullio sursum versus crux candida in area rubra conspicitur: in altera parte sunt insignia regni Tarraconensis. Nulli sunt fratres hujus Congregationis in Italia, præter octo, qui sunt in templo S. Quirini, prope turrim Rationum, quæ est Romæ: qui locum illum obtinuerunt à Papa, cum quibusdam reditibus, anno MDLXIV. Observant regulam S. Augustini. Sunt tamen ex hoc Ordine Lutetiæ, Toloſæ, Burdegalæ: & fratres gratiæ seu veniæ appellantur.

Ordo S. Trinitatis pro redemptione captivorum.

Ordo S. Trinitatis etiam institutus fuit pro re- 61
dimendis captivis ex manibus Turcarum. Paulus Morisius existimat, primum ipsorum monasterium fuisse S. Thomæ Montium, in monte Cælio: & nititur hac ratione, quod in minori templo (nam majus plane apertum & semidirutum est) ad dextram in introitu conspicitur arca sive sepulchrum antiquum ex marmore, cui hæc verba Latino sermone insculpta sunt: *Anno Domini & incarnationis MCXCVII. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. anno primo, XV. Cal. Ianu. institutus est nutu Dei Ordo sanctissimæ Trinitatis & captivorum, à fratre Ioanne, sub propria regula sibi ab Apostolica sede*

Digitized by Google

de conceſſa. Sepultus eſt idem frater Ioannes in loco, anno Domini MCCXIII. menſe Decembri, die XXI. Fuit iſte Ordo confirmatus, cum Papa Innocentius III. declaravit Othonem V. Imperatorem Occidentis, eumque coronavit: quo eodem tempore Conſtantinopolis capta fuit à Gallis & Venetis.

Ordo S. Spiritus in Saxonia, Romæ.

62 Anno Domini MCXCVIII. Innocentius III. qui tunc S. Sedem tenebat Romæ, elegans & celebre noſocomium S. Spiritus in Saxonia (qui locus ita appellatur, quia olim Saxones, populus Germaniæ, illic habitarunt) ædificandum curavit, quod amplis facultatibus dotavit, vt pauperibus ægrotis & aliis egenis ſubveniretur: & vt in eo cultus divinus exerceretur, regulam inſtituit pro omnibus fratribus & ſororibus, in hoc Ordine vivere cupientibus, quæ poſtea fuit confirmata à S. Sede. Nihilominus anno MDLXIV. reverendus pater Bernardinus Cyrillus Aquileienſis, præceptor & Magiſter generalis illius Ordinis, reformationem quandam adhibuit, & operam dedit, vt ægroti diligentiſſime curarentur, eleemoſynæ augerentur, multæ virgines in matrimonium collocarentur, cultus divinus recte adminiſtraretur, reditus amplificarentur, & ædificia ſtudioſe conſervarentur ac repararentur.

Hæc regula præcipit, vt omnes fratres & ſorores vivant in obedientia & caſtitate, nec quicquam proprii poſſideant, & vt ante omnia ægrotorum curam gerant.

Quando fidem dant, & votum nuncupant, his verbis Latina Lingua vtuntur: Ego N. me trado & offero Deo, benedictæ Virgini Mariæ, Spiritui S. & dominis meis pauperibus ægrotis, vt ſim omnibus diebus vitæ meæ ſervus ipſorum. Promitto, me ſervaturum caſtitatem, auxiliante Deo, & nihil proprii poſſeſſurum: tibi vero meo Magiſtro & Generali, atque omnibus tuis ſucceſſoribus ſpondeo omnem obedientiam, & me bona pauperum optima fide curaturum: ita me Deus juvet, & ſancta Evangelia. Atque ita ſe ſiſtit coram altari, cum libro Evangeliorum. Tunc præceptor aut Senior hoc modo ipſi reſpondet: Propter ea, quæ Deo, Virgini Mariæ, & omnibus noſtris dominis, pauperibus ægrotis, promiſiſti, te recipimus, & animas tui patris, ac matris, vt participes ſitis Miſſarum, Matutinarum, Iejuniorum, precum, eleemoſynarum, & omnium aliorum bonorum operum, quæ fiunt & fient in domo S. Spiritus. Deus tibi eam partem illorum largiatur, quam nos quoque ſperamus. Cæterum domus Spiritus S. tibi promittit panem & aquam, & dabit tibi togam humilem.

His dictis Senior pallium accipit, in quo crux eſt, quam ipſi oſtendit, pallium humeris imponens, & ait: Virtute hujus ſigni Crucis omnis ſpiritus malignus à te abigatur, & Ieſus Chriſtus te ducat in regnum ſempiternum.

Hæc congregatio multa noſocomia habet diverſis locis Chriſtiani orbis, inter quæ Romanum principatum obtinet. Capitula generalia in eo congregantur, & adminiſtrationis omnium aliorum ratio redditur.

Si frater hujus Ordinis, quamvis Rector loci, aut Generalis eſſet, comperiretur poſt mortem aliquid proprii habuiſſe, non ſepelitur loco ſancto, ſed pro excommunicato habetur. Omnes in hoc Ordine gerunt habitum nigrum ſacerdotalem, & tenentur, geſtare Crucem candidam in ſua toga, quæ ſimilis eſt archiepiſcoporum, in medio pectore, atque etiam in pallio, ad latus ſiniſtrum. Pueri & puellæ cæruleis veſtibus induuntur.

Congregatio Presbyterorum, qui orphanos excipiunt.

Author Congregationis Presbyterorum, qui 63
orphanos excipiunt, fuit nobilis Venetus, Hieronymus Mianus dictus, qui cum in animo haberet opus aliquod Deo gratum facere, & in hoc propoſito firmiter perſiſteret, anno M D XXVIII. magna annonæ caritas per totam Italiam, præſertim Venetiis, exarſit, quæ ita ſæviit, vt pauperes in plateis fame interirent.

Quod videns hic vir bonus, motus charitate & commiſeratione calamitatis publicæ, loca publica vrbis obibat, & quos inveniebat languentes & famelicos partim ducebat partim portabat in quendam locum huic rei deſtinatum, vbi ſuis facultatibus illos alebat, & omnibus, quibus opus habebant, proſpiciebat. Nec contentus eo, quod in ſua vrbe feciſſet, cum Ptochodochio ſuo bene providiſſet, in Galliam Ciſalpinam abiit, vt alios reciperet. Cum in oppidum Semaſcum veniſſet, quod eſt in confinio territorii Bergamenſis & Mediolanenſis, ex tribus partibus duas peſtilentia, quæ per totam illam provinciam graſſabatur, extinctas comperit: & videns fruges eſſe maturas, pauperes quoſdam aſſumſit: nec deſtitit propterea quotidie certis horis vna cum iis, qui ipſi aderant, officium Virginis Mariæ religioſe recitare, ſolo pane & aqua victitans, alijs cibis neglectis.

Cujus rei fama per omnia loca finitima diſperſa, magna hominum multitudo ad ipſum confluebat: atq; in eo oppido domicilium ipſi attributum fuit, in quo ipſe & ſocii ipſius ſanctam vitam agebant: quod multos excitavit, vt ipſius exemplo relictis facultatibus, ipſum ſequerentur, & cum eo in paupertate viverent.

Ordine illic ſtabilito, cum alibi quoq; vtilem operam navare vellet, Bergamum ſe contulit, vbi tria ptochotrophia inſtituit, vnum pro pauperibus orphanis, alterum pro converſis, tertium pro puellis orphanis.

Quo facto Mediolanum profectus eſt, vbi cæpit conquirere & congregare pauperes orphanos, quorum quinquaginta in æde Crucifixi, in qua hoſpitium ſumſerat, collegit.

Non diu illic hæſit, quin fama ſanctitatis ipſius ad aures Ducis perveniret. Is tunc erat Franciſcus Sforcia II. qui operam ſuam ipſi contulit in ſancto hoc inſtituto perſequendo, & locum, in qua pauperes orphani nunc vivunt, ei dedit, & ſe obſtrinxit ad pretium locationis illarum ædium magno ptochotrophio Mediolanenſi, ad quod illæ pertinebāt, ſoluendum: ita vt hodieq; pretium illud ptochotrophio iſti ex ærario Ducali numeretur.

Digitized by Google

Postquam bonus iste nobilis in hoc sancto opere sedulo laborasset, diversas vrbes peragrans, vt loca idonea ad recipiendos pauperes orphanos exstrueret, tandem Somascum, vbi satis notus erat, rediit, atq; illic vltimum vitæ diem clausit.

Post ipsius mortem hæc Congregatio magis ac magis invaluit, & per multas Italiæ vrbes, præsertim in Gallia Cisalpina se diffudit.

Presbyteri hujus Congregationis quotannis semel Capitulum habent, & possunt confirmare suum Generalem cum duobus Consiliariis in triennium: & est in potestate Generalis Capitulum convocare, quo ipsi videtur. Illic omnes Ordinis socii, tam conversi, quam presbyteri, nominibus & cognominibus suis appellantur, & ab vno loco in alium, prout necessitas postulat, transferuntur: qui diligenter attendunt, vt pauperes orphani recte gubernentur, & cum animæ tum corporis ipsorum ratio habeatur. Generalis tenetur quotannis omnia loca ipsorum domicilio, & alimento destinata vt minimum semel visitare.

Diligenter observant omnia capita suæ institutionis, neq; tamen professionem solennem edunt: sed qui inter ipsos vult vivere, eum oportet obedientiam superioribus promittere. Cæterum in commune vivunt. Hæc congregatio fuit approbata & confirmata à Papa Paulo Farnesio III. & postea à Pio IV. qui ipsis permisit, vt vitæ suæ genus persequerentur, & in tutelam Ecclesiæ non solum omnia loca & cœnobia, quæ tunc habebant, sed etiam quæ deinceps habituri essent, accepit. Postea cœperunt Ordinem suum profiteri, approbante Papa Pio V. Cæpit hic Ordo anno MDXXVIII. sedente in Sancta Cathedra Clemente VII. & imperante Carolo V.

Congregatio presbyterorum regularium S. Pauli.

64 Cum Principes Christiani infestis armis se mutuo persequerentur, & tota Italia bello arderet, quod fuit anno MDXXVI. Franciscus Sforfortia, vltimus Dux ex hac familia, Mediolani obsessus fuit: cumque in arcem se recepisset, fame coactus, Antonio Levæ & Marchioni Piscariæ se dedidit, vrbe & arce Mediolanensi Imperatori Carolo V. tradita. Vrbs tunc pestifera lue ita afflicta fuit, vt ad minimum tertia pars incolarum periret.

Eo tempore tres nobiles, quorum vni nomen erat Iacobo Antonio ex familia Morisiorum, quæ antiquissima est, vt colligere licet ex duobus martyribus, Nabore, & Felice, ejusdem familiæ, qui coronam martyrii acceperunt sub Impp. Maximiano & Diocletiano, septuaginta circiter annis ante S. Ambrosium: alter erat Cremonensis, cui nomen Francisco Mariæ Zachariæ: tertius Mediolanensis, qui vocabatur Bartholomæus Ferrerius: instituerunt Mediolani Ordinem presbyterorum regularium S. Pauli, vitæ religiosæ & contemplativæ se consecrantes, & à mundi voluptatibus abstinentes. Assidue peccatores ad pœnitentiam hortabantur, publice legebant epistolas S. Pauli, confessionem vniuscujusque excipiebant, & Sacramenta administrabant. Cæterum in commune vivebant, & nihil proprii possidebant: in more habebant, vt se publice per plateas & compita in conspectu omnium castigarent, quo magis mundum despicere viderentur. Post mortem ipsorum habiti & culti fuerunt sanctorũ loco. Aliquot monasteria habent, quorum primarium est Mediolanense à S. Barnaba fundatum.

Ordo Presbyterorum regularium Theatinorum.

Ordo presbyterorum regularium Theatinorum originem duxit à Ioanne Petro Caraffa, filio Ioannis Antonii Caraffæ, Baronis illustris Neapolitani, qui cum fuisset, episcopus Theadis, & episcopatu se abdicasset, vt solitariam vitam ageret in monte Platio, tandem die exaltationis S. crucis, anno MDXXVIII. sub Pontificatu Clementis VII. imperante Carolo V. comitatus Cajetano Tiennæo Vicenensi & Protonotario Apostolico, Bonifacio à Collibus Alexandrino, & Paulo Romano, qui omnes eodem religionis studio tenebantur, vna in templum S. Petri iverunt, toto Clero eos solenni pompa vsque ad magnum altare, in quo sunt reliquiæ S. Petri & S. Pauli, deducente: in quo altari jurarunt & promiserunt coram toto mundo, se observaturos tria vota, quæ alij religiosi promittere ac profiteri solent, nempe paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Hi quatuor primi fuerunt, qui hoc voto se obstrinxerunt: quos postea imitati sunt omnes, qui huic Ordini nomen dederunt: & quoniam princeps omnium fuit episcopus Theatinus, cæteri omnes ab illo nomen acceperunt, & Theatini dicti fuerunt. Verum est, hunc episcopum, post institutum hunc Ordinem, creatum fuisse Cardinalem à Papa Paulo. Deinde, mortuo Marcello, qui tantum XXI. diebus sedit, fuisse evectum ad Pontificatum, & dictum Paulum IV. vnde multi ex hoc Ordine Paulini appellati fuerunt: tametsi nomen ipsorum vsitatius sit Theatinorum. 65

Ordo Jesuitarum.

Ordo Iesuitarum toto orbe ita nunc notus est, vt supervacaneum sit, de eo speciatim multa referre. Satcrit notasse, auctorem ipsorum fuisse beatum Ignatium, è nobili familia Loiolitarum, qui sunt in confinio vrbis Alpethiæ in provincia Guiputa, in Hispania: qui comitatus Petro Fabro, Alphonso Salmerone, Francisco, Xævio, Iacobo Lænio, Nicolao Bavadilla, Simone Rodriga, Claudio Iæo, Ioanne Corduro, & Pasquino Broeto, votum fecit in sacello Martyrum, quod est in Monte-martyrum prope Lutetiam: vbi implorato auxilio beatæ Virginis & S. Dionysii Areopagitæ, patroni & protectoris vrbis Parisiensis, omnes simul votum nuncuparunt Deo, se prorsus renunciaturos mundo, & in perpetua paupertate gloriam Dei & salutem animarum procuraturos, ac die constituto mare trajecturos, & Ierosolymam ituros, ea mẽte vt omnib. virib. conversioni infidelium incumberent, & coronam martyrii quacunq; ratione adipisci conarentur. Quod si hoc ipsorum decretũ impedi- 66

Digitized by Google

pediretur, se elapso anno Romam profecturos, & operam suam S. Patri oblaturos ad opem & salutem spiritualem proximo ferendam, pure & simpliciter, absq; vlla spe mercedis, & absq; exceptione loci ac temporis: quod votũ nuncuparunt sub Põtifice Paulo III. anno MDXXXVIII. die XV. Aug. quo die ecclesia Rom. celebrat festum, quod appellat Assumtionis matris Dei. Postea an. MDXL. die XXVIII. Oct. regula Ignatii à S. Sede fuit confirmata: & die Veneris proximo Calendis Maii anni sequentis, Ignatius & socii Romæ in templo S. Pauli novam professionem ediderunt. Hæc regula fuit confirmata & approbata in Concilio Tridentino, vt videre est XXV. Session. cap. XVII. Visio, quæ beato huic Patri à Domino nostro oblata fuisse dicitur, qua ipsi promisit, se ei Romæ propitium fore, ipsum impulit, vt sanctissimum nomen Iesu suæ Societati imponeret. Ex hoc Ordine anno MDCXXII. in Sanctorum numerum relati fuerunt S. Ignatius Loiola, & P. Franciscus Xauierus, Apostolus Indorum cognominatus: vbi cum XXX. ex mortuis excitasset, & multa miracula edidisset, uti ejus habet Legenda, martyrio affectus, ac postea Romæ Sanctorum catalogo adscriptus fuit à Papa Gregorio XV. Paucis ab hinc annis in eundem catalogum à Papa Vrbano VIII. hodie sedente relatus fuit Ludovicus Gonsaga, ex eadem societate, quæ mirum in modum per orbem Christianum pullulavit.

Loca, in quibus hæc Societas floret, sunt in Italia, Florentiæ, Senæ, Pisis, Laureti, & in Latio, vbi habent multas domos professas, Seminaria & Collegia: in summa plusquam viginti egregias domos illic possident.

In regno Siciliæ sedecim domos habent:

In regno Neapolitano tredecim.

In Venetorum territorio totidem habuerunt: sed Senatus, orta inter ipsum & Pontificem Paulum V. controversia, eos exegit, nec ab eo tempore recipere voluit: quantumvis Princeps Condæus in vltimo suo itinere Italico instantissime jussu & nomine Regis sui pro ipsis apud Senatum intercesserit; contra quos Venети causas graves allegant.

In Gallia Cisalpina decem domos possident.

In Heluetia vnam Friburgi, & alteram Lucernæ in Catholicorum pagis habent.

In Sabaudia tres habent, Camerini, Augustæ Taurinorum, & Saluciæ:

In Germania ad Rhenum quindecim habent domicilia:

In superiori Germania totidem:

In Austria tredecim;

In Polonia septendecim:

In Hungaria vnum Posonii, alterum Novosolii.

In Lotharingia tria, vnum Mussiponte, alterum Nancei, tertium Virduni.

In agro Metensi vnum habent Metis, quod instanti petitione Marchionis Vernevillani episcopi Metensis, & Ducis Espernonii, gubernatoris, obtinuerunt.

In Comitatu Burgundiæ quatuor possident, vnum Dolæ, alterum Vesontione, tertium Vesuvii, quartum Salinis.

In Gallia præter præfecturam Parisiensem, in qua decem aut duodecim domos habent, alias præterea possident ad Ligerim, Molinii, Niverni Aureliani, Blæsis, Cæsaroduni Turonum, Fliscæ, Rhedonibus, Condivicini Nannetum: postquam ab exilio, multorum intercessione revocati essent statua proscriptoria deleta, quæ antèà ob causas satis notas contra eos Lutetiæ erecta fuerat.

In Normandia, Pontisaræ, Rothomagi, Cami, Alenconii.

In Picardia, Ambiani, Boloniæ.

In Campania, Rhemis.

In Burgundia, Divione.

In agro Lugdunensi, Lugduni & Rione.

In Aquitania, Tolosæ, Burdegalæ, Auscii, Aginnii, apud Lemovices, Petragoricos, Bearnenses, Pictavienses, Bituricenses, Cadurcos.

In Provincia, Aquis Sextiis, Arelatæ, Avenione.

In Occitania, Narbonæ, Carcasone, Albenate, Sagoduni, Anicii.

In Delphinatu, Valentiæ, Tornonii.

In Belgio adhuc Hispanis reliquo novendecim ædes habent:

In Hybernia, vnam domum celebrem.

Anglia est tumulus ipsorum, vbi pro ædibus carceres ob varias contra Reges machinas, igne inprimis pyrio ædibus parlamentariis, ex ipsorum consiliis subjecto ipsis sunt parati.

Ex Hollandia sunt pulsi & proscripti.

In Lusitania quindecim domos habent, vnam in regno Angolæ:

In Hispania, in provincia Toletana, septendecim:

In Castilia, viginti & vnam:

In Aragonia, tredecim:

In Catalonia, sedecim:

In Sardinia, quinque.

In India Occidentali.

In Peruvia vndecim domicilia habent:

In Mexico, totidem.

In Brasilia, viginti. Hollandi destruxerunt domum, quam habebant in vrbe S. Servatoris, cum eam diriperent, mense Ianuario, anno MDCXXIV. & Provincialem illius domus ac quosdam Religiosos Societatis captivos in Hollandiam abduxerunt.

In insulis Philippinis novem domos habent:

In Iapone, duodecim.

In regno Chinæ vnum domicilium habent in vrbe regia.

In Chersoneso duas.

Malacæ, Amboinæ, Cochini, Cambaiæ, Calecuti, Meliamporæ, Bengalæ, in singulis his vrbibus Collegium vnum habent, & alia in regnis maritimis Indiæ trans Gangem complura, quæ enarrare superfluum.

Goæ celebre collegium habent, vbi est seminarium omnium linguarum & scientiarum.

Præterea in Æthiopia, in regno Maroci, Congi, Angolæ, in singulis his locis vnum collegium habent.

Digitized by Google

Habent etiam domicilium in monte Libano.

Denique domum habent Perę, in ſuburbio Conſtantinopolis.

Congregatio Patrum Oratorii.

67 Sunt Præterea Presbyteri Oratorii, quorum auctor fuit Beatus Philippus Nerius Florentinus, anno MDLXIV. Tres primi ipſius alumni fuerunt hi celeberrimi viri, Cæſar Baronius, Ioannes Franciſcus Burdinus, qui poſtea fuit archiepiſcopus Avenione, & Alexander Fidelis. Fundamenta ſui Ordinis jecerunt Romæ in templo S. Hieronymi: vbi cum numerus ipſorum creviſſet, ſingulis diebus quatuor ex ſuo numero elegerunt, qui conciones ad populum haberent, Solus dies Sabbathi ab hoc officio immunis erat. Scopus ipſorum præcipuus fuit, vt Ordinem Presbyterii priſtino ſplẽdori reſtituerent. Hoc poſtremo anno Petrus Berula Gallus, Lutetiæ natus, antiqua & nobili familia, inſtituit Ordinem Oratorii, qui in multis à priori differt, ac nihilominus à Paulo V. qui nunc Sanctam ſedem occupat, confirmatus fuit: à quo magni fructus propter egregias ipſius leges, & præclarum inſtitutum multa, quæ corrupta fuerunt, reformandi, ſperantur.

De Cœnobio Vrſulinarum.

68 Sunt etiam alii quidam Ordines pro doctrina Chriſtiana, in eum præcipue finem inſtituti, vt tenella juventus præceptis Catecheticis imbuatur: qui nunc in Gallia admodum frequentes eſſe incipiunt: inter quos eſt Ordo puellarum, quæ Vrſulinæ vocantur, cum Lugduni, tum Avenione, & aliis locis, vbi inſtituuntur, ita tamen vt voto non obſtringantur. Sed anno proxime elapſo MDCXII. menſe Novembri, die S. Martini, aliæ puellæ, quæ etiam Vrſulinæ dicuntur, & domum habent in ſuburbio S. Iacobi Lutetiæ, aſſumſerunt novum habitum, ſub regula S. Auguſtini, & tria vota ſolennia nuncuparunt, ſecundum diplomata, quæ à S. Patre Paulo V. obtinuerant. Earum hoc tempore duodecim ſolummodo ſunt.

Ordines aliquot non approbati, Candidorum, Otioſorum &c.

Expoſitis Ordinibus, qui ab Eccleſia approbati fuerunt, non alienum erit, ſi de Ordinibus ab eadẽ damnatis, & inter alios de Candidis aliquid attexamus: quorum hæc fuit origo.

Tempore Bonifacii IX. quidam presbyter ex Germania venit, qui ab Alpibus deſcendens cum quibuſdam, qui eum ſequebantur, Lucæ ſubſtitit, vbi ſtatim plus quam ter mille homines ſibi aſſociavit, & veſtem vſquequaq; candidam aſſumſit, gerens albam lineam cum cucullo, inſtar Religioſorum. Eodem genere veſtis omnes, qui ipſum ſequebantur, tam viri quam fœminæ, vtebantur. Imaginem Chriſti crucifixi manu tenebat, deplorans miſerias humanas, calamitates ſui temporis, & peccata hominum: ita vt propter inceſſum modeſtum, orationem artificioſam & geſtum quem præ ſe ferebat, pro homine ſancto haberetur & coleretur.

Tunc totus ipſius cætus, qui erant magnus, ipſum ſequebatur, & inſtar proceſſionis bini incedebant, præeuntibus ſpectabilioribus: vulgus autem & juniores in vltimo agmine erant: atque ita ab vno oppido in aliud euntes, ſæpe omnes vna voce miſericordiam & pacem clamabant, aut alias voces edebant, atque etiam contemplationem illam ſanctiſſimæ matris Dei à S. Gregorio compoſitam proferebant, quæ ſic incipit: *Stabat mater dolorosa.* Nocte autem ingruente, omnes in terra cubabant, & vivebant ex eleemoſynis, quæ ipſis dabantur. Quod populum vſque adeo ad pietatem commovebat, vt multi etiam magni ordinis & homines Eccleſiaſtici ſe ipſis adiungerent, & veſtem candidam induerent, à qua Candidi fuerunt appellati.

Cum hæc multitudo longe lateque vagata eſſet, dux ipſorum impetum cepit, eos recta Romam ducendi. Eo cum tenderent, Papa Bonifacius IX. qui tunc Viterbii erat, quod CCCXX. ſtadiis ab vrbe diſtat, certior ea de re factus, ducem comprehendi, & Romam duci juſſit: vbi diligenter examinatus, & ad mortem damnatus, tanquam homo ſuperſtitioſus, ſupplicio capitis affectus fuit. Sublato duce, totus cætus fuit diſſolutus, & quiſque domum rediit: quod accidit anno MCCCC. Imago illa Crucifixi, quam homo iſte vexilli loco ferebat, Lucæ eſt: & multa, vt ajunt, miracula ab ea eduntur: vt teſtantur multæ imagines in eo templo ſuſpenſæ, in quo illa aſſeruatur, quod ab ea templum Crucifixi appellatur: imo cum à Lucenſibus, mortuo ſuo duce, afferretur, magna miracula in itinere edidit, vt patet ex monumentis autenticis manibus Notariorum publicorum ſcriptis, quæ in theſauro Societatis Candidorum aſſeruantur.

Quapropter Lucenſes videntes miracula, quæ per hanc ſanctam imaginem fiebant, elegans iſtud templum condiderunt, quod ab ea nomen habet, in quo eam magna cum veneratione primario altari impoſuerunt.

Huic templo fratrum Societas præeſt, qui in hunc diem nomen Candidorum retinuerunt, & cultum divinum in eo religioſe exercent. Alia etiam eſt Florentiæ, in templo S. Petri Moronæi, imago Crucifixi, quæ etiam in magno honore habetur, propter miracula, quæ ab ea fieri dicuntur. Hanc perhibent eam eſſe, quam fœminæ, quæ virum illum ſequebantur, in proceſſione ferebant. In hoc quoque templo Societas eſt Candidorum.

Hæc Congregatio cœpit circa annum MCCCXCVI. & fuit extincta anno Iubilæi, MCCCC.

Præterea Lucæ templum eſt S. Martini, quod Papa Alexander II. exſtruendum curavit, cum eſſet illius vrbis epiſcopus: cum vero ad Pontificatum evectus eſſet. Canonicis illius templi privilegium conceſſit, geſtandi certis feriis infulas candidas ex ſerico: quod poſtea ſemper obſervarunt vſque ad tempus Pauli III. qui non tantum hoc privilegium ipſis confirmavit, ſed etiam poteſta-

tem

Digitized by Google

tem fecit, habitum episcopalem, quando vellent, gestandi.

His annumerari possunt mendici illi, qui cum mallent quævis incommoda pati, quam opus aliquod facere aut laborem sustinere, quamvis essent homines ignavi & inertes, tamen cætum aliquem sub specie religionis colligere voluerunt, & theristro ex crassa tela induti, capite & pedibus nudis hac illac vagabantur, & ad portas templorum aut platearum angulos consistebant, vt eleemosynam peterent.

Quidam *Iacobus Cremonensis*, otio deditus, hujus Ordinis auctor perhibetur. Omni genere ciborum vescebantur, & quantum volebant: dormiebant quantum & qua hora ipsis placebat, ibant quocunque lubebat, argentum pro arbitrio contrectabant: &, quod pessimum erat, neminem habebant, cui obtemperarent, sed pro libitu vivebant, nec episcopo, cænobiarchæ, Generali aut magistratui politico subjecti erant.

Fuit quoque congregatio Fratrum Opinionis, quæ initium sumsit anno MCCLXXVIII. à quodam *Hermanno*, cui multi Principes non parum favebant: sed tandem detecta ipsorum malitia fuerunt suppressi, & Ordo ipsorum excommunicatus à Papa Bonifacio VIII.

Anno MCCLII. cæpit congregatio Dulcinorum, quam quidam natus Novarræ in Ducatu Mediolanensi, cui nomen erat *Dulcino*, instituit. Is non toto anno sex hominum millia, tam virorum quam fæminarum coegit, qui eundem fere Ordinem, vel potius inordinatum illud vivendi genus, quod superiores, sequebantur. Hæc congregatio excommunicata fuit Anno MCCCX. à Papa Clemente V.

Quod attinet ad congregationem *pauperum Lugdunensium*, illi à Papa Ioanne XXII. exacti fuerunt. Papa non satis habuit illos abigere, sed etiam mandavit, vt omnes comburerentur, anno MCCCIX. Auctor hujus sectæ fuit F. Petrus, ex Ordine fratrum Minorum, cognomento Waldus circa annum MCLX: à quo tempore semper fuerant tolerati ob vitæ innocentiam, sed sub hoc Pontifice ob intentatum hæreseos crimen valde divexati fuerunt Waldenses.

Ordo beati Joannis de Deo aut fratrum Ptochotrophii Charitatis.

69 Hæc Congregatio fuit recepta in Ecclesia secundum primam ipsius institutionem, cujus auctor fuit beatus Ioannes de Deo, Religiosus, & discipulus S. Augustini, episcopi Hipponensis, cujus regulam elegit, ex qua suas constitutiones composuit ad laudem & gloriam Dei, pro levamento, solida cura, regimine & administratione rerum sancte institutarum, factarum & ordinatarum à Capitulis generalibus illius Ordinis, vt firmæ & certæ permanerent.

Principio fratres hujus Ordinis solenni, expressa aut tacita professione vere & efficaciter renunciant omnibus bonis, rationibus & actionibus ad ad ipsos pertinentibus, aut quæ in futurum quocunque modo ad ipsos pertinere possent, etiam quoad vsum fructum, nihil quicquam sibi reservantes, adeo vt post renunciationem factam nihil, ne verbo quidem, suum dicere queant. Omnia enim resignare tenentur, quæcunque illa sint, mobilia, & immobilia, quocunque modo illa sint parta. Nec dicunt, quid edemus aut bibemus, sed crastinum diem providentiæ divinæ committunt; quod alioqui omnes pij facere solent ex mandato Christi Matth. 6.

II. Nemo pro se ipso operatur: eleemosyna quæ ipsis datur pro Missis, quas celebrant, pro communitate est, non pro singulis: quemadmodum etiam omnia, quæ labore, artificio aut opere acquirunt.

III. Superiores locorum tenentur vbique servare communitatem.

IV. Omnibus fratribus interdictum est, ne secularibus aut Novitiis revelent statuta & arcana Religionis & Ordinis: cujus rei si convincantur, gravissima pœna, tanquam destructores Religionis, afficiuntur.

V. Votum nuncupant Hospitalitatis, neq; Ptochotrophia accipiunt sine venia sui Generalis & suorum Consiliariorum: neque vllum in pagis accipiunt, nisi proventum habeat, quo sex ad minimum pauperes sustentari possint.

VI. Stipem cogunt per provincias & vrbes. Provinciales autem fratribus limites regionis cõstituunt, in qua stipem cogant, ne vnus alteri in ea cogenda impedimento sit.

VII. Si quis inter fratres introducat inter ipsos novum vitæ genus, quod voto Hospitalitatis, quâ profitentur, repugnet habitu privatur, & ad triennium ergastulo nautico mancipatur.

VIII. Vnoquoque triennio capitulum familiæ Ptochotrophiorum mutat: & hæc mutatio fit à Generali & Provincialibus, qui operam dant, vt omnibus satis faciant.

IX. Cœnobiarchæ quosdam in suum Ptochotrophium pro tertiariis recipere possunt, quibus habitum, pileum & pallium ejusdem coloris cum habitu Religionis dant, si prius eos cognoverint esse viros bonos, & illi annum ætatis XXXV. non excesserint.

Qui temere peccant, puniuntur, publice delictum confitentes, humi manducantes, fratrum pedes osculantes, & vno die pane & aqua vitam tolerantes. Publicæ pœnæ sunt, vt Psalmos & tesseras precarias recitent.

Si grave sit delictum, pœna est carcer, compedes, manicæ, suspensio & privatio officiorum, suffragii item activi & passivi, relegatio ex provincia.

Superiorum, præfectorum, cœnobiarcharum & officialium hic ordo & hæc potestas est:

1. Primus & qui maxima auctoritate pollet, est Generalis, qui sicut cæteri officiales in capitulo generali eligitur. Ipsius officium durat sex annis, quibus exactis capitulum celebratur & alius eligitur.

2. Post electionem Generalis, Capitulum congregatur cum vetere & novo Generali, & vetus primum suffragium dat pro eligendis Consiliariis

Digitized by Google

& Provincialibus Ordinis, prout provinciæ iis opus habebunt. Officium Consiliariorum est sexennale: & in primo capitulo generali primus consiliarius eligitur ad officium Procuratoris Generalis: secundus est cœnobiarcha Romæ. Officium Provincialium durat tres annos.

3. Deinde eligitur cœnobiarcha in Capitulo generali suffragiis arcanis, quorum pluralitas obtinet.

4. Sunt Subpriores, Secretarii, Nosocomi, Hierophylaces, Procuratores cœnobiorum, Magni Nosocomi, Custodes vestiarii & ptochotrophiorum.

DE HOSPITALITATE.

Nosocomus ægrotos, qui se offerent, cum omni charitate in cœnobium recipiet, & antequam lectum ingrediantur, pedes ipsis lavandos curabit. Quoniam vero ad recuperandam corporis valetudinem animæ prius habenda ratio est: propterea omni mansuetudine ægrotos hortabitur, vt peccata confiteantur, antequam lecto se committant, siquidem morbus id patiatur, qui si vehementior sit, statim confessionem edet, & communionem accipiet ex sententia Confessionarii. Indusium mundum cum vitta ipsi dabitur: præterea lodices, cervical, mantilia munda: & si opus sit, nosocomus lectum ipsius calefaciet.

Ægroto in lecto decumbente, frater, qui res valetudinarii custodit, nomen ipsius, cognomen, regionem, ætatem, vitæ genus, omnes vestes & quidquid secum attulit, libro inscribet, vt si valetudinem recuperet, omnia ipsi restituantur. Deinde in margine libri adscribet, quando vel discesserit, vel ex hac vita migraverit.

Medicus & Chirurgus bis quotidie pauperes ægrotos hoc ordine visitabunt: veniente Medico signum campana dabitur, vt per totum cœnobium audiatur, & nosocomi adsint cum pharmacopæo & chirurgo: quorum singuli libro suo inscribent quæcunque Medicus præcipiet de victus ratione, cum quoad cibum, tum quoad potum, cum medicamentis, quæ præscribet. Magnus autem Nosocomus peculiarem curam geret, vt vnusquisque officio suo satis faciat.

Noctes & dies quidam præsto erunt ægrotis, qui ipsis necessaria suppeditent: singulis tribus horis reficientur jusculis, ovis recentibus, condimentis, potu, & aliis rebus, secundum præscriptum Medici.

Postquam ægrotus vltimam vnctionem & exhortationem Presbyteri acceperit, frater, judicio præditus, semper ipsi aderit, qui eum hortabitur ad bene moriendum, & imaginem Crucifixi tenebit, cum cereis accensis, aqua benedicta, & aliis rebus similibus,

Mortuo ægroto, cadaver linteo involutum ex valetudinario efferetur, præcedente imagine Crucifixi, & cereis accensis. Fratres sacellum ipsis assignatum ingredientur, & cantabunt, *Miserere mei Deus:* quo cantu finito illic relinquetur vsque ad sepulturam: tunc campana pulsabitur, vt omnes fratres, qui sunt in Nosocomio, cõveniant ad celebrandum officium cum Presbytero: sequente mane Missa cantabitur pro ipsius anima: & quovis die Veneris tam in valetudinariis quã templis Nosocomiorum Missæ pro animis defunctorum in Nosocomiis cantabuntur.

Numerum horum Nosocomiorum Charitatis.

1. Nosocomium S. Ioannis Calibytæ, Romæ.
2. Nosocomium S. Deodati, Beneventi.
3. Nosocomium S. Mariæ pacis Neapoli.
4. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, Neapoli.
5. Nosocomium S. Petri Romæ.
6. Nosocomium S. Suarii, Taurini.
7. Nosocomium S. Petri ad vincula, Palermi.
8. Nosocomium S. Nicolai, Perugii.
9. Nosocomium S. Crucis Coroneti.
10. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ Verrerii.
11. Nosocomium S. Mariæ humilitatis, Florentiæ.
12. Nosocomium S. Antonii Livorni.
13. Nosocomium S. Mariæ sanitatis, Lancianí.
14. Nosocomium S. Viti Aquilæ.
15. Nosocomium S. Trinitatis Plombini.
16. Nosocomium S. Mariæ ex ara Cæli, Mediolani.
17. Nosocomium S. Mariæ, Cesentiæ.
18. Nosocomium B. Virginis Lincoravatanæ Cremonæ.
19. Nosocomium S. Benedicti, Bononiæ.
20. Nosocomium S. Mariæ pacis, Montebasilio.
21. Nosocomium S. Mariæ arcus, Trecis.
22. Nosocomium S. Catharinæ, Foggeæ.
23. Nosocomium S. Annunciationis, Tarenti.
24. Nosocomium S. Trinitatis, Barlettæ.
25. Nosocomium Annunciationis S. Agathæ.
26. Nosocomium S. Annunciationis Muliterni.
27. Nosocomium S. Caroli, Lotiti.
28. Nosocomium B. Virginis misericordiæ, Corigliani.
29. Nosocomium S. Mariæ sanitatis, Consenzæ.
30. Nosocomium S. Annunciationis, Rassavi.
31. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, Octaviani.
32. Nosocomium S. Basilii, Bovini.
33. Nosocomium S. Mariæ ex Itrira, Morani.
34. Nosocomium S. Annunciationis, Salerni.
35. Nosocomium S. Elisabethæ, Messanæ.
36. Nosocomium S. Mariæ misericordiæ Syracusis.

37. No-

Digitized by Google

37. Nosocomium S. Mariæ misericordiæ Lauteni.
38. Nosocomium S. Spiritus, Caltagerone.
39. Nosocomium S. Andreæ, Traenæ.
40. Nosocomium S. Trinæ, Termini.
41. Nosocomium sanctissimæ Annunciationis, Palizzi.
42. Nosocomium S. Antonii, Caltanizzetæ.
43. Nosocomium S. Marci, Bovini.
44. Nosocomium S. Ioannis Baptistæ, prope Lutetiam in subvrbio S. Germani Pratensis, primũ fundatum à Regina matre Regis Ludovici XIII. & deinceps auctum à Duce Nivernio, in memoriam Ducissæ Niverniæ sponsæ ipsius defunctæ.

Possent addi adhuc quidam alij vt Thabenesiotarum Anno 341. Publiæ. A. 366. Paulæ Romanæ An. 422. Canonissarum Regularium An. 495. Gerundinensium An. 610. Antonij, de Vienna An. 1095. Luceolanorum An. 1050. Iacobi de Spatha An. 1170. Betlehemitarum An. 1257 flagellantium An. 1349. Turlupinorum An. 1371. &c. sed quoniam autor noluit esse laboriosus circa hæc ab initio, atque mores eorum facilè possunt colligi ex recensitis, quidam etiam obsoleti sunt & obscuri, nos etiam in tam fertili Monachorum segete nolumus lectori vltra modum esse tædiosi.

Ordo Religiosorum visionis in Aethiopia.

70 Antequam huic breviario finem imponamus, vt Lectori curioso satisfaciamus, nõ abre erit si de Ordinibus, qui sunt etiam alibi atque extra communionem Ecclesiæ Romanæ sive Latinæ. Hic primo nobis occurrunt Æthiopes sub Pretelano illorum Imperatore. Præcipuum & maximum monasterium, quod habent in illa regione, est *Bisani*, hoc est, Visionis, quod est prope vrbem Ercococcam, sub præfectura Barnagæ, quæ Presbytero Ioanni subest. In isto monasterio sunt plusquam tria millia Religiosorum: & hoc caput est sex aliorum, quæ circum eum locum sita sunt: ita vt remotissimum triginta passuum millibus ab hoc distet.

In vnoquoque est *Davites*, hoc est, custos, qui subjectus est & paret Abbati visionis. Hoc monasterium situm est in cacumine altissimæ rupis, ex qua despectus est in horrendum barathrum, quacunque parte oculi coniiciantur. Illic magna est culina, omni supellectile instructa, juxta quam amplum est triclinium, in quo omnes cibum capiunt, & terni ex disco ligneo, lato illo quidem, sed parum profundo, comedunt.

Cibi, quibus vtuntur, sunt crassiores, vt & panis, ex milio & hordeo, alioque genere exigui grani nigri, quod *Tufam* appellant, confectus.

Hic panis est rotundus, crassitie melimelæ: quorum tres vnicuique Religioso pro sua parte distribuuntur: Novitiis autem vnus tantum cum semisse datur. Præterea quædam olera ipsis apponuntur, sine sale & oleo: ex quo cibo male condito, honoris gratia, aliquid submittunt senioribus & spectabilioribus cœnobij, qui non tenentur venire in triclinium. Magnum numerum puerorum alũt, qui superant annum octavum, quorum plerique sunt manci, mutili aut cæci. Cæterum Religiosi nunquam carne vescuntur, nec bibunt vinum, nisi extra cœnobium, quando sunt soli. In more habent, vt Novitios, simulac illis habitum dederunt, ex monasterio emittant victum quæsitum labore manuum; dum sunt, juvenes. Neque enim monasterium illis alendis sufficeret, tametsi amplos reditus habeat, nisi sua industria sibi subvenirent. Sed quando consenuerunt, prorsus manent in monasterio, in quo reliquum vitæ transigunt. Diligenter cavent, ne mulieres, muli, vaccæ, gallinæ, aut vllum aliud quodcunque animal sexus fœminei intra scloppeti grandioris jactum ad cœnobium accedat. In vnoquoque monasterio huius Ordinis alunt gallum gallinaceum, cujus pedibus duo tintinnabula alligant: eoque vtuntur, vt horam matutinarum & vespertinarum precum ipsis indicet.

Qui in agris vivunt, nulli alii rei operam dant, quam vt terram colant ad producendum milium, & aluearia habeant pro apibus: appetente autem nocte, mox domum se recipiunt, metu ferarum. Proventus monasterii visionis est amplissimus. Primum enim mons, in quo situm est, triginta circiter passuum millia continet, & fert magnam copiam, milii, hordei, tritici & trophi, ex quibus decimæ illis penduntur: imo pascua, in quibus pecus alitur, tributum ipsis soluunt. In radice montium multæ sunt villæ opulentæ, quarum pleræque ad hoc monasterium pertinent: & inde spatio vnius aut duorum dierum itineris innumera alia loca, quæ possident, inveniuntur, *Gultus* ab ipsis appellata, hoc est, loca sancta Visionis. Præterea centum exiguos pagos habent, quorum singuli vnoquoque triennio equum ipsis pendunt: ita vt singulis annis triginta tres equos accipiant. Sed *Alicasin*, hoc est, œconomus, sive procurator, monasterii loco equorum accipit vaccas, nempe quinquaginta vaccas pro vno equo, sicut fert loci illius consuetudo: ita vt ex omnibus illis locis, quorum remotissima quinque dierum itinere à monasterio distant, quotannis mille sexcentas quinquaginta vaccas accipiat. Insuper huic monasterio multum frumenti debetur ex agris, qui dierum quindecim itinere in regna Tigremalum se exporrigunt. Hi agri vocantur *Adetyeste*, & quotannis quadraginta equos pendunt, tot vaccarum numero æstimatos, vt supradictum est, præter alia infinita jura. Sunt alia adhuc loca permulta, ad Regem pertinentia, quæ ex veteri consuetudine certum numerum equorum pendunt.

Denique Religiosi hujus monasterii, vt creditur, triginta diebus in suo fundo & territorio iter facere possunt. Quidam ex ipsis admodum sunt devoti, alij vitiosi. Multis superstitionibus sunt dediti, quas à Iudæis acceperunt. Sabbathum stricte observant, & sua olera ac panem pridie illius coquendum curant, ne vllum opus die Sabbathi manibus suis faciant, quo etiam ignem accendere ipsis religio est. Suntque omnium, qui in tota Æthiopia habitant, inordinatissimi. Vestes ipsorum confectæ sunt ex pellibus caprinis, instar coriorum nostrorum elaboratis, quæ vsque in terram dependent, & flavo colore tinctæ sunt.

His

His cucullum superimponunt, qualis est Dominicanorum, ex ijsdem pellibus concinnatum. Quod attinet ad capitis ipsorum velamen, non ipsi solum, sed omnes monachi, qui sunt in Æthiopia, comam alunt, exceptis presbyteris, qui sunt tonsi.

Cæteri Religiosi Æthiopiæ sunt fere omnes vnius Ordinis, nempe S. Antonij, quamvis aliqua sit inter ipsos quoad jejunia & abstinentiam varietas. Quidam enim vescuntur carne, & bibunt vinum: alij ne conspectum quidem illius ferunt, nec patiuntur, vt cœnobiis suis inferatur.

Omnes ipsorum vestes sunt flavi coloris: quædam ex crasso gossypio, aliæ ex pellibus caprinis confectæ. Fœminæ religiosæ eodem modo vestitæ sunt, nisi quod nullum pallium super cucullum gerunt, neque comam alunt, sicut viri, sed solo cucullo amictæ incedunt, & capite sunt prorsus raso, quod fascia pellicea arcte cingunt, nisi quando sunt vetulæ: tunc enim vittas quasdam & vela capiti imponunt. Non includuntur Monasteriis, sed villis & pagis, qui ex illis dependent.

Et quoniam, vt diximus, omnes sunt ejusdem Ordinis, proximo monasterio, in quo habitum acceperunt, sunt subjectæ. Templum non ingrediuntur, sicut nec aliæ fœminæ. Quædam ex ipsis sunt vitæ honestæ & sanctæ: aliæ, quæ pudicitiam non vsque adeo religiose custodiunt, liberos habent.

Omnes Religiosi & Presbyteri hujus regionis crucem ex nigro ligno manu ferunt: Presbyteri sunt raso vertice, & promissam barbã gerunt: contra laici comam alunt, & barbam infra mentum ac mustacem sibi abradi curant. Plerique monachi nudis pedibus incedunt, & pauca sunt templa Presbyterorum, in quibus non etiam sint monachi: quædam vero reperiuntur, in quibus sunt ducenti *Debeteras*, hoc est, Canonici, & totidem monachi, qui honeste sustentantur.

In templo Caxumo, quod primum fuit ædificatum à Regina Candace, postquam fuisset baptizata ab Eunucho, qui prius baptismum acceperat à S. Philippo, trecenti sunt Canonici & totidem fratres. Vnam tantummodo Missam de die celebrant: quod non faciunt, nisi tres Presbyteri adsint, ad altare præparati, & nisi thus habeant: omnes vero nudis pedibus incedunt: nam nemo templum ingreditur, nisi prius calceos exuerit: ingressi in templum sputum non emittunt: laici & fœminæ illud nunquam ingrediuntur, sed omnes foris manent in circulo, & illic sacramenta ex manibus ecclesiasticorum accipiunt, sive Presbyterorum, sive Monachorum.

Tintinnabula habent ex lapidibus & ferro. Religiosi semper duabus horis ante lucem surgunt, vt matutinas preces peragant, quas memoriter pronunciant: nec vlla est in templis lux, nisi quam præbet lucerna semper ardens, cui butyrum loco olei imponunt, quoniam oleis in illa regione carent. Matutinas alta & incondita voce canunt, clamantes potius quam canentes. Officium ipsorum nonversibus aut sententiis intercisis, sed instar prosæ orationis peragitur, & totum consistit in Psalmis, quibus prosam festorum diebus secundum solennitatem, quam celebrant, addunt. Quamdiu sunt in templo, stant erecto corpore. In matutinis vnam tantum lectionem recitant, quam non minus incondite ordiuntur atq; eam finiunt, eadem voce vtentes, qua sermo Iudæorum repræsentatur in passione Domini nostri: & præterquam quod habent vocem asperam & inconcinnam, lectionem tanta festinatione deproperant, quantam lingua consequi potest. Hæc lectio legitur ante primarium festum: qua finita processionem instituunt cum quatuor aut quinque crucibus, quæ baculis non longioribus, quam sunt peregrinantium scipiones, insitæ sunt, quas manu sinistra sustinent. Dextra thuribulum tenent: tot enim semper sunt thuribula, quot cruces. Denique cucullos quosdam sericos admodum ineptos gerunt. Neque enim plus latitudinis habent quam segmẽtum Damascenum aut aliud quoddam segmen ex serico.

Quod ad jejunia ipsorum attinet, quadragesimam inchoant die Lunæ sexagesimæ, atque ita decem diebus nostram quadragesimam anticipant. Tunc incipit generalis eorum abstinentia. Durante ipsorum quadragesima pane & aqua victitant: nam vt maxime piscibus vesci vellent, eorum copiam non habent, quia rariores sunt in ista regione, quæ à mari remota est. Flumina quidem præstantibus piscibus abundant: sed artem illos capiendi ignorant: & si quando piscantur, raro id faciunt, nec nisi in stagnis magnatum. Itaque ordinarius ipsorum cibus est panis: nam cum quadragesima apud ipsos in mediam eorum æstatem incidat, oleribus propter defectum pluviarum destituuntur tametsi in multis monasteriis ea tanto studio excolant, vt toto anno illis suppetant. In aliis locis vuis & persicis vescuntur, quæ sub finem Februarii incipiunt matureſcere, & durant vsque ad finem Aprilis. Qui hujusmodi fructus habent, multo lautius vivunt. Præter panem, certo quodam genere grani vtuntur, quod *caufam* appellant, embamma quoddam conficiunt, in quod panem intingunt, quod asperum est, & ore coctum. Aliud præterea ecligma parant ex grano, quod vocant *Thebbam*. Illud instar synapis conficiunt, & *Cenafricam* appellant. His tribus ciborum generibus toto quadragesimæ tempore vtuntur. Lacte & butyro non vescuntur: nec vinum ex vuis aut melle factum bibunt: sed ordinarius ipsorum potus est gravis quædam cerevisia, quam *Zaunam* vocant, & ex hordeo ac milio coquunt. Ille saporem cerevisiæ nostratis refert. Multi Religiosi inveniuntur, qui ex devotione toto tempore quadragesimæ nullo pane vescuntur: quidam etiam per totam vitam panem non comedunt: loco panis autem vtuntur *Agricone*, quod est genus herbæ illius regionis, ex qua jusculum conficiunt absq; sale, oleo & aliis condimentis: & quando herba illa deficit, vescuntur *Rhabazuso* aut malua & lentibus, quas pura aqua macerant.

Quidam habitum gerunt ex corio, sine manicis, ita vt brachia ipsorum sint nuda: multi cingulum ferreum quatuor digitos latum super nudo corpore gestant, cujus partes cuspidibus quibusdam junguntur, versus cutem inflexis. Alii toto die quadragesimæ non sedent, sed semper stant erecti: nonnulli

per

Digitized by Google

per quadrageſimam machinis quibuſdam ligneis incumbunt, quæ ſunt factæ ad menſuram corporis ipſorum, & ſimiles ſunt capulo ſeu vrnæ ferali abſque operculo, à tergo ita accommodatæ, vt clunes ſuas in iis locare, & deſuper humeros ſuos imponere poſſint: à fronte eſt pulpitum, ad ſuſtinendũ librum. Veſtis ipſorum eſt cilicium ex pelle bovilla, ſub qua cingulum ferreum nudo corpore gerunt.

Sunt, qui per quadrageſimam ſe includant cavernis, in quibus herbis tantummodo & lentibus vitam ſuſtentant.

Inveniuntur etiam Religioſi & Religioſæ, qui toto tempore quadrageſimæ omnibus diebus Mercurii & Veneris noctem in aquis tranſigunt, collo tenus iis immerſi: idque apud vrbem Caſſimur, à Regina Candace conditam, vbi lacus eſt, in quo ſunt plura ſedilia lapidea, quibus complures Monachi Religioſi & alii Presbyteri illis diebus inſident.

Alii non ſolum nullo pane veſcuntur, ſed etiam in profundas denſiſſimarum ſilvarum valles, quo nullus hominum venire ſolet, ſe conferunt, & illic per totam quadrageſimam pœnitentiam agunt, ſola aqua contenti. Commune jejunium, quod plerique Religioſi tempore quadrageſimæ obſervant, eſt, vt altero tantum die comedant, & veſpere tantum, quando Sol occidit: diebus autem Dominicis & Sabbathi non jejunant: ob eam cauſam quinquaginta dies in quadrageſima obſervant: & quoniam de die vnam tantum Miſſam celebrant, noctu eam peragunt, in qua omnes communicant: deinde cænatum eunt, allegantes exemplum Domini noſtri, quem aiunt verum ſuum corpus conſecraſſe die Iejunii, ſub noctis crepuſculum. Cæteris diebus, quibus nullum eſt Iejunium, Miſſam canunt matutino tempore. Qui vero carnibus veſcuntur, nullum diſcrimen dici Veneris aut Sabbathi obſervant: ſed indifferenter iis veſcuntur. Præter quadrageſimam alia quoque jejunia habent: primum, die Lunæ poſt feſtum Trinitatis: à quo tempore omnibus diebus, Sabbatho & die Dominica exceptis, vſque ad feſtum natalitium Domini noſtri jejunant: ab hoc autem die vſque ad purificationem B. Virginis, quam vocant feſtum *S. Savere*, nulli ipſis ſunt dies eſuriales. Tribus primis diebus poſt Purificationem ſtricte jejunant, & tribus illis diebus ſemel tantum comedunt, quam pœnitentiam Ninive eſſe dicunt. Tribus illis diebus, & in Adventu ac quadrageſima omnes promiſcue, Presbyteri, ſeculares, viri, fœminæ, pueri, magni & parvi, inviolabiliter jejunant

Ordines Monachorum apud Ruſſos.

71 Moſchi in ampliſſimis ſuis Regionibus, de quibus ſupra dictum, præter Ordines Cleri ſui Patriarchalis, Epiſcopalis & Sacerdotalis plurima etiam habẽt Monaſteria in quibus degunt viri, alia etiam pro Monialibus ſeu Nonnis ſuis. Omnes ferè ſub regula S. Nicolai & Antonij, cætera ad leges Græcæ Eccleſiæ ſe componentes. Iejuniis, vigiliis & precibus aſſiduè devoti incumbunt ſtatis ſuis temporibus Eremitas apud Ruthenos etiam eſt invenire, in deſertis ferè errantes, & mendicantes. Prolixus eſſem, ſi ſpeciatim omnia perſequi vellem Satis erit admonuiſſe.

Ordines Neſtoriani & alij apud Armenios &c.

Qui res Turcicas, Perſicas & Tartaricas animad- 72
vertit, videbit haclabe aſperſos eſſe multos inter infideles Mahumetanos habitantes Chriſtianos, vt Neſtorij impietati vel etiam Arij furoribus contaminati Chriſto Domino nihilominus nomen ſuum dent, ad ejuſq; monita quæ vocant quidam conſilia perfectionis, devotionem ſuam in auſteritate vitæ componant ſunt ibi etiam Iacobitæ, Melchitæ, Baſiliani &c. Videbis paſſim greges coetuſq; talium Monachorum. Nec ſuperſtitionis titulo liberabit facile Armenios quiſpiam Occidentalis ſeu Chriſtianus Europæus. Interim Monachos & Ordines ſuos habent. Alibi lege illorum mores.

Poſtquam verba fecimus de Religioſis, qui incedunt ſub vexillo crucifixi, non extra oleas currere videbimur, ſi de iis aliquid dicamus, qui majori ex parte ſub hoc trophæo nunc militant, cum prius ſuperſtitionibus idololatricis dediti eſſent, nempe de incolis magnæ illius inſulæ Iaponiæ ſive *Zipangu*, vt beatus Franciſcus Xavierus Ieſuita refert in epiſtola, quam ſcripſit ad Patres ſuæ Societatis, qui ſunt Conimbricæ, an. MDXLIX. quoniam in multis inter ipſos & Religioſos noſtros conformitas & ſimilitudo erat. Ait enim, præter ipſorum *Bonzes* ordinarios, qui inſtar Presbyterorum apud ipſos ſunt, tria alia genera ipſos habere Monachis noſtris non diſſimilia. Hos *Lequixil* appellant: & fœminas, quæ Religioſas noſtras referunt, *Hamacata* vocant: qui omnes monaſteria habent in & extra vrbes. Qui in vrbibus degunt, nunquam matrimonium contrahunt, ex eleemoſynis vivunt, vertice & mento ſunt raſo, longas togas geſtant largis manicis: hyeme caput tectum habent, toto reliquo anno illud apertum gerunt: vna cibum capiunt, & ſæpe in anno jejunant: nullo animali veſcuntur, quodcunque illud ſit, vt majorem pœnitentiam agant, quæ communis eſt omnibus aliis Monachis Iaponicis: media nocte ſurgunt ad orandum, cantando per dimidiam horam precantur: poſtea rurſus cubitum eunt vſque ad auroram, qua ſurgunt, vt rurſus precentur: idem faciunt Sole oriente, meridie & veſperi: ac tunc aliquem ſtrepitum edunt; quo audito populus in genua procidit, & manus junctas in cœlum tollit, atque vna precatur.

Hi *Lequixil* concionantur & hortantur populum, multoſque habent Sectatores.

Inter concionandum plorant, & auditores ſuos ad plorandum inducunt: tanta vis ineſt ſermonibus ipſorum.

Tertium genus horum Religioſorum etiam magna pœnitentiæ documenta edit; vivunt in commune, & atro veſtitu vtuntur. Omnes complura idola adorant, vt *Xacam* quem ajunt natum octies mille annis priuſquam mater ipſum conciperet; *Amidam* & *Quanonem*. Adorant etiam Solem & Lunam, quos vocant *Denix*. Hic populus adeo

eſt

Digitized by Google

est devotus erga suos superiores, vt P. Michël Viletta Iesuita scribat in quadam epistola, In quodam monte prope vrbem Meas olim fuisse septem millia Monasteriorum idolis dedicata, & inter alia vnum prædives, in quo Reges & omnis populus vota faciebant, ingentia & opulentissima dona offerentes. Hic Diabolum apparere eis in visione, qui sua dona hoc loco offerunt, quibus significet se pietate illorum placatum esse, eosque ab omni periculo & molestia liberaturum; nec non in posterum negotia ipsorum prosperos vel adversos successus habitura, prout vel sedulo vel negligenter ipsum sint culturi.

Quinimò Sarracenis omnibus, licet inter se capitali odio ob religionis quædam capita dissidentibus Turcis & Persis, sui sunt Ordines sacri, Muphti, Seter, Chathib, Molla, & Monachorum variagenera, prout & Chinensibus aliisque Indis Orientalibus.

Quis omnia recenseret? Tædiosum esset hæc oleta cuncta perlustrare vide is Bartholomæum Georgeviz, Cuspinianum, Hospinianum, Sweickerum &c. In suis tamen ceremoniolis, habitu, jejuniis, abstinentiâ sacrificiis &c. omnes devoti, hoc singuli habent, quod Pelagiani sint talibus suis operibus Deum cœlumque promereri satagentes, & à Gratiæ Dei basi solida eo ipso longissimè aberrent. Theologorum est non historicorum hac de re loqui, quibus relinquimus. Hoc vnicum nota, vnde de cæteris judicium fieri poterit. Habèt Turcæ genus Monachorum quod incedit verpâ seu Mentulâ pertusâ incluso annulo æreo ponderis trium librarum ob servandam castitatem. Rara & mira sanctitas! Sed nos hisce missis factis post enarrationem omnium Ordinum tam militarium quam Religiosorum præsertim inter Christianos Europæos, nunc claudemus totum negotium libri hujus tertij Archontologiæ nostræ specialis præclaro colophone Tutelarium illorum Militum, qui vocantur de Religione, in insula Malta sedem suam habentium. Sic enim suprà aliquoties promisimus.

DISSERTATIO DE ORDINE EQVITVM MELITENSIVM EORVMQVE TOTO STATV.

[De hisce Equitum Rhodiorum rebus scripsere præter alios, qui sparsim inter res Italas, Hispanicas, Venetas aut referunt eorum facinora, atque qui Ordines Equitum recensent quorum multos supra nominavimus, etiam Sylvius, Anton. Tyrius, Vergilius, Hebererus Volaterranus, Æmilius, &c.

Summa Capita.

1. *De origine Iohannitarum seu Equitum Melitensium.*
2. *De Insula Malta, ejusque situ, climate &c.*
3. *Concilium Milevitanum.*
4. *Fortalitia Malta. Nomina, situs &c.*
5. *Qualitas Insula. Natura soli, fertilitas, opes &c.*
6. *Miracula quadam, qua S. Paulus Apostolus ibi & circiter fecit.*
7. *Cala di S. Paolo.*
8. *Mores Insulanorum.*
9. *Antiquitates Melitenses.*
10. *Gozo insula.*
11. *Valetta.*
12. *Hospitale magnum Malta.*
13. *Magni Magistri palatium & aula.*
14. *Arsenale seu Armamentarium.*
15. *S. Elmo castellum.*
16. *Castrum Angeli.*
17. *Sinus maris ad Valettam, Marza Siroro dictus.*
18. *Civita Vechia.*
19. *Magni Magistri comitatus pedisequus.*
20. *Moneta in Malta usitata.*
21. *Redditus Magni Magistri ejusque divitia.*
22. *Octo lingua sui Nationes ordinis.*
23. *Triplicis generis sunt Equites Ordinis.*
24. *Statuta & Consuetudines Ordinis.*

25. Bre-

Digitized by Google

25. *Brevis epitome quorundam privilegiorum à diversis Pontificibus huic Ordini concessorum.*
26. *Electionis Magni Magistri ceremoniæ seu ritus.*
27. *Constitutiones & Consuetudines quædam aliæ in pœnis, exequiis, Iudiciis, religione &c.*
28. *Catalogus omnium Magnorum Magistrorum ad hunc vsq; diem Anni MDCXLVIII.*

QVoniam à statu Pontificis Maximi Archontologiam specialem incepimus, regressi quasi in circulum, varios tum seculares tum Ecclesiasticos ordines æquum mihi videtur, vt enarremus cũ statu Equitum Melitensium concludamus. In vasto sinu Maris mediterranei sita eorum sedes vndiquaque vorsum respicit, atq; fines oppositos Barbariæ Reipubl. Christianæ infestæ intuetur, quidni ergo finem hujus voluminis quoque sortiatur de illis tractatio? Inprimis cum Equites Ordinis in omnibus ferè Regnis, de quibus jam in specie diximus, vel adhuc sedent, vel aliquando sederunt, vel saltem adhuc fama bene noti sint? Accedit quod Cathedram Pontificis quasi pessulus & obex quidam fortissimus, ne infideles eam subversum eant, custodiant, atque vt fulcra quædam suffulciant, ne collabatur, sintque ideo quasi communis Europæ quædam corona; idcirco hic finis coronet opus, prout ejus exordia illustrabat sedes Romana.

1 Equites ergo hi, primitus dicti Iohannitæ, seu Hierosolymitani S. Iohannis Hospitalarij, qui à multis seculis sese fortiter opposuerunt furiosæ Sultanorum Christi Ecclesiæ proterve insultantiũ rabici atq; etiamnum versus Meridiem velut propugnaculum Italiæ aliarumque Christianæ Reipublicæ Monarchiarum robustissimum existunt, tale Ordinis sui Sacri habuere initium. Primam originem ducunt ex vrbe Sancta sive Hierosolyma, cui primos suæ pueritiæ & magnam adolescẽtiæ partem hic Ordo debet. Saracenis in vrbe hac & tota Palæstina circumcirca dominantibus, templum S. Sepulchri Domini nostri anno salutis M. XII. ex mandato Equeni Caliphæ Saracenorum aliquatenus corruptum fuit, nec tamen plane abolitum, quo in statu XXXVI. annis mansit vsque ad tempus Constantini Monomachi, Imperatoris Constantinopolitani, qui rogatus à Christianis adhuc reliquis Hierosolymæ habitantibus, consentiente Bomensore Elmoino stensabio Ægypti Caliphaillud suis sumptibus instauravit, anno MXLVIII. quod etiã postea Turcæ vrbe rursus occupata illęsum hucvsq; conservarunt non ex devotione aliqua, sed amore nummi, dum lucrum se inde nanciscí posse viderunt. Circa idem tempus modo nominatum quidam mercatores Itali ex vrbe Melpho ad Regnum Neapolitanum pertinẽte, qui portus maritimos Syriæ & Ægypti frequentare solebant, necnon propter merces advectas chari non præfectis modò inferioribus vrbium, sed etiam ipsi prædicto Caliphæ Ægypti, ex zelo religionis Christianæ loca sancta Hierosolymæ visitabant & quia nullum in vrbe pro se alijsque peregrinis receptum suæ devotioni commodum habebant, facultatem à Calipha impetrarunt condendi palatium quoddam amplum tanquam Monasterium, dedicatum honori Dei & B. Virginis Mariæ: Extruxerunt itaq; & dictum est S. Mariæ Latinæ, ad differentiã templorum Græcorum, quæ erant Hierosolymæ, eiq; Abbatem montis Cassini præfecerunt adjũctis ei aliquot alijs Monachis. Hi cũ viderent quotidie Hierosolymã adventare peregrinos, qui visendi Sepulcri Dominici gratia eo confluerent, eorumq; multos sitim, famẽ, inopiam, et Ethnicorũ infidelium vexas & opprobria, aliaq; dura incommoda perpeti, prope Monasterium hoc suũ ædificarunt Hospitale sive Xenodochium, quo se reciperent tam qui affecta quam qui recta essent valetudine. Post hoc erexerunt etiam Templũ gloriæ Dei sub nomine S. Iohannis Baptistæ sacrum. Hinc hisce Fratribus Hospitalarijs, vt ita loquar, nomen IOHANNITARVM. Quanquam autem tam simplicis fuerint originis (quæ omnium fermè rerum magnarum est conditio, vt ex parvis initijs exurgant) tamen brevi temporis spatio ita succrevit eorum authoritas, vt tandem res magnæ molis eorum Ordo fuerit, atq; ejusdem potentia etiam maximo hosti reddita formidabilis. Nam cùm post paucos annos ex multis Europæ locis, Italia, Gallia, Anglia &c. exercitus instructissimus cũ classe navali mitteretur in Palæstinam, recuperatum Terram sanctã ejusq; præcipua capita essent Ruprecht⁹ Dux Normandiæ, Wilhelmus Rex Angliæ, Godofred⁹ Bullionæus, Dux Lotharingiæ cũ fratribus ejus Eustachio & Baldovino, Hugo Magnus Regis Philippi I. in Gallia Frater, Boemundus Dux Calabriæ præter plurimos alios spectatæ Nobilitatis viros, hæc ipsa Christianorum manus multas Syriæ vrbes occupabat, & tandem etiam sibi subjiciebat a. d. IV. Iulij Anno MXCIX. ipsam Hierosolymam. Non postremi erant, inter eos, qui hæc consilia & opera omni conatu dies noctesq; promovebant, hi S. Iohannis Fratres Hospitalarij. Idcirco rerum potiti Reges Hierosolymæ vnus post alterum coronati, Godofredus & Balduinus, opima eis confestim donarunt spolia, opes & bona, quo eo melius peregrinantibus Christianis subvenire eosq; lautiore modo excipere possent, quin & civitates, arces, aliasque fortalitia, quæ contra infideles defenderent illorũ fidei committebantur. Postmodum Ordo hic Iohannitarum à Romanis Pontificibus & Patriarchis Hierosolymitanis confirmatus certos Canones assumsit secundum quos Fratres viverent, quos adhuc observant. Elapsis trecentis ferè annis, quos in Syria substitit hic Ordo, Equites sub auspiciis Magni Magistri sui Folconis Villareti Anno MCCCVIII. Rhodum ejectis Saracenis occuparunt vna cum quinq; aliis Insulis prope adjacentibus, Nicoria, Episcopia, Iolli, Limonia & Sirana. Ab hoc tẽpore adjectũ eis est nomen Rhodiorũ Crucigerorum

Hujus Insulæ possessionem obtinuerunt postea totos CCXIII annos, licet interim sæpe super ea disputarint armis cum potentissimo Sultano Ægypti, magnisq; bellis decertarint cum Saracenis & Turcis, quibus tamen semper Victores extitere. Præsertim notabilis est obsessio Rhodi facta Anno MCDLXXX à bellicoso & victorioso Turcarum Imperatore Mahometo II. post subjugata duo Imperia Constantinopolitanum & Trapezuntinum, atque sibi subjecta plura alia Regna, adduxerat C. millia hominum militum cum

Digitized by Google

omni robore suo, verùm post varios furiosos impetus quibus Insulam oppugnabat & plusquam XL millia suorum amittebat, cogebatur re infecta & non absque dedecore desistere & retrogredi Constantinopolin, vbi cordolio & bilioſa damni accepti indignatione obrutus paulo post obijt. Tandem nihilominus Rhodus Equitibus auxilio vicinorum Christianorum Principum omni destitutis vi erepta est à Solymanno Imperatore die XXV. Decembris Anno MDXXII. post obsidionem novem mensium, & multorum capitum de exercitu Turcico constantis ducenties mille militibus amissionem. Permittebat Equitibus eorumque Magno Magistro Philippo de Villiers cum rebus suis impune liberum abitum. Hi appellebant in Candia, inde abibant in Italiam, vbi Sedes Magni Magistri ad tempus fuit Nizzæ & Siracusæ, vsque dum Romanorum Imperator Carolus V. eis donaret Insulam Maltam in peculium mense Iulio A.C. MDXXIX. hac conditione, vt contra Turcicos & Barbaricos Piratas, in quodvis etiam auxilium cõtra Saracenos, hostes Christiani nominis ἀσπόνδους, semper instructas habeant alantque quatuor triremes, Regemque Hispaniæ & Vtriusque Siciliæ pro suo Patrono & Domino Tutelari agnoscerent. Hinc eis obtigit nomen Equitum Melitensium, qui ab isto termino nunquam desierunt quovis modo nocere Turcis & Mauris, à quibus vicissim continue impetuntur, inprimis Turca classe sua missa Anno MDLI insulam CL velis obsedit totum octiduum, sed videns conatus suos fore irritos invitus valedixit Melitensibus, vsque dum Anno MDLXV Solymannus rediret multo majore manu navibus & triremibus alijsque medijs instructissimus. Obsidebat die XVIII. Maij & oppugnabat magno furore Insulam vsque ad XIII. Septembris, in animo habens funditus hunc Ordinem delere: sed eventus ei contra votum imposuit, frustraneo etenim labore consumpto & majore militum parte desiderata abiit irarum plenus, atque Equitibus ansam dedit hinc inde Insulam reddendi fortiorem per opera quæ ex hac obsidione didicerant esse sibi necessaria. Nam Magnus Magister Ioannes de la Valetta, statim à discessu Turcarũ prope locum illũ, vbi castra sua posuerant Infideles, è regione Castelli S. Angeli, & fortalitij S. Elmi extruxit novam vrbem fortissimam, cui suum nomen Gentilitium imposuit. Hinc præter horum Equitum fortitudinem heroicam Turcis & Mauris non duntaxat satis notam sed etiam formidabilem, hæc ipsa quoque Insula videtur hodie invicta & inexpugnabilis.

In signum gratæ recognitionis propter hujus Insulæ donationem Magnus Magister Regi Hispaniarum quotannis quosdam bene informatos falcones Melitenses per quendam Equitem dono mittit, pro quo munere Eques tamen vicissim Regiis præmijs plerunq; liberaliter ornatur.

Equitum horum insigne est octangularis Crux alba, quam gestant, vivuntq; ipsi sub regula, quam vocant, S. Augustini.

2 Est autem hæc Malta (dicta alias in Actis Apostolorum capite XXVIII. Melite, ab Afris Maltæa, & à Siculis Mauta) insula inter Europam & Africam in medijs *Maris Mediterranei* vndis jacens, versus Meridiem extensa ex opposito Siciliæ: hinc à Ptolemæo & alijs Cosmographis Africanis Insulis adnumeratur, quanquam ab alijs rectius Europæis assignetur, quia ab Africa plusquam Sexaginta grandibus milliaribus marinis distet, à Sicilia autem non vltra sexaginta millia passuum. Sita est sub parallelo nono, vbi dies longissimus est XIV. horarum & XX. minutorum, sub altitudine plusquam graduum XXXIII. Non est ampla, continet enim ejus longitudo quinque, latitudo tria, & totus circuitus viginti quinque milliaria Germanica: A Septentrione obiecta est promontorio Siciliæ Passarano à Meridie Africæ & Tripoli in Barbaria, Tuneto, Algieræ, Bisertæ &c. ab Occidente insulis Lampadusis, & ab ortu mari Mediterraneo magno suo sinu. Sub cœlo sudo Tunetum metropolin Africæ à Melitensibus eminus conspici & aliquatenus dignosci posse dicitur. Fuit alia etiam Melita in Græcia prope Marathonem, & rursus alia in Cappadocia non procul ab Euphrate, sed de istis hic nõ est nobis sermo: loquimur de Melita sicula, sive Paulina, seu quocunque nomine Maris insulam vocitemus. Legimus in Historiis antiquis, quòd circiter nongentos annis ante nativitatem salutiferam Domini nostri Servatoris Christi, cum Dido Regina Carthaginem ædificaret, insula hæc à Regulo quodam suo, Batto gubernata, & postea Carthaginensibus ab Hiarba Getulorum Rege subjecta fuerit. Hostilio autem Romæ dominium gerente semetipsam vltro subdidit Phalaridi Siculorum Tyranno, qui ante Christi adventum in carnem vixit sexcentis quinquaginta annis. Bello deinceps funesto & diuturno durante inter Romanos & Carthaginenses de quæstione supremi dominatus, venit in potestatem Romanam, atque directa fuit a Romano sibi imposito Præfecto, quam regiminis speciem Paulus offendit, cum ibi naufragus Melitenses salutaret, vti est in sacra historia Act. 28. vsq; dum tandem Constantinopolitani & Græci Imperatores, atque post illos Mahumetani sub Rege Marocensi, Almalensi, & Remejensi eam sibi subjicerent, eique jus dicerent. Anno MXC Rogerius Rex Siciliæ & Calabriæ, Saracenos expulit, & contra Religionem Christianam ibi per quẽdam vocatum Apostolum Paulum introduxit, sub cujus posteris etiam continuè permansit vsque ad victoriosum Cæsarem Carolum V. qui eam, vti jam dictum, Anno MDXXIX Ordini Iohannitarum dedit in possessionem proprietariam, vbi prædictus Ordo sedem suam adhuc dum obtinet.

Anno Christi CDII regnantibus Arcadio & Honorio Imperatoribus, Sedente Innocentio II. Pontifice Max. coactum est in hac insula Christianorũ Concilium XXXVIII. inde dictum Milevitanũ. Nam cũ Pelagius Brito hæresiarcha, multas novas erroneas & pestilentes opiniones in Ecclesiam introducere vellet, de Peccato originali, de libero arbitrio, de Pædo baptismo, alijsq; articulis, quædã contra eum fuere habita concilia in Africa, quorũ non postremum hoc fuit congregatis ibi CCXIV Episcopis, inter quos præsides fuere Aurelius Carthaginis, Augustinus Hipponis, & Sylvanus Maltæ Episcopus. Decreta ejus hodie in curia Romana vocantur Melitensia.

FOR-

Digitized by Google

1 Baluardo di
Giovanni.
2 Bal. di S. I
3 Bal di S. M
4 Bal di S P
5 Bal di S. A
6 Bal di S B
7 Castello di S
8 Porta Real
9 Porta di Mo
10 Mandracchio
11 Chiesa di S G
12 Chiesa di S P
13 S. Augostino
14 Nra Dona de
15 S. Maria dei
16 S Francesco
17 Nra Dona dell
18 S Barbara
19 Nra Dona di S
20 S Caterina.

LYON

Digitized by Google

Digitized by Google

FORTITVDO MALTÆ, ejusque Loca insigniora.

Insula est circumdata prout mari ad littora, sic
4 in firmo suo solo passim per certa intervalla à se invicem distantibus speculis & turribus, quibus semper vigiles imponuntur, eæque suis præsidiis & rebus ad bellū defensivum necessariis muniuntur in tempore. Quanquam verò ista intervalla nō sint æqualia, quibusdam speculis propius alijs longius à se invicem disjunctis, hoc tamen nihil nocere posse qui conditionem Insulæ probè norunt, rerū bellicarum periti judicant; quoniam non vbivis insula indigeat talibus phylacterijs, nempe vbi hosti vel aditus à natura prohibitus est, vel si appelleret, in ipsa terra pedem figere non liceret, cum intrinsecus contra omnes hostiles assultus loca vbivis munitissima reperiantur. In primis verò circa Septentrionale & Africanum latus vsq; adeo Natura ipsa munivit Insulam, vt ab humanis manibus & laboriosissimis artificijs fortior structura erigi non potuisset.

Præterea duas habet civitates, Valettam & Civitatem Veterem, & duo capitalia fortalitia, Castellum sancti Angeli Victoriosi, & Castellum S. Elmi sive Hermæ ad defensionem civitatis & sinus portusque Valettani. Præterea duo oppidula S. Michaelis & Burgum. Quibusdam in locis, præsertim versus Siciliam, diversos habet elegantes juxta & naturali fortitudine bene munitos portus (quos incolæ Cale vocant) intra quos naves absque periculo tanquam in tuta gremia recipiuntur: præcipuus eorum est portus Valettanus, Marzasiroco dictus, versus orientem: quem versus Occidentem sequitur (La Cala di S. Paolo) S. Pauli, vbi S. Apostolus Paulus post naufragium dicitur appuliſſe, in quem ante LXX. circiter annos Turcica quædam classis hostilis irruperat. Versus Septentrionem duo egregij visuntur, quorum primo Marzamusetto alteri Portui Majori seu Principali nomen. Reliquorum nomina sunt, Marsala, Forno, Capo di S. Demetrio, Misarro, Giarsini, Gilente. Qua meridiem spectat & Africam natura eam voluit esse inaccessam, nisi cum magno periculo. Multi, quorum quidam satis ampli & bene extructi, pagi (lingua barbarica Afforum Rahel:) numero LX. sunt distributi in octo parochias. Ædificia eorum sunt extructa ex lapidibus quadrangularibus, plurimam partem humilia vnius tantùm contignationis, absque tecto cacuminato, plana, calce & cæmento obducta, quædam etiam arundinibus artificiosè sunt tecta. Ad vnumquemq; ferè pagum conspicitur turris bene munita, quæ cuidam ex Equitibus, qui titulum gerit Capitanei, per se suosque milites traditur custodienda, pro quo labore fruitur bona parte ejusdē pagi redditūm, loco stipendij sui annui. Insula est valde populosa, incolarum numerus excurrit quantitatem XX millium, inter quos ad minimum sex millia armatorum: plerumque homines sunt vivaces, sani & robusti, quorum plurimi octogesimum ætatis annum attingunt, non rarò superant.

FERTILITAS Insulæ,

Solum hujus Insulæ est montosum & lapido-
5 sum, sed lapide molli, qui facile findi & secari potest: cætera bene culta vbivis terræ, agriculturam habet non contemnendam, quæ studio indefesso incolarum quotannis evadit melior. Hunc in finem ruricolæ, quo cervicem soli lapidosam vbivis infringant & frugiferam reddant, hoc remedio vtuntur: Terram colligunt in vijs tritis, aliunde etiam in Insulam advehunt, vel hic superfluam aliorsum dilatant vel petræ & lapidi suo inspergunt altitudine circiter Semi-quadrantis vlnæ seu dimidiæ palmæ, sic terra superstrata lapidosum fundamentum aliquatenus mollefacit aut saltem ita domat vt facile admittat radices & sementem protrudat lætam, quæ quindecuplos vel sedecuplos sæpe reddit fructus in agris, qui etiam bis quotannis conseruntur.

Vnusquisque præterea rusticus seu incola sua ab alijs distincta muro dealbato virilem staturam altitudine sua adæquante habet prædia, quorum proinde bonitate solus fruitur, deorum aspectu & valde jucundum æstivo & hyberno tempore florentes videre agros. Præter siliginem & hordeum in quibusdam tantùm pagis oleæ etiam & vitis fructus suo quique anni tempore colliguntur, non tamen in tanta copia vt Insulæ totius incolis & alijs peregrinis sufficere possint: norunt autem suo se dictante parsimonia metiri pede insulani. Linum etiam, cuminum, piper, aliæque consimiles species hic crescunt, inprimis præstantissimum gossypium, quod virtute sua Hispanico & Barbarico antecellere dicitur, hoc in caule subtili surgit tribus quatuorve ramusculis, parvis foliis gaudens & flore cæruleo, fructus ejus in formam nucis avellanæ conglobatus vbi maturuit sponte sua se aperit ostendens & exhibens cultori suo tenuissimam & tenerrimam lanam, quæ collecta & postea carminata filum præbet textoribus ad conficienda speciosa Xylina opera. Inter flores suavissimos, qui hic generantur, excellunt nobilissimæ rosæ & violæ, ex quibus apes mel dulcissimum extrahunt, vt cum Hyblæo & omni alio certare videatur.

Prætetea Natura hic peculiare exhibet artificium in miris figuris quorundam quasi germinum lapideorum, quæ tanquam ex venis vegetativis protruduntur ab ipsis petris, referentia quædam linguam Viperinam sive excetrinam, quædam meros serpentum oculos, dentes aliaque membra, diversis coloribus, purpureo, flavo, albo, cæsio, cinereo, coccineo &c. radicem versus lata, & paulatim acuta, vtrinque denticulata & tanta providentia articulatè ordinata, vt summi alicujus artificis industriam exhibeant. Magnam vim dicuntur exerere contra venenatos ictus motsusque serpentum, viperarum &c. in aliis etiam morbis veneatis quibus cor hominis aduritur calore exæstuante, quē reprimant. Linguæ illæ in magno pretio habitæ auro vel argēto solent includi ab aurifabris,

Digitized by Google

& de collo ſuſpendi: Oculi vero annulis inſeruntur, quibus ſæpiuſcule tacta cutis hominis à veneno præſervatur. Conſuevere etiam multi vaſis ex quibus potum ſuum, vinum vel aquam, hauriunt, injicere tales petrarum fructus, temperandi vel alias ſanitatis gratia. Vix aliqua navis oneraria vel mercatoria hinc ſolvit, quæ non alio ſecum ſumat aliquam copiam talium Melitenſium fructuum.

Mirandum etiam eſt ad ſtuporem vſque exterorum, pueros & puellas Melitenſes plane non reformidare tactum beſtiolarum venenatarum, ſed illæſe etiam cum ſcorpionibus & conſimilibus ludere poſſe cum alioquin magnum corpori humano malum talis ſolum contactus perſæpe ſoleat adferre & præſentaneum vitæ periculum creare. Serpentes, viperæ aliaque venenata animalia dicuntur in hac Inſula non poſſe ſubſiſtere, ſed aliunde illata amittere vim illam pharmaceuticam.

Sylvas hic nullas eſt reperire ac proinde nec feras, excepto Magni Magiſti theriotropheo ſeu Leporario in recreationem plantato. Inde fit vt interdum, raro tamen, lepores & vulpes in campis capiantur, inprimis autem peregrinæ volucres omnis generis, vtpote quibus difficile non eſt huc advolare ex omni Africa, & ipſis montibus Atlanticis. Niſi Ovidiani (qui etiam haliæ & Virgiliani dicuntur) ſive falcones optimi & generoſiſſimi hic inveniuntur, quibus pares tellus non nutrire neq; aër ferre dicitur, quorum idcirco non parvum numerum Magnus Magiſter ſolet aſſuefieri venationi per certos hujus rei peritos, eoſque deinceps Regibus & Principibus viris dono mittit pro lubitu. Cuniculorum & perdicum copia eſt.

Circarum etiam beſtiarum armenta non multa nec magna propter defectum pabulorum hic reperiuntur, greges vero aliquot videre licet oberrare.

Sævam brumam vel intenſum frigus neſcit Malta, frigidiuſculi ſolùm venti ſpirant è plaga Septentrionali hyemis tempore loco glaciei & nivis lenti & rarique imbres decidunt, tota verò æſtate non pluit, ſed loco ejus rorat noctu in modum ſubtilis pluviæ, quo rore ſata, agri, flores frugeſq; recreantur, cum interdiu magnus alias ſit æſtus, imo qui ſæpe intolerabilis videri poſſet. Olim etiam catellis melitæis, quibus fœminæ delectantur, nobilis fuit.

MIRACVLA quædam.

6 Celebrem reddit inſulam hanc inter alia, quòd legimus in Sacro Canone Novi Teſtamenti, capite nempe XXVII. & XXVIII. Actorum Apoſtolicorum, Sanctum Apoſtolum Paulum huc veniſſe, & præclara edidiſſe miracula.

Anno Chriſti nati LVII. cum Paulus Cæſareæ ob religionem Chriſtianam à Iudæis coram Dynaſta Romano Pontio Feſto accuſatus, à Rege etiam Agrippa audita eſſet eius Apologia, qua poſt alia multa provocarat ad Cæſarem, decernebatur vt Romam cum alijs quibuſdam concaptivis mitteretur. Itaque Cæſarea ſidonem navigabant, & hinc curſu ſuo in mari Mediterraneo præter legentes Cyprum, Ciliciam & Pamphyliam, appellabant Myræ in Lycia, poſt in portu illo bono Laſæano, vbi ſolventes verſus Cretam deprehendit ſubitanea tempeſtas, quæ navim, qua vehebatur Paulus, reijcit ad Inſulam Claudiam maris Adriatici. Tẽpeſtate hac autẽ non deſinente neq; ibi poſſent ſubſiſtere tãdem decimo quarto die fluctibus hinc inde jactati & ſemimortui prora allidunt ad quandam rupem ſub aquis occultam in littore Melitenſi, puppis vero diſſolvebatur præ vndarum violentia. Sic naufragi numero viri CCLXXVI. magno cum vitæ periculo nihilominus enatant omnes, ne vnico quidem deſiderato. Ab incolis Maltæ humaniſſime excipiuntur atque igne accenſo ſenſim calefacti refocillantur miſeri. Contigit interea ad inſtructum focum, vt Paulo Apoſtolo converrenti nonnihil Sarmentorum, eaque pyræ imponenti vipera manum corripit prodiens ſubito à calore ignis. At Paulus excuſſa beſtia nihil mali paſſus eſt: qua re attoniti incolæ & miraculum videntes mutatis cogitationibus ſuis concludebant hunc eſſe Deum. Ab illo tempore nulla venenata beſtia in hac inſula ſubſiſtit, vti ſupra explicatum.

Hyemem hic tranſegit Paulus, tres in Inſula menſes manens, & plura peregit miracula. Inter alia Publij Præſidis Melitenſis patrem valde graviter febricitantem & dyſenteria periculosè laborantem precibus ad Deum effuſis & manibus ei impoſitis ſanitati reſtituit. Quo facto alij quoque ægroti accedebant & nomine Chriſti Domini invocato à Paulo vigorem recipiebant bonæ valetudinis: pro quibus beneficijs Maltenſes non ſolum Apoſtolo magnum honorem exhibebant ſed ſuis etiam reliquis comitibus, atque cum inde abirent in Italiam omnis generis neceſſaria alimenta eis vltro & gratis communicabant.

In ipſo naufragij Paulini loco adhuc hodie ex- 7
tat Sacellum (dictum Cala di S. Paolo) in quo ſuſpenſæ viſuntur tres tabulæ, quibus depicta ipſa eſt tota hiſtoria, his verbis ſimul adſcriptis:

I. Quâ vehitur Paulus ingenti tempeſtate jactata navis alleviatur, inq; littus Melitenſe vi ventorum prorſus ſolvenda dimittitur.

II. Vipera ignis acta calore fruſtra Pauli manum invadit, is Inſulæ benedicens, anguibus, viperis & cæteris venenoſis animalibus adimit omne virus.

III. Omnes quotquot in Inſula variis tenebantur languoribus, ad Paulum adducti priſtinæ Sanitati redduntur.

MO-

Digitized by Google

MORES ANTIQVI, ET MODERNI.

8 Cum Romani hanc insulam Carthaginensibus eriperent, Melitenses omni ex parte beati habebantur, propter commercium diversarum gentium, & varias artes, quæ in hac insula exercebantur. In pretio erat pannus Xylinus, qui hic conficiebatur: vnde Cicero Verri luxum & delicias Melitenses non aliam ob caussam, quam propter vestes, quibus indutus erat, obiecit. Interim verum est, Melitenses olim fuisse admodum delicatos & voluptatibus deditos: sicut & mulieres ipsorum erant præmolles & libidinosæ. In hac Insula rex Battus Didonem & Annam sororem ipsius excepit: & Phalaris, tyrannus Agrigentinus in Sicilia, intimus erat Melitensibus, & eos crebro invisebat.

Appianus Alexandrinus ait, Cæsarem Melitenses, cum defeciſſent, magno & difficili bello superasse, quod maris potentes essent, & excursionibus omnia loca infestarent, ac cæsis infantibus, reliquos captivos venundarent. Quoniam igitur tanto labore illos domuit, eos magnis opibus & viribus instructos fuisse oportet: ac licet, victis Carthaginensibus, à Romanis subacti fuerint: tamen recollegerunt se, & viribus superiores jugum Romanorum excusserunt.

Iunonem colebant, fuitque illic antiquissimum templum, in quod omnes vicini populi donaria magni pretij inferebant. Templum quoque Herculis habuerunt, cujus ruinæ etiamnum extant. Certum præterea est, incolas hujus insulæ amicitiam cum Siculis plerunque coluisse.

Incolæ admodum feroces & vafri adhuc hodie sunt, & Afrorum ingenium referunt. Nihilominus religioni Catholicæ quidam vehementer sunt addicti, & contra Turcas pro defensione patriæ fortiter se gesserunt. Tenuiter admodum victitant, propter exiguos insulæ proventus. S. Paulum singulari affectu & religione colunt: quanquam plurimi eorum facilè ad proditionem possent seduci propter morum similitudinem cum Mauris, nisi ab Equitibꝰ strenue sub bona disciplina coërcerẽtur, atque ab otio ad labores varios & ruri & domi assuefierent.

Fœminæ sunt elegantes & venustæ, domibus inclusæ, pro antiqua loci consuetudine, & quod viri supra modum sint zelotypi & suspicaces. Nunquam prodeunt, nisi velato capite: & pleræque sunt religionis observantissimæ, prout omnia cum fervore & vehementia agunt, adeo vt si in vitium inclinent, nullum non flagitij genus committant, & sint insigniter improbæ. Adulterij crimini par dedecus æstimaretur inter illas, si fœmina vel virgo vultu non velato & facie non humum versus demissa in publicum prodire auderet.

Lingua Melitensium Africanæ similis est, exiguo discrimine. Vtraque autem est corrupta, & à vera lingua Arabica, quæ in libris reperitur, & cujus vsus est tantum circum Mecham, prorsus discrepat. Interim peregrinis valde difficilis captu & rectè pronuntiatum propter singularem quendam accentum. Vestes incolarum fere omnes albæ, levis sarturæ.

Multa habent Mahumetana mancipia, in quæ sunt satis duri & inclementes: quanquam longe major est Mahumetanorum in Christianos, quos in sua potestate habent, asperitas.

Equites, vt sunt diversarum gentium, ita sunt diversorum morum. Magna est ipsorum auctoritas, & liberè omnibus iis vtuntur, quæ sunt in Insula. Inprimis qui præ aliis excellunt, animi caussa faciunt quidquid volunt, nemine repugnante. Tempore hilariorum mille excogitant honestorum exercitiorum genera. Quidam choreas agunt, alij pernicibus equis ad annulum decurrunt, nonnulli ad repagula dimicant: sunt, qui munitiones excitent, aliis eas propugnantibus, aliis oppugnantibus. Sed tempore Quadragesimæ nihil illis est religiosius.

Die Iovis sanctæ hebdomadæ magnus Magister lavat pedes compluribus egenis: deinde illis ad mensam discumbere jussis varios cibos octodecim missibus apponi curat, quibus postremum ferculum, plurimis aureis & argenteis numis refertum, succedit: quorum singuli tantã copiam accipiunt, vt affatim habeant, vnde toto anno se sustentent. Postquam his pauperibus sua manu ministravit, allatis ac Equitibus magnæ crucis ferculis, Nosocomium ingreditur, & ipse met ægrotis victum præbet ex argentea suppellectile.

MEMORABILIA quarundam Antiquitatum.

9 Insulam hanc ab antiquissimis temporibus, quæ nulla Europæ historia attingit, habitatam & multis olim notam fuisse & bene cultam, evidentissime demonstrant rudera murorum, & in illis figuræ quæpiam hinc inde. Inter alia in quodam angulo Maltæ, cui nomen Portus Euri, reperiuntur ad magnum circiter milliare in circuitu lapides quadrangulares incredibilis magnitudinis, qui pertinuere ad magnifica quædam ædificia inter quæ ædes Herculis fuit paganis quõdam Idololatris hecatombis suis celeberrima.

Non procul à Civitate veteri in quodam promontorio vsque ad ipsum maris limbum in littore, ex tetrimentis vestigia apparent luculenta splendidi illius & Sacrosancti Ethnicorum cultu Templi Iunonis, quod tanto honore & reverentiâ prosecuti sunt, vt etiam sceleratissimi piratæ abstinerent ab ejus invasione. Et cum aliquando Thalassiarcha cujusdam Africani Regis cum classe sua huc appulisset, atque quosdam stupendæ magnitudinis dentes Elephantinos ex hoc templo surreptos Regi suo donasset, Rex, qui prius libenter acceptarat, re cognita ex Sacrilegio depẽdere atq; esse destinatos Iunoni, perterritus statim per quandam peculiarẽ triremẽ eo missam reddi curavit teste Cicerone Romanæ Eloquẽtiæ Magistro, inscriptis characteribus Africanis, quorum

Digitized by Google

sic erat sensus: Rex Masiniſſa imprudens accepit, Re cognita reponendos restituendosq; curavit.

Manifestum argumentum quantopere Ethnici religiosi abstinuerint à Sacrilegio: quod multis ruborem hodie inter Christianos incutere debebat. Tandem tamen, præter Verris violationem, Maurus quidam Gader nobilis pirata, cui nihil sacrum erat, ipsam statuam Iunonis purissimo auro conflatam, pondere duorum cētenariorum, vna cum duabus Sphyngibus Chrystallinis, magnum Templi illius thesaurum, abstulit & aliò traduxit.

GOZO Insula.

10 Insula Gozensis quinque milliaribus distat Malta, Germanis Gosen dicitur, olim appellata Glaucos, à Strabone Gaudos & incolæ Gaudici nominantur. Habet vnicum tantum munitum oppidum ejusdem magnitudinis cum civitate veteri Maltæ, vocatur Goza, vel Gaudicum, in colle quodam non procul à mari: ad cujus introitum in portæ limine superiore insculpta marmori leguntur sequentia olim à Romanis posita verba, ex quibus apparet Gaulum vocatum esse:

M. Gallio C. F. Quir. Equo publico exornato à Divo Antonino Aug.
Pio Plebs Gaulitana ex ære conlato ob merita & in solatium Galli
Posthumi patroni municipalis patris ejus posuit.

Continet præterea paucos pagos castra villasq;. Solum fertilitate superat Melitense, vtpote magis terrestre. Circuitus ejus est XXX. milliarium Italicorum. Subest imperio & jurisdictioni Magni Magistri & Totius Ordinis Iohannitarum ex donatione Caroli V. Gubernatur per quēpiam Equitem magnæ crucis, qui inde supremi Capitanei titulum gerit.

Incolæ vocantur hodie Gaulici, loquuntur Saracenicè, profitentur autem Religionem Christianam.

Anno M. D LI. Magnus Turca quatuor millia hominum ex hac insula secum abduxit in servitutem. Memorabile est pulverem levem terræ Gozensis, quem turbo venti tollere solet, omnes etiam veneno sas bestias abigere. Prope hanc adhuc alia parva insula ad Maltam quoque pertinens, caput ex vndis exorit dicta Cuminia, vnicum tantum montem continens, ob sui parvitatem non populosa, interim tamen satis munita contra hostiles invasiones, quas avertere possunt præsidiarij, qui ibi semper aluntur, milites.

VALETTÆ DESCRIPTIO.

11 Metropolis Maltæ, à Magno Magistro hujus ordinis quadragesimo octavo, Iohanne Valettano, brevi post fortiter toleratam & superatam obsidionem Turcicam Anno M DLXV. extrui cœpta, & ab ejus nomine dicta Valetta sita est ad littus maris super solidam petram, quæ in vmbilico seu medio civitatis altior efficit, vt vici atque plateæ versus mare pendulæ paulatim declinent. Ab omni latere mare eam alluit propter sinum, excepto vno versus S. Antonij, qua insulæ terram firmam respicit. Hoc tamen latus liberum fossa pedes viginti alta & triginta lata claudit; præsertim octo vallo imposita propugnacula, quorum singula suæ nationis nomen habent, id ipsum contra omnem impetum defendunt; quibus additæ adhuc duæ feles (vt Germani vocant, Katzen/Itali verò Cavallieri) Mira structura in meris lapidibus, quos partim ipsa Natura suppeditavit in loco, solum vt cæderentur atque fabricæ huic ratione formæ aptarentur; partim industria laboriosa murarij composuit, vt tātæ moles munimentorum sibi invicem recta proportione respondentium huic lateri Securitatem præstarent. Singula ornantur suis magnis tormentis.

In propugnaculo Germanicæ nationis inter alia spectabile est tormentum illud, quod laudatæ memoriæ princeps Ludovicus Landgravius Hassiæ &c. ex armamentario suo Giessensi extractum dono dedit Ordini & transmisit in Maltam. Insignia Hassiacæ familiæ gestat & memorialis perpetui loco in æs fusa leguntur sub illis hæc verba:

Cattorum princeps peragrans Ludovicus amœna
Galliæ & Hispani Regna opulenta soli,
Venerat in Meliten pelago susceptus honore
Magno per magnis obrutus & meritis.
Per mare Sicilia visâ, Italiæ atque per arva
In patriam vt redijt salvus & incolumis,
Molem hanc belligeram Melitensi Equitum Ordini, vt esset
Grati animi signum firmæ & amicitiæ,
Giessida de castro donatum misit; acerbè
Sentiat hanc hostis, fac pie Christe, tuus.

Actum.

ANNO CHRISTI M. DC. XIX.

Aere alias satis salubri fruitur Valetta, si excipias vulneratos & alios qui externis & difficilibus curatu affecti sunt symptomatis, talibus enim justo acrior est, & iniquus, sæpe valde periculosus; aqua etiam fontana clara & sana.

Domicilia vrbis plerumq; alta, inter quæ sunt magnifica & splendida, plana in summitate obducta solum propter pluvias loco tecti cæmento calcis, extructa lapide albicante & subflavo qui in quadranguli formam facili negotio ab operariis redigitur excisus in diversis Insulæ lapicidinis. Plateæ sunt bene dispositæ, latæ, non obscuræ nec lutulentæ. Habitant hic Magnus Magister & tota Nobilitas illustris Iohannitarum, præter alios Cives atque Clericos: bonis etiam legibus qua Ecclesiasticis qua Politicis vrbs administratur.

Communis civium numerus maximam partem non est dives, quotidiano autem labore vario manuario, navali mercatorio, & mechanico sese alit.

Mulie-

Digitized by Google

Mulieres & quæcunq; sunt sexus fœminei elegantissimæ reperiuntur Valettæ: vbi foras egrediuntur limine suo faciem tegũt superindutæ pallijs oblongis nigris & subtiliter complicatis: magni autem æstus tempore albo solum indusio, quod circa pectus infra mammillas alligatum superinducto Xylino albo palliolo in superiori parte vna cum facie sua decora suaviter abscondunt sic tamen ne visus impediatur: Africana lingua Barnuco vocitant; quo in reliquis Insulæ locis etiam tempore hyemali vti solent.

Templum principale vrbis, S. Iohannis dictum, satis amplum noviter extructum, est planè testudineum, & duabus quadrangularibus turribus conspicuum. Sellæ chorales ordine positæ ex ligno punicei coloris, quarum quædam deauratæ, omnes egregiè fabrefactæ, vna cum altari argenteo in medio sacrarij adyto, seu choro, erecto pretij aliquot mille coronatorum templum ornant. Subsellium Magni Magistri inprimis illustre, tectum vndiquaq; purpura villosa violacei coloris, quæ marginibus aureis fimbriata, ante quod etiam pavimentum talis texturæ & artificij tapete tectum & versus aditum altaris extensum jacet, & desuper pendet Attalice consutum, quod vocant, cœlum, vna cum stragula à dorso versus parietem, cui intertexta phrygio opere varijs coloribus ex auro, argento & filis sericis apparent Magni Magistri insignia. Proximæ ad Chorum templi sunt sellæ Equitum Crucigerorum, qui vocantur Magnæ Crucis, singulæ magnificæ ornatæ tectæque Turcico artificio elaboratis tapetibus intus & extus. Effigies etiam hic extant omnium Magnorum Ordinis Magistrorum ad vivum expressæ per manus acupictorum.

Constat hoc præterea templum octo diversis Sacellis (seu capellis vti vocant) pro numero nationum, quodlibet pro suæ Nationis Equitibus, vt ibi, si necesse sit, sua lingua cultum peragant, destinatum. Porro habet magnum quoddam Oratorium, in quo primo conspicere est ad altare egregia singularis artis & industriæ manus pictura, exhibens historiam decollationis Iohannis Baptistæ, qui innocentissimus ab Herode Rege injuste fuit trucidatus ad petitum puellæ saltatricis, vti sacer textus habet Evangelij: quæ pictura magni æstimatur, neq; aliquot coronatorum millibus redimi posset. Deinde ostenditur ibi manus ejusdem S. Iohannis dextera, qua Christum Agnum Dei ostenderit. Tertio quorundam Equitum canonisatorum sive in Sanctorum catalogum adscriptorum veræ effigies juxta totam eorum staturam depictæ; inter quos Germanus quidam S. Gerlandus, prout etiam duæ mulieres hujus ordinis. Ex hoc oratorio itur ad quoddam aliud adytum, in quo omnium Valettæ denatorum Equitum corpora reponi solent, distinctum asseribus ab Oratorio, qui tempore funeris removeri solent, sed nulla ibi Epitaphia extant, verum à dextero latere magni altaris in Choro per quoddam sacellum pervenitur in obscurum quoddam vmbrarum habitaculum, in quo cernuntur aliquot Magnorum Magistrorum monumenta cum Epitaphijs in lapides excisis; lampas hic ardens pendet, quam non sinunt extingui, qui ejus rei curam agunt æditui.

Præter hoc alia in vrbe multa sunt templa, quorum quædam Græcis data, atque diversa monasteria pro Monachis & monialibus; inter quæ eminet pro nobilibus matronis destinatum, sacrum S. Iohanni Baptistæ; in quo omnes ejus sacri Ordinis personę atro habitu incedunt cum signo crucis assuto vesti ex linteo albo. Quin etiam Iesuitæ, qui magno numero eo confluunt juventutis Melitensis in Romano-Catholica religione melius instituendæ gratia, splendidum ibi inceperunt exædificare collegium. Pro emeritis & senibus decrepitis Equitibus, qui spontaneo suo motu ex Zelo pietatis Christianæ, omnibus seculi hujus negotijs sepositis, se totos consecrare volunt devotioni & sacræ cœlestium rerum contemplationi cultuique divino, peculiaris etiam sedes atque sacra quasi palæstra extructa est in vrbe, quo se recipiunt sic reliquum vitæ suæ pensum concluſuri.

Hospitale illud Hierosolyma olim Rhodum, & hinc in Maltam translatum, jam Valettæ in novo quodam spacioso domicilio conservatur. Tres distinctas habet Apothecas, certos Doctores Medicinæ, Chirurgos, aliasq; multas personas dedicatas servitio & bono ægrotorum. Regitur à quodam Equite, qui dicitur Dominus seu Præses Hospitalis, estq; semper linguæ sive nationis Gallicæ, dictus L' Hospitaliero. 12

Ægroti sic distinguuntur: Equites cũ suis famulis, alijsq; honesti homines, cujuscũq; sint status vel conditionis, jacent tanquam in sua camera in triclinio quodam oblongo cujus parietes vndiquaq; tapetibus tecti sunt pensilibus coloris varij. Singuli suum habent lectum satis mundè stratum; quippe ordinatè stant tales tori cum spondis suis. CL. cuilibet sua cortina. Supremo in loco stat altare, ad quod quotidie in conspectu ægrotorum officium Missæ celebratur. Post hoc amplissimum conclave est magna quædam camera, in hac ægroti servi, mancipia, & talis conditionis alij homines. Tertio locus separatus, qui receptaculum eorum, qui desperatis atq; abominabilibus sunt infecti morbis. In suprema contignatione sunt quædam asseribus distincta & probè contra omnem venti pulsum atque aëris aditum densa structura & cõtra omnem fissuram sollicitè firmata quasi hypocausta pro Equitibus vulneratis; quoniam alias peculiaris illa & valde penetrativa seu arrosiva Melitensis aëris malitia facillimè etiam in levi læsione, præsertim capitis, homini vitam adimit.

Hoc hospitale, ipsis L' Infermeria dictum, multis gaudet privilegijs, est inter alia etiam asylum

Digitized by Google

pro fugitivis. In dicto magno Triclinio omnes ægroti cibantur ex vasis argenteis; semper adsunt aliquot præclari nominis Equites Sani in prandijs vel cœnis, qui ægrotis ministrant ipsimet apportantes fercula ægrotis de tabula, cui imponuntur & à Medico cuilibet sua deputantur. Horum Equitum singulis, vbi ingrediuntur, mantile purum imponitur humero sinistro, vt ægrotis eo melius inserviant. Ipse Magnus Magister singulis septimanis ter hospitale invisit, atque ibi ex charitate christiana ægrotorum fit minister.

Quilibet lectus suum habet numerum, quem observat Medicus vel Chirurgus, in cibis distribuendis, solo non ægroti sed numeri hujus nomine expresso, vbi portionem hanc vel illam tradit Equiti.

13 Palatium Magni Magistri est amplum ædificium, plane separatum ab omnibus alijs, atq; altitudine superans reliqua omnia, totius vrbis, à fronte atq; à tergo habet aream jucundam, quæ vtrobique suum habet egregium formæ circularis fontem ex fistulis aquam evomentem. Ad latus dextrum introitus situm est equile, in quo semper triginta equi generosi diversarum nationum aluntur, sed vt plurimum otiosi, quoniam plateæ vrbis glabræ non ferunt equitem nisi providum. Interdum tamen recreationis ergo eis vtitur Magnus Magister & pro re nata in Insula, maxime autem in ipsa civitate. In ipso palatio inter alia viro principe digna spectatu dignissimum est magnum atrium illud sive Exedra in edita parte domicilii, in quo Consilium ordinarium habetur Equitibus congregatis, vbi inter Sedilia quasi quidam Thronus Regius eminet Sedes Magni Magistri, vndiquaq; magnifica & splendida: Post peripetasmata in tabulis duodecim dicet quasi coram intueri ad vivum expressam magnam obsidionem Maltæ ab exercitu Turcico. Hic omnia spadiceo & violaceo colore splendent: deinde ordine sequuntur alia cœnacula, quæ rubri & coccinei vermiculato opere coloris purpura villosa, atque cum aureis fimbrijs hinc inde consuta sunt quasi amicta ad parietes, quæ conopejis prætensis contra pulveris insidentis deformitatem defenduntur. In vno horum licet cernere vivas imagines omnium Regũ Christianissimorum & Catholicorum, vt & multorum aliorum totius orbis Monarcharum & Principum, in tabulis egregijs suspensis: vbi inter alia extat pictura Regij alicujus pueri, qui dimidiam tantum partem Crucis Iohanniticæ reverenter suscipere seratus indignum tota ejus substantia. In alio quodam repræsentatio ejectionis Equitum violentæ per Turcas ex Hierosolyma & terra Sancta: eorundem ingressus in Rhodum, & rursus expulsionis ex eadem Insula: discessus Rhodo & adventus in Maltam cum aliis memorabilibus.

Hanc partem palatij Magnus Magister frequenter inhabitat propter jucũdum prospectum atq; suavem auram tempore æstivo recreantem, inferior pars hyemi destinatur. Habet præterea in summo tecto Xysta subdialia & solaria (Altanas vocant alias) & ambulacra sive paradromidas hinc inde, & laquearia sua deambulandi & se reficiendi gratia; viridariũ, quoq;, sed non vsq; adeo raris vel floribus vel fructibus consitũ.

In hoc etiam magna quædam quadrata turris, qua thesauri totius Ordinis pecuniarij asservantur vna cum aliquot insignibus Saracenorum spolijs: claves octo ad eam recludendam à totidem Equitibus custodiuntur, quorum nullus absque reliquis præsentibus aperire potest.

In ipso palatij complexu supra equile occurrit 14
arsenale sive Ordinis armamentarium cujus custodia cuidam Crucigerorum primarii signi demandata, locus amplus & longus. Optima methodo dispositа sunt arma omnis generis, primo levis armaturæ, hastæ, lanceæ, bipennes, gladij, mucrones, romphææ, Spathæ, pugiones &c. Suspensæ ordine bombardæ varij generis manuariæ ad parietes. Ad imaginem Alophij Vignacurtij pendent quædam arma prætiosa ab hoc ipso & aliis Magnis Magistris antehac contra Turcas vsurpata, cærulei splendoris & hinc inde deaurata. Non procul inde catapultæ & scorpiones cum arcubus ligneis, quales olim in vsu erant militibus pugna navali decertantibus. Dicuntur hic in promptu esse arma sufficientia pro XII. vel XV. millibus hominum, sic dispositа, vt qualibet hora vestiri possint & cingi illis duo millia.

Magnas vllas machinas seu tormenta hic non habent Equites, sed ea distributa hærent in propugnaculis, fortalitijs, turribus per insulam, navibus in mari &c.

Ante palatium in magno quodam quasi foro quotidie ferme videre est captivos Turcas & mancipia publicè sub auctione vendi, pro triginta, quadraginta, centum, ducentis plus minusve coronatis pro qualitate corporis robusti vel sani vel formosi &c. Non aliter ac bestiæ venales coguntur ad mercatum, nec facile est invenire domum Valettæ, in qua non sit mediastinus aliquis Saracenicus destinatus ad quævis molesta & gravia servitia, inprimis autem equorum curæ fideles atque nati videntur.

Castellum S. Elmi est quasi frons vrbis Valettæ 15
ad mare, antiquum fortalitium, optime munitum muris & propugnaculis quinque: Turcicæ tyrannidis vestigia adhuc hodie inibi apparent, dum ab eo tempore intrinsecus subtristi facie lugubre videtur. In medio inferioris ejus partis per duo magna foramina, ceu januas in petra excavatas, transitur ad superiorem partem, quæ altera paulo editior est. Est ibi semita stricta excisa in rupe, habens ad valvas introitus sui quatuor quadrangularia foramina ad lucem intromittendam & in casu necessitatis inde arcendos hostes ne per viam hanc irrumpere possint: ad latus dexterum autem alterius partis, vbi exitur è rupe, conspicitur vnicum & quidem parvum foramen rotundum, vt capiti solum pateat humano per hoc exerendo. Hoc ipso ad ludibrium vsi sunt Mahumetani Anno MDCLXV. postquam hoc castello & tota fere Malta capta tyrannidem suam expletum omnes Equites, quos ibi vivos deprehenderant, cogerent, vt caput singuli suum inde ceu per prosmurium, extenderent, quod statim romphæa sua præcidebant. Omnium occisorum autem capita propugnacu-

Digitized by Google

gnaculis in perticis ſtatim impoſuerunt, truncos verò corporum decuſſatim in formam crucis conſciderunt, multiplici crucis ſignoexcruciantes, poſtea eos ſic notatos & dilaceratos aſſeribus affigentes in mare projecerunt; multis corda extraxerunt, corpora autem induta rubris veſtimentis ordinis ſui vna cũ alba cruce inversè pedibus in altum erectis ſuſpenderunt, & tandem in mare præcipitarũt. Hæc fiebant in conſpectu reliquorum Equitum, qui adhuc Caſtellum S. Angeli defendebant, quos hiſce ſpectaculis triſtiſſimis expavefacere & ad ſui deditionem laceſſere volebant crudeles tyranni, qui niſi vltro manus darent, iſtis multo crudeliora expreſſis verbis minitabantur. Magnus Magiſter Iohannes Valettanus hæc cum magna ſuorum fratrum commiſeratione videns animos eo majores ſumebat, vt & reliqui commilitones, ac proinde reſponſi loco & ipſe omnes, quos habebat, captivos Turcas jubet adduci in vallum, quos viciſſim coram facie hoſtium curat decollari, quoſdam eorum in fruſtula concidi, eaque cadavera omnia in mare projici.

Non habet alias hoc fortalitium hodie peculiare præſidium, duntaxat neceſſarios ſuos vigiles, qui ſi obſervent per mare hoſtiles naves, ſtatim quidam Equites huc ſe ex vrbe conferunt. Ex hoc fortalitio per vim tormentorum aditus ad vrbem Valettam defendi & hoſtes arceri optime poſſunt.

16 Caſtellum S. Angeli Victorioſi ſitum eſt ad portum vrbis Valettæ è diametro Victorioſi nomen habet, quia tota Inſula per hujus robur & fortitudinem bellicam Dei gratia ſic favente contra Turcas defenſa & ex faucibus Infidelium erepta eſt, cum Anno MDCLXV, magnus Turca magnum exercitum XXXVI. millium cum claſſe CCXL. navium onerariarum & triremium contra eam miſiſſet, jamque terra mari furioſè oppugnatam expugnaſſet, ſpacio quinque menſium omnia, pagis, villis, oppidis exuſtis, cunctis rebus peſſundatis, inprimis magno numero Chriſtiani populi in miſerrimam ſervitutem abducto pro lubitu egiſſet: vbi in hoc ſolo Inſulæ angulo, poſt debellatum S. Elmi. nempe in S. Angeli caſtello pauci adhuc reliqui Equites tam invictos ſe heroas præſtiterunt, vt Barbari ipſos nulla ratione ſuperare potuerint, uſque dum tandem eis auxilio veniret claſſis Catholici Regis Hiſpaniarum Philippi II. ſub Prorege Siciliæ Garcia Toletano, cum jam Equites extrema paterentur. Inſtructa erat claſſis LX navium, quamprimum ea adveniſſet, Equites inſtructi hoc milite Hiſpano maximam partem exercitus Saraceni cædebant, paucis cum triremibus difficulter elapſis, & ſic ipſo S. Mariæ Nativitatis die Inſulam è cruenta hoſtium manu vindicatam, priſtinæ ſuæ libertati reſtituebant.

Notandum paucis in tranſitu, in hac obſidione, inchoata d. XVIII. Maij & abſoluta die VI. Septembr. obiiſſe diem ſuum ſupremum CCXXVII. Equites ter mille milites, & novies mille Incolas viros, præter fœminarum & liberorum catalogum &c. ad inferos verò etiam deſcendiſſe ſupremos Turcicæ illius claſſis duces fere omnes, inter quos ipſum Charon deprehenderit Ottomannicũ Archithalaſſum, præter triginta alios officiarios nobiliores, plures quam XIV. mille milites gregarios, & octies mille Africanos ſubditos vulgares, qui pro cuniculis, foſſis, alijſque operibus faciundis ſimul huc traducti erant. A Turcis valde eſt deturpatum hoc caſtellum, quod antea elegans erat, ab illo autem tempore ferme negligitur, maris vndæ à tribus lateribus id alluunt, à quarto per aquæductum in foſſa profunda ſegregatur ab vrbecula ſua, ita vt peculiaris parvæ inſulæ formam exhibeat.

S. Michaelis oppidum etiam eſt munitum, è regione Burgi (il Borgo) ſitum, hinc parva admodũ diſtantia inter quatuor fortalitia hæc Melitenſium. Bombardæ majoris ictu ſingula ſe contingere poſſent.

Inſula ad Valettam opportunum pro navibus 17
multis recipiendis & ſecurè locandis habet portũ, in quo ſubſiſtunt omnes triremes, veloces, aliaque ordinis navigiorum genera. Vndiquaque bene munitus, intra duo oppida S. Michaelis & Burgi, è quibus, vt & duobus caſtellis S. Elmi, & S. Angeli, inprimis autem à Metropoli Valetta ſatis ſuperq; defendi poteſt: nomen ei eſt Marza Siroco, qui etiam ferme ſolus vſurpatur, quamvis præter eum tres adhuc alij prope adjacentes quaſi receptus & ſinus ibi reperiantur.

In hoc portu inter alias naves excellit magna illa dicta II. Gran Galeone della Religione di Malta, alias S. Iohannes Baptiſta Hieroſolymitan⁹, in ſolitæ & ſtupendæ magnitudinis, intrinſecus tabulatis diverſis cõſtans cameris, tribus grandibus malis, quorum medius duarum & dimidiæ eſt orgyiarum craſſitie ſive amplexu, fert ordinariè LV. cum tamen poſſet ſuſtinere LXV. tormenta majora, quæ plerunque omnia integræ cartoæ vel quartanæ militares explodentes cum horriſono fragore globum LX librarum, vel plurium etiam pondo. Hic thalamegus prætorius cum inſtruitur ad curſum faciendum & mare cõtra hoſtes ſecandum, ea vehuntur C. Equites epibatæ, D. milites claſſiarij, CD nautæ remiges, qui adſint Navarcho & thalaſſometræ, aliæque plures perſonæ ad Cybææ hujus Iohanniticæ ſervitia. Prima vice mare tentabat Anno MDXC vecta verſus Orientem cum quadam alia minore cercijra onerata XXVII. tormentis, & celoce ejus ſocijs. Sumptus requiruntur ad ejus neceſſarium apparatum X-L. vel L. circiter coronatorum millia, tempus ſemeſtre conſumitur vſq; ad ejus réditum, ſemper comites habet alias vel triremes vel liburnicas, dicrotas, phaſelos, myoparones &c.

Civitas vetus Melitenſium (civita vecchia alias) 18
ipſis Medina dicta, licet vetuſta tamen ob reſtaurationem renovata videtur eſſe mediocris magnitudi-

Digitized by Google

tudinis, sita in monte quodam, mur & propugnaculis bene munita, venustis ædificijs veruntamen ob angustiam platearum atq; ædium altitudinem subobscuris conspicua. Obsitum suum clivosum difficulter oppugnari, facile autem defendi potest. Cives non loquuntur Italicè, sed, vt ferè omnes inquilini & indigenæ Melitenses Barbaricè.

Comitatus Magni Magistri.

19 Magnus Magister vbi è palatio suo egreditur, à Nobilitate Equestri Ordinis magnifico comitatu ornatur. Ante eum inceduntEquites circiter CCC. diversarum nationum, eleganti ordine & honorabili gestu, amicti pro habitu ordinis sui: hos sequitur Eques quidam, qui manu sua gestat erectum nigrum aureis clavis & circulis inductum bacillum, quasi sceptrum aliquod. Post hunc proximè ante Magnum Magistrum Equites Magnæ Crucis (Megastaurophoros vocare posses ab habitu) consiliarij, Commendatores, alijque principales officiarij, suis singuli notati signis octangularis albæ crucis ad pectus & in pallio: hos sequitur ipse magnus Magister, amictus nigra toga ex purpura variegata. Ordinem claudunt rursus quidam Megastaurophori & alij Equites augustæ Nobilitatis, omnes conspicua authoritate graves viri.

Moneta.

20 Quoniam nullæ sunt metalli fodinæ, quibus aurum argentumve eruatur, in Insula, ideo Magnus Magister quasdam species numismatum præter paucas ex auro & argento, plerunque ex ære cyprio procurat incudi, quæ cuprea est receptissima de manu in manum Insulanorum commeans moneta, pretio æquivalens cuivis alij, cujus vna cum pondere imaginem refert. Impressum habet ab vno latere signum capitis S. Iohannis Baptistæ ab altero nomen & insignia Magni Magistri, in quibusdam ad marginis circulum his verbis additis: Non æs sed fides.

Magni Magistri autoritas, & reditus.

21 Supra mentionem fecimus de donatione Imperiali, qua hæc insula in Magni Magistri potestatem pervenit absolut..n, cujus proinde liber est Dominus, gaudens titulo Principis Maltæ & Gosæ, sic vt Reverendissimus audiat ac Generosissimus audiat. Hisce auctarium honoris addidit Ferdinandus II. Imperator, dum Alophio Vignacurtio Magno Magistro ob heroicas ejusdem virtutes & præclare gesta primus dedit nomen Illustrissimi.

Præterea potestatem habent Magni Magistri cum Papa & Duce Venetorum communem in plumbo signandi.

Omnes totius Ordinis Ecclesiasticæ & Politicæ personæ eis sunt subditæ, fidelitatem & obedientiam eis debentes vt summo suo Magistratui: ipsi verò ex primævo ordinis jure nulli hominum sunt subjecti & obligati: licet Pontificem Romanum in rebus Ecclesiasticis agnoscant pro capite; Regem verò Hispaniarum solùm pro Patrono suo honorario.

Ad gradum hujus Magni Magisterij nemo pervenire potest, nisi sit ex numero hujus Nobilissimi Ordinis Equestris, ortus ex honesta atque nobili prosapia: non enim vnquam compertum est quenquam spurium vel nothum evectum esse ad hoc fastigium honoris.

Eo ipso momento, quo electio Magni Magistri concluſa est per suffragia & jam effectui data, omnia beneficia & Commendaturæ, quas electus antea possederat, vacant, de bonis autem antecessoris sui defuncti relictis plura ex edulibus & vinis successor non recipit quam ei ægrè sufficiant vsque ad proximum Nativitatis Dominicæ festum, reliqua enim publico totius Ordinis fisco inferuntur.

Vasa argentea in rem suam Oeconomicã & pro se vsurpare potest pondere sexcentarum marcarum quas vocant, præter propter, minor potest esse numerus, at non licet ei esse majori, quicquid enim excedit, hoc in gazophylacium Ordinis deponitur.

Pro honorifica sui status sustentatione Magnus Magister habet omnes proventus ad ipsum redeuntes totius Insulæ, quorum pretium est circiter XII. millia coronatorum. Hisce adduntur quotannis ex Ordinis thesauraria camera aliquot coronatorum millia.

Decima ei porrò semper pars cedit spoliorum ab hostibus reportatorum in pugnis, alijsque Turcarum invasionibus.

Ex singulis Prioratibus Magnus Magister vnam habet ad se spectantem Commendam, quam pro certa pecuniæ summa anniversaria Equiti cuipiam elocat. in vniversum sunt XXI.

Possent videri tales redditus alendo tanto principi non sufficere vtpote minores dignitate ejus, verum scire oportet hæc omnia solùm dari personæ, & destinari ejus corpori: reliquos enim omnes ejus aulicos Ministros sustentat satis honestè Ordo aliunde, nempe ex communi suo dicto gazophylacio, sive Ordinis ærario.

Octo Linguæ sive Nationes Ordinis Iohannitici, earum Sessiones in Comitijs, atque Officia distincta, gradus & honores, qui solent cuiq; deferri.

I.

Lingua Provinciæ.

22 In hac est Caput & Dux supremus Magnus Commendator (il gran Commendatore della lingua di Provenza) qui idem est ac Magnus Aulæ Magister: hic gerit potestatem Armamentarij atq; omnium eò spectantium rerum.

Sunt in eadem natione etiam duo Priores, Sangiglianus & Tholosanus: hi sub se habent multas Commendaturas, ille LIV. hic XXXV. pertinet huc etiam Dominus Capituli Monoascani.

II. Lingua

Digitized by Google

II.

Lingua Arvernia.

Hic caput est Magnus Mareschallus (il Mareschalle della lingua d' Alvergna) cujus officium magni inter illos æstimatur, vocatur alias supremus Belli Mareschallus, habet jus summum in omnes captivos.

Huc pertinet vnicus Prior (Il Priore d' Alvergna) sub se habens LXXVII. commendaturas: & quidam Balivatus quem vocant, Il Baglivo Capitolare di Lureil.

III.

Lingua Gallia.

Hujus Nationis Caput est Magnus Hospitalarius sive Oeconomus: cujus officium est omnibus ægrotis Equitibus, alijsque ad Ordinem directè spectantibus personis prospicere.

Sub se habet tres Priores Franciæ, Aquitaniæ & Campaniæ, quorum ille præpositus est XLV. iste LXV. hic XXIV. Commédaturis.

Præter hos etiam duos Balivos seu Dominos Capitulares, Moreæ & Galliæ, quorum hic Ordinis est Magnus Thesaurarius.

IV.

Lingua Italia.

Caput hic est Magnus Architalassus (l' Ammiraglio sopra l' officio del Arsenale) cui potestas est in omnes Ordinis naves & armaturam classicam.

Ad hanc linguam pertinent septem Priores, Romanus, Insuber seu Lombardus, Venetus, Pisanus, Barlettanus, Messinensis, Capuanus: hi commendaturas habent sequente numero: Romanus XIX. Insuber XLV. Venetus XXVII. Pisanus XXVI. Barlettanus & Capuanus XXV. Messinensis Siculus XII.

Porrò quatuor Capitulares Domini. S. Euphemiæ, S. Stephani ad Monopolin, S. Trinitatis di Venosa, & S. Iohannis di Napoli.

V.

Lingua Aragoniæ.

Dux hujus nationis est Magnus Conservator (alias Drapier vocatus Gallicè, & Italicè Il gran Conservatore della lingua d' Aragona) qui milites sumptibus Ordinis vestit & necessarijs ad bellum instruit.

Sub se habet Priorem Castellanum Impostanum, præpositum XXIX. & duos alios, Catalaunensem & Navarrenum, quorum ille XXVIII. hic XVII. præest commendaturis: duos itidem Balivos, Majoricæ & Caspæ.

VI.

Lingua Angliæ.

In hac caput est Magnus Stylobates (Il Turcopiliero) cujus locum obtinet propter personarum ex hac natione defectum, primus in ordine Commendator: vocaturque plerumque Magnus turmæ equestris Centurio sive Capitaneus, sub se habet duos Priores Angliæ & Hiberniæ, præpositos XXXII. Commendaturis, atque vnum Balivum Aquilæ (dell' Aquila,

VII.

Lingua Germania.

Caput hujus nationis est Magnus Balivus (Il Gran Baglivo) hujus officium est vt quotannis, si non sæpius, saltem semel vel ipsemet vt per suum delegatum substitutum, invisat Rhodo S. Petri Castellum in Asia extructum olim à quodam Equite Germano Petro Schlegel Holtz. Quoniam autem vterque locus & Rhodus & castellum illud hodie à Turcis Mahumetanis possidetur, ideò loco illius invisit insulam Maltam. Gerit alias titulum visitatum Gubernatoris Castelli S. Petri in Asia.

Hæc lingua tres habet Priores, Germaniæ, Hũgariæ, & Bohemiæ. Magnus Prior Germaniæ, qui à Carolo V. est receptus inter Imperii Principes, habet in superiore & inferiore Germania LXVII. commendaturas.

Pertinet huc etiam Dominus Capitularis Brandeburgicus.

VIII.

Lingua Castelli sive Castilia.

Caput supremum hujus nationis est Magnus Cancellarius (Il Gran Cancelliere della lingua di Castiglia) Hic custodit sigillum Ordinis: diligenter curat adnotari omnia secreta & in archivis reponi. Sub se habet duos Priores Castiliæ & Lusitaniæ, quorum ille XXVII. hic XXXI. habet Commendaturas: Balivos præterea tres, Lorensem, Langonum, & Novovillanun. Magnus Prior Ecclesiæ S. Iohannis & Commendator Cypri non ex certa natione, sed liberè juxta virtutes idoneas officio huic gerendo eliguntur. Procurator Ordinis generalis est Legatus ejusdem in Curia Romana. Duo procuratores pauperum sunt Clerici, qui destinati libellis supplicibus & causis captivorum, Viduarum, pupillorum &c. vt illis jus dicatur & subveniatur bonis consilijs. Duo inquisitores delictorum sunt constituti, qui omnia diligenter animadvertant vt corycæi, & notatu digna ad Magnum Magistrum deferant.

Sciendum est, hunc Ordinem Equestrem inter omnes Ecclesiasticos, qui hodie in tota Republica Christiana numero sunt XVII. esse excellentissimum & præcipuum: cujus Regulares, Equites Cru-

Digitized by Google

Crucigeri Iohannitæ sub regula S. Augustini sua peculiaria habent statuta.

23 Vnicus est quidem Ordo, triplici interim cõstat genere personarum. Primum est Equitum, quos omnes oportet esse nobili stirpe prognatos, & quidem non novitia sed vetusta, sic vt vltra tritavum majores suos vsque in octavum lineæ ascendentis gradum probare possint legitimos. Ex hisce eliguntur Magni Magistri, Megastaurophori, Magni Priores, Domini Capitulares, Commendatores, Balivi, Generales, exercitus Duces, Capitanei &c. Secundum est Presbyterorum crucigerorum, qui Clerici, absque discrimine Nobilis vel plebejæ familiæ, modò honestæ, sacris apud Ordinem peragendis destinati. Hi sunt sacerdotes vel Conventuales vel de obedientia. Tertium est Servientium, qui iterum duplices, quidam Ministrantes armis (Serventi d'arme) qui à Conventu Capitulari jam sunt recepti, reliqui verò ministrantes officijs alijs (Serventi di staggio, dicti) Hi gerunt dimidiam crucem, non quidem nati ex nobilibus vetustæ prosapiæ parentibus, interim tamen ex honestis familijs, qui tenentur, antequam recipiantur, in Ordinem, vsque ad atavum & ataviam suam docere, non fuisse mechanicos opifices suos progenitores, vel alias contemptibilis alicujus sortis homines. Adhibentur in rebus militaribus fortes viros decorantibus actionibus penes Equites, & promoventur ad honesta ordinis Iohannitici officia, vt Administrationes domuum hinc inde ad Ordinem spectantium, rationes Capitulorum &c. quanquam non eo vsque pertingere possint, quo illustres & Nobiles, vt nempe fiant Megastaurophori, Balivi, Magni Priores, vel multo minus Magni Magistri.

Vnumquemque Equitem oportet, antequam habitum Iohãnitici Ordinis assumat, complevisse annum ætatis XVIII. Nam etiam si adhuc minorennis quispiam suscipiatur & in catalogum Equestrem referatur (quod valde crebrum est, multos nobiles adolescentes in Schola martiali Valettana educari, & singulis Septimanis ter institui in varijs exercitijs bellicis cum magna diligentia) nihilominus non ornatur habitu suo, ad quem adspirat, ante prædictum terminum, quem ipsum oportet expectare, eoq; elapso sub solenni præstito juramento admittitur.

Statuta & Canones Ordinis hujus, tangentes solum primum illud Equitum genus.

24 Ego Raymundus Poggius, Servus pauperum Christi, & Custos Hospitalis Hierosolymitani cum prævio & bene deliberato consensu fratrum meorum, tamque totius Capituli, confirmavi sequentes articulos in Hospitali domo S. Iohannis Baptistæ Hierosolymæ:

I. Quilibet frater, qui in hunc ordinem suscipitur, ciq; nomen suum dat, tria vota servato, nempe Castitatis, Obedientiæ & spõtaneæ paupertatis absque peculio.

II. Pro religione Christiana & Cultu divino pugnato: justæ semper causæ patrocinium suscipito: injuria affectis succurrito: oppressos defendito & liberato: Ethnicos vero Infideles & Mahumetanos (ad exemplum Maccabæorum, qui hostes populi Dei persecuti sunt) expellito: omnibus virtutibus Christianis incumbito: viduas & orphanos tuetor. Violatores hujus Canonis temporali & æternæ pœnæ subjacento.

III. Illis diebus & conventibus, quos statis temporibus ad singulos anni quadrantes observare solemus, regula hæc præsentibus omnibus fratribus prælegitor.

IV. Quicunque ære alieno obrutus vel jure servitij alij cuipiam graviter obligatus est, in hunc ordinem non recipitor. Et si quispiam ad susceptionem Crucis spem à fratribus acceperit, nihilominus antequam vestiatur habitu Equestri, An forsitan nomen suum jam alij alicui ordini dederit? & An à conjugij & debitorum civilium vinculis se obstrinxerit? prius interrogator. Nam posito casu, quod vnum illorum ita sit, non potest in Ordinem hunc assumi.

V. Veste pulla Equestri induitor, eaque in sinistro latere notata signo Albæ Crucis: hęc ordinaria, quasi Pacis toga esto, tempore autem belli, vbi ad pugnam itur, idem habitus rubri coloris alba cruce munitum sagum esto.

VI. Nemo qui non sit ex legitimo toro natus, ad Ordinem admittitor, exceptis Generosorum & Illustrium Dominorum naturalibus & si tamen talium mater non fuerit mancipium.

VII. Excluditor etiam planè ab hoc ordine quicunq; ex Ethnica familia, ratione parentũ, progenitus fuerit, nempe ex Maranis, Iudæis, Saracenis, Mahumetanis, Turcis & consimilibus, quod intelligendum etiam de Principum talium liberis illustri licet loco natis.

VIII. Eodem modo nulliquicunq; alicui alij Ordini fidem suam professi fuerint, vel matrimonio devincti sunt, vel homicidium aliave flagitia enormia perpetrarint, ad ordinem admittuntor.

IX. Ad minimum tredecim annorum ætatem habeto quisquis desiderat in ordinem recipi, sanitate, robore, & intellectu integer, laborum item & ærumnarum patientia atq; morum nobilium honestate præditus esto.

X. Ante susceptionem Ordinis nobilem prosapiam suam coram quibusdam, à Priore & Capitulo ad consuetum conventum deputatis, decenter probato. Nam qui semel receptus fuerit, ab omni postea vlteriore suæ stirpis vel anteactæ vitæ examine liber esto & immunis.

XI. Cultui Sacro omnes fratres sedulo vacanto, & loco Septihorij consueti (sive horarum Canonicarum) inter Regulares. Centies quinquagies quotidie Orationem Dominicam recitanto

statis

Digitized by Google

ſtatis temporibus jejunanto; quotannis ter S. Cœnæ communicanto, nempe in tribus ſemper feſtis ſolennioribus, Nativitatis, Paſchatis & Pentecoſtes.

XII. Quicunque Eques ſe credit rati marique juxta vocationem ſuam, is prius ſacerdoti confitetor, & conſcientia ſic exonerata omnibus rebus ſuis ſecularibus (teſtamento vel alia diſpoſitione) valedicito.

XIII. Inter peractionem ſacri officii & cultus, in choro prope ad altare ne accedunto, quo vnius alteriusve devotioni impedimento eſſe poſſent.

XIV. Eo ordine, quo quiſque ante vel poſt alterum ratione temporis in Ordinem ingreſſus fuerit, incedunto & ſedento.

XV. Certis temporibus devotas circuitiones inſtituunto, in iisque pro pace Chriſtianorum & concordia conſtanti, pro Magni Magiſtri & totius ſui ordinis benedictione Deum invocanto.

XVI. Pro quovis defuncto Equite triginta Miſſæ exequiales celebrantor: in cuius rei memoriam, quilibet Eques ardentem cereum cum denario offerto.

XVII. In Conventu toto tempore Adventus & quadrageſimæ conciones habentor.

XVIII. Nulli hominum in terra ſe juramento obſtringunto: nullam navem bellicam abſque conſenſu & præſcitu Magni Magiſtri inſtruunto: bello exorto inter duos Chriſtianos Principes, neutri parti adhærento, ſed omnem lapidem movento quò lis componi & pax inter illos ſtabiliri queat &c.

Statuta quædam generalia totum Ordinem concernentia.

Habent ſupra enumeratæ linguæ proprias ſuas domos, quas cœnobia vocant, ubi Equites ordinariè ſolent convivari. In quovis cœnobio quædam perticæ ſunt erectæ, quibus in magnis feſtis tria ſinuoſa vexilla explicantur. Plerumque in vno extant inſignia Magni Magiſtri, in altero patriæ ſuæ ſeu Regni in quo nati & educati, in tertio totius ordinis cum octangulari Magna Cruce, in area ſanguinei coloris; quæ ſingulare ornamentum ædibus, vbi panduntur, præbent.

Quamprimum Eques nationis Germanicæ venit in conventum capitulare, oportet eum confeſtim numerare præſente pecunia ducentos coronatos vel ipſi Capitulo in Germania, vel in *Malta* publico ærario; quod vocatur jus tranſitus, & ipſi numi Paſtaſi-pecunia ab ipſis appellantur.

Singulis Equitibus per totum vitæ ſuæ curriculum, qui Valettæ degunt eò ſe conferentes, ordinaria ſternitur menſa in cœnobio ſuæ nationis, & præterea XXII. coronati ex ærario numerantur. Si verò eidem non placeat in hoc ſuæ nationis diverſorio, ſed alibi in vrbe, victum ſuum ſumere, quotannis ei LX. coronati pro alimentis aſſignantur. Qui novitii ſunt Equites primo anno præter tabulam convictus non niſi VII. coronatos accipiunt.

Numerus Equitum, partim Maltæ partim alibi in diverſis Regnis degentium, excedit tertium millenarium: quorum tamen major pars ſemper in Inſula.

Omnes Equites, etiam Clerici, & ſervientes, nullo excepto, ad pericula bellica contra Turcas, ſinguli pro ſe ad minimum ter, ſemeſtri ad ſingulas vices tempore, ſubeunda tenentur.

Porrò obſervandum, quemlibet captivum Equitem teneri ſe redimere ex manu Turcorum, propria ſui patrimonii vel familiæ pecunia.

Equitibus planè interdictū coniugio vel tranſitu ad illud per votum, multo minus per ipſum actum & conſummationem atque adeo procreatione liberorum legitimorum; quia eſt ordo Eccleſiaſticus Equeſtris.

Conſimiliter ipſis non licet hæredes inſtituere bonorum ſuorum mobilium, cùm obeunt diem ſuum. Siquidem cuncta relicta abſolutè redeunt ad Ordinem, & ex jure ejuſdem in ærarium referuntur.

Si forſitan Eques quiſquam contra Chriſtianum, ejus lædendi gratia, gladium ſtringat, vel hoſtiliter invadat, excommunicatur Eccleſiaſticè, & civili quoque pœna iuxta delicti ſui menſuram ſeverè caſtigatur.

Nulli Equitum integrū eſt ad electionem Magni Magiſtri armatū vel gladio ſaltem cinctū apparere, aut alias in palatio Magni Magiſtri corā Capitulo ſe taliter ſiſtere (exceptis illis ſolis, qui Magnum Magiſtrum comitantur) alioquin amittit ſuum votum, vel triennalem ſui honoris & libertatis poſſeſſionem. Verum circumſtantiis penſiculatis, ſi deprehendatur illud alio caſu & non ex propoſito factum eſſe, tunc nationes vel Prioratus à tali damno abſolvere & honorem ſtatim reddere poſſunt.

Inter alia, ſi Eques contra Canones Ordinis graviter impegerit, ei pœna quadraginta dierum (La pena della quarantena) imponitur. Primò totum ſeptendium cogitur conſumere in carcere, ſolo atro pane & aqua limpida victitans. Deinde extrahitur quidem carcere, at non licet ei vſque poſt trigeſimum tertium diem liberè ingredi cœnobium vllius nationis, vel intra hunc terminum cum Equitibus aliisve nobilibus perſonis conferre & vllam habere communionem.

EPITOME PRIVILEGIORVM aliquot huic Ordini Conceſſorum.

I. Omnes inobedientes, vel qui multo ære alieno ſe debitores fecerint, cadunt in pœnam amiſſionis ſuorum honorum.

Digitized by Google

II. Qui ab Equestri Ordine susceptionē Crucis, adepti, vel quib. certa officia attributa fuerint, eos oportet intra spatium sex mensium, à denuntiatione sibi facta, irrefragabiliter comparere ad acceptanda aut habitus sui insignia, aut nova officia oblata.

III. Ordinis privilegiis soli illi frui possunt, quib. Crux vel ab ipso Magno Magistro vel ejus tamen jussu ab aliis collata fuerit.

IV. A fructu privilegiorum excluſi sunto quotquot pro lubitu suo & genio proprio indulgentes hinc inde vagantur, & Religioni juxta debita professionis suæ non adsunt ministeriis suis.

V. Quicunq; in extremis anguſtiis suis vel inopinatis casibus ad templa huius Ordinis refugium suū quæsierint, illis manus violentæ iniici non debent.

VI. Nulli ex illegitimo thalamo nati in ordinem susciptuntor, nisi forsan sint illustrium personarum liberi.

VII. Equitibus permittitur exercitium in secularibus bellis, vt ibi fortitudinis suę specimina vel discant vel exerant.

VIII. Omnis tribunalis juridici potestas, cognitio & decisio causarum, executio sententiarum &c. plenariè eis tributa esto; ità vt etiam Clericis non liceat aliud forum, quam Melitense, quærere.

IX. Non possunt alium Magistratum poscere vel appellare tribunal, nisi vt solùm provocent qui volunt à proximo judicio ad Magnum Magistrum ejusque conventū, atque ab hoc ad totius ordinis generale Capitulum, vbi immotus omnium rerum est terminus.

X. Magnus Magister & conventus omnia decreta sua, sententias, actiones &c. exequātur vbivis plenaria potestate, absque vlteriore alterius cujusvis, quisquisille sit, consensu, qui ipsis sit attendendus.

XI. Magnus Magister habet potestatem apprehendendi & puniendi Priores & Ordinis reliquos Fratres qui deliquerint, vel alias inobedientes se præstiterint.

XII. Equites, qui habitum Ordinis vel in conventu vel in alia quavis terra absentes, susceperunt, oportet ante finē anni, in conventu se sistere, alias puniuntur, aut aliis quibusdam commodis orbantur.

XIII. Quibus Equitibus à Religionis ordine quidam reditus in Malta sive extra eam pro certo canone concessi, eos oportet semper ad citationem Magni Magistri comparere, nisi velint immunitatibus suis privari.

XIV. Præfecti Camerę Rationum seu Archimandritæ & cœnobiarchæ ex vigore sui officii possunt vbivis in commune bonum Ordinis sibi appropriare & in jus possessionis trahere omnia prædia vel bona, quæ Ordinis ærario debitorū nomine obligata.

XV. Ipsi etiam Cardinales Romanæ Ecclesiæ gaudentes fructibus quorundam bonorum ad ordinem pertinentium, tenentur absque vllo prætextu Camerę Iohanniticæ solvere reditus & debita.

XVI. Qui officia vel bona Ordinis quælibet, ad percipiendos annuos eorundem fructus conduxerunt & acceptarunt, debent Equestrem habitum assumere, vel suum acceptum jus amittere.

XVII. Omnes summi medioximi & infimi Magistratus huic ordini auxilio suo præsto sūto ad retinendos vel recuperandos omnes ad illum spectantes Prioratus, Commendas, aliave quævis bona vsque ad plenariam satisfactionem legitimæ prętensionis, quam ærarium Ordinis habuerit.

XVIII. Insula Malta sub præsidio & patrocinio S. Apostoli Pauli maneto.

XIX. Omnia officia, beneficia & honores ab ipso *Ma*gno Magistro ejusque ordinario consistorio debent & possunt conferri.

XX. Clerus Melitensis non habet potestatem Equitem quempiam gradu honoris sui dejiciendi, sed omnia talia oportet fieri ex mandato Magni *Ma*gistri.

RITVS ELECTIONIS Magni Magistri.

Quamprimū Magnus Magister incidit in mor- 26
bum periculosum & lethalem, Ordinis sigillum aliaque secreta κειμήλια, quæ apud ipsum asservantur, ex illius manu recepta alio in locum tutum transferuntur. Si contingat eum morti appropinquare, eadem traduntur in manus Diœcetę seu Archimandritæ, quem Seneschallum appellant, qui interim gubernationem assumit.

Post *Ma*gni Magistri obitum vicarius Magni Magisterii (Lougotenēte del Magisterio) eligitur, duratque ejus officium vsque ad electionem alicuius commendatoris sive Præsidis Electionis futuræ, quæ sit hoc modo:

Congregatur consilium ordinarium publicum, deliberatum de quibusdam futuri negocii circumstantiis, cuius decretum ad commune capitulum delatum ab eodem prius confirmari necesse est.

Altero die post manè, ad datum campanæ signū convocatorium ad congregationem magnam cōveniunt rursus consilium ordinarium & totum Capitulum commune, in templo S. Iohannis, consueto nempe electionis loco.

Durante hoc electionis actu templum firmiter est occlusum, vbi nullo Equiti licet esse armato, cunctarum verò Nationum aliquos adesse oportet, nempe octo linguæ repræsentatæ per quosdam Priores, Balivos, Presbyteros & alios Ordinis Equites &c. comparent coram Vicario & publico Capituli conventus, hi omnes solenne juramentum prętstant in fidem Crucis habitus Equestris, idq; hac fit methodo, vt fratres illi, inter quos est Vicarius ipse, vltimo jurent.

Iura-

Digitized by Google

Iuramento dato significatur per oratorem, hunc conventum esse institutum propter electionem idonei capitis & Magni Magistri Religionis Melitensis.

Initium electionis fit à tribus personis, quodam Equite, Sacellano & Serviente armis. Hi nominati & producti ex octo nationibus liberè eligunt diversos fratres Electores; idque per globulos quosdam rotundos in occlusam capsulāseu pyxidem conjectos & sic vota colliguntur: hi certo numero electi confestim denuò juramentum præstant fidei suæ in suffragiis.

Hi tunc discedentes à reliquo fratrum corpore in quendam secretum locum, primo eligunt Commendatorem Electoralem, eumque palàm indicant Vicario & toti consessui. Hoc facto novus Commendator genubus flexis se sistit coram Vicario, ibique consuetum juramentum hujus officij sui gnaviter & piè administrandi peragit: quo ipso expirat Vicariatus, & hic novus Commendator est Præses totius Ordinis, coram quo statim comparent prædicti octo electores rursus jurantes se sincerè acturos in eligendis tribus alijs fratribus (Equite, Sacellano & Serviente) quos idoneos noverint ad collegium electorale, qui penes reliquos suos adjunctos fratres magnum Magistrū eligant. Quo præstito se recipiunt in conclave electum tres hosce, quos post collecta suffragia nominant Præsidi, qui eos publicè provocat.

Prioribus istis octo postmodum cessantibus hi tres, Eques, Sacellanus & Serviens, prodeuntes & reverenter genu flectentes, vbi coram Præside iterum jurarunt eligunt quartum quempiam ex alia lingua, & postquā hic illis juramento antè præstito adjunctus, quintum, & sic numerum augent vsque dum octo sint personæ, singulæ de alia natione: posteà rursus pergunt eligere vsque ad decimum sextum, sic vt bini sint fratres cujuscunque Nationis.

Hi ita constituti sedecim-Viri ad hortatū mandatumque Præsidis Sacerdoti confitentes peracto Missæ officio sumunt S. Cœnam; post indicant, se esse illuminatos Dei gratia ad eligendum novum Ordinis pium atque dignum hoc honore Magistrum, & solenne coram omnibus persolvunt juramentum; quos ex tempore sequuntur omnes, quotquot ad sunt totius congregationis fratres in conscientiam sanctæ crucis habitus sui, jurantes se in Magnum Magistrum esse recepturos, & humiliter honoraturos quemcunq; per majora suffragia sedecim Viri isti elegerint.

Qua voce audita novi Electores statim à facie Præsidis & totius congregationis se subducunt in conclave, quod post ipsos occluditur; ibique consultant de persona Magni Magistri. Hic vnicuique liberrimum est juxta conscientiam suam & cum parrhesia exprimere cordis sui sensa de hoc vel illo; cur vel acceptandus vel reiiciendus sit nominatis ejus virtutibus, vitiis & infirmitatibus humanis. Re bene pensiculata & disputata, cùm vnus atque alter in æquilibrio rationum inter ipsos propositi pendent, quorum alteruter eligendus sit, tunc ligneæ præsenti pyxidi superius diversis foraminibus atq; interstitiis per medium separantibus præditæ pro cujusque lubitu per hoc vel illud, cui nomen eligendi est adscriptum, globulum suum vnusquisque, ordine vnus post alterum sensim iniicit. Absoluto numero pyxis aperta ostendit pro quo loquantur plures globuli: his enim qui superior is intelligitur esse novus *Ma*gnus Ordinis Magister.

Hac sorte facta surgunt sedecim Viri atque è conclavi prodeuntes accedunt Præsidem totumque fratrum conventum, qui in subsellijs suis Iohanniticis novam vocem electi Magistri sui expectarunt cum desiderio. Vnus ex illis Electoribus incipit in hunc modum interrogare, An fratrum quilibet illa omnia, quæ ad electionem novi Capitis jam acta & concluſa sint, rata habeat & legitima, atque electum Magnum *Ma*gistrum pro suo Duce & Antistite agnoscere velit.

Extemplò respondet omnis Nobilitas, quasi ex vno ore, Ita. Tunc electus Magnus *Ma*gister per Equitem hunc Electorem, clara voce exprimitur nomine suo recitato & publice proclamatur. Is ipse, si præstò sit, honorificentissimè deducitur ad altare, novo pretiosissimo suo habitu ornatur; sic vestitus magno Priori Ecclesiæ S. Iohannis recitat & præstat in librum legis manu imposita consuetum juramentum.

Postea accedunt ordine omnes Equites salutantes verbis & signis osculi, quod præbent manui ejus, simul genua submissè flectentes, omnia prospera ei in statu hoc sublimi votis suis acclamantes.

Hinc Organa Musica in templo perstrepunt & Clerici cum gaudio Te Deum laudamus cantant: tandem *Ma*gnus *Ma*gister à tota nobilitate deducitur in palatium suum.

Si verò præsens non sit, licet in insula, absque mora per nuntium advocatur in templum S. Iohannis: vbi advenerit, eodem ritu omnia peraguntur. Si verò non sit in Insula, tunc vsque ad ejus adventum Vicarius novus Magni Magisterii à congregatione, antequam discedat, per majora eligitur.

Constitutiones quædam & consuetudines aliæ Ordinis, in Criminalibus pœnis, exequialibus, &c.

Quando quispiam in numerum professorum huius Ordinis recipitur examinatis prius omnibus iuxta Canones & exploratis requisitis, de quibus supra, tum is, qui eum recipit, aperit Missale, quod ipsi offertur, & acceptis duabus manibus eius, qui profitetur, illas sacris paginis imponit eodemque tempore ipsum hæc verba proferre iubet: voveo, & promitto Deo, B. Virgini Mariæ, & S. Ioā. Baptistæ, me divina gratia & auxilio semper obsequentem fore superioribus, quos Deus & Ordo mihi præficiet, & deinceps victurum caste, & nihil proprietario iure possessurum. 27

Digitized by Google

Post hæc recipitur, Missale osculatur, eoque accepto illud supra altare reponit, quod etiam osculatur: mox librum recipit, eumq; in obedientiæ testimonium ei, qui ipsum recipit, affert. Is accepto pallio nigro, candidâ crucem Professo ostendens, quærit, annon credat, hoc esse signum crucis, cui Dominus noster Iesus Christus propter peccata nostra affixus fuerit. Ille agnoscit, & crucem osculatur. Tum is, qui eum recipit, accepto pallio, crucem sinistro lateri pectoris ipsius applicat, ipsumq; osculatus, ait: Accipe hoc signum in nomine S. Trinitatis, beatæ virginis Mariæ, matris Dei, & S. Iohannis Baptistæ, pro incremento fidei, defensione nominis Christiani, & ministerio pauperum. Crucem huic loco applicamus, vt eam ames toto corde, & vt tua dextra eam defendas, eamque defensam integram tuearis. Nam si in pugna contra hostes Iesu Christi fugias, & crucem derelinquas ac sacrum ipsius insigne, tu quoque hoc sacro signo merito privaberis, & tanquam membrum putridum ex nostro cætu rescinderis.

His dictis, pallium vinculo ipsi adstringit, dicens: Suscipe jugum Domini nostri, quod lene est & mite, & invenies requiem animæ tuæ.

Quo facto, ipse & omnes alii Equites, qui adsunt, eum osculantur, multis precatiunculis recitatis, quæ libris statutorum huius Ordinis continentur: quibus cavetur, si quis contra formam præscriptã recipiatur, is, qui est Eques, fiat frater ministrans: qui ministrat armis, ministret officio: & si sit sacellanus, fiat frater obedientiæ, nec possit vnquam possessionem commendatitiam obtinere, neq; ad vllam dignitatem Ordinis, aut administrationem bonorum ejusdem pervenire.

Ex presbyteris & sacellanis nemo recipitur, nisi prius anni integri spacio ministraverit, vt vitæ ipsius, & an sit ad hoc officium idoneus, experimentum fiat: atque eo spatio sumptibus ex ærario Ordinis suppeditatis alitur.

Non licet Equitibus alium fratrem propria auctoritate recipere, quam sacellanum, quando in ipsorum ecclesiis aut sacellis locus aliquis vacat: nec alios, quam ministros officii, qui ipsis in possessionibus eorum commendatitiis ministrent: atque hos oportet esse probatos, & à Capitulo Provinciali commendatos, cui offeruntur, assignato ipsis certo stipendio, pro victu & vestitu.

Sunt præterea Confratres & Donati in Ordine, qui non eadem vovent, quæ fratres, sed tantum promittunt, se amaturos Ordinem, & quod ab eo dependet, & ipsius commodum omnibus viribus procuraturos, & superioribus proditores & homines ipsis noxios, quoscunque deprehendent, indicaturos. Hi pro eo, quo ducuntur, pietatis affectu sportulam suam Ordini conferunt: quemadmodum solent sodales in sodalitio, vt bonorum ipsius participes fiant.

Nihilominus non licet Cœnobiarchis, Castellanis, Præfectis aut aliis inter Commendatores & Equites, quemquam in numerũ Confratrum absque magni Magistri, mandato recipere: quod si quis id faciat, privatur suo habitu, & recepti in catalogum Confratrum non referuntur, nec vllis privilegiis fruuntur, quibus alioqui Donati frui solent.

Donati integram crucem non gestant, sicut omnes ij, qui professi sunt: sed ipsorum crux tres tantum ramos habet, qualis conspicitur in habitu religiosorum S. Antonii, vbi superior pars crucis est ablata, quod si non observent, privilegiorum suorum fructu privantur.

Habitus privatio hoc modo fit:

Magnus Magister aut legatus ipsius diligenter inquirit de crimine, cuius aliquis arguitur: quo comperto, si videat, ad extrema progrediendum esse, accusatio coram cætu, qui pulsu campanæ convocatur, instituitur, & crimen coram reo proponitur, qui per magnum hipparchum in consessum adducitur.

Accusatione proposita, magnus Magister, qui primas partes tenet in Consilio præfectis mandat, vt rationem habeant (nam hoc genus loquendi vsurpatur in judiciis huius Ordinis) eorum, quæ contra reum proferuntur, & iudicium exerceant secundum Deum & rationem, & secundum laudabilem & antiquam Ordinis consuetudinem.

Secundum hæc magnus Magister aliquem iudicio præficit, & simul virum bonum constituit causę cognitorem, qui causam agat, coram judicii præside: & reo licet respondere & se defendere, qui crimen vel fatetur, vel negat.

Si fatetur gratiam petit: tunc Iudex relatione ad magnum Magistrum & cætum facta, ter pro reo intercedit, cui si magnus Magister, postposita legum severitate, gratiam facere vult, actio cessat: sed si pergat pœnam exposcere, Iudex in locum secretum concedit, vt de caussa amplius deliberet, & quod statuta præcipiunt, exequatur.

Sed si reus factum neget, testes, probationes & elogia in ipsum allata producuntur: atque ita convictus vel propria confessione vel probationibus, damnatur in Consilio, vt habitu privetur.

Quo facto, causæ cognitor vocatur, cui sententia, quæ lata fuit, significatur. Hic reum hortatur, vt Iudices sequatur, qui magnum Magistrum in pleno consessu adeunt. Eo reus venit, plenus lacrymarum, & veniam orans: pro quo etiam Iudices & omnes, qui adsunt Equites apud magnum Magistrum deprecantur.

Quod si id facere recusent, sed instent, vt sententia pronuncietur, ter repetito mandato, vt Iudicii præses secundum legem judicet, ille, præsente reo, sententiam exauthorationis pronunciat, & damnat reum, qui fuit convictus criminis, quod ipsi fuit intentatum.

Damnatus, vt aliquam gratiam obtineat, & magnum Magistrum ad misericordiam commoveat, ad ipsius pedes se abiicit: ante quem stat hipparchus, qui ipsius aut legati mandatum exspectat: Tum alter ex ipsis reum ita compellat: Quoniam tuis factis te indignum reddidisti signo Crucis & nostro Ordine, in quem propter priores tuas virtutes receptus fueras, nos secundum leges & constitutiones nostras, ad laudem bonorum & terro-

Digitized by Google

terrorem improborum, te privamus habitu nostro & fratrum nostrorum sodalitio indignum declaramus, ex quo te eiicimus & rescindimus, tanquam membrum putridum, corruptum & contagiosum.

Ibi hipparchus, qui magno Magistro adstat, habitum reo hoc modo aufert. Ad primam jussionem manum tantum rei pallio admovet: ad secundam, vinculum, quo pallium corpori est alligatum, dissolvit: ad tertiam, pallio reum exuit, dicens: Pro auctoritate mihi à superiori data, hunc nodum solvo, & aufero abs te gratum Domini nostri jugum, quo te indignum reddidisti.

Quo facto ex mandato magni Magistri reum ducit in carcerem, qui ipsi est perpetuus, ex quo fuit exauthoratus.

Eædem propemodum cæremoniæ adhibentur contra absentem, qui citatus non comparuit.

Quamvis autem judicium hoc matura deliberatione, nec sine evidentissimis probationibus exerceatur: tamen non est vsque adeo rigidum, quin reo gratia fiat, si certa pœnitentiæ signa edat.

Postquam igitur reus satis longo tempore carcere fuit detentus, si summum in ipso desiderium emendandæ vitæ appareat, ipsi ignoscitur, & habitus hoc ritu redditur.

Magnus Magister aut ipsius legatus pulsu campanæ cætum convocat: vbi cum magnus Magister, præfecti & alii ordine consederunt, magnus Magister aut ipsius legatus captivum adduci jubet, qui habitu seculari, interdum sola interula indutus, ab hipparcho, qui ipsum habitu suo exuerat, adducitur, fune collo inserto, pro criminis magnitudine, & manibus vinctis, quibus certum ardentem tenet. Hoc statu ante magnum Magistrum procumbit, quem humillime rogat, vt habitum sibi reddat atque in Ordinem & sodalitium fratrum se recipiat, protestatus, se deinceps fore hominem frugi, nec quicquam contra regulam, quam professus sit, admissurum.

Mox magnus Magister respondet: Quamvis tua delicta nos antehac coegerint, vt te habitu privaremus: tamen propter spem, quam de tua emendatione concepimus, habitum tibi reddimus, crimen ignoscimus, & te in fratrum nostrorum sodalitium rursum admittimus.

Quare sis frugi, & cave, ne deinceps occasionem habeamus extremum justitiæ nostræ rigorem contra te exercendi.

Tunc hipparchus ei palliũ eodem ritu, quo prius ipsi abstulerat, reddit. Sed qui hoc modo restituitur, non fruitur iure antiquitatis, nec locum, quem prius habuerat, retinet, secundum legem à magno Magistro Sanglio latam.

Equites non quotidie gestant magnum pallium Ordinis, quod accipiunt, quando professionem edunt: sed sufficit chlamydi aut pallio communi crucem ad sinistrum latus esse assutam, vt & sagis ipsorum ac paludamentis, quando in bellum proficiscuntur.

Sed certi sunt dies, quibus illud gestare tenentur, vt pridie Natalis Domini in precibus vespertinis, atque ipso Natali in Missa & precibus vespertinis: festo sancti Ioannis in Missa; die Circumcisionis, in Missa: & vt rem in pauca contraham, præcipuis feriis Domini nostri, sanctæ Virginis Mariæ, sancti Ioannis Baptistæ, & beatorum Apostolorum, quando ipsis accedendum est ad S. Synaxin, in Capitulis & conventib. generalibus. In electione magni Magistri Cœnobiarchas, præfectos & electores magnum pallium gestare oportet, sub pœna judicii quadragenarii.

Parvo valetudinario quidam præfectus est, cum scriba, & duobus viris probis, qui visitant ægrotos, & ipsis de omnibus rebus necessariis prospiciunt.

Hi juramentum præstant, se munus suum fideliter administraturos, nec ægrotis quicquam, nisi ex præscripto Medici, daturos.

Ipsorum est, quotannis inventarium conficere eorum, quæ sunt in illo valetudinario, sive sit aurum, sive argentum, aut alia supellex. Hoc inventarium obsignant, & custodem jurejurando obstringunt, quod non passurus sit, vt aliquid inde pereat, & se illam supellectilem ad nullos alios vsus, quam ministerium ægrotorum, adhibiturum. Insuper officina pharmacopolæ quotannis visitatur, nec ægroti vetustis & corruptis medicamentis lædantur potius quam curentur.

Ordo habet suos medicos & chirurgos certis stipendiis conductos, pro fratribus, tam Equitibus quam Clericis & Ministrantibus. Horum si quis moriatur, cum suo habitu & candida cruce, vt decet, sepelitur. Quatuor sunt attrati, qui cadaver efferunt. Nulli præterea lugubria sumere licet, ne magno quidem Magistro defuncto, secundum legem à Claudio Sanglio latam: qua declarare voluit, vanum esse, lugere eos, quos pro beatis habemus: aut pompam funebrem non decere paupertatem professos.

Valetudinarium hujus Ordinis jus asyli habet: adeo vt criminis alicujus reos, qui se eo receperunt, inde extrahere non liceat. Non tamen in omni casu hoc jus valet, sed ratio habetur criminis, an libertate illa dignum sit.

Quod si sit, reus prima navi, quæ appellit, ex insula emittitur, neque ei fas est vnquam interitoriũ Ordini subjectum redire. Sed hoc privilegium nõ prodest prædonibus, neque iis, qui noctu grassantur, & agros vastant, neque incendiariis, Sodomitis, furibus, conjuratis, neque ijs qui dedita opera quemquam veneno aut alia ratione necant, neque domesticis Equitum, qui aliqui crimen commiserunt.

Qui quenquam Ordini adscriptum, aut Iudicem aut Officialem percutit aut sauciat, hoc privilegio non fruitur, vt nec obæratus, nec falsus testis, nec falsarum tabularum reus, aut qui crimen in ipso valetudinario commisit.

Quod ad Quæstores & rei numariæ Procuratores attinet, magno Magistro aut Archimandritæ aut Præfecto Conventuali fidem jurejurando obligant, se in rationibus referendis officium facturos: & quotannis suas rationes, cum nominibus eo-

Digitized by Google

rum, qui satisfecerunt, & qui adhuc debent, Capitulo Provinciali afferre tenentur.

Ad audiendas rationes & curam ærarii gerendam quidam, quem magnum Commendatorem vocant, & duo Procuratores, qui inter Equites prudentissimi habentur, constituuntur.

Hic Commendator manet in Cœnobio, quamdiu munus illud gerit: & Procuratoribus, qui ipsi adsunt & ministrant biennii spatio, non licet abire aut munus simul deserere: sed quando officia renovantur, semper vnus ex prioribus, qui illud officium administrarunt, relinquitur, vt semper aliquis sit, qui rerum administrandarum rationem teneat.

Habent etiam Conservatorem ærarii, qui pecuniam ad arbitrium magni Magistri & cum venia magni Commendatoris distribuit. Hujus Conservatoris munus annuum est, & in Capitulo quotannis mutatur, ad quod ex omnibus linguis, qui sunt apti, eliguntur. Verum hæc regula observatur, vt si quis munere illo sit defunctus, nullus ex eadem lingua intra decennium ad illud promoveatur.

Sunt præterea octo Equites, ex singulis linguis delecti, qui sunt veluti auditores rationum, & singulis diebus certum diem huic officio impendunt.

Potestas ipsorum est, vt cognoscant & observent, quomodo pecunia administretur: & si defectum aliquem animadvertant, qui reformatione opus habeat, rem ad magnum Magistrum & ordinarium Senatum referant.

Hi per biennium illo officio funguntur: nec quicquam pecuniæ ex ærario, nisi illis præsentibus, erogatur, vt tot testes impediant, ne res numaria male administretur.

Conservatori adjungitur vir prudens, & vsu rerum exercitatissimus, ac rationum callentissimus. Hic Conservatori generali aliquid recipienti semper adest, & quando rationes redduntur: atque ex duobus voluminibus accepti Conservator vnum, & ipse alterum tenet, cui inscribit, quidquid recipitur, vt perfecta ejus habeatur cognitio. Hoc officium gerit, quamdiu magno Magistro & Senatui placet.

Quod ad generale Ordinis capitulum attinet, penes magnum Magistrum est, illud convocare, & tempus ac diem constituere, quando haberi debeat.

Quando dies illa illuxit, omnibus congregatis, antequam vlla negocia tractentur, sub ipsum diluculum templum ingrediuntur, vbi Missa à cœnobiarcha cõventuali canitur: inde magnus Magister cum toto crucigerorum &, Clericorum agmine, solenni pompa, ad locum, vbi Capitulum celebrari debet, procedit, ibique hymnus S. Spiritus canitur.

Quo facto, magnus Magister, præfecti, Cœnobiarchæ & alii, quibus jus est suffragii in Capitulo, ordine considunt: tum habita concione omnes, qui Capitulo interesse nõ debent, exire jubentur: quales sunt Sacellani: & ante omnia in absentes inquiritur, & causæ ipsorum absentiæ ab eorum procuratorib. allatæ examinantur, an sint legitimæ.

Post hæc Præfecti, cœnobiarchæ & Castellanus, quem Impositionis nominant, atque alii Commendatores marsupium afferunt, in quo sunt quinque numi argentei in signum deprecationis, vna cum codicillo circumplicato, qui continet ipsorum nomina & pretium honorum & officiorum, quæ gerunt, nec non judicium ipsorum de iis, quæ pro publico bono sint facienda. Sigillo ipsorum addito singuli marsupium suum magno Magistro ordine offerunt, cui manum osculantur, & honorem reverenter exhibent.

Quo facto magnus Ordinis Mareschallus suo ordine accedens vexillum Ordinis magno Magistro offert: tunc codicilli oblati, à Vicecancellario alta voce recitantur: inde ad electionem sedecim ducum proceditur, qui ea, quæ in Capitulo disceptabuntur & allegabuntur, dirimant.

Hi per linguas seorsum eliguntur, & vnaquæque duos eligit, qui linguæ & negotiorum suæ gentis sint periti: & si non sint inter ipsos idonei, ex alia lingua vnum vel alterum assumunt.

Iidem jurejurando magno Magistro & toti consessui fidem dant, se sincere & absque affectibus judicaturos, quod ad honorem & commodum ordinis faciet. Vicissim magnus Magister & alii promittunt, se ratum habituros quidquid constituerint.

Tum locum secretum ingrediuntur, & cum iis Procurator generalis magni Magistri, qui habet suffragium deliberativum: sed nihil definire aut decernere potest.

Illic decidunt quod ad vectigalia possessionum commendatitiarum in subsidium Ordinis, administrationem ærarii publici, reformationem morum & constitutionem legum pertinet: atque in genere omnia negotia, quæ incidunt, & ad bonum publicum spectant. Quo facto, exeunt, & omnib. præsentibus, tam sacellanis quam aliis, ea, quæ illi monuerunt, voce Vicecancellarii publicantur. Tum marsupia, nec non sigilla & vexillum præfectis, *Mareschallo* & Commendatoribus, qui ea in manus magni Magistri consignarant, redduntur: & capitulum hoc modo finitur. Inde solenni pompa ad templum procedunt.

Sed notandum est, si quis ex sedecim capitularibus videat, aliquid incidere aut in quęstionem vocari, quod ipsum peculiariter tangat, eum non interesse, quando illud deciditur: nec vlli licere contra eos protestari, aut ab eorum sententia appellare.

Quod ad Capitula provincialia attinet, præfectorum est & archimandritarum, ea quotannis in suis provinciis celebrare.

In his Capitulis provincialibus interdictum est præfectis aut archimandritis, ne quid dicant aut faciant in detrimentum Equitum, & ne turbent quietem aut jus suæ provinciæ.

Iidem ritus in iis adhibentur, qui in Generali quoad preces: deinde regula alta voce recitatur, vt quisque de ea observanda moneatur: tum agitur de iis, qui eam observarunt, aut infregerunt, de jurisdictione provinciarum, de possessionibus commendatitiis & commendatoribus, de visitationibus,

Digitized by Google

bus,&aliis negotiis,quę pertinent ad commodum domorum provincialium.

Quoniam vero fieri nequit, quin in tanta multitudine, & ingeniorum,morum ac linguæ diversitate contentiones &simultates oriantur,iudicia sapienter ordinata fuerunt,&ne lites essent immortales, sanciverunt, controversias, quæ inter fratres inciderent;non esse chartis committendas, nec alios adhibendos advocatos aut procuratores, quam partes ipsas, quæ causam suam proprio ore coram iis, qui ad eam cognoscendam constituti sunt,agere debeant.

Sunt tamen quædam causæ, vt debitorum, & quando testibus opus est ad aliquid probandum, in quibus scriptura est necessaria. Nam syngrapha & depositiones testium litteris consignari oportet, cum Iudices adscripturas, quæ ipsis exhibentur,respiciant. Vt autem intelligatur, qui sint illi, qui his judiciis præficiantur, illud, quantum potero,expediam.

Melitenses duplicem habent Senatum,ordinarium,&eum,quem vocant perfectum.

In ordinario sunt magnus Magister, ipsius legatus, si quem habeat, episcopus Melitensis, Archimandrita Ecclesiæ crucigerorum, quoad ordinem episcopo æqualis, octo præfecti conventuales aut eorum legati,cœnobiarchæ provinciales,qui sunt in cœnobio, magnus thesaurarius aut quæstor ipsi adjunctus, & sub præfectus magni *M*agistri: sed hic postremus nullum habet ius suffragii in iudicio.

In perfecto præter supradictos sunt duo Equites vniuscujusque linguæ: Vicecancellarii opera in vtroque necessaria est: nulli præterea interesse coguntur, præter præfectos conventuales,sine quib. Senatus haberi non potest. Neque tamen hi aut quicunque alii absque venia magni Magistri Senatum agere possunt.

Litigatores, qui à gratia, qua partem adversa valere vident,sibi metuunt,judicem quemcunq; recusare possunt,atque adeo ipsum magnum Magistrum,idoneis rationibus allatis,secundum constitutionem Baptistæ Vrsini.

Antequam partes Senatum adeant, nomina sua in Cancellaria scripto profitentur, quæstione, de qua inter ipsos controversia agitatur, explicata: quo facto nomina ipsorum in catalogum referuntur, & suo ordine à Vicecancellario citantur.

Et quoniam judicium in hoc Ordine est definitivum, & summæ atque vltimæ cognitionis, nulli, qui in eum non sit adscriptus,sententiam de causis hunc ordinem profitentium ferre licet. Interim secularibus,quibus cum Equitibus controversia intercedit,fas est Procuratorum & Advocatorum opera cum in Capitulis provincialibus tum in conventibus vti.

Laudabilem quoque consuetudinem habent suffragia per calculos ferendi, quoties duo ad idem officium adspirant: tunc antiquitatis ratio habetur, nisi inter competitores aliquis sit, qui majorem crucem gestet: nam hi omnibus præferuntur, & in calculis mittendis hic ordo observatur.

Iuramento præstito à competitoribus, calculi prius mittuntur pro actore,quam pro eo,qui in ius vocatur:& Vicecancellarius duo vasa in manus sumit, vnum candidum,alterum nigrum: & primum accedit magnum Magistrum, postea vnumquemque ex Senatoribus, secundum ordinem, quo sedent, quibus vasa ista offert, vt calculum in ea pro arbitrio iniiciant.

Nam si actori faveant, calculum suum in vas candidum iniicient: sin minus, in nigrum.

Quo facto, calculi palam numerantur, & Vicecancellarius candidos in charta notat: eodemque agendi modo vtitur, si sint duo aut tres competitores: postea omnes calculos numerat,& qui plures habet, nemine refragante dignitate obtinet, quam ambit.

Si calculorum numerus sit æqualis, ætate provectior præfertur, aut tota res judicio Senatus permittitur, qui etiam in omnibus aliis litibus sententiam fert,quando calculi sunt pares.

Eadem suffragii ferendi ratione vtuntur Equites,in suis quique linguis, quando de beneficio aliquo, aut nominatione atque electione ad præfecturas & dignitates agitur, quoniam non licet beneficium aliquod aut dignitatem cuiquam ex fratribus conferre,priusquam ordo ipsum tangat, nisi ex consensu omnium Equitum.

Non licet autem Equitibus in privatis suis conventibus de aliis rebus deliberare, quam de suis possessionibus, vineis, ædibus aliisque ad ipsorum linguam pertinentibus,neque de publicis negotiis quæstiones movere.

Melitæ Senatum singulis diebus Veneris habent, cui intersunt Senatores ordinarii, nec non Iudices appellationum, Ordinarius, Vicecancellarius, Capitaneus insulæ Melitensis, & Iudex vrbis.

Ius redditur incolis insulæ,&omnibus aliis Secularibus, qui sunt sub imperio dominorum hujus Ordinis,aut quibus res est cum illis.

Eques non potest alium ob quamcunque causam in jus vocare coram alio Iudice, quam qui sit Ordinis ipsius: qui contra facit,amittit suum jus antiquitatis,quinqueñi spatio omni administratione in hoc ordine privatur, causa cadit, nec potest eo frui; de quo contendebat, quamvis sententia secundum ipsum lata fuisset.

Qua in re sapienter agunt, cum hujusmodi appellationes multum derogent juri supremæ potestatis:&si per conniventiam his appellationib. aut aliorum Iudicum sententiis locum darent,tandem antiqua sua authoritate privarentur, sicut alii, qui ius,quod sibi acquisiverant,per negligentiam rursus amiserunt.

Aliam præterea formam judicii habent Equites, quam vocant observationem, quæ apta est decidendis brevi momento controversiis eorum, quibus non vacat tempus disceptando consumere.

Ex vnaquaq; lingua aut contubernio Eques eligitur,& octo illis,qui eliguntur,nonus ex quacunque lingua additur.

Hic constituitur Præses observationis à ma-

Digitized by Google

gno Magistro, aut *Mareschallo* ordinis, quando fratres sunt sub ipsius jurisdictione, & reliqui octo nominantur ab octo præfectis cõventualibus, quibus istud ab hipparcho significatur, ita tamen, vt præfecti non possint alios nominare præterquam eos, quos partes communi consensu pro judicibus admittunt.

Ab hoc judicio ad ejus supplementum provocare licet, in quo numerus Iudicum duplicatur: rursus à supplemento ad supplementum supplementi, in quod tres ex vnaquaque lingua loco vnius adsciscuntur: idem tamen Præses, qui ab initio electus fuit, manet.

Si neque hoc modo controversia dirimi potest, magnus Magister judicium adhibet præfectorum conventualium, aut sub præfectorum: si accidat, vt præses sit præfectus, exauctoratur, & alius ex senioribus inter Equites ipsi surrogatur. Singuli autem vnum tantum suffragium dant, excepto Præside, cujus suffragium pro gemino numeratur.

Præses quærit ex partibus, an quenquam ex judicibus suspectum habeant.

Tunc vnusquisque verba faciens causam suam agit, & jus carptim breviterque dicitur, secundum ordinem calculorum.

In magno cœnobio S. Ægidii, possessio Pesenatis ipsi est assignata: in Tholosano, Poisubrana: in Aruernia, Salinensis: in Francia, Hannonienſis: in Aquitania, Templi Rupellani: in Campania, Metensis: in Gallia Cisalpina, Invernensis: Romæ, *Mugnana*: Venetiis, Trevisana: Pisis, Pratensis: Capuę, Siciana: Barri, Brundusiana: Messanæ in Sicilia, Polizensis: Cataloniæ, Masdeensis: Navarræ, Calzetensis: in præfectura Impositionis, Aliagensis: in Castilia, Olmosana: in Lusitania, Coensis: in Germania, Bucensis: in Boemia, Vratislavienſis; Denique nullum est insigne cœnobium in orbe Christiano, ex quo magnus Magister aliquem fructum non percipiat.

Magnus Magister eligit Legatum pro arbitrio: & hic fratribus veniam omnium eorum, quæ petunt, concedit: nam illi, vt jam diximus, quando in hunc ordinem cooptantur, propriæ voluntati renunciant.

Sed notandum est, magnum Magistrum non posse fratri reo, antequam is sit condemnatus, gratiam facere criminis, neque iis, qui sunt habitu in perpetuum privati, absque consensu capituli generalis.

Potest tamen pœnam in aliam mitiorem commutare: sed oportet præfectos prius pro ipso intercedere: Istud locum habet, quando frater alteri vulnus inflixit: ius antiquitatis autem ei aufertur, qui alterum iniuria affecit, & datur novitiis, qui vocantur fratres Arnaldini: nisi vulneratus mortem oppetat, & aliquo membro mutiletur: nam hoc casu leges stricte observantur.

Magnus *Magister* non potest quidquam donare ex juribus, prærogativis & reditibus sui Magisterii, quod successori sit detrimentosum: & si id faciat, donatio nullam vim habet, & rescinditur.

Præfecti olim instituti fuerunt, vt magno Magistro adessent, tanquam Consiliarii & Senatores. Hi vocantur cœnobiarchæ conventuales: & præterea titulos habent magni Commendatoris, de quo supra loquuti sumus: Mareschalli, cuius etiam jam ante mentionem fecimus: Hospitalis, qui est antiquus titulus, quem princeps ordinis gerebat: *Architalassi*, qui curam habet triremium & rerum maritimarum.

Mareschallus, quando est in exercitu, instar supremi ducis omnibus Equitibus & fratribus ministrantibus, qui arma ferunt, imperat. Nullum tamen imperium habet in præfectos, tam conventuales quam capitulares, neque in cœnobiarchas & Castellanos, qui pro sociis magni magistri habentur.

Est præterea is, quem olim Pannarium vocabant, & magnus Conservator hodie appellatur, estque in numero præfectorum: sicut & is, qui olim tempore belli sacri Turcopola dicebatur, quæ vox significabat ducem equitum levis armaturæ: eratque hoc officium proprium nationis Anglicanæ.

Mareschalli officium est conventus indicere quibus etiam cœnobiarcha ecclesiasticus interesse tenetur.

Eiusdem est signiferum creare, quemcunq; vult, qui magnum ordinis vexillum ferat: quod tamen non facit absque consilio & consensu magni magistri, aut ipsius legati. Sed neque Mareschallus, neq; Architalassus aut vlli præfecti quemquam ab officio, quod ipsi contulerunt, removere possunt: sed hic honos soli magno Magistro & Senatui ordinario competit, qui de criminibus judicant, propter quæ aliquis sit loco movendus.

Magnus Commendator curam habet victus & annonæ, qui etiam, vt supra diximus ærario præest.

Magnus Diæcetes Germaniæ præerat olim arci S. Petri, quæ eo loco sita est, vbi olim fuit Halicarnassus. Hoc officium periit, ex quo Turcæ Rhodum occuparunt.

Mareschallus habet curam Turris, in quam captivi conjiciuntur: neminem tamen ex ea potest emittere absque consensu Senatus. Ipsius quoque est observare an Hipparchus faciat officium, & corrigere, si quid vitii in eo deprehendat.

Nosocomus curam habet valetudinarii, cui aliquem præficit, qui sit natione Gallus, si quis ex ea sit, qui sit idoneus: sin minus, eligit ex aliis quemcunq; vult. Hic autem valetudinarii præfectus tantum per biennium munus istud exercet.

Pannarius curam gerit vestitus, quo Crucigeri vtuntur. Neque enim illis licet absq; illius permissu vestes sibi conficiendas curare.

Præfectis sexaginta tantum aurei singulis annis pro stipendio dantur, quando in conventu manent: absentes suis stipendiis frustrantur. Legati ipsorum quadraginta accipiunt, vt inspectionem in contubernia habeant: Archimandrita quadraginta octo: & Thesaurarius tantundem.

The-

Digitized by Google

Thesaurarius ex alia natione eligi non potest quam Gallica: atque ille recensetur inter præfectos Capitulares. Ipse custodit Bullam ferratam ordinis, sigillis magni magistri & præfectorum obsignatam.

Interest Senatui, & quando rationes reddūtur, eligiturque tam ex Equitum, quam eorum, qui armis ministrant, & Sacellanorum numero.

Majus tamen stipendium accipit, si sit Eques, quam si sit inferioris conditionis.

Archimandrita Ecclesiæ Melitensis imperium habet in omnes sacellanos, & alios, qui sunt ordinis ecclesiastici, exceptis iis, qui in sacello magni Magistri ministrant. Loquor autem de ijs sacellanis, qui Melitæ domicilium habent: nam cæteri sunt sub potestate cœnobiarcharum & Commendatorum in iis locis, vbi degunt.

Præfecti & cœnobiarchæ Conuentuales eliguntur coram magno Magistro. Nam penes ipsum & ordinarium Senatum est eorum electio, quemadmodum etiam electio cœnobiarchæ Ecclesiæ Melitensis.

Crucigeri Melitenses plerunque Procuratorem sive Oratorem habent Romæ in aula Pontificis, qui à Capitulis generalibus & crebro à magno Magistro eligitur. Eum Senatus certis de causis, & quando videt, ipsum adhoc munus ineptum esse, loco movere, aliumque ipsi substituere potest.

Ipsius est beneficia, privilegia & immunitates ordinis defendere, & quæ singulis nationibus concessa sunt, ac stipendia à magno Magistro & Conventu constituta tueri. Ad ipsius etiam officium pertinet, fratribus rebellantibus & immorigeris se opponere, eos increpare, & omni rigore persequi: atque etiam magnum Magistrum de rebus ad ordinem pertinentibus monere: nec fas ipsi est, aliud quidquam accipere præter stipendium ordinarium, quod ex ærario ipsi numeratur.

Omnia denique officia in hoc ordine per electionem conferuntur. Si bellum terra gerendum, & supremus militiæ dux sit eligendus, ex Aruernia sumitur, siquidem aliquis ex ista provincia dignus, & ad hoc officium idoneus inveniatur: si opus sit præfecto classis, à natione Italica petendus est.

Si ex his nationibus idonei duces non suppetant, ex aliis eliguntur, absque præjudicio tamen nationis, & juris antiqui, quod habet.

Quod attinet ad possessiones commendatitias, non licet vlli Equitum duas simul tenere, neq; cœnobiarchis aut castellanis vllas alibi quam in sua provincia habere.

Interim cœnobiarchæ & præfecti, qui huiusmodi possessiones legitime adepti sunt, possunt habere cameras magistrales ipsis concessas, & possessiones commendatitias, quas secularibus, qui eas vsurpabant, eripuerunt, aut eas, quarum vsusfructus jure ad ipsos redit per privationem fratris cujusdam ex ipsorum provincia.

Qui ante assumtum habitum matrimonio iunctus fuit, & liberos suscepit, possessionem commendatitiam obtinere nequit, quamdiu illi vivunt: neque potest vllam possessionem ex gratia aut secundum ordinem antiquitatis accipere, nisi quinquennium ad minimum post assumtum habitum ministravit, neque potest frui vlla pensione aut reditu annuo, nisi triennium ministravit.

Denique nemo potest frui possessione commendatitia, sive gratuita, sive Ordinis, aut accessionis, nisi quis fuerit in Conventu, & jus antiquitatis aut exspectationis habuerit. Litteras autem exspectationis impetrare oportet anno exequutionis, quæ fit per Commendatores: nec potest quisquam augmentum sui beneficii obtinere, nisi quinquennium ministraverit, & annum integrum fuerit in sua possessione commendatitia.

Quidquid Commendatores acquirunt, Ordini cedit: si sit res soli, pertinet ad possessionem commendatitiam vicinam prædio acquisito: si sit res mobilis, ærario publico infertur.

Iis locis, in quibus sunt nominationes beneficiorum, aut collationes, aut præsentationes dependentes à feudis possessionum commendatitiarum, Commendator de ijs pro arbitrio disponit, nisi consuetudo & privilegia locorum aliud ferant: nec possunt cœnobiarchæ, præfecti & Commendatores de iis disponere, si hæc beneficia morte aut alio casu vacare contingat, quando magnus Magister illic versatur: nam tunc ipsius est de iis disponere, etiamsi electio illic locum haberet, nisi hæc beneficia fuerint assignata pro jure antiquitatis cuiusdam ex fratribus. Maxime autem in hoc Ordine vetitum est omnibus, qui Illum profitentur, ne petant officium, possessionem commendatitiam aut beneficium: clam vel palam, directe vel indirecte ab alio quocunque, quam à magno Magistro, Conventu, & Ordini huic adscriptis, penes quos est illa conferre.

Si quis tale quid alia via obtineat, illud in manus magni Magistri resignare tenetur: quod si facere recuset, privatur habitu, & in perpetuum carcerem coniicitur.

Cœnobiarchæ, præfecti & castellani tenentur omnibus quinquenniis possessiones commendatitias jurisdictioni ipsorum subjectas visitare, aut si aliis negotiis vel morbis impediantur, Equitem commendatorem & sacellanum, qui etiam possessionem commendatitiam habeat, eo mittere, vt inspiciant, an omnia recte administrentur, an nihil sit in ædificijs, quod ruinam minetur, aut reparatione opus habeat.

Ob eandem causam Eques & Sacellanus cubicula & possessiones commendatitias cœnobiarcharum & præfectorum visitant.

Si cœnobiarchę hac in parte officium facere neglexerint, locum suum, jurisdictionem & prœeminentiam in cœnobiarchatu ex consuetudine amittunt: & si visitatores à Capitulo delegati legũ transgressorib. faveant, annui spatio fructu suarum possessionum commendatitiarum privantur.

Non licet Commendatoribus vllam mercaturam exercere, multo minus pecuniam fœnori

dare

Digitized by Google

dare aut accipere, nec bona ad Ordinem pertinentia vendere vel oppignerare, absque venia magni Magistri, & consensu Capituli generalis: & Capitulis provincialibus interdictum est, ne de hujusmodi alienationibus agant.

Quamvis etiam Equites aliquid acquisiviſſent, tamen non licet ipsis illud alienare, sine venia magni Magistri & Capituli: nam illius vsum fructum tantum habent ad dies vitæ.

Haud magis licet Quæstoribus prædia fratrum defunctorum elocare, aut eorum mercedes constituere, nisi in Capitulo provinciali, præsentibus cœnobiarcha & quatuor Equitibus senioribus.

Denique omnes in omnibus voluntati superioris se submittere coguntur, qui non permittet, vt plus quam sextam partem bonorum mobilium testamento relinquant: argento autem signato, quod apud defunctum reperitur, debita ipsius exsolvuntur.

Ipse magnus Magister non potest de suis bonis mobilibus disponere nisi permissu Capituli generalis, & quando morti vicinus est.

Quoniam etiam sæpe fit, vt Equites magnum numerum mancipiorum, Turcarum & Maurorum, habeant, quos in excursionibus maritimis capiunt, non licet ipsis eos manu mittere & libertate donare sine venia magni Magistri & Capituli generalis.

In criminibus capitalibus causas curare secularium, qui jurisdictioni hujus Ordinis subjecti sunt, Equitibus est interdictum: nam tanquam homines ecclesiastici hujusmodi causas politicis relinquere debent: similiter in civilibus neque publice neque secreto hoc officio ipsis fungi licet. Præterea si quis ex Equitibus aut Crucigeris culpam aliquam admisit, non licet vlli amicorum aut sodalium ipsius pro eo intercedere ante sententiam latam: postea autem possunt magnum Magistrum rogare, vt pœnam mitiget.

Vnicuique etiam ex fratribus vetitum est fidem jurejurando obstringere, aut fœdus cum quoquam Principe percutere absque venia magni Magistri, aut ipsius Archimandritæ: nec licet ipsis vllum conventum absque eorundem permissu instituere. Causa huius rei est, vt vitentur æmulationes Principum, ex quorum ditionibus fratres sunt oriundi. Nam si vni potius quam alteri adhærerent, ordo detrimentum pateretur. Non licet Crucigeris vagari, aut exire limitibus suarum provinciarum & possessionum commendatitiarum sine speciali venia superioris. Si oberrare deprehendantur, nec libellum, quo venia exeundi ipsis concessa fuerit, ostendere possint, omnibus Commendatoribus iniunctum est, vt illos capiant, & incarcerem coniiciant, & nomina eorum ad cœnobiarcham deferant, vt in eos animadvertat.

Ad peculatum cavendum, Equitibus, aliisque, qui aliquod officium in hoc ordine gerunt, interdictum est, triremem aut aliam navim ad excursionem palam vel clam per homines interpositos instruere: sed hoc privatis tantum conceditur, qui cum officialibus conspirare & colludere non possunt, quin pœnam periurii incurrant: nec possunt Equites excurrere, nisi cum consensu magni Magistri, & permissu ordinarii Senatus.

Antequam hæc ipsis facultas detur, oportet, vt quinque annis ministraverint, & jurent, se territoriis & portubus Christianorum nullum damnum illaturos: quamdiu autem sunt in cursu, jure antiquitatis fruuntur, non minus, quam si Melitæ essent.

Nonnisi magno Magistro & Senatui ordinario licet piratis salvum conductum dare: quod tum demum faciunt, quando extrema necessitas id flagitat: sicut & fugitivis, & mercatoribus, qui foro cesserunt.

Neque alius præterquam magnus Magister & Senatus perfectus cum Turcis, Mauris & aliis infidelibus inducias paciſci, aut transigere potest. Vnicuique etiam interdictum est, tormenta, pulverem nitratum & alium comeatum ex insula & ædibus ad ordinem pertinentibus avehere. Solus magnus *Magister* & Senatus illam potestatem habet, prout necessitas exigit.

Pœna constituta est in eos, qui crucem palliis assutam non gerunt.

Rixæ in contuberniis sunt interdictæ: si qua vis aut pugna in iis fiat, id secundum casum & leges Ordinis vindicatur.

Quoniam supra diximus de pœna, quę fratribus infertur, quando habitu privantur, causæ quoque explicandę videntur, propter quas ejusmodi ignominia afficiuntur.

Pœna hæc ipsis irrogatur, si accusentur, rei peragantur & convincantur hæreseos, sodomiæ, furti, rapinæ, aut quod ad infideles se receperint, aut vexillum Ordinis explicatum in bello contra hostes fidei deseruerint, aut ex prælio fugerint, & socios dereliquerint, aut munitionem hostibus tradiderint. Sed diligens in his rebus adhibetur inquisitio, ne quis condemnetur inauditus.

Falsi testes, falsarii, qui literas Ordinis corrumpunt, periuri, & qui in bello prędis agendis operam dant, eo per annum privantur.

Qui alios horum criminum postulant, nec ea probare possunt, eam pœnam & ignominiam privationis habitus subeunt, quam aliis intentabant.

Concubinatus & omne genus luxuriæ specialibus regulis hujus Ordinis prohibetur. Denique nihil eo melius constitutum est: & si quidam exorbitent, non institutioni & regulis Ordinis, sed ingeniis depravatis imputandum est.

In insula *Melitensi* est Episcopus, qui subest Archiepiscopo Panormitano in Sicilia.

Presbyteri, diaconi aliique ecclesiastici tenentur quotidie precationes secundum ordinem & morem Ecclesiæ Ierosolymitanæ peragere.

Omnes tenentur jejunare toto tempore quadragesimæ, à die cinerum vsque ad Pascha: præterea tempore stativarum supplicationum, die S. Marci, festo Pentecostes, quatuor jejuniorum cardinibus, pridie feriarum Apostolicarum, & Ioannis Baptistæ, S. Laurentii, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis, Purificationis & Annũciationis

B. Vir-

Digitized by Google

B. Virginis, festi omnium Sanctorum, & Natalis Domini.

Quando in mare excurrunt, delicta confitentur, idque suis tantum sacerdotibus: quibus si careant, permissu cœnobiarchę, aut ipsius vicarii, si ille absit, hoc casu necessitatis coram alio suam exhomologesim facere possunt.

Equites, quando sunt in Conventu, tenentur interesse sacris, & supplicationibus solennibus, quisque suo loco, & secundum suam antiquitatem: nec audet quisquam ex illis locum cœnobiárcharum, præfectorum Conventualium aut eorum legatorum occupare, vt honor, qui ecclesiasticis debetur, obseruetur.

Singuli sacerdotum defuncto debent vnam Missam: Diaconi & hypodiaconi Psalterium: ministrantes officia exequialia, aut centum quinquaginta Orationes Dominicas.

Statutum est, vt vir doctus publico stipendio conducatur, qui juniores clericos instituat, & eos doceat linguam Latinam: alius item, qui eos doceat cantare. Nullus autem hypodiaconus recipitur, nisi sit natus XVIII. annos, neque Diaconus, nisi sit natus XXII. neque sacerdos, nisi sit natus XXVI. Omnes autem oportet suum ordinem professos esse.

CATALOGVS MAGNORVM MAGIstrorum Melitensium, qui huc vsque Ordini præfuerunt.

28 Quisnam in ipsis Ordinis, quasi incunabulis, cũ Amalphitani eo, vt suprà dictum est modo, Xenodochium extruerent, primus alterve Ephorus fuerit atq; Præpositus cum Templi S. Iohannis tum ipsius Hospitalis, hoc ex historia mihi non constat.

Credibile est Abbates curam ejus rei egisse, vel alii cuipiam ex Fratribus inspectionem demandasse.

Quicquid sit, inclaruerunt ab eo primũ tempore, quo Christiani proceres expeditione magna facta in terram sanctam eis auxilio venirent, Sepulcrum Domini ex manibus Barbarorum extortum, atque à Sarcasmis impiorum fideles eo loci vindicati fuere, quod factum Anno post Christum natum MXCIX. Hic ergo catalogus incipit, qui sic habet ordine Magnos Magistros pertexens.

I. GERHARDVS

Erat Rector sive Antistes Xenodochii S. Ioã. qui vrbe à Christianis obsessa ab infidelibus male habitus, & diuturno carcere detentus fuit, propterea quod ipsum suspectum haberent, quasi arcana cũ Christianis, qui vrbem obsidebant, consilia agitaret. Verum vrbe à Christianis occupata ex carcere emissus fuit, & Xenodochium S. Ioannis magna cum charitate & cura gubernavit, exstimulans & impellens reges & Principes Christianos, vt illud locupletarent & dotarent: quod liberaliter ab ipsis factum fuit: adeo vt Xenodochium illud S. Ioannis brevi tempore magnos proventus & possessiones in Gallia, Italia, Hispania & alijs Christiani orbis provinciis obtinuerit.

Anno MCXIII. Paschalis Pont. Maximus, fratrem Gerhardum & Equites S. Ioan. in tutelam & protectionem S. Sedis Apostolicę, recepit, magnis privilegiis ipsis concessis, & constituit, vt post obitum Gerhardi canonice ad electionem novi Rectoris & gubernatoris procederetur, qui postea fuit appellatus magnus Magister ordinis sive militiæ Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani: quod nomen ipsi in hunc vsque diem per quingentorum annorum spacium mansit.

Anno MCXVIII. frater Gerhardus ex hac vita migravit; sub Pontificatu Gelasii II. quo tempore ordo Templariorum initium sumsit.

II. RAIMVNDVS POGGIVS alias PVTEANVS

Ei successit frater, qui fuit Eques professus ordinis: quamvis nonnulli existiment fratrem Rogerium Gerhardo successisse, & domum Hospitalem S. Ioannis gubernasse ab anno MCXVIII. vsq; ad obitum Balduini II. regis Ierosolymitani, qui obiit anno MCXXXI. Frater Raimundus in Capitulo Ierosolymæ congregato, ex consilio Equitum leges ordinis condidit, regulam vitæ, qua deinceps Equites vterentur, formavit & instituit. *Magnus* Ordinis *Magister* appellatus fuit, & in suis titulis nomen servi pauperum Iesu Christi, & custodis domus Hospitalis Ierosolymitanæ sibi tribuit. Regula ipsius probata & confirmata fuit à Calixto II. anno MCXX. & postea ab Honorato II. & Innocentio II. atque à successoribus, qui ordine sunt sequuti, qui sanciverunt, vt Equites religiosi secundum regulam S. Augustini vitam instituerent. Hic magnus *Magister*, cum videret, reditus domus Hospitalis quotidie crescere, & se non posse illos melius impendere, quam bellum gerendo contra infideles, omnes suas vires, opes & ordinis socios regi Ierosolymitano obtulit. Illi autem in suis vexillis crucem argenteam in area rubra gerebant, ex instituto Innocentii II. anno MCXXX.

Ex in fratres & religiosi tribus gradibus distincti fuerunt. Nam alii erant Equites, alii Sacellani, alii *Ministrantes*: cum ab initio nullum aliud inter eos discrimen esset, quam quod quidam essent sacerdotes & clerici, reliqui laici. Ab eo tempore nulla expeditio in Palæstina contra infideles suscepta fuit, cui magnus *Magister* cum suis Equitibus & religiosis non interfuerit: qui primum dicti fuerunt Equites Hospitales, seu domus Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani: deinde Equites Rhodii: hodie vero Equites Melitenses appellantur.

In tanto pretio & honore fuerunt, vt plerunque ad gravia & magni momenti negotia adhiberentur.

Inter alia frater Gerhardus Gebertus, Eques huius Ordinis, missus fuit à Fulquio, Andium rege, in Angliam, vt matrimonii inter Constantiam, Antiochiæ Principem, neptem reginæ *Melisendæ*, filiam Principis Boemundi, & Raimundum, filium Comitis Pictavienſis, qui tunc in

aula

Digitized by Google

aula Henrici, regis Angliæ, versabatur, pararius esset: quod etiam dexteritate huius Equitis contractum fuit. Eodem tempore Raimundus Berengarius, Comes Barcinonis & Princeps Cataloniæ, qui insulas Baleares Mauris eripuerat, & castitatem atque honorem Maholdæ, vxoris Imperatoris Henrici V. singulari certamine contra duos Equites Germanos, qui eam falso accusaverant adulterii, defenderat, sub vitæ finem huius S. Ordinis habitum assumere voluit: atque in hac sacra professione reliquo vitæ tempore sancte perseveraverit, vsque ad annum MCXXXI.

Sub idem tempus fertur, tres Equites hujus Ordinis, qui erant Galli, in Picardia nati, quos Sultanus Ægypti captivos detinebat, vno momento miraculose fuisse liberatos, & in Ægyptum translatos, cum Ismeria, filia Sultani, eo loco, vbi nunc est templum B. Virgini lætitiæ dedicatum, quod eveniſſe aiunt anno MCXXXIX.

Anno MCXXXIX. magnus Magister Raimundus obsidionem vrbis Ascalonis, quam infideles plus quam quinquaginta annis contra Christianos defenderant, vrsit ac tandem ea potitus est, XII. August. MCLIV. qui fuit annus decimus regni Balduini III. Remunerationis loco pro hoc insigni opera, magno totius orbis Christiani commodo præstita, Pontifex Anastasius IV. eximia privilegia Ordini Hospitalium S. Ioannis concessit, bulla Calend. Novembr. ejusdem anni data, eosque jurisdictioni & correctioni Præsulum Orientis exemit.

Quod magnas turbas inter Episcopos illius regionis & Equites hujus Ordinis excitavit. Equites autem semper præsidium & favorem apud S. Sedem & Cardinales invenerunt.

Quidam arbitrati sunt, magnum Magistrum Raimundum fuisse Florentinum: sed verior sententia est, eum fuisse Gallum, Delphinatem, nobili familia Puteanorum prognatum: quod ipsum Iacobus Bosius, Italus, qui historiam hujus Ordinis prolixe descripsit, ingenue fatetur.

Mortuus est anno MCLX. tempore Alexandri III. Pontificis, hac fama relicta, quod fuerit homo sanctæ vitæ, Dei timens, prudens & circumspectus in negotiis politicis, & bello fortissimus.

III. AVGERIVS BALBENSIS

Mortuo Raimundo successit in magisterio & regimine ordinis frater, cujus tempore nihil memoratu dignum reperitur, nisi quod Balduinus III. fato functus est, quem Christiani vehementer luxerunt: atque ipsi infideles fassi sunt, Christianos merito gravi luctu propter mortem Balduini affectos, quoniam Principem amisissent, qui non haberet parem in orbe terrarum. *Magnus Magister* Augerius, postquam tribus circiter annis ordinem pacate rexisset, obiit anno MCLXIII.

IV. ARNOLDVS COMPENSIS

Ei surrogatus fuit frater, vir magni animi & consilii, qui paulo post iuam electionem, Ægyptum ingressus est cum Amaurio, novo rege Ierosolymæ, cum bellum inferret Caliphæ Ægypti, qui tributum annuum, quod Balduino III. & sequuturis regibus Ierosolymæ in perpetuum se soluturum promiserat, pendere detrectaret. Hic Arnoldus, postquam domum Hospitalem S. Ioannis quadraginta circiter annis magna prudentia & fortitudine gubernasset, mortuus est anno MCLXVII. cui successit.

V GILBERTVS

Assalicnsis aut Sallicnsis, qui excelso animo & tam liberalis fuit, vt in prodigalitatem inclinaret, præsertim erga milites, adeo vt magnos sumptus fecerit, & exhausto omni ærario Ordinis coactus fuerit pecunias mutuas sumere, hac conditione, vt si Pelusium, infidelibus pulsis, expugnaret, illud Ordini acquireretur, quod III. Novembr. MCLXVIII. feliciter est exequutus. Eo anno generale Capitulum Ierosolymæ habuit: cumque videret, se multum æris alieni conflasse, & Ordinem plus quam centum aureorum millia debere, tædio affectus, quod sua consilia ex voto non succederent, officio magni Magistri se abdicavit, anno MCLXIX.

VI. GASTO

Alius fuit electus magnus *Magister*, de quo nihil dignum relatu in hac brevi historia occurrit: cujus rei causa est brevitas temporis, quo ordini præfuit. Neque enim annum integrum hoc munere functus est, sed eodem anno MCLXIX. quo fuit electus, obiit.

VII. IOBERTVS

Eodem anno succedit Gastoni. Hic postea anno MCLXXVI. se junxit Philippo Comiti Flandriæ, cum in Syriam venisset, vt Balduino IV. suppetias ferret contra Saladinum, cuius numerosissimus exercitus mense Novembri anni MCLXXVII. ab exigua Christianorum manu fuit profligatus. Eodem tempore Fridericus Barbarossa Imperator in gratiam rediit cum Alexandro III. Pontifice. Tandem Saladinus ex regione Damascena discessit, anno MCLXXIX. quo in vivis esse desiit frater Iubertus, magnus Ordinis *Magister*, insigni charitate erga pauperes ægrotos ardens. Ferunt ipsum ægritudine animi extinctum, quod videret, res Christianorum in Syria labascere, & propter ignominiosos & damnosas inducias, suo exemplo inter regem Ierosolymitanum, Comitem Tripolitanum & Saladinum pactas, cum ordini præfuisset circiter decem annis.

VIII. RO-

Digitized by Google

VIII. ROGERIVS MOLINÆVS.

Huic suffectus est anno MCLXXIX. frater, vir magna prudentia & fortitudine prædítus. Ipsius tempore magna inimicitia & dissensio nata est inter Principem Antiochenum & Patriarcham ejus loci, quam vt componeret, & partes dissidentes reconciliaret, electus est hic Rogerius, anno MCLXXXI. quo decessit Alexand. III. cui successit Papa Lucius III. Idem Rogerius cum Heraclio, patriarcha Ierosolymitano & fratre Arnoldo Trogensi, Magistro Templariorum, missus fuit à rege Ierosolymitano in occidentem, tanquam legatus, vt opem à Principibus Christianis exposceret. Ipse & socii benigne fuerunt excepti à Pontifice, Imperatore, rege Philippo Augusto Deodato, qui fuit cognominatus Conquestor, regibus Siciliæ, Angliæ & Hungariæ : omnesque in Syriam reversi sunt, excepto Magistro Templariorum, qui in itinere obiit.

Anno MCLXXVIII. Comes Tripolitanus, fœdere icto cum Saladino, transitum ipsi concessit, & annonam ipsius exercitui subministravit. Cum autem Saladinus vrbem Ptolemaida obsidione cinxisset, Equites S. Ioannis & Templarii ipsius exercitum fuderunt: sed frater Rogerius fortiter pugnãs occubuit, equi supra ipsum prolapsi & armorum pondere oppressus, & equorum hostilium pedibus conculcatus: cuius cadaver postea inter mortuos repertum, multis cum lachrymis & magno luctu humatum fuit. Nihilominus Equites S. Iohannis & Templarii victoria potiti sunt contra Turcas & Saracenos, quorum in eo conflictu quindecim millia perierunt, Calendas Maii, anno MCLXXXVII.

Hic quoq; frater Rogerius à Papa Lucio III. confirmationem regulæ & privilegiorum, quæ Pontifices ipsius antecessores, ordini S. Ioannis concesserant, obtinuit: quo mortuo.

IX. GARNERIVS

Neapoli Syriæ, quod fuit antiquum oppidum Sichemum in Cananea, natus, magnus *Magister* creatus fuit. Ipsius tempore prælium cruentum inter Christianos & infideles cõmissum, in quo Guido Lusignanus, rex Ierosolymitanus, & proceres regni cum vera cruce, quam Christiani secum in pugnam ferebant, ab infidelibus capti, omnes fere Equites S. Ioannis & Templarii partim in prælio occisi, partim post illud capite truncati fuerunt. Frater vero Garnerius, postquam fortiter dimicasset, & diversis partibus corporis lethaliter vulneratus fuisset, pernicitate sui equi evasit, & Ascalonem venit, vbi post decem dies exspiravit, XIV. Iulii, cum duobus tantum mensibus & sex diebus magnus Magister fuisset, Anno MCLXXXVII.

Die XX. ejusdem mensis Iulii, anno MCLXXXVII. Equites, qui erant Ierosolymæ, elegerunt fratrem

X. ERMENGARDVM APSENSEM

Die II. Octobr. ejusdem anni Ierosolymain potestatem venit Saladini, LXXXVIII. annis, duobus mensibus, septendecim diebus, postquam infidelium manibus à Godofredo Bullionæo erepta fuisset, anno secundo Pontificatus Vrbani III. cum Fridericus I. cognomento Barbarossa occidentis, & Isaacus Angelus Constantinopoli Orientis imperium teneret: & in Gallia regnaret Philippus II. dictus Augustus, Deodatus & Conquestor. Tunc Equites Hospitales, Templarii & omnes Christiani Latini Ierosolyma pulsi fuerunt: ex quib. Christianis Hospitales sua pecunia mille ex Barbarorum captivitate redemerunt. Omnia vrbis templa fuerunt polluta & prophanata, præter templum Resurrectionis, quod à Christianis orientalibus magno pretio fuit redemtum.

Amissa Ierosolyma Hospitales semper in armis fuerunt, & fidelem operam Christianis Principibus, qui se cruce signarant, vt terram Sanctam recuperarent, navarunt, multis editis fortibus factis in obsidione Ptolemaidis, quæ post longam trium annorum obsidionem à Christianis capta & infidelium manibus erepta fuit, XII. Iulii MCXCI. In hac vrbe Equites S. Ioannis sedem fixerunt, & ordinarium suum domicilium habuerunt. Eodem anno Christiani memorabilem victoriam contra Barbaros & Saladinum, ducem ipsorum, obtinuerunt, ab Equitibus Hospitalibus & Templariis magnopere adiuti. Anno sequenti, qui fuit MCXCII. in hyeme mortuus est magnus Magister Apsensis in vrbe Ptolemaide: atque ibidem in ipsius locum electus fuit.

XI. GODOFREDVS DVISONVS

Tempore ipsius quinquennales induciæ inter Christianos, qui erant in terra sancta & Saladinum pactæ fuerunt: ob quam causam multi magnates & viri nobiles diversarum nationum, qui se cruce signarant, & magnas opes ac facultates sibi acquisiverant, domum redierunt, bonis, quæ habebant, ordini S. Ioannis datis: quod ipsorum reditus vehementer auxit. Mortuo autem Henrico, Comite Campaniæ, Hospitales & Templarii exiguam particulam regni Ierosolymitani, quod Christianis remanserat, administrarunt & gubernarunt. Hi elegerunt Amaurium Lusignanum, qui in regnum Cypri successerat, regem Ierosolymæ cum consensu Patriarchæ, Præsulum & Baronum regni, anno MCXCIV. & paulo post obiit magnus Magister Duissonus, cui per electionem successit.

XII. ALPHONSVS LVSITANVS

Eques ordinis S. Ioannis ex familia regum Lusitanorum procreatus: cuius autem Regis filius fuerit, incertum est. Statuta quædam laude digna condidit, quorum nonnulla hodieq; inviolabiliter ab hoc ordine observantur. Quoniam vero magnanimus & nimium durus ac severus erat, in odium plerorumque Equitum Hospitalium incurrit: ob quã causam magisterio se abdicavit, & navem conscendit, vt in patriam rediret, eodem, quo electus fuerat,

Digitized by Google

rat, anno MCXCIV. vbi mortuus est anno MCCVII. Calend. Martii.

XIII. GOTHOFREDVS MVS

Alias dictus De la Rat eodem anno, quo Alphonsus magno Magisterio se abdicavit, nempe anno MCXCIV, electus fuit in magnum Magistrum, cùm antea fuisset Galliæ Archimandrita; & obiit Saladini, cui successit filius ipsius Noradinus, Dominus Alepi. Tempore ipsius Simon Comes Monfortius missus fuit à rege Philippo Augusto cum exercitu in Syriam: vbi omnia confusa inveniens inducias decem annorum cum infidelibus pepigit, anno MCXCVIII. quibus durantibus magnum dissidium inter Hospitales, & Templarios ortum est, cum hospitales quererentur, Templarios suam jurisdictionem invasisse, eamque contemsisse & violasse: quod dissidium post multa certamina & furiosos conflictus sedatum & compositum fuit interventu regis Amaurii, Antiocheni & Ierosolymitani patriarcharum, aliorumque Principum & Præsulum Christianorum, qui effecerunt, vt arbitrio & sententiæ Innocentii III. se submitterent.

Quod rebus Christianorum in oriente magnũ emolumentum attulit. Nam post Deum vnica earum spes & fulcrum ab amicitia & concordia horum duorum ordinum militarium dependebat. Ipse rex Amaurius Lusignanus eundem Pont. ficem rogavit, vt se magno Magistro & Equitibus S. Ioannis commendaret, quibus administrationem regni sui Cypri commisit. Anno MCCV. obiit rex Amaurius, & reginæ Isabella, quæ hæredem instituit Mariam filiam suam, quam Conradus Monferratensis ex ipsa susceperat: cui tutores dedit Hospitales & Templarios. Anno MCCVI. magnus Magister Mus ex hac vita migravit: cui successit.

XIV. GVERINVS MONTACVTIVS

Seu de Monte acuto, nationis Arvernianæ, qui cum Equitibus sui ordinis suppetias tulit Livoni, regi Armeniæ, contra Turcas & Barbaros, qui regnum ipsius invaserant. Gratitudinis loco ipsis dedit oppidum Salephum, cum arcibus Camarda & Castro novo, atque iis, quæ eo pertinebant. Ipse se, suum hæredem & regnũ Equitibus domus Hospitalis S. Ioannis. Donum ab ipso datum fuit confirmatum à Pontifice Innocentio III. die V. Aug. anno XIII. Pontificatus ipsius, qui in annum salutis MCCIX. incidit: quo Ioannes Briennensis & Maria vxor ipsius, ac regni hæres, coronati fuerunt reges Ierosolymæ. Idem Pontifex confirmavit statuta & privilegia ordinis Hospitalium, cum aliquo privilegiorum augmento: obiitque anno MCCXVI. paulo post Concilium generale Lateranense. Honorius III. ipsi surrogatus, electionis suæ Equites Hospitales certiores fecit, quibus etiam regẽ Hungariæ & Archiducem Austriæ, qui se suasu ipsius cruce signaverant, commendavit, vt ipsis duces & adjutores essent ad recuperandam terram sanctam Atque etiam Andreas, rex Hungariæ, in palatio ipsorum hospitium habuit, eosque rogavit, vt se in numerum fratrum sui ordinis reciperent, quibus annuum proventum quingentarum marcarum argenti donavit, quas ipsis ex reditibus salinarum sui regni assignavit, datis litteris anno MCCXVII.

Anno MCCXXII. magnus Magister Guerinus ingens dissidium, inter Isabellam, reginam Cypri, regem Henricum, filium ipsius, & proceres regni ab vna; & Archiepiscopos, Episcopos, Præsules & ordinem Ecclesiasticum huius regni, propter decimas & possessiones ecclesiasticorum ortum, composuit: postea Romam venit, accersitus à Pontifice: deinde reversus in terram Sanctam, ipse & Equites sui Ordinis rogati fuerunt, vt sub tutela S. Sedis, patrocinium susciperent regis & regiminis regni Cypri. Tandem anno MCCXXX. magnus Magister Guerinus Ptolemaide obiit, qui propter prudentiam & insignem fortitudinem in magno pretio habitus fuit à Principibus Christianis, magnumq; sui desiderium reliquit Equitibus sui Ordinis, qui ipsius loco elegerunt.

XV. BERTRANDVM TEXIVM

Cujus tamen effigies non reperitur. Sub huius magno Magister o omnia negotia Christianorum in terra Sancta prorsus dependebant ab Equitibus Hospitalibus & Templariis, qui licet dissidia & simultates inter se exercerent: tamen in promovendo commodo & emolumento Christianorum cõtra Infideles inter se consentiebant.

Imperator Fridericus II. cum Pontifice Gregorio IX. reconciliatus, eum rogavit, vt suam auctoritatem apud magnum Magistrum Bertrandum & Hospitales interponeret, quo suorum negotiorum pat o initum in Syria susciperet: quod Pontifex ipsi concessit, & in gratiam ipsius ad magnum Magistrum scripsit, XXVI. Iulii, anno MCCXXXIII.

Eo tempore vivebat S. Hugo, Eques huius ordinis, & commendator Genuensis, qui ab eodem Pontifice Gregorio IX. in numerum sanctorum fuit relatus.

Anno MCCXL. frater Bertrandus Ptolemaide decessit, paulo post adventum Richardi, Comitis Cornubiæ, fratris Henrici, regis Angliæ, qui exercitum quadraginta millium hominum in Palæstinam duxit.

Huic Bertrando successit frater GVERINVS, cujus cognomen ignoratur, ac proinde à quibusdam inter Magistros non ponitur singulari numero, sed interim observatur. Is Comiti Cornubiæ particulam dedit pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui Ierosolymæ asservabatur per Magistrum domus Hospitalis S. Ioannis. Eam Comes Cornubiæ in Angliam attulit.

Anno MCCXLII. vivis exemptus fuit beatus frater Gerhardus Mecatius, frater ministrans Ordinis S. Ioannis, natus Villæ magnæ qui pagus est quatuor aut quinque passuum millibus Florentia distans: qui assumto habitu tertii ordinis S. Francisci adeo

Digitized by Google

sci adeo religiosè vixit, vt pro altero S. Hilarione haberetur.

*M*agnus *M*agister Guerinus, fortiter pugnans, cum Coraſminis in fidelibus, captus ab ijs fuit, & ad Sultanum Ægypti missus, vbi vltimum vitę diem clausit, anno MCCXLIV. Ipsius loco Equites S. Ioannis elegerunt in vrbe Ptolemaide magnum *M*agistrum.

XVI. BERTRANDVM DE COMPIS

Tempore Pontificis Innocentii IV. qui convocavit Concilium generale Lugduni, an. MCCXLV regnante S. Ludovico. *M*agnus hic *M*agister acri prælio contra Turcomanos certavit, qui regionem circum Antiochiam depopulabantur, mense Augusto, an. MCCXLVIII. In eo prælio acceptis aliquot vulneribus lethalibus animam exhalavit: & post ipsum Ptolemaide XXV. ejusdem mensis Augusti in magnum magistrum electus fuit.

XVII. PETRVS VILLEBRIDANVS

Sub hoc rex S. Ludovicus cum multis Principibus & Prælulibus Galliæ cruce se signavit contra infideles, & Perlusium, quod hodie Damiatam vocant, obsedit, ab Equitib. Hospitalib. & Templariis adjutus, quam mox deditione cepit. Anno MCCL Sultanus Ægypti prælium cum Christianis commisit, in quo rex S. Ludovic. fuit captus cum suis fratrib. Carolo & Alphonso, nec non rege Cypri & magnis magistris Equitum Hospitalium & Templariorum, ac maxima parte Equitum vtriusq; Ordinis. Postea rex S. Ludovicus cum Sultano transegit, & Equites Hospitales mutuum ipsi argentum dederunt ad lytrum suum exsolvendum.

Anno MCCLI. magnus *M*agister Villebridanus vltimum vitę diem clausit, Ptolemaide: cui per electionem succesſit.

XVIII. WILHELMVS DE CASTRO NOVO,

Nationis Arvernianæ, qui fuit exactus justitiæ vindex, sub Pontifice Alexandro IV. qui Equitibus Hospitalibus arcem & territorium Bethaniæ dedit, anno MCCXXVI. Ipsius tempore Christianis terræ Sanctæ omnis spes præcisa fuit auxilii, quod à Principibus Europæ exspectabant.

Anno MCCLX. *M*agnus *M*agister de Castronovo obiit, & Hospitales ipsius loco elegerunt.

XIX. HVGONEM REVELLIVM,

Cujus tempore Papa Vrbanus IV. Equitibus S. Ioannia montem Taboritanum dedit, anno MCCLXI. qui anno MCCLXII. emerunt arcem Assuriam, & biennio post Saracenis arcem Lilion eripuerunt, occisis duobus Emiris sive ducibus aut Tribunis Saracenorum: quæ fuit causa, vt Sultanus Ægypti in animum induxerit Equites Hospitales exterminare: prout etiam an. MCCLXV. arcem Assuriam vi cepit: in qua expugnatione XC Equites S. Ioannis desiderati fuerunt. Quod Ordinem S. Ioannis vehementer labefactauit: & anno MCCLXVII. Hospitales & Templarii, prælio commisso, à Saracenis prope vrbem Ptolemaida victi fuerunt, tota regione circumjacente à victoribus vastata. Anno MCCLXX. Hospitales arcem Cracam amiserunt, quam Sultanus vi expugnavit, omnibus Equitibus, qui in ea erant, obtruncatis.

*M*agnum *M*agistrum Revelium regi S. Ludovico in itinere Tunetano, in quo febre est extinctus, opem tulisse creditur. Tandem anno MCCLXXVIII. magnus Magister Revelius debitum naturæ persolvit, cum quinque Capitula, sive conventus Ordinis S. Ioannis habuisset, in quibus multæ præclaræ leges de gubernando & reformando Ordine latæ fuerunt.

XX. NICOLAVS LORGIVS

Eo mortuo electus fuit in magnum Ordinis *M*agistrum, qui vt suo anteceſſori nihil concederet, cum sciret, nullam esse Rebuspublicis & Ordinib. exitiabiliorem pestem, quam discordiam, tantum studii & operæ in reconciliandis Hospitalibus cum Templariis posuit, vt pacem & amicitiam inter eos sanciverit.

Anno MCCLXXXII. Equites S. Ioannis memorabilem victoriam obtinuerunt contra Saracenos, qui arcem Margatam, præcipuam ipsorum munitionem, obsessum venerant: quod Sultano occasionem dedit, vt eam anno MCCLXXXV. corona cingeret: quæ fortiter ab Equitibus defensa, tandem deditione facta in Sultani potestatem venit. Equites signis explicatis Ptolemaida concesserunt.

Anno MCCLXXXVIII. magnus Magister Lorgius ex mœrore obiit, quod videret, res Christianorum in terra sancta magis ac magis ruere, & ad interitum vergere, quibus nulla ratione subvenire aut remedium afferre posset.

XXI. IOHANNES VILLIERSIVS

Eodem anno electus fuit in magnum Magistrum ex natione Francica. Ipsius tempore capta fuit Tripolis ab infidelibus, Christianis ejectis: quemadmodum & Sidon ac Berythus, anno MCCLXXXIX, quæ vrbes fuerunt direptæ, vastatæ & incensæ. Tyrus quoque in Sultani potestatem redacta fuit, cum quo Christiani, qui Ptolemaide erant, inducias pepigerunt: interea magnus Magister Brundusium venit, cum magno Magistro Templariorum, vt Principes Christianos ad cruce se signandum hortarentur.

Anno MCCXCI. Sultanus vrbem Ptolemaida obsidione cinxit, summa virtute eam defendentibus Equitibus Hospitalibus & Templariis, qui sæpius eruptione facta cum hostibus conflixerunt: atque ipse magnus Magister, vulnere accepto, diu

Digitized by Google

Barbarorum infidelium impetum sustinuit. Equites verò repagulis objectis in quadam vrbis platea se sepserunt: quæ tandem capta fuit, die Veneris, XVIII. Maij, anno jam dicto, MDXCI. Hac vrbe amissa Christiani ex terra Sancta ejecti fuerunt, CXCI. annis, decem mensibus, tribus diebus, ex quo Godofredus Bullionæus eã occupaverat. Magnus Magister cum reliquiis suorum Equitum per mare in insulam Cyprum confugit, vbi à rege benigne & humaniter exceptus fuit, qui Equitib. Hospitalib. & Templariis assignavit vrbem Melisonam, vbi est portus maris, vt illic sedes figerent. In ea vrbe magnus Magister Villiersius duo generalia capitula congregavit, vnum anno MCCXCII. mense Dec. alterum sequenti anno, mense Octobri. vbi novas leges ordini præscripsit. Anno MCCXCIV. Melisone è vita migravit: cui successit.

XXII. ODO PINÆVS

Provincialis. Tempore Papæ Bonifacii VIII. odium & malevolentiam Equitum sui ordinis sibi conciliavit, propter suam negligentiam & avaritiam: & fuerunt aliqui sermones habiti de ipso exauctorando: quod Pontifex vitandi scandali causa impedivit. Tandem Romam citatus fuit, vt ad querelas Hospitalium responderet: quo cum proficisceretur, in itinere obiit, anno MCCXCVI. cum annis præcedentib. duo capitula generalia Melisonæ habuisset. Chronicon quoddam manuscriptum refert, cum à litteris quibusdam Pontificis, quæ excommunicationem continebant, provocasset, eum appellationem denuntiasse & ordine consueto peregisse.

XXIII. WILHELMVM VILLARETVM

Equites intellecta morte magni Magistri Pinæi, Melisonæ XXIV. Martij, MCCXCVI. successorem elegerunt, qui & ipse Provincialis, & S. Ægidii cœnobiarcha erat. Cum eligeretur, in illo cœnobio versabatur: cujus rei certior factus, protinus in regnum Cypri reversus est, vbi in suo munere se prudenter admodum gessit.

Sub ipso Vssum Cassam, rex Tartarorum, Christianam fidem amplexus est, & Ierosolymam recuperavit, cujus custodiam Hospitalib. & Templariis commisit, anno MCCC. Idem Damascum cepit: sed vtraque vrbs ab infidelibus mox recepta fuit, & Hospitales ac Templarii in insulam Cyprum se receperunt. Magnus autem Magister anno MCCC VIII. ex hac vita in meliorem migravit, cum Melisonæ quinque Capitula generalia habuisset, & totalem ruinam Equitum Templi vidisset.

XXIV. FOLQVETVS VILLARETVS

Extincto magno Magistro, in ipsius locum electus fuit, itidem ex Provincia oriundus, vir ingenio sagaci & excelso animo præditus. Cum ad hanc dignitatem evectus esset, illud exequi decrevit, de quo sæpius sub ipsius antecessore actum fuerat, sed ad exitum perduci non potuerat, vt nimirum Equites ex insula Cypro migrarent, & alio se conferrent: quod feliciter est exequutus. Nam eodem anno, quo fuit electus, nempe anno MCCCVIII. Constantinopolim & inde in Galliam profectus est, vbi Papa insulam Rhodum ipsi dono dedit, quam ipse & equites ejus anno MCCCIX. cum aliis septem insulis vicinis occuparunt. Atque eo translata fuit sedes Ordinis S. Ioannis, ita vt Equites illius postea fuerint cognominati Rhodii. Paulo post Ottomannus, primus Turcarum Imperator, cum potenti exercitu Rhodum obsidione cinxit. Amedeo autem IV. Comite Sabaudiæ obsessis suppetias ferente, Ottomannus obsidionem solvere coactus est. Ab eo tempore Comites Sabaudiæ crucem candidam in rubra area insignibus suis inseruerunt, in memoriam auxilii, quod Amedeus IV. Ordini S. Ioannis tulerat. Ordine Templariorum in Concilio generali Viennæ in Delphinatu abolito, pleræque illorum facultates Ordini S. Ioannis à Papa Clemente V. concessæ fuerunt:

Anno MCCCXII. & MCCCXIV. Equites Rhodii insulam Cariam aliasque in mari Ægæo insulas sui juris fecerunt. Magnus autem Magister victoriis suis insolentior factus, propter suam jactantiam & ferociam in odium Ordinis incurrit: ita vt Equites ab eo deficerent, & nisi in arcem evasisset, eum comprehensum in custodiam dedissent. Verum cum arce illa potiri non possent, dignitatem magni Magistri ipsi abrogarunt, & eius loco elegerunt (quem quidam ideò in ordine numerant XXV. sed melius est omittere.)

Fratrem Mauricium Pagnacensem. Papa Ioannes XXII. eo cognito graviter offensus fuit: & duos Præsules Rhodum misit, vt in rem illam inquirerent, dato mandato Villaretum & Pagnacensem citandi, vt Avenione se sisterent: quod vterque fecit. Interea Papa fratrem Gerhardum Pinæum, Vicarium seu legatum generalem Ordinis S. Ioannis creavit, cuius tempore Orcanes, Turcarum Imperator, ad obsidendam insulam Rhodum se comparavit, de quo Equites Rhodii anno MCCCXXI admirabilem victoriam reportarunt, duobus millibus Turcarum cæsis.

Interea Mauricius Pagnacensis Mompessuli decessit, anno MCCCXXII. & Folquetus Villaretus in pristinam suam dignitatem fuit restitutus: qui cum videret, se exosum esse Equitibus, munere magni Magistri se abdicavit, anno MCCCXXIII. & vixit vt Eques privatus vsque ad Calend. Septembr. MCCCXXVII. Tunc mortuus est, & Mompessuli sepultus.

XXV. JOHANNEM HELIONEM

Alias ÆLIANVM eodem anno, quo ille prior se abdicavit, nempe MCCCXXIII. Equites Rhodii obtulerunt Pontifici. Villa-novanum, natione, vt superiores, Provincialem, & cœnobiarcham S. Ægidij, vt magni Magistri munere fungeretur. Pontifex hac electione admodum lætatus, eum diplomatis missis in hoc munere confirmavit, magno cum applausu omnium Cardinalium & Equitum

Digitized by Google

tum Rhodiorum. Erat enim honestatis, virtutis & probitatis fama celeberrimus.

Hic magnus Magister Mompessuli Capitulum generale habuit, mense Octobri MCCCXXX. & cum Rhodum proficisci in animo haberet, Massiliæ in gravem morbum incidit: tandem recuperata valetudine, anno MCCCXXXII. Rhodũ pervenit: eodemque anno Capitulum generale illic habuit, in quo præclaræ leges fuerunt latæ. Cum rebus optime præesset, Ordo non tantum omne æs alienum, quod contraxerat, dissolvit, sed etiam ingentes opes accumulavit, adeo vt multi invidia inflammati, auctores Pontifici fuerint anno MCCCXLII. vt opibus illis in duas partes divisis, duos ordines militares crearet: quod tamen exitu caruit.

Anno MCCCXLIII. fœdus initium fuit inter remp. Venetam, regem Cypri & Ordinem S. Ioannis. *M*agnus autem Magister, qui felicis gubernatoris cognomentum meruit, Rhodi XXVII. *M*aij, MCCCXLVI. vitam cũ morte commutavit, postquam mœnibus & turribus palatium magni Magistri cinxisset, & nationibus, præfecturis & dignitatibus certum ordinem præscripsisset.

XXVI. DEODATVS GOZONENSIS

Statim post mortem magni Magistri Villa-novani, Eques Provincialis, ejusdem cum superioribus nationis, in magnum *M*agistrum electus fuit, anno MCCCXLVI. Quatuor circiter annis, antequam ad hanc supremam dignitatem promoveretur, cum horribili & monstroso Dracone pugnaverat, qui insulam Rhodum affligebat, eumque interemerat: vnde in tanto honore & pretio apud omnes fuit, vt memoria ipsius in perpetuum posteritati commendabilis sit futura: estque ideo dictus peculiari cognomento TVE-SERPENT, id est, Serpenticida.

Anno MCCCXLVII. regi Armeniæ contra Sultanum Ægypti opem tulit. Papa autem Clemens VI. tanti faciebat Equites Rhodios, vt omnibus fere munitionibus, quas in Italia tenebat, vnum ex illis præfecerit: & anno MCCCLI. idem Papa summo studio Constantium, regem Armeniæ, magno *M*agistro Ordinis Rhodii commendavit.

Anno MCCCLIII. Ioannes Catacuzenus, filius Imperatoris Constantinopolitani Rhodum venit, opem magni Magistri implorans: qui Magister cum Ordini S. Ioannis septem annos, sex menses & decem dies præfuisset, VII. Decemb. ejusdem anni MCCCLIII. fatis concessit.

Sepultus fuit in templo S. Ioannis Rhodii, postquam portum in vrbe Rhodo muro circumdedisset, & castrum mœnibus cinxisset, ac versus mare clausisset, denique duo generalia Capitula habuisset, vnum mense Ianuario, anni MCCCXLVI. alterum mense Martio, anni MCCCLI.

XXVII. PETRVS CORNILIANVS

Anno MCCCLIII. magno Magistro per electionem successit, cœnobiarcha S. Ægidii, natione, vt superiores, Provincialis: quo in officio tantum modo vixit vnum annum, octo menses & septendecim dies. Nam morbo correptus in vrbe Rhodo, obiit XXIV. August. MCCCLV. Vitam degit adstrictam & severam, adeo vt morum Corrector cognominaretur. Capitulum generale habuit Rhodi, anno MCCCLIV. in quo multæ bonæ & salutares leges conditæ fuerunt.

XXVIII. ROGERIVS PINÆVS

Extincto magno Magistro, forma solita electus fuit in magnum Magistrum, Provincialis, sicut superiores anno MCCCLV. Ipsius tempore Papa persuasit Ordini S. Ioannis, vt Principatum Achaiæ à Iacobo Sabaudo, Pedemontii Principe, emeret: & habitus fuit generalis equitum Rhodiorum cõventus Avenione, ad illam emptionem conficiendam, & reformandos quosdam abusus, qui inter fratres Ordinis S. Ioannis irrepserant. Cognomen nactus est Eleemosynarii, eo quod peste in Insula valde grassante & famis malo simul multitudinem premente, ipse omnia, quæcunque habebat bona distribuit in sustentationem pauperum, & sic plurimos conservavit, cogitans nempe Ordinem suum ab Hospitali initia sumtisse.

Anno MCCCLVII. leges Ordinis in linguam Latinam translatæ, posteaque anno MCCCLIX. ex mandato magni Magistri earum volumen authenticum ad omnia cœnobia missum fuit.

Magnus Commendator & Mareschallus Ordinis à magno Magistro in Galliam tanquam legati, visitatores & reformatores missi fuerunt.

Anno MCCCLXII. post mortem Papæ Innocentii VI. electus fuit Vrbanus V. qui literas dedit ad magnum Magistrum Rhodium, quibus eum de obitu antecessoris & ipsius electione certiorem fecit.

Congregatio Equitum à Pontifice Carpentoracto convocata, sed non celebrata fuit, propter obitum magni Magistri, qui è vita discessit XXVIII Maij, MCCCLXV.

Pauperes ipsum valde luxerunt, quoniam erga ipsos liberalis, & largus eleemosynarius fuerat.

XXIX. REMONDVS BERENGARIVS

Anno MCCCLXV. Provincialis, ejusdem qua superiores, nationis in magnum Magistrum electus fuit.

Is prius Commendator Castelli Saraceni erat: & illico legatos ad Papam Avenionem misit, vt in ipsius fidem & clientelam se daret.

Ipsius tempore Rex Cypri & Ordo S. Ioannis, fœdere inito, Alexandriam Ægypti expugnarunt,

Digitized by Google

quam diripuerunt, expilarunt & incenderunt. Anno MCCCLXVI. Papa datis ad reges & Principes Christianos literis, eos rogavit & hortatus est, vt Ordinis S. Ioan. & Regi Cypri opem ferrent, larga peccatorum venia ijs concessa, qui id facerent. Armeni pulsi à Saracenis ex suis ædibus, humaniter ab eodem Ordine in Insulam Cariam recipiuntur. Eodem tempore Tripolis in Syria à Rege Cypri & Equitibus Rhodiis capta & direpta fuit.

Anno MCCCLXI. magnus Magister electus fuit à Pontifice, vt esset Nuncius S. Sedis Apostolicæ in regno Cypri, & illic motus & dissentiones componeret: qui ipsemet eo profectus est, & sua auctoritate & prudentia omnia illic pacavit.

Anno MCCCLXXIII. magnus Magister abdicare se volens munere magni Magistri, Theologum, cognatum suum, ad Pontificem misit, rogatum, vt cum ipsius venia ac bona gratia id sibi facere liceret. Sed Papa Gregorius XI. id ipsi permittere noluit, eumque pro bono Christiani orbis in obeundo suo munere pergere jussit.

Eodem anno conventus generalis Ordinis S. Iohan. Avenione habitus fuit: paulo post magnus Magister fatis concessit, cum Ordini præfuisset XVIII. annis cum dimidio, & duo generalia Capitula Rhodi habuisset, vnum mens. Martio, MCCCLXVI. alterum in Octobri MCCCLXX. in quibus multæ salutares leges latæ fuerunt, prout necessitas temporis postulabat.

XXX. ROBERTVS IVLIACENSIS

Eodem anno MCCCLXXIII. archimandrita Franciæ, electus fuit in magnum Magistrum, qui cũ eligeretur in suo cœnobio erat, moxq; accepto nũcio de sua electione, Avenionem profectus est, osculatum pedes suæ sanctitatis, vbi benigne exceptus & magno honore affectus fuit. Illic conventus generalis Ordinis celebratus fuit: & Pontifex præfecturam vrbis Smyrnensis Ordini S. Ioannis tradidit, ac magno Magistro sub pœna excommunicationis imperavit, vt eam susciperet: quianno MCCCLXXIV. navem ingressus, vt Rhodum proficisceretur, eo feliciter appulit, & sua præsentia omnes rumores de prava rerum administratione per ipsius absentiam sparsos discussit. Anno MCCCLXXVI. alius conventus Avenione celebratus fuit: eodemque tempore Papa domicilium suum Romam transtulit, quod ipse & antecessores Avenione LXXI. annis habuerant. Eodem anno, XXIX. Iun. magnus Magister Iuliacensis ex hac vita migravit.

XXXI. IOHANNES FERDINANDVS DE HEREDIA

Ejus loco electus fuit, natione Tarraconensis, ex vrbe Valentia oriundus, qui fuerat cœnobiarcha Cataloniæ, & Castellanus Impostæ, cumque post geminas nuptias viduus esset, habitum Ordinis assumsit, & factus fuit Eques Rhodius, tempore magni Magistri Villanovani. Dum simplex Eques esset, permissu magni Magistri, sanctum sepulchrum & alia loca terræ sanctæ visitatum iuit. Idem fuit legatus Papæ Clementis VI. ad regem Galliæ Philippum II. & regem Angliæ, Eduardum III. Anno MCCCXLVI. singulare officium regi Philippo præstitit. Nam cum Rex in quadam pugna contra Anglos equo suo deturbatus fuisset, suum equum ipsi tradidit, cui Rex insidens, in locum tutum evasit. Avenionem, cui Pontifex ipsum præfecerat, propugnaculis & novis mœnibus munivit. Papa, gratitudinis loco, cœnobiarchatum S. Ægidi vacantem ipsi contulit. Magnus Magister factus Rhodum se contulit, anno MCCCLXXVII. & rogatus à supremo exercitus Venetorum duce, vt viribus junctis secum in Peloponnesum proficisceretur, ambo anno MCCCLXXVIII. vrbem Patras obsederunt, eamque cum arce expugnarunt: & magnus Magister cum præfecto vrbis singulari certamine congressus, eum interemit. Postea à Turcis circumventus & captus fuit: à quibus agnitus, vt redimeretur, Patræ & alia loca occupata ipsis reddita fuerunt.

Nihilominus, Turcæ ipsum in Epirum duxerunt, vbi eum per triennium pro mancipio habuerunt, vsque ad annum MCCCLXXXI. Dum captivus esset, Gregorius XI. Romæ obiit, & Vrbanus VI. ipsi surrogatus fuit, impulsu populi Rom. qui nolebat, vllum Cardinalem Gallum Papam creari. Sed Cardinales Fundis, Campaniæ oppido libertati restituti Clementem VII. elegerunt, qui Romæ pro Antipapa habitus fuit: quod Ecclesiam diuturno & pernicioso schismate distraxit. Anno MCCCLXXX. durante captivitate magni Magistri, capitulum generale Ordinis Equitum Rhodiorum celebratum fuit, in quo frater Bertrandus Flottanus præsidem egit.

Anno MCCCLXXXI. magnus Magister ex sua captivitate redemptus, Rhodum rediit, quo legati Smyrna ad eum venerunt opem ipsius implorantes.

Anno MCCCLXXXII. alius conventus generalis Rhodi fuit celebratus, in quo decretum fuit, vt magnus Magister in Galliam proficisceretur: qui cum venisset Avenionem, ipse & totus Ordo S. Ioannis Papam Clementem VII. Verum Domini nostri Iesu Christi Vicarium agnovit: & fuit habitum Capitulum generale Ordinis Valentiæ ad Rhodanum. Ob hanc causam Papa Vrbanus VI. illum magni Magistri dignitate privavit, surrogato in ipsius locum fratre Richardo Caracciolo Neapolitano, anno MCCCLXXXIII. Verum Ordo hunc pro magno Magistro nunquam habuit, qui vivente adhuc Herediano obiit Romæ, anno MCCCXCV.

Anno MCCCXCI. Baiazeth, Turcarum Imperator, apparatum quendam instruxit ad obsidendam Rhodũ. Hac de causa frater Philibertus Naillacensis, cœnobiarcha Aquitaniæ, missus fuit à conventu Rhodio Avenionem ad magnum Magistrum, cum literis, vt Ordini contra Baiazethem opem ferret. Naillacensis Rhodum rediit anno MCCCXCVI. quo anno magnus Magister Herediano decessit, qui fuit sepultus in oppido Caspio.

Digitized by Google

XXXII. PHILIBERTVS NAILLACENSIS

Nuncio Rhodum allato de obitu magni Magistri Herediani, in ipsius locum electus fuit, nationis Francicæ, magnus cœnobiarcha Aquitaniæ, an. MCCCXCVI. in vere: Eũ Sigismundus, rex Hungariæ, ad opem sibi ferendam contra Bajazethem invitavit: ad quem venit anno MCCCXCVII. Pugna commissa ad Nicopolin Bajazeth victoria potitus est: rex autem Hungariæ cum magno Magistro Rhodum se recepit: quo Imperator Constantinopolitanus sua pretiosissima cimelia misit, cum metueret, ne Bajazeth Constantinopolim caperet. Sed Tamberlanus eum hoc metu liberavit, qui Bajazethem victum caueę ferreæ inclusum per omnẽ vitam tenuit. Obsidione vrbis Constantinopoleos soluta, magnus Magister cimelia ad Imperatorem remisit.

Bajazethe capto, magnus Magister Naillacensis cum exercitu in Cariam navigavit, vbi munitionem inexpugnabilem condidit, quam arcem S. Petri vocavit, anno MCCCXCIX. sub rege Galliæ Carolo VI.

Anno MCDIII. bellum inter regem Cypri & Genuenses exarsit, quod auctoritate & prudentia magni Magistri Naillacensis compositum fuit: ad quem Sultanus Ægypti legatum misit: pacem petens. An. MCDIX. magnus Magister interfuit Concilio Pisano, quod ad extinguendum schisma, quo tũc Ecclesia flagrabat, convocatum fuit. Tunc custodia Conclavis magno Magistro comissa, & Alex. V. Põtifex creatus, electionẽ magni Magistri Naillacens. confirmavit: qui capitulũ generale Niceã in Provincia cõvocavit: quod postea Aquas Sextias translatũ fuit. Idẽ Pontifex confirmavit privilegia Ordinis, & delictorum veniam ijs promisit, qui auxiliũ Ordini S. Ioannis ferrent, misso legato, anno MCDX. ad reges Galliæ & Angliæ. Hic quoq; magnus Magister anno MCDXIV. Concilio generali Constantiensi interfuit, in quo tres Pontifices depositi, & Martinus V. electus fuit, anno MCDXVII. custodia cõclavis iterũ magno Magistro cõmissa, qui anno MCDXVIII. in Galliam profectus est: vbi cõvẽtus generalis Ordinis in vrbe Auenione habitus, qui postea Florentiam ac tandem Anconam translatus fuit. Inde Rhodum rediit, anno MCDXX. vbi capitulum generale habuit: & anno MCDXXI. ineunte mense Junio exspiravit.

XXXIII. ANTONIVS FLAVIANVS

Alias DE RIPA, Mortuo successit sive Ripanus, natione Tarraconensis, sub initium mensis Iulii, anno MCDXXI.

Sub ipso cœpit concilium generale Basilienſe, anno MCDXXXIII. & capitulum generale habitũ fuit Rhodi, in quo legati denominati fuerunt, qui nomine Ordinis S. Ioannis Concilio interessent.

Anno MCDXXXV. Sultanus Ægypti victoria elatus, quam in insula Cypro obtinuerat, inducias rupit. & magnos apparatus fecit, vt Rhodum obsideret, sed cum intellexisset, magnum Magistrum omnia necessaria ad sustinendã obsidionẽ comparasse, ab incepto destitit, & Ordinem missum fecit.

Anno MCDXXXVII. magnus Magister fundavit & dotavit sacellum in vrbe Rhodo, quod in templo Conventus exstruendum curaverat: & XXIX. Octobr. extremum diem clausit, cum Ordini paulo minus sedecim annis cum dimidio magna prudentia præfuisset.

XXXIV. IOHANNES LASTICENSIS

Die VI. Novemb. ejusdem anni MCDXXXVII. electus fuit in magnum Magistrum, ex Aruernia oriundus, qui cum eligeretur absens erat, & in patria hærebat, vbi cœnobiarcham agebat. Antequam Rhodum proficiseeretur, conventum egit Valentiæ, & mense Decembri MCDXXXVIII. Rhodum appulit: vbi anno seq. novum valetudinariũ ædificare cæpit, quod antecessor ipsius testamento suis sumptibus condendum mandaverat.

Ipsius tempore Papa Eugenius IV. à Concilio Basilienſi depositus, & Felix V. ipsi surrogatus fuit, quem tamen Romani pro Antipapa habuerunt. Anno MCDXL. Sultanus Ægypti cum exercitu ad portum insulæ Castelli rubri ad Ordinem pertinentis accessit: cumque inde Rhodum petiisset, à copiis Equitum fusus & fugatus fuit, tametsi illi octo tantum triremes haberent, in classe autem Sultani octodecim essent. In ea pugna septingenti circiter Saraceni occisi fuerunt, præter ingentem sauciatorum numerum. Sultanus hac clade acceptа iritatus, cum Amurathe, Turcarum Imperatore, fœdus percussit, eo animo, vt insulam Rhodum caperet, & Equites inde expelleret.

Itaque anno MCDXLIV. Rhodum obsidione cinxit, quæ fortiter ab Equitibus Rhodiis defensa fuit. Mense Septembri ejusdem anni conventus generalis Rhodi habitus fuit, vt necessitatibus Ordinis succurreretur.

Anno sequenti magnus Magister regem Cypri Pontifici reconciliavit, & pacem cum Amurathe fecit. ac generale capitulum habuit Rhodi, mense Iulio. Eodem anno mandavit, vt generale capitulum Senis haberetur: quo magnus Magister suos legatos & procuratores misit: inde capitulum Romam fuit translatum, vbi celebratum fuit in palatio S. Petri, anno MCCCCXLVI. quo anno Ordo cum Sultano pacem fecit.

Anno MCCCCXLIX. cessavit schisma in Ecclesia, renunciatione facta à Felice V. in gratiam Pontificis Nicolai V. quo anno, mense Septembri, habitum fuit Rhodi capitulum generale, quo durante Dux Cliviæ Rhodum venit, cum reverteretur ex itinere suo Ierosolymitano, quod Religionis ergo susceperat, vt visitaret S. Sepulchrum, & alia loca terræ sanctæ.

Anno MCCCCLI. generalis conventus Rhodi habitus, in quo administratio ærarij magno Magistro commissa fuit, qui anno MCCCCLII. post mortem Amurathis pacem cum Mahomethe II. ipsius filio renovavit. Anno sequenti Mahometh Constantinopolin occupavit XXIX. Maij, & victoria elatus magno Magistro significavit, vt singulis annis duo millia ducatorum tributi loco sibi

Digitized by Google

pender et, alioqui se pacem, quamvis jurejurando firmat am, non amplius servaturum: cui magnus Magiste r generose respondit, Ordinem, insulam Rhodu m & se nulli subjectum esse, quam S. Sedi Apostolic æ, & se ipsi nunquam tributum daturum, quin m ori malle, quam pati, vt Ordo, qui semper fuerit lib er in servitutem redigatur, & tributarius fiat. Qua propter legatos ad Pontificem & Principes Chri stianos misit, opem ipsorum implorans contra p erfidum *M*ahomethem. Ann. autem M C DLIV. XI X. Maij de vita decessit, cum Ordinem XVI. annis, VI. mensibus & XIII. diebus sortiter gubernasset.

XXXV. JACOBVS MÍLLIVS

Ex Aruernia, vbi erat cœnobiarcha, successit in locum magni *M*agistri Lasticensis. Cal. Iun. MCCCLIV. Erat in suo cœnobio, cum eligeretur: cujus rei primum nuncium à suo nepote, fratre Georgio Ligno-rotundo, accepit: & protinus Rhodum profectus est, vbi capitulum generale habuit, mense Novembri ejusdem anni.

Anno MCCCGLVI. insula Rhodus peste & fame graviter afflicta fuit, sic vt dimidia ex parte vacua & deserta esset: quæ vt rursus frequentaretur, Equites passim citati fuerunt, vt intra certum tempus eo redirent.

Anno MCCCCLVII. Mahometh insulam Cariam obsedit, vna cum arce insulæ Singesanæ: sed fortiter fuit repulsus, insigni ab Equit: bus parta victoria. Eodem anno Rex Galliæ Carolus VII. Ordini sedecim millia aureorum donavit.

Anno MCCCCLIX. mense Octobri capitulum generale Rhodi habitum, ibidemq; anno sequenti generalis conventus celebratus fu.t: in quo multi cœnobiarchæ, præfecti & Commendatores citati, ad defendendum Ordinem. Anno MCCCCLXI. XVII. August. magnus Magister obiit, cum Ordinem tempore dubio ac difficili septem annos, duos menses & sedecim dies magna prudentia rexisset. Ingens sui desiderium reliquit. Fuit enim admodum benignus, affabilis, humanus, & conservandæ pacis atque concordiæ inter Ordinis socios studiosus.

XXXVI. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA

Natione Tarraconensis, Castellanus Impostæ, creatus fuit magnus *M*agister XXIV. August. MCCCCLXI. Tunc absens, & in Hispania erat: vnde discessit anno MCCCCLXII. & Roma itinere facto Rhodum venit, vbi generale Capitulum habuit: quo durante octava natio Castiliæ & Lusitaniæ instituta fuit, cum prius septem tantum essent, Franciæ, Aruerniæ, Provinciæ, Italiæ, Tarraconis, Angliæ, Germaniæ.

Anno MCCCCLXIV. exercitus Venetorum obsedit Rhodum: verum obsidio mox fuit soluta, & Veneti in suam ditionem sunt reversi, cum bellum esset compositum prudentia magni *M*agistri, qui turrim Nicolai in introitu portus exstruendam curavit, eo ipso loco, vbi magnus ille colossus Solis, inter septem mundi miracula numeratus, steterat: ad quam structuram Philippus Dux Burgundiæ decem millia aureorum contulit.

Anno MCCCCLXV. Turcarum Imperator legatos Rhodum misit, vt pacem cum Equitibus Hospitalibus faceret, qui eam repudiarunt, contraque coram legatis bellum Turcæ indixerunt.

Anno MCCCCLXVI. Pontifex celebrationem Capituli generalis Ordinis Romã transtulit, quo magnus *M*agister ipsemet venit, & Papa Paulus II. Capitulo illi interesse voluit. Anno sequenti XXI. Febr. magnus *M*agister Romæ obiit, anno ætatis LXXIV. cum Ordini quinque annos, sex menses & tres dies præfuisset, Sepultus fuit in æde D. Petri.

XXXVII. BAPTISTA VRSINVS

Cœnobiarcha Romanus, natione Italus, successit magno Magistro Zacostę, IV. Mart. MCCCCLXVII. atque hæc dignitas ipsi à Papa collata fuit, quia eam Romæ vacare contigerat: quod tamen factum est consensu omnium Equitum & Fratrum Ordinis S. Ioan. qui tunc Romæ erant. *M*agnus *M*agister illico juramentum præstitit coram Pontifice. Quod vbi Rhodi cognitum fuit, fratres Ordinis ignes lætitiæ testes accenderunt: quo magnus Magister paulo post venit: vbi cum esset, anno MCCCCLXIX. accepto nuncio, Turcam instruere potentem exercitum ad obsidendam Rhodũ aut Eubœam, magnum numerum Equitum absentium citavit, vt in insulam defensum venirent: adhæc fœdus cum Repub. Venetorum contra Turcam iniit. Anno autem MCCCCLXX. Mahometh vrbem Nigropontum in Eubœa vi cepit, III. Cal. Quintil. & magnam atq; horrendam in ea sævitiam exercuit, omnesque Latinos, quos in ea invenit, pugnæ fervore jam remisso, interimendos curavit: & tubæ clangore bellum contra Ordinem Rhodium publicavit: quam ob causam magnus Magister ad Papam misit, qui auxilium peterent: & Rhodii jejunium celebrarunt, vota nuncuparũt, solennes supplicationes instituerunt, vt opem divinam implorarent: omnemque apparatum instruxerunt, vt se contra exercitum Turcicum defenderent. Anno MCCCCLXXI. magnus Magister capitulum generale Rhodi habuit, in quo lis orta fuit cõtra procuratores ærarii, quæ fuit composita à legato Pontificis Sixto IV. qui eo nomine Rhodum venerat.

Anno MCCCCLXXV. alterum Capitulum generale à magno Magistro Rhodi habitum fuit, in quo præter statuta Ordinis leges Capitulares condi cœptæ. Anno MCCCCLXXVI. magnus Magister diuturno & molesto morbo, quo annum fere conflictatus est, VIII. Iun. extinctus fuit, cum Ordinem magna auctoritate, gravitate & prudentia spatio IX. annorum, III. mensium & III. dierum gubernasset.

XXXVIII. PETRVS ALBVSSANVS

An. MCCCCLXXVI. ex Aruernia oriundus, vbi etiam

Digitized by Google

etiam cœnobiarcha erat & præfectus vrbis Rhodi electus fuit in magnum Magistrum: qui solenne juramentum more solito præstitit, se statuta Ordinis observaturum: misitque legatum Romam, vt Pontificem de sua electione certiorem faceret, & obsequium suum profiteretur. Anno MCCCCLXXVII. totam insulam Rhodum obivit, & magnos fecit apparatus ad eam defendendam contra exercitum Turcarum, multosque cœnobiarchas, commendatores & Equites citavit, vt ad capitulum generale & defendendam insulam Rhodum convenirent. Idem pacem cum Sultano Ægypti renovavit.

Eodem anno Rex Ludovicus XI. Jubilæum in Gallia celebrandum obtinuit, in gratiam Ordinis & Equitum Rhodiorum, voluitque vt omne argentum, quod in eo offerretur, ad ipsorum defensionem impenderetur.

Ex eo Jubilæo magna vis pecuniæ collecta est, quæ in muniendis locis & arcibus insulæ Rhodi collocata fuit. Indùcias pactus est inter Ordinem S. Ioannis & Regem Tunetanum ad XXX. annos. Anno MCCCCLXXVIII. capitulum generale habuit, in quo administratio ærarii ipsi commissa, & Ordo S. Sepulchri Ierosolymitani cum Ordine S. Ioannis vnitus fuit.

Anno MCCCCLXXIX. decretum fuit in consilio Mahometi II. Turcarum Imperatoris, vt Rhodus obsideretur, quod protinus magnus Magister Pontifici nunciavit, & auxilium illius imploravit. Anno MCCCCLXXX. Turcarum Imperator vrbem Rhodum potenti cum exercitu obsedit: in qua obsidione multæ eruptiones factæ, & Turcæ semper repulsi & in fugam acti fuerunt, quamvis ipsorum exercitus, vt minimum centum millibus bellatorum, & classis CLX. navibus constaret. Magno Magistro opem tulit frater ipsius Antonius Albussonus, Vicecomes Montelisius, vir multa rei bellicæ peritia clarus, qui supremus copiarum militarium dux fuit constitutus. Paucorum dierum spatio Turcæ mille septingentos tormentorum ictus contra mœnia vrbis disploserunt, & facta fuit stupenda oppugnatio à quadraginta Turcarum millibus, qui fortiter fuerunt repulsi. In ea magnus Magister quinque vulnera accepit, quorum vnum lethale fuit judicatum. Denique obsessi tanta virtute Turcis restiterunt, vt hi ab obsidione discedere coacti fuerint, multis ex suis amissis. Atque ita exercitus Turcarum magno cum damno & ignominia Constantinopolin rediit, cum Rhodum octoginta novem diebus frustra obsedisset. In hujus victoriæ memoriam Rhodi templum B. Virgini victoriosæ fuit ædificatum.

Post hanc obsidionem Mahomethes impetum cepit Rhodum in propria persona aggrediendi: & tunc habitus fuit generalis conventus Equitum: sed mors ipsum prævenit, & ipsius filii, Bajazethes & Zizimus, post obitum patris, bello se mutuo sunt persequuti: quod Equitibus aliquam quietem attulit: imo Zizimus ad magni Magistri opem confugit, & Rhodum se recepit, an. MCCCCLXXXII vbi maximo cum honore exceptus, & inde in Galliam ductus fuit.

Tempore magni Magistri Albussoni statuta Ordinis fuerunt reformata, & in vnum volumen redacta.

Pax quoque facta fuit inter Ordinem & Bajazethem, Turcarum Imperatorem, cum Papa illius pangendæ potestatem magno Magistro fecisset. Idem magnus Magister cooptatus fuit in numerum Cardinalium Diaconorum à Papa Innocentio VIII. & IX. Mart. MCCCCXCVIII. missus ipsi fuit ab eodem galerus Cardinalitius. Idem Papa eum constituit suum legatum in Asia. Anno MD. Papa Alexander VI. eum creavit legatum & supremum ducem fœderis contra Turcam. Tandem vita functus est Rhodi anno MDIII. die III. Iulij, honoribus cumulatus, fuitque sepultus cum magna pompa funebri. Vixit LXXX. annos III. menses & IV. dies. Præfuit ordini XXVII. annis, XVI. diebus. Tempore ipsius quinque capitula generalia Rhodi habita, & in iis multæ præclaræ leges conditæ fuerunt.

XXXIX. EMERICVM AMBASIANVM

Postquã magnus Magister Albussonus mortuus esset, CCCLXXXVII. Equites Rhodi congregati successorem in ipsius locũ elegerunt, fratrẽ Georgii Ambasiani Cardinalis & legati in Gallia, archiepiscopi Rothomagensis, X. Iul. MDIII. Erat nationis Francicæ, & magnus cœnobiarcha Franciæ, cum eligeretur, ibique commorabatur, cum eligeretur, ibique commorabatur, cum eligeretur. Frater Guidus Blancofortius venit in Galliam, vt magnum Magistrum Rhodum proficiscentem comitaretur.

Anno MDIV. magnus Magister solennem suum introitum fecit in vrbem Rhodum in eaque magno cum gaudio & applausu exceptus fuit, propterea quod à regibus Galliæ & Hispaniæ conventui Fratrum commendatus fuisset. Vbi primum appulit, capitulum generale habuit, in quo fuit decretum, vt sumtuosum monumentum ex ære defuncto Cardinali, magno Magistro, exstrueretur: & anno MDX. aliud capitulum generale habuit: quo eodem anno Ordo memorabilem victoriam navalem contra Sultanum Ægypti obtinuit, duce Philippo Villiersio, ex Insula-Adami, Equite Gallo, qui postea creatus fuit magnus Magister, sub finem anni MDXII. Emericus autem obiit Rhodi. XIII. Nov. cum Ordini præfuisset IX. annis, IV. mensib. & III. diebus, & vixisset annis LXXVIII. mensibus IV. diebus VI.

XL. GVIDONEM BLANCOFORTIVM

Die XXII. ejusdem mensis Novembris Equites Ordinis congregati quorum CCCCX. erant, elegerunt in magnum Magistrum, ex Arvernia oriundum, vbi etiam cœnobiarcha erat, nepotem defuncti magni Magistri Albussoni. Erat in suo cœnobiarchatu, cum eligeretur.

Eodem anno MDXII. Concilium generale Lateranense fuit habitum Romæ, vbi frater Fabricius Carettanus, Thalassiarcha & Procurator Ordinis Rhodij, fuit præfectus stipatorum Concilii, quod

Digitized by Google

lii, quod fuit congregatum à Papa Iulio II. & continuatum ab ipsius successore, Leone X. anno MDXIII. quo magnus Magister Blanco-fortius, cum Niceæ in Provincia navem ingressus esset, vt Rhodum veniret, in itinere morbo correptus, & eo extinctus fuit, XXIV. Nov. vno anno & duobus diebus, post ipsius electionem.

XLI. FABRICIVS CARETTANVS

Genuensis, natione Italus, die XV. Decemb. MDXIII. Factum est istud Rhodi in generali conventu, in quo aderant quingenti quinquaginta Equites, inter quos etiam fuit ipse Carrettanus, qui prius erat Thalassiarcha Ordinis. Cadaver Blanco-fortii, magni Magistri, Rhodium allatum, & ibi honorifice sepultum fuit in templo S. Ioannis.

Anno MDXIV. capitulum generale habitum fuit Rhodi, post cujus celebrationem frater Philippus Villiersius ex Insula-Adami, sub præfectus magnus Magistri, missus fuit in Galliam cum suprema auctoritate in omnes regni cœnobiarchas, tanquam visitator, corrector, vicarius & legatus magni Magistri & Conventus.

Anno MDXVI. pax facta est inter Ordinem S. Ioannis, & Tomombeium Sultanũ Ægypti, successorem Campsonis Gauri, qui paulo ante in pugna infeliciter cum Selimo Turcarum Imperatore cõmissa occisus fuerat. Nec fortunat or fuit Tomombeius, qui anno MDXVII. captus, suspensus & strãgulatus fuit ex mandato Selimi, ad portam Memphis. Quæ causa fuit, cur magnus Magister insulam Rhodum, quantum potuit, muniverit, & legatos ad Papam & Principes Christianos miserit, per quos ipsis victorias Selimi nunciavit, eosque rogavit, vt rebus Christianorum prospicerent, sibique opem ferrent. Ann. MDXX. al ud capitulum generale habuit: eodemque anno S lymus obiit: cui successit filius Solymannus. Anno MDXXI. X. Ian. magnus Magister Carettanus Rhodi vltimum vitæ diem clausit, cum Ordini præfuisset VII. annis, XXVI. diebus, & Rhodi magnum apparatum & magnam copiam comeatus reliquisset, qui commodo successoris cessit:

XLII. PHILIPPVS VILLIERSIVS

Ex Insula-Adami, nationis Francicæ, & magnus in Francia cœnobiarcha, in qua tunc erat, cum eligeretur. Per ipsius absentiam fratri Gabrieli Pomerello, magno Commendatori, vices ejus demandatæ fuerunt, qui protinus Villiersio mortem magni Magistri Carrettani, & quod in ipsius locum electus fuisset, significavit, rogavitque, vt quamprimum Rhodum veniret: quo paulo post appulit, & ritu solenni ingressus, in statuta Ordinis juravit.

Eodem anno, quo fuit electus, nempe MDXXI. XXII, Ian. Sultanus Solymannus decrevit, Insulam Rhodum obsidere, vt vltimæ patris sui Selimi voluntati satisfaceret. Quo comperto, magnus Magister Villiersius omnem apparatum, quem potuit, instruxit, vt se contra Turcas defenderet. Vrbem Rhodum summa diligentia munivit, & legatum ad Papam Adrianum VI. qui Leon. X. successerat, misit, vt eum læto suæ electionis nuntio impertiretur, simulque auxilium peteret: quod obtinere non potuit, propter bellum, quod tunc inter Franciscum I. Regem Galliæ & Imperatorem Carolum V. gerebatur. Anno MDXXII. mense Iunio cæpta est memorabilis obsidio vrbis Rhodi, quæ ab exercitu ducentorum millium Turcarum, quibus postea alia centum millia accesserunt, circumdata fuit. Obsessi gnaviter se defenderunt, & multa egregia facinora bellica patrarunt, inprimis magnus Magister, qui toto obsidionis tempore arma non deposuit. Turcæ irrumpentes crebro repulsi fuerunt: atq; in vna oppugnat.one XX. millia Turcarum perierunt, ità vt Solymannus in animo haberet obsidionem solvere: sed fuerunt proditores, qui ipsum ab hoc instituto revocarunt. Hos postea magnus Magister comprehensos supplicio affecit. Ille autem auxilio destitutus, tandem coactus est deditionem facere, XXIV. Dec. MDXXII.

Ex Turcis plus quam centum millia in hac obsidione desiderata sunt. Solymannus autem cum magnum Magistrum videre voluisset, eo conspecto ex commiseratione illachrymavit: & Calend. Jan. MDXXIII.

Magnus Magister cum L. navibus Rhodo discessit, & Cretam petivit, postquam insula Rhodus spatio CCXIII. annorum in potestate Equitum Hospitalium fuisset, nempe ab anno MCCCIX. vsque ad finem anni MDXXII.

Amissa Rhodo magnus Magister & fratres Ordinis nullam certam sedem habuerunt, donec insula Melita ipsis ab Imp. Carolo V. donaretur. Nam primum in Cretam se receperunt: inde in Sicil.am & Italiam venerunt, vbi Papa ipsis hospitium Viterbii concessit: atq; illic vnum capitulum generale habitum fuit: postea aliquandiu Cornetti, deinde Villæfrancæ & Niceæ commorati sunt.

Cum Orbo Niceæ esset, magnus Magister in Angliam, & inde in Galliam profectus est. Lugduni in gravem morbum incidit: ex quo cum convaluisset, Camerinum ivit, vt Principem Philibertum Emanuelem, Caroli Ducis Sabaudiæ filium, ex fonte Baptismatis susciperet: inde Niceam rediit, vbi cum esset, ipse & totus exercitus Ordinis cum vniverso Conventu iter ingressi sunt, vt Melitam peterent, quo appulerunt die Mercurii, XXVI. Octobr. MDXXX. Illic magnus Magister palatium exstruxit in arce S. Angeli, in quo ipse & successores domicilium haberent: quod cum ritu solenni ingressus esset, aliud palatium in veteri vrbe Melitensi condidit. Tandem cum Ordini præfuisset XIII. annis, VII. mensibus, & annis LXX. vixisset, denatus est Melitæ XXI. Aug. MDXXXIV. & sepultus fuit in sacello quodam, quod in arce S. Angeli exstruendum curaverat. Ei successit, electione facta.

XLIII. PERRINVS PONTANVS

Astensis, natione Italus, XXVI. August. an. MDLIV. Antequã Rhodus à Turcis caperetur, præfectus erat

Digitized by Google

ctus erat Insulæ Cariæ: qua amissa, inde discessit cum omnibus Equitibus suæ præfecturæ, & in Cariam concessit: quam cum etiam deserere coactus fuisset, ex ea cum suis Equitibus migravit, & Cretam ad reliquos Equites venit. Postea factus fuit subpræfectus magni Magistri, & missus legatus ad Lautrecum, & creatus præfectus S. Euphemiæ in conventu Niccæ. Ibi cum esset, electus fuit in magnum Magistrum loco sui antecessoris, quem deploravit potius quam quod sua electione lætatus fuerit. Navem ingressus in sua præfectura cum triremibus Ordinis Melitam venit, X Novembr. eodem anno MDXXIV. Ipsius tempore Imperator Carolus V. expeditionem suscepit in regnum Tunetanum in Africa, in qua fuit adjutus à triremibus Ordinis, & Equites præclare se gesserunt, præsertim cum Goletta caperetur, quæ pro inexpugnabili munitione habebatur.

Confecto hoc bello magnus Magister obiit, XVII. Nov. MDXXXV: cum annũ ageret LXXIII. & Ordini quatuordecim solummodo menses & viginti duos dies præfuisset. Sepultus fuit juxta Villiersium antecessorem suum.

XLIV. DESIDERIVS SANTIALLENSIS

Die XXII. ejusdem mensis Novemb. electus fuit in magnum Magistrum, Tolone in Provincia natus, cœnobiarcha Tolosanus, vbi commorabatur cum eligeretur: qua de re certior factus, bonus senex, manibus in cœlum sublatis, dixit: Si mea opera populo tuo necessaria est, laborem & molestiam non refugio. Nec multo post in viam se dedit, vt Melitam proficisceretur. Verum cum effetus & decrepitus esset, Mompessulum veniens in gravem morbum incidit, quo extinctus, XXVI. Septembr. MDXXXVI. & magno cum honore sepultus fuit in æde possessionis commendatitiæ S. Ægidii extra portas vrbis Mompelii: relicto secundum nomen suum incredibili sui desiderio, propter eximiam opinionem, quam Ordo de ipso, ipsius justitia, bonitate & fortitudine conceperat. Ordo certior factus de ipsius obitu XVIII. Octobr. ejusdem anni MDXXXVI. progressus est die XX. modo dicti mensis ad electionem.

XLV. JOHANNIS HOMEDEI

Natione Tarraconensis, qui tunc erat in Hispania, ex qua discessit sub finem anni MDXXXVII. & Melitam venit die Lunæ, XXI. Ian. MDXXXVIII. vbi magna lætitia exceptus fuit: quamvis indignaretur, triremes, & navem prætoriam Ordinis non sibi missas fuisse, quæ se deducerent. Hac occasione navem prætoriam exarmandam & dissolvendam curavit, non sine quorundam murmure & querelis. Anno MDXXXIX. habitum fuit Melitæ capitulum generale, & aliud anno MDXLIII. Libenter differebat de obsidione Rhodiensi, vt omnibus constaret, quod in ea oculum amisisset.

Vivarium & elegantem hortum in insula S. Michaelis adornavit, in quo maximam diei partem consumebat. Hinc murmura contra eum orta, quod nullam aut exiguam reipub. curam gereret: imo accusatus fuit negligentiæ in munienda insula Melitensi, propterea quod nimium fideret propugnaculis arcis S. Angeli. Ipsius tempore Tripolis in Barbaria Ordini à Turcis erepta fuit: quæ jactura ipsum vehementer perculit & attonitum reddidit. Anno MDLII. cœnobiarcha Capuanus, frater Leonis Strozzii, insulam Zoaram intercipere conatus est, infelici successu, & multis Equitibus Ordinis ex omnibus nationibus interemtis: inter quos multi quoque Galli, Arverniaci & Provinciales fuerunt. Quo intellecto, magnus Magister summum mœrorem concepit, & palam professus est, Ordinem à tempore captæ Rhodi non majorem cladem accepisse. Munitiones S. Elmæ & S. Michaelis exstruxit. Obiit anno ætatis LXXX. die VI. Septembr. MDLIII. cum Ordini præfuisset XVI. an. X. mens. XV. diebus: & sepultus fuit in sacello magnorum Magistrorum.

XLVI. CLAVDIVS DE LASENGLE

Hic statuta Ordinis renovavit, & Romę typis imprimi curavit. Mortuus est mense Julio, Anno M D. LVII. Hoc denato in ejus locum suffectus est.

XLVII. JOHANNES VALETTANVS

Cognomento Parisotus, natione Provincialis, electus fuit in magnum Magistrum, XXI. August. MDLVII. Hæc electio toti Ordini gratissima fuit, quoniam ab omnibus quarumcunque nationum diligebatur, & nemo erat, qui ipsum hoc munere & dignitate non dignissimum judicaret. Spatio biennii factus fuerat generalis triremium præfectus, præses Cariæ, magnus Commendator, cœnobiarcha S. Ægidii & legatus magni Magistri: tandem ipsemet ad officium magni Magistri pervenit.

Vbi primum ad hanc supremam dignitatem evectus fuit, impetum cepit condendæ novæ Vrbis in Insula Melita, in monte S. Elmæ, cum cognosceret, cæteras omnes munitiones non satis esse validas ad sustinendum impetum potentis hostis: verum hoc consilium in aliud tempus rejectum fuit.

Arcem insulæ Gozensis muniri curavit: & relicto antecessorum suorum domicilio in arce S. Angeli, habitatum venit in castro Melitensi, quod fortissime defendit contra obsidionem Sultani Solymanni, in qua grave vulnus in cruce accepit, anno MDLXV. Verum obsidione soluta, cum magna Turcarum ignominia, insulam valde munivit, & novam vrbem condere cæpit, quam à suo nomine Valettanam appellavit. Primus lapis ab ipso positus fuit ritu solenni, die Iovis, XXVIII. Martii, MDLXVI. Tandem XXI. Augusti. MDLXVIII. debitum naturæ persolvit, eodem die, quo fuerat electus, cum Ordinem vndecim

Digitized by Google

decim annos integros rexisset. Hi versus Valettæ in ejus Epitaphio leguntur: D.O.M.S.

Ille Asiæ Libyæq; pavor, tutelaque quondam
Europæ, edomitis sacra per arma Getis:
Primus in hac alma, quã condidit, vrbe sepultus,
VALETTA, æterno dignus honore jacet.

Magnum sui desiderium reliquit non tantum omnibus fratribus Ordinis, sed etiam Pontifici & omnibus regibus ac principibus Christianis. Ipsius tempore duo capitula generalia Melitæ habita, & in iis multæ novæ leges de Ordinis disciplina conditæ fuerunt.

XLVIII. PETRVS DE MONTE

Natione Italus exsequiis magni *Magistri* Valettani XXXIII. Augusti. MDLXVIII. peractis alius in ipsius locum electus fuit, qui tunc erat cœnobiarcha Capuæ. Statim post suam electionem, cadaver suri antecessoris in novam vrbem deferendum & honorifice in sacello B. Virginis victoriosæ humandum curavit, qui hoc elogium meritus erat, quod esset pater militum, clypeus & protector fidei Catholicæ, & magnus persequutor ac domitor infidelium. *Magnus Magister*, antequam ad hunc supremum gradum ascenderet, prudentiæ suæ & fortitudinis in aliis præclaris & honestis functionibus specimina ediderat. Nam primum præfectus fuerat navis prætoriæ Ordinis: postea legatus præfecti triremium, & castellanus sive præfectus arcis S. Angeli Romæ. Fuit etiam Thalassiarcha & supremus triremium præfectus, ac legatus Ordinis ad PP. Pium IV. & Pium V. Cum Roma *Melitam* venisset, paulo post electus fuit in magnum Magistrum, effecitque, vt nova vrbs absolveretur: quo domicilium Conventus transferre cõstituit. Nam bonus senex non minorem gloriam se consequuturum sperabat, si novam vrbem Valettanam habitatoribus impleret, quam antecessor ipsius, ea condita, sibi comparasset. Atque ideo die Dominica XVIII. Mart. MDLXXI. magnus *Magister* solennem in eam introitum fecit cum Conventu & Equitibus Ordinis.

Tempore ipsius memorabilis pugna navalis ad Naupactum commissa, & victoria contra Turcas parta fuit. In ea Equites Ordinis præclara facinora militaria ediderunt. Obiit Melitæ XXVII. Ian. MDLXXII. & XXX. eiusdem mensibus electus fuit in magnum *Magistrum*.

XLIX. IOHANNES EPISCOPVS

Cassertanus, nationis Averniacæ, qui ante quam eligeretur, fortitudinis suæ in multis præclaris muneribus documenta dedit. Nam in expeditione ad Zoaram fuit signifer Ordinis, cuius vexillum strenue defendit, & *Melitam* retulit, cum se cum illo in mare conjecisset, & in triremem Ordinis evasisset, posteaquam longo tempore contra infideles fortiter pugnasset. Postea creatus fuit equitum Magister, Commissarius munitionum, & Mareschallus Ordinis: postremo ad culmen honorum evectus, & magnus *Magister* factus est: quo in officio religiose admodum vixit, ita vt nulla dies abiret, qua cultui divino nõ interesset, & tredecim pauperes suis manibus pasceret. Magnum templũ S. Ioanni Baptistæ consecratum, in nova vrbe Valettana suis sumptibus exstruxit, & illud mille aureorum annuo proventu dotavit: in quo pulcherrimum sepulchrum condidit, in quod cadavera magnorum Magistrorum, suorum antecessorum, reponerentur. Sub exitum vitæ grave infortunium passus est. Nam cum in odium multorum Equitum indignabundorum incurrisset, eorum conspiratione magistratu summotus, & in arce S. Angeli, custodibus adhibitis, inclusus fuit, VI. Iul. MDLXXXI. quod summa patientia & virtute pertulit. De hac iniuria cum apud Pontificem Gregorium XXIII. & Reges ac Principes Christianos conquestus esset, Pontifex Melitam misit Casparum Vicecomitem, auditorem Rotæ, & postea archiepiscopum Mediolanensem, vt ordini præesset, absente magno *Magistro*, quem Romam citavit: quantumvis Equites Vicarium magni Magistri elegissent fratrem *Mathurinum* Scutarum, dictum Equitem Romagasium, Gallum, qui se excusavit, quod munus istud coactus & præter voluntatem suscepisset.

Cum Vicecomes Melitam venisset, magnus Magister triremem Ordinis conscendit, quatuor proceribus magnam crucem gestantibus & ducentis Equitibus comitatus. Romam ingressus, magno cum honore exceptus fuit, hospitio in palatio Cardinalis Estensis in Mõte cavallo ipsi assignato. Postea Pontificem & Cardinales salutatum ivit, à quibus vicissim fuit visitatus. Tandem sive animi ægritudine, sive lassitudine ex itinere, quod in extrema senectute annorum LXXVIII. fecerat, in morbum incidit, quo extinctus fuit XXI. Decembr. MDLXXXI. cum decem fere annis Ordini præfuisset. Cadaver ipsius depositum fuit in æde S. Ludovici vbi exsequiæ ipsi factæ, & oratio funebris à magno illo Oratore *Marco* Antonio *Mureto* habita fuit, quæ inter orationes ipsius invenitur. Cor ipsius terræ mandatum in æde S. Ludovici, at cadaver *Melitam* translatum, & in novo sepulchro magnorum Magistrorum, quod in vrbe Valettana, in templo cathedrali S. Ioannis Baptistæ exstruendum curaverat, sepultum fuit. Post ipsius obitum Pontifex summotionem illam nullam & iniquam fuisse per decretum pronunciavit, quod commentariis Ordinis inserendum curavit.

Paulo ante ejus obitum etiam Anti-*Magister* Romagasius Romam venerat, sed nullo honore exceptus cùm esset, & ipse præ tristitia animi ideo æger obiit, & sepultus est in æde S. Trinitatis, vbi ejus Epitaphium visitur.

L. HVGO LOBESIVS

Verdalius, natione Provincialis, fuit electus d. XII. Ian. M.D.LXXXII. in magnum *Magistrum*, qui literas & scientias cum armis conjunxerat. Creatus fuit Eques, cum admodum juvenis esset, & expeditioni ad Zoaram interfuit, vbi fortiter aliquandiu pugnavit, & tandem salvus evasit. Functus est multis honorificis muneribus. Missus fuit legatus ab Ordine ad Papam Gregorium XIII. qua in legatione optime se gessit, & Equitibus suam industriam ita probavit, vt vnanimi consensu eum in magnum

Digitized by Google

magnum Magistrum elegerint, cum certiores facti fuissent de obitu magni Magistri Cassertani. Dissensiones inter Equites & cæteros Ordinis socios magna prudentia brevi tempore composuit. Papa Sixtus V. anno MDLXXXVII. sub finem Decemb. eum Cardinalem Diaconum creavit: qui cũ Melitam reversus esset, conventum Capucinorum exstruxit, insulam munivit, statuta Ordinis reformavit, historiam ejusdem per Iacobum Bosium lingua Italica describendam curavit, æs alienũ, quod summam ducentorum millium aureorum excedebat, dissolvit. Nihilominus ad Pontificem Clementem VIII. delatus fuit, quòd ærarium malè administrasset; à quo crimine vt se purgaret, nepotem suũ Romam misit. Sed antequam hæc lis decideretur, magnus Magister & Cardinalis Verdalius Melitæ de vita decessit, die Ascensionis IV. Maii MDXCV anno ætatis LXIV. cùm ordini præfuisset XIII. annis III. mensib. XI. diebus, magna auri signati copia in ærario relicta. Sepultus fuit in ęde cathedrali S. Ioã. cum magno honore & pompa funebri.

LI. MARTINVS GARZESIVS

Natione Tarraconensis die VIII. *M*aii Anno MDXCV. electus fuit in magnum Magistrum loco defuncti. Erat Eques, quem ob singularem bonitatem devotionemq; omnes per æque diligebant & reverebantur; & quamvis annum sexagesimum excessisset, tamen adhuc firmo & vegeto corpore erat. Equites, qui contra suum antecessorem conspiraverant, pacavit: vectigalia, quę ante ipsum imposita fuerant, abolevit: & vt novam formam suo regimini daret, officia Ordinis ad tempus abrogavit; quodque inprimis gratum fuit Equitibus, disertè interdixit, ne cui ex illis, ac nec ipsi quidem magno Magistro peculiares naves in mari habere, & privati commodi causa excurrere liceret. Tandem cum Ordinem V. annis, IX. mensibus, in summa, pace rexisset, Melitæ vitam cum morte commutavit VII. Febr. Anno MDCI. & in sepulcro magnorum *M*agistrorum conditus fuit.

LII. ADOLPHVS VIGNACVRTIVS

Nationis Francicæ post illius excessum, cùm Equites ad alium surrogandum cõvenissent, in Garzesii locũ electus fuit X. Febr. MDCI. qui cũ Melitam cum magno Gallorum nobilium numero veniisset Anno MDLXVI. die XXV. Augusti propterea quod tum rumor increbuisset, Turcam moliri novam Insulæ obsidionem, habitum Ordinis sub magno Magistro Valettano assumserat. Posteà magna officia sustinuit, in quibus suam bonitatem, fortitudinem & prudentiam demonstravit; inter alia præfectus vrbis Valettanæ, & paulo post Magnus Nosocomus Ordinis constitutus fuit. Virtutes ipsius cum felicitate conjunctę ipsum ad hoc fastigium honoris evexerunt, & posteà tam clarum fecerunt, vt Romanorum Imperator Ferdinandus II. eum ornaverit suo tempore titulo Illustrissimi Principis: in hoc officii sui cursu gloriam & existimationem aliorum magnorum Magistrorum Gallorum, quorum insignia & maximè memorabilia facta supra à nobis breviter & succinctè descripta fuerunt, perpetuavit. Migravit ex hac vita anno MDCXXIII. ipso die Crucis exaltationis.

LIII. ANTHONIVS DE PAVLA

Etiam Gallus, qui fuerat *M*agnus Commendator Provinciæ, vnanimi Equitum consensu electus eodem anno MDCXXIII. & cum magno applausu ad honorem magni hujus *M*agisterii admissus est, Absoluto vitæ suæ penso mortuus est die IX. Iunii Anno MDCXXXVI.

LIV. IOHANNES PAVLVS LASCARIS

Ex vetusta atque illustri familia Lascaridum, qui olim Imperatores Constantinopolitani extitere, ortus atque natus Nizzæ in Provincia; electus fuit in locum denati die XII. Iunii Anno Æræ Christi hominis MDCXXXVI. qui hucusque fortiter prudenterque Ordinis fasces gerit, ejusque honorem summum tuetur.

Sub hoc capta fuit illa Sultana Zaffira, mater Sultani Ibrahimi moderni Turcarũ Imperatoris, & in Melitam captiva cum quodam adolescente ejusdem filio, ducta ab Equitibus, qui pugna navali superiores extiterant Anno MDCXLIV. Hinc furor dicti Sultani adeo excanduit, vt extrema quęque minitaretur Melitensibus Anno MDCXLV. eodemque anno magna classe & manu plusquam centies mille hominum Candiam aggrederetur, proculdubio memor cladis illius, quã aliquoties præteritis seculis ejus antecessores ad Maltam frustra obsessam receperũt, ac proinde ratus melius esse si indirecte *M*elitenses oppugnet remotis prius cursus sui interjacentibus impedimentis & sic paulatim faucibus suis eò apertius hanc Equitum Insulam posteà expositam habeat. Verùm non est prudentia nec consilium contra Dominum Vniversi, qui callidos novit irretire in compedibus suis atque dissipare consilia impiorum vaferrima. Huic soli Deo τριαμιγίῳ Patri Filio & Spiritui sancto sit laus & gloria in sempiterna secula!

FINIS ARCHONTOLOGIÆ MODERNÆ.

Digitized by Google

EPIDROMVS
DE
ARCHONTOLOGIA COSMICA
FVTVRA.

[De hiſce rebus, non dantur hiſtorici, vtpote qui res geſtas enarrant cum iis quæ præſtò in oculos aliosque hominis ſenſus incurrunt, interim Prophetæ ſacri in canone V. & N. Teſt. multæ habent huc pertinentia; prout & Eſdras lib. 3. & 4. S. Hildegardis; alia vaticinia Anonyma; inprimis Ottho Friſingenſis Henrici IV. Imper. nepos, Friderici I. patruus, initio Monachus poſt Abbas, tandem Epiſcopus ſcripſit Chronicon ab orbe condito ad annum vſque Chriſti MCXLVI. quibus addit librum octavum de fine Mundi, Antichriſti perſecutione, reſurrectione mortuorum, judicio finali, gloria beatorum & ſuppliciis damnatorum &c.]

DIximus hucuſque de ſtatu præterito & præſente; non erimus itaque abſurdi, ſi non obliviſcamur etiam futuri. Quemadmodum olim præſens erat, qui jam dudum evanuit, ita certè aliquando aderit tempus quo, qui adhuc futurus, erit præſens. Nec ſapientis eſt tantum, quæ ante pedes, curare; ſed & quæ ſunt adhuc eminus, ſibi ſaltem ἐν πλάτει atque in animo, vt cominus ſita, exhibere. Fateriequidem oportet, maximam hominum partem circa hæc valde deſides eſſe, nec vltra naſum providere; inde tot præcipitia actionum humanarum, tot quorum poſtea nos pœnitet ſcelera, labyrinthi, vnde nos extricare nequimus, abyſſus horrenda miſeriæ, quam prius & majore cum pondere in cervicibus habemus, quam credere potuimus. Inter eos, qui hanc ſtoliditatem deplorant, eſt etiam Curtius ille nobilis hiſtoricus, qui lib. 8. ita: Malè humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerunque non futura ſed transacta perpendimus. Certiſſimum autem ſtat axioma: *In fine videbitur cujus toni.*

Nolumus autem alexipharmaca hîc præſcribere cuipiam contra iſtam humani generis labem, & quomodo ſibi in futurum cautè proſpicere debeat: Multo minus piorum (qui ſoli ſunt revera ſapientes & prudentes) conſcientias examinare, qua ratione ſeſe in tempore præmuniant ad omnes caſus, vt immobiles perſtent, ſi vel fractus illabatur orbis, omnibus quippe hiſce caducis longè ſuperiores. Norunt enim quid ſibi ſit ſpe infallibili expectandum, & contra quid impiis vel nil tale cogitantibus ſit metuendum. Illud Politicorum; hoc Theologorum eſt proprium proponere. Adi libros illorum & ſatis ſuperque invenies quæ menti ſatisfacere poterunt.

Neminem etiam ita præpoſterè curioſum eſſe confido, qui à me vel expetat vel expectet ſpecialem ſtatus Regni huius vel illius proximè futuri faciem. Si contra ſpem ſit aliquis, ingenuè profiteor me neſcire & ipſum Anticyras mittendum vt purgetur helleboro cerebrum. Non facio cum illis, qui fanatico impetu neſcio quid non audent à textu Apocalyptico extorquere invito; vt ſaltem prophetæ videantur, ad individua ſæpe applicantes hæc aut iſta futura prout ipſorum fert genius & affectus. Quod me abſterret inprimis eſt dura illa interminatio prophetiæ ſub finem addita: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto; Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus; auferet Deus partem ejus de libro vitæ & de civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Non ipſa lectio & pia interpretatio, ſed temerarius privatæ explicationis auſus his ſce verbis prohibetur. De Iudæorum converſione, Antichriſto, mille annis Apocalypticis, num in præterito vel futuro ſint collocandi tempore, tacebimus, Theologis relinquentes.

Interim ne nihil afferamus in medium, ea duntaxat, quæ partim apud ſanos omnes extra dubitationis aleam poſita ſunt, partim valde probabilia, quę vix admittunt oppoſitionem, producemus. Pauca tamen & illa breviter, quatenus ad Archontologiam ſpectant.

